St. Albert's College Library

THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS.

EXCUDEBANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

St. Albert's College Library

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS

TOMUS QUINTUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

ET IN SPECIE.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
GTU LIBRARY
1962

LUTETIÆ PARISIORUM,

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.

4. VIA DICTA DE BUCI.

1853.

BX
1751
A1
T49
v.5
1853

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE

ET EUCHARISTIA

QUIBUS ACCEDIT DIGRESSIO THEOLOGICO-CRITICA DE OPERIBUS S. DIONYSII

AUCTORE R. P. THOMA HOLTZCLAU S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

125/5

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
DE
SACRAMENTIS IN GENERE.

Post contemplatam universam ac mirabilem Verbi incarnati œconomiam ad instituta ab eodem novæ Legis Sacramenta Theologi cum Doctore Angelico a Q. 60. inspicienda procedunt. Sunt enim ea, septem columnæ, quas increata, incarnata Sapientia excidit, quibusque domum suam Ecclesiam imposuit : lucis ac salutis fontes totidem, quos idem Verbum Dei, et fons vitæ in hac domo sua perennes esse voluit, ut filii ejus aquam vitæ ex eis haurirent, sicut Isaias prædixerat: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris. Nequaquam de aquis fluminis Ægypti,* inquit HIERONYMUS in Is. c. 12. v. 3. *sed de fontibus Jesu.....* unde et ipse clamabat in Evangelio : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat :* vel pretiosa vasa, quibus et Christi sanguis et merita continentur, canalesve, per quos divinæ fluenta gratiæ ad nos defluere, sua nobis applicari merita, sacramentorum auctor Christus voluit, ut de his nos TRIDENT. admonet Sess. 7. in Procem. inquiens : *Per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Acturi igitur de SS. novæ Legis sacramentis præsenti Tractatu, cum in tres partes dividere placuit, quarum 1ª. Sacramenta generatim : 2ª. in specie Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam : 3ª. Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium complectetur. Ac primam quidem, a qua modo initium ducimus, duabus Dissertationibus definimus, agetque

I. De sacramentorum quidditate et existentia, auctore, causalitate et effectu.

II. De illorum causis intrinsecis et extrinsecis; tum subjecto.

Quoniam vero inter Ecclesiæ Concilia duo novissima generalia FLORENT. et TRID., ob temporum ita exigentium necessitatem, exactam doctrinæ orthodoxæ de sacramentis summam nobis tradiderunt, ad quam in hac parte multoties provocari necessum erit, in candidatorum subsidium utriusque Concilii doctrinam de sacramentis generatim est visum præmittere.

Decretum Concilii Florentini sub Eugenio IV. an. 1439. pro instructione Armenorum.

Novæ Legis septem sunt sacramenta : videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium : quæ multum a sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant : hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem : duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur ; per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide : renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur : spiritualiter etiam et corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem : per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter : per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur; videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia : quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta tria sunt : Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.

Canones Concilii Tridentini de Sacramentis generatim, conditi Sess. VII. 3. Mart. an. 1547. sub Paulo III.

I.

Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora, quam septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, anathema sit.

II.

Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis sacramenta a sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit.

III.

Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.

V.

Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus, anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

X.

Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, in Ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit.

XIII.

Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS EXISTENTIA ET QUIDDITATE.

Sacramentum latino ex fonte desumptum nomen est, semper Latinis aliquid sacri importans, licet non eadem semper acceptione, sed usu vario. Nam 1°. ut PAMELIUS notat ad L. Tertull. de Præscript. c. 4. ex Varrone L. 4. de Ling. lat. pecunia olim a litigantibus deponi apud Pontifices solita, ut, qui causa caderet, ea mulctaretur, ejus vero pars altera victori, altera ærario publico cederet, sacramentum dicebatur a loco sacro, in quo deponi debebat. 2°. VEGETIO teste L. 2. sacramenti nomine quodvis juramentum venit, ac quidquid divini nominis invocatione peragitur. Hoc sensu et HIERONYMUS sacramentum usurpat epist. 14. ad Heliod. n. 2., TERTULL. ad Martyres c. 3. *Vocati sumus*, inquit, *ad militiam Dei, vivi jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus*, h. e. ut explicat ipse L. de coron. mil. c. 3. cum *aquam adituri..... in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo; et pompæ et angelis ejus.* Hoc quoque sensu frequenter ab utroque jure, civili et canonico, sacramentum sumitur; in priore *Auth. de Sacramentis impub.* in altero c. 15. *de jurejur.* A sacris vero Scriptoribus triplici plerumque sensu accipitur; ac 1°. quidem pro re sacra occulta, adeo ut idem plane significet sacramentum Latinis, quod Græcis μυστήριον *mysterium*, a verbo μυω, sive occulto. Quo sensu Sap. 2. 22. dicitur de impiis: *nesciverunt sacramenta Dei.* Ad Ephes. 1. 9. de Deo: *ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* 2°. Pro signo rei sacræ vel occultæ. Sic Dan. 2. statua Nabuchodonosori in somno objecta sacramentum dicitur, quod signum esset rei latentis, scilicet successionis quatuor regnorum, ac postea orituri regni Christi sempiterni. Et Apoc. 1. v. 20. septem stellæ dicuntur sacramentum, sive signum septem angelorum, h. e. episcoporum. 3°. Pro signo sensibili nostræ sanctificationis; atque sub sensu isto cum Theologis et SS. Patribus de sacramentis agemus. Neque sperem, ex DD. Protestantibus hac acceptione sacramenti nunc amplius quempiam offensum iri; cum enim et ipsi communiter hodie Baptismum, Eucharistiam, alii etiam Pœnitentiam sacramenta appellent (secus ac eorum patres Lutherus et Calvinus, quibus sacramenti nomen pro signo rei sacræ displicere visum, quod in Scripturis non extaret, licet immerito; cum sacramentum, utpote vox latina, inepte quæreretur in textu vel hebraico vel græco) quod mediate saltem sanctificent hominem, quatenus juxta ipsos symbola sunt fidem excitantia, quæ deinde seipsa hominem justificet; pariter fas erit Catholicis, sacramentum sumere pro externo signo, quod seipso vi institutionis divinæ, ut suo loco monstrabitur, hominem sanctificet,

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS ESSENTIA ET EXISTENTIA.

1. Multiplex naturæ humanæ status consideratur a Theologis in Tract. de Gratia; hic in ordine ad sacramenta quadruplex attendi solet. Primus est *innocentiæ* et justitiæ originalis, in quo primi parentes sunt conditi. Secundus est *Legis naturæ* sic dictus, non quod pro statu hoc nulla daretur gratia, nullaque revelatio, vel lex positiva divina, quasi eo statu durante homines solis regerentur præceptis naturalibus; cum et lex positiva de remedio peccati originalis pro parvulis existeret, aliaque supernaturalia fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, etc.; sed ad distinctionem Legis scriptæ, sive mosaicæ, quod pro hoc statu pauca præcepta positiva stringerent, eaque non conscripta in tabulis, sed traditione ab Adamo ad posteros derivata; nec jam tum homines recepissent legem, qualis exinde a Deo per Moysen data est. Perstitit hic status ab Adami lapsu usque ad Moysen; imo in aliis extra Hebræum populum usque ad Christi legem. Tertius *Legis scriptæ* fuit, sive mosaicæ a Deo latæ, perque Moysen promulgatæ Hebræorum populo, scriptæque in lapideis tabulis, aliisque libris, qui Judæos, eorumque proselytos a Moyse usque ad promulgationem Legis evangelicæ devinxit. Complectebatur ea Lex præter præcepta naturalia leges plurimas tum ceremoniales, tum judiciales, quibus tota regebatur Hebræorum respublica. Postremus est *Legis novæ*, sive evangelicæ, passim ob majorem longe ubertatem gratiæ dictus Lex gratiæ, etiam ab Auctore suo divino Lex Christi, perduraturus ad mundi finem.

2. In statu innocentiæ nulla extitisse sacramenta concors assertio est, tum quod nullius aliquod habeatur vestigium, tum quod non conveniret pro illo statu, quem brevissimo tempore duraturum Deus præsciverat, sacramenta institui. An vero nulla extitura fuissent, si felix ille status Adamo non peccante permansisset? æquo curiosius petitur. Res ea, cum a solo liberoque Dei arbitrio dependisset, nemoque decreta divina, quid pro illa aliave hypothesi futurum fuisset, sit intuitus, incerta plane est, nec tam affirmabit quis, quam divinabit.

3. In statu naturæ cum prærogativa sacramenti institutum fuisse remedium aliquod pro parvulis utriusque sexus, quo a peccato originali liberari possent, communior habet sententia, eaque satis fundata; nam 1°. Deum parvulis etiam tunc providisse de necessario ad salutem medio, evinci videtur ex generali seriaque voluntate Dei salvandi omnes; at difficulter alias exponi poterit, qua ratione serio Deus parvulorum, quorum tanta copia ante rationis usum mori solet, salutem voluisset, si de nullo plane ipsis medio providisset; ut argumentatur Innoc. III. cap. *Majores*, de Baptismo. 2°. Etiam probabilius sacramenti dignitate præfulgebat; erat enim simul ritus aliquis

externus a Deo institutus permanenter, qui parvulos aggregabat populo Dei, itaque legalem quamdam illis sanctitatem conferens ac præsignificans gratiam postea conferendam per Baptismum. Quippe in duobus hoc remedium consistebat : primo in fide saltem implicita in Christum Salvatorem, elicita a parentibus aliisve, et applicata parvulis, ut tradunt magno numero Patres, S. Aug. de nuptiis et concupisc. L. 2. c. 11. S. Gregor. M. L. 4. Moral. c. 3. D. Thom. in 4. dist. 1. q. 2. a. 6. et 3. p. q. 70. a. 4. ad 3. S. Bernard. epist. 77. c. 1. n. 4. (opp. t. 2. p. 627.) aliique : Denique in externo illo ritu, quicumque fuerit, protestativo fidei, ut rursum Aug. affirmat L. 5. contr. Julian. c. 11. n. 45. *Nec ideo tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis, quid illud esset..... Scriptura tacere voluerit*, sed ex mente S. Patris sacramentum debet esse signum sensibile, L. 19. contr. Faust. c. 11.

4. In mosaicæ statu Legis plura extitisse sacramenta sat clare supponunt Conc. Florent. in Decr. union. ac Trident. Sess. 7. Can. 2. et habet constans traditio ; multos enim ritus ac ceremonias fixas et stabiles ea Lex a Deo acceperat, conferentes sanctitatem legalem, ac præfigurantes sanctitatem internam postea per Christum conferendam, ut nihil his deesset, quod ad sacramenti veri rationem pertinet. Quot numero fuerint, non constat. Plura fuisse, quam modo in Lege nova sint, S. Aug. autumat L. 19. contr. Faust. c. 13. nostra sacramenta, inquiens præ illis in Lege veteri esse *virtute majora, utilitate meliora, aditu faciliora, numero pauciora.* Præcipua erant 1°. Circumcisio, quæ, etsi jam in statu Legis naturæ pro Abrahamo, ejusque posteris instituta fuisset, Legi tamen mosaicæ esse propria cœpit, additaque speciali lege Levit. 12. 2. ut in eadem adeo janua esset sacramentorum aliorum, ac totius legis quædam professio. 2°. Consecratio sacerdotum ac levitarum Exod. 29. et Num. 8. nostræ legis ordinationem præfigurans. 3°. Lustrationes et expiationes legales, ac sacrificia pro peccatis, quibus nostra adumbrabatur Pœnitentia, quarum ritus in Pentateucho descripsit Moyses. 4°. Agni paschalis manducatio, Eucharistiæ figura. Confirmationi nostræ, Extremæ Unctioni, et Matrimonio nullum correspondebat sacramentum in veteri Lege. Rationem assignat Doctor Angel., quia Confirmatio sacramentum est plenitudinis gratiæ ; sed eo Lex antiqua nondum pervenerat ; quippe *nihil ad perfectum adduxit Lex.* Hebr. 7. Extrema Unctio est immediata quædam ad introitum gloriæ præparatio ; at hujus tunc aditus nondum patuit : Matrimonium vero in officium naturæ fuit, non ut signum suscipientes sanctificans. Quæ fuerit quorumvis ante Christum sacramentorum vis et efficacia, ex iis patebit, quæ alibi disseremus.

ARTICULUS I.

QUID SIT SACRAMENTUM ?

5. *Præmitto I.* Signum in genere est illud, quod potentiam cognoscitivam, sive sensitiva ea sit, sive intellectiva, ducit in cognitionem alterius. Dividitur varie : 1°. In *sensibile*, quod sensu externo potest percipi, sive, ut

Aug. inquit L. 2. de Doctrina Christ. c. 1. n. 1. *res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire*; et *spirituale*, quod sensu externo percipi nequit, velut character sacramentalis. 2°. In *naturale*, quod naturaliter citra institutionem aliam significat aliquid ob naturalem cum significato connexionem, ut fumus ignem; et *ad placitum*, sive arbitrarium, quod alterum nonnisi ex institutione aliqua significat; sic voces dicuntur signa ad placitum. 3°. In *rememorativum*, quod rem præteritam, velut crux mortem Christi; *demonstrativum*, quod præsentem; *prognosticum*, quod futuram significat, ut pallida luna pluviam, rubicunda ventum. 4°. In *symbolicum*, quod cum re significata analogiam quamdam vel similitudinem habet; ac *purum*, quod nullam. 5°. In *speculativum*, quod rem significat solum, non causat; tum *practicum*, quod rem non significat solum, sed etiam causat, cujusmodi signa esse sacramenta dicemus.

Præmitto II. Sanctitas alia est *perfecta*, solis propria creaturis intellectualibus, consistens in gratia sanctificante: alia *imperfecta*, et legalis, in passiva quadam consecratione ad cultum divinum, vel singulari conjunctione cum Deo consistens. Hæc rebus etiam inanimatis convenire potest, et esse rei extrinseca, denominatione sumpta a ceremoniis sacris, per quas ad cultum divinum deputatur. Sic vasa, vestes, templa sancta dicuntur juxta illud Levit. 12. *Omne sanctum* (h. e. Deo dicatum) *non tanget*: Ps. 94. *Domum tuam decet sanctitudo*; quod per consecrationem in suo genere ejusmodi res ad cultum Dei reddantur idoneæ. Sic et homines dicuntur sacri a sacris Ordinibus, et olim sanctificari dicebantur per consignationem ad veram religionem; per purificationem ab externis maculis per modum irregularitatis a cultu divino impedientibus; per aspersionem aquæ; per lotionem pedum ac manuum in sacerdotibus et levitis; ut enim legalem quamdam contrahebant immunditiem, e. g. per contactum cadaveris, sic legalem quamdam sanctitatem recipiebant per lustrationem ejusmodi, quæ quidem conscientias non mundabat, eos tamen rursum divino cultui et sacro ministerio reddebat idoneos.

6. *Dico.* Sacramentum in genere est signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam, et conferendam sanctitatem illud rite suscipienti.

Convenit hæc definitio omni et soli sacramento, nec continet superflui aliquid; sed particulæ, quas complectitur, vel excludunt alia, quæ vera sacramenta non sunt, vel sacramenti quidditatem perfecte declarant; igitur bona est. Neque discrepat quoad rem ab iis, quas alii paulo aliter tradunt, ut ex ejusdem declaratione patebit. Igitur dicitur

I. *Signum*: omne enim sacramentum nos in cognitionem rei sacræ, quam significat, deducit; proinde cum de sacramento hic loquamur, prout commune et univocum est sacramentis tum Legis antiquæ, tum novæ, ac singula a Deo instituta sint, ut rem sacram significent, recte in eorum definitione *signum* locum generis occupat. Etsi vero etiam omnibus sacramentis commune sit conferre sive causare sanctitatem aliquam sive perfectam, sive imperfectam; rectius tamen sacramentum in genere signi, quam causæ reponitur; quia sacramentum primario respicit gratiam, quam non causant

sacramenta omnia antiqua et nova, sed nova tantum; omnia vero tam antiqua, quam nova eamdem significant.

II. *Sensibile.* Patet inductione sacramentorum omnium pro vario naturæ statu. Et vero signum, cum institutum esset pro homine, accommodatum esse debebat conditioni hominis; hic vero in cognitionem insensibilium et spiritualium nonnisi per sensibilia duci solet. Hinc S. Chrysost. in Matth. hom. 82. (al. 83.) n. 4. (opp. t. 7. p. 787. D.): *Si incorporeus esses*, inquit, *incorporea dedisset ipse tibi dona; nunc autem, quia conjuncta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradidit.* Præterea Deus sacramenta instituit, ut essent signa protestativa religionis, eorumque quasi quibusdam vinculis colligarentur in unam Ecclesiam, proinde sensibilia esse debebant: *In nullum enim*, inquit S. Aug. L. 19. contr. Faust. c. 11. *nomen religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Per signum sensibile autem non elementum modo, vel materialis substantia intelligitur; sed et actio sensibilis, velut in Pœnitentia absolutio sacerdotis.

III. *Sacrum*, non solum determinative et objective, h. e. ex parte rei significatæ, videlicet gratiæ, sed etiam subjective, ex parte rei significantis, quatenus simul est res vel ceremonia tum protestativa religionis, tum ordinata ad cultum Dei, tum usu suo specialem sanctitatem confert rite suscipienti.

IV. *A Deo institutum*, sive *ad placitum*, h. e. ex institutione libera eaque divina; licet enim sacramenta novæ Legis similitudinem quamdam et analogiam habeant cum re significata, tum gratia, ut ablutio externa in Baptismo, cum interna abstersione peccati, unctio cum roboratione et fortitudine in fide; Eucharistia quatenus est cibus et potus cum spirituali refectione animæ, et sic in reliquis: nulla tamen res sensibilis significare gratiam ex natura sua potest, cum nullam cum gratia connexionem habeat; sed et cur Christus non potuisset alia seligere signa, iisque vim significativam et causativam gratiæ adnectere, quam symbolica; cum tota sacramentorum institutio dependeret a voluntate ejus libera. Deinde *a Deo* institutum esse debet; uti enim Dei est solius ad modum causæ principalis conferre gratiam; ita et ejusdem solius est auctoritate propria instituere signa collationem gratiæ certo significantia. Unde a ratione sacramenti excluduntur absolutio a censuris, collatio primæ tonsuræ, similesque ritus instituti non a Deo, sed ab Ecclesia.

V. *Permanenter*, hoc sensu, ut eo usque lege fixa et stabili, similique semper ritu conferantur quoad substantiam, quousque durabit status et forma religionis, pro qua instituta sunt. Sunt enim ceremoniæ præcipuæ, ritusque principales, quorum, ut aiebat Aug., consortio fideles in unam colligantur religionem; et in unitate fidei, ac conformitate divini cultus continentur: item sunt signa distinctiva, quibus populus Dei, seu fideles discernuntur a non fidelibus; ergo permanere tamdiu debent, quamdiu permanebit religio, pro qua instituta sunt. Unde Gen. 17. et Exod. 12. ritus circumcisionis, et Agni paschalis, dicitur *fœdere et cultu sempiterno* observandus. Et Eucharistia 1. Cor. 11. celebranda in memoriam Christi, *donec ipse veniat*, h. e. ad mundi finem.

VI. *Ad significandam gratiam* et *conferendam usu suo sanctitatem.* Quo

vera sacramenta ab aliis signis sacris, quæ veri nominis sacramenta non sunt, distinguuntur. Sacramenta enim non tantum novæ Legis sed et veteris ad significandam gratiam ordinata sunt; posteriora quidem ut dandam per sacramenta novæ Legis; illa vero novæ Legis ut præsentem significent, causentque; singula etiam ut rite suscipientes sanctificent, modo scilicet proportionato suo statui. Unde D. Thom. p. 3. q. 60. a. 2. in θ. sacramentum in genere ait, esse *signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.* Et patet inductione. Sic circumcisio in Lege veteri initiabat suo modo, et consecrabat hominem Deo, adjungebatque populo Dei, eratque ad religionem Moysis janua, ut debitor fieret totius Legis, quicumque circumcisus, ut ferme in nostro baptismo accidit. Ritus, quo in Lege veteri inaugurabantur sacerdotes, eos sanctificasse dicitur Exod. 28. 41. *Cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi.* Per expiationes et lustrationes iterum emundati reddebantur idonei ad cultum Dei, de quibus generatim ait Apostolus ad Hebr. 9. 13. *Sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Idem de sacramentis novæ Legis certum est, quæ ex professo suo loco probabitur non solum consecrare quomodocumque Deo, sed conferre habitualem gratiam, quæ hominem perfecte sanctum reddit, Deo gratum, elevatque ad operationes supernaturales et sanctas. Unde de essentia sacramenti generatim est, esse signum *practicum,* ipso usu sanctitatem conferens, vel imperfectam, legalem ut vetera, vel perfectam et internam ut sacramenta nova.

7. Ex hucusque dictis ortum duxit illa Scholæ controversia, utrum univoca sit data sacramenti definitio respectu sacramentorum utriusque Legis, antiquæ et novæ. Negant, qui sacramenta vetera tantum distare autumant a ratione veri sacramenti, quantum sanctitas legalis et imperfecta, quam solam producebant, distat a sanctitate perfecta et interna, quæ proprius sacramentorum novæ Legis effectus est. Unde inquiunt, si sacramentum spectetur, ut signum efficiens sanctitatis est, respectu utriusque Legis sacramentum est genus analogum; quia sanctitas est quid analogum respectu sanctitatis legalis, imperfectæ et externæ; tum veræ et internæ, quo sensu etiam dixit Doctor Angelicus in 4. dist. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 5. *Sacramentum non dividitur, per sacramenta veteris et novæ Legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes.* Affirmant contra communius alii, tum quod Conc. Florent. in Decr. et Trid. Sess. 7. Can. 5. sacramenta vetera supponere videantur esse veri nominis sacramenta, his simpliciter æque ac novis tribuens nomen sacramenti; tum quod juxta Aug. L. 19. contr. Faust. c. 11. vera religio sine sacramentis esse non possit; proinde cum in Testamento veteri vera fuerit religio, sine veris quoque sacramentis non fuit; tum et quod definitio utrisque secundum eamdem significationem conveniat; nullum enim est sacramentum sive Legis veteris sive Legis novæ, quod non sit signum sensibile gratiæ permanenter institutum ad homines sanctificandos. Sanctitas vero legalis et interna etsi univoce non conveniant secundum conceptum differentialem; sic tamen conveniunt secundum genericum et præcisivum ut sic. S. Thom. tandem loc. cit. ita sensisse videtur (nisi dicere quis voluerit, eum de analogia impropria locutum fuisse, nempe de analogia inæqualitatis consistente

in hoc, quod inferiora quoad differentias sint inæqualia, quæ inæqualitas univocationem non tollit, ut in animali respectu rationalis et irrationalis); at in Summ. p. 3. q. 60. a. 2. in 0. tum etiam 1. 2. q. 102. a. 5. in 0. tradit contrarium, docens, sacramenta proprie dici illa, quæ adhibentur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem; hoc vero ostendit etiam factum fuisse in antiquis; quod falsum esset, si illis ratio sacramenti analogice conveniret. Sed cum hæc quæstio fidem non attineat, necessum non est, ut in ea immoremur. Utilius ex declarata notione sacramenti sequentia deduces Corollaria.

8. *Corollarium I.* Ex dictis sacramentorum tum veterum, tum novorum definitio in specie facile colligitur. 1°. Sacramentum antiquæ Legis est *signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam dandam in Lege nova, et rite suscipienti sanctitatem legalem usu suo conferendam.* 2°. Sacramentum Legis novæ est *signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam, et usu suo rite suscipienti conferendam ex opere operato sanctitatem utramque, imperfectam sive externam, et perfectam sive internam, h. e. gratiam sanctificantem.* Quo in sensu brevius definit sacramentum novæ Legis Catechismus Romanus, part. 2. n. 5. quod sit *invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.* Totam quippe differentiam inter utriusque sacramenta Legis in eo versari, quod sacramenta novæ Legis etiam sanctitatem perfectam, aut internam, nimirum gratiam sanctificantem virtute sua causent, nec solum significent; contra illa Legis veteris hanc significarint solum ut conferendam in Lege nova; ac proinde utriusque sacramenta Legis non solis differre externis ritibus, ut contra posterioris ævi Novatores definivit Trident. Sess. 7. Can. 2., ex iis palam fiet, quæ de virtute causativa sacramentorum novæ Legis disseremus.

9. *Corollarium II.* A ratione veri sacramenti excludi debent omnes illæ res, et actiones quantumlibet sacræ, quibus integra sacramenti definitio non convenit. Unde 1°. ex sacramentorum censu in Lege veteri excludendus serpens æneus in deserto erectus; transitus per mare rubrum; manna, aqua de petra manans; impositio manuum facta a Moyse super Josue, etc.; tum quod ritus illi non fuerint a Deo instituti permanenter pro toto Legis mosaicæ statu; tum quod adhiberentur, non ad sanctitatis consecutionem, sed beneficii temporalis, velut curationis, cibationis, potus, felicitatis. 2°. In Lege nova a sacramentorum albo removeri debent descensus columbæ in baptismo Christi: hæc Christi ad Magdelenam verba: *Remittuntur tibi peccata*: lotio pedum in cœna Domini: insufflatio in Discipulos; quia, licet hæc forsitan fuerint signa gratiæ practica; non tamen instituta fuerunt ut ritus religiosi ac sacri, qui eodem modo lege stabili adhiberentur in Ecclesia, valerentque ad conferendam sanctitatem. Pariter excludi debent quævis ceremoniæ sacræ ab Ecclesia institutæ, ut templorum, altarium, SS. vasorum consecratio; benedictio abbatum; unctio regum; unctio chrismatica in vertice baptizatorum; applicatio salis et salivæ; quia hi, similesque ritus ab Ecclesia inducti sunt; nec sanctificant ex se, atque ex opere operato, sed per preces Ecclesiæ impetrantis. 3°. Sacrificium qua

tale et ut sic; quia sacrificium ex se, qua tale est, principaliter ad cultum ipsi Deo exhibendum refertur; sacramentum vero ad disponendos ac sanctificandos cultores homines. Nihil impedit tamen, quin idem simul sacrificium esse queat, et sacramentum sub ratione diversa : sic enim Eucharistia in nova Lege est; fuitque in veteri Agni paschalis immolatio : fuisse enim sacrificium constat : sed et sacramentum fuisse communis est cum D. Th. hic in Summ. a. 3. et q. 73. consensio.

10. *Corollarium III.* Ex definitionibus sacramenti, præcipue Legis novæ, quas varias procuderunt Novatores posterioris ævi, nulla sustineri potest. Etsi enim subinde nonnisi verborum sono dissentire videantur a catholico dogmate, capitali tamen omnes errore laborant; dum singulæ signi *practici* rationem sacramentis novæ Legis adimunt, nullamque tribuunt vim efficiendi sanctitatem, sive gratiam. Sic Lutherani et Calvinistæ passim sacramenta definiunt : *Sigilla, seu signa divinitus instituta ad obsignandas in nobis et confirmandas divinas gratiæ promissiones ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, excitandam fidem, nostram in Deum pietatem.* Item : *esse instrumenta Dei ad nostram sanctificationem instituta;* quæ, similesve locutiones et sensum orthodoxum habere possunt; nam et sacramenta nostra dici sigilla, quibus divinæ confirmantur promissiones; valere ad juvandam fidem, excitandam pietatem, Catechismus Concilii Trid. part. 2. num. 13. docet; *Christus, Salvator noster,* inquit, *cum nobis peccatorum veniam, cœlestem gratiam, Spiritus sancti communicationem pollicitus est, quædam signa oculis, et sensibus subjecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum dubitare nunquam possemus.* Ac paulo post : *magnam vim habent sacramenta non solum ad fidem in animis nostris excitandam, et exercendam; sed etiam... ad charitatem inflammandam* : et Trid. ipsum Sess. 6. cap. 7. Baptismum causam instrumentalem nostræ justificationis vocat. Nimirum Catholicis sunt signa vel sigilla non nuda tantum, sed *practica*, quæ simul vim habent efficiendi id, quod significant, sanctitatem : confirmantur iis divinæ promissiones; non sterili ostensione gratiæ, sed practice illas adimplendo : sunt instrumenta gratiæ; sed immediata, hanc efficiendo. At dum adversarii similibus utuntur verbis, latet anguis in herba. His sunt sigilla nuda, tantum speculativa gratiæ : instrumenta hujus mediata, sine vi seipsis causandi gratiam; sed mediante fide, quam tantum excitant, quæque seipsa justificet. Quæ pugnant cum essentia veri sacramenti, quod ex institutione sua debet esse signum practicum sanctitatis; in antiqua Lege imperfectæ; in nova Lege perfectæ, sive internæ gratiæ sanctificantis, quod ex proposito ostendemus, ubi de causalitate sacramentorum novæ Legis disputabimus.

11. *Obj. 1. contr. definit. datam.* 1°. Corpus Christi in Eucharistia non est sensibile, et tamen sacramentum est; pariter contritio est pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ, nec tamen sensibilis est. Quin cur non posset Deus rem mere spiritualem eligere, puta, actum voluntatis ad significandam gratiam? quo casu hic actus esset sacramentum; ergo sensibilitas signi non recte dicitur esse de essentia sacramenti.

2°. Si sit de sacramenti essentia esse signum sacrum etiam subjective; ergo vel sanctificat subjectum in genere causæ formalis, vel efficientis; at neutrum dici potest: si enim primum; ergo quandocumque tale signum applicabitur subjecto, hoc semper sanctum reddet, quod tamen persæpe non fit: si secundum; ergo sacramentis Legis novæ non conveniet; imo hæc sacramenta vera non fuissent, quia non causabant gratiam.

3°. Permanentia est duratio: sed hæc rei accidentalis est; magis enim et minus rem non variant; ergo esse institutum *permanenter*, ad essentiam sacramenti haud pertinet: deinde remedium naturæ sacramentum fuit; sed hoc annis fere 400. ante Legem scriptam desiit, nimirum Abrahami tempore; ergo.

4°. Omne sacramentum debet necessario esse signum symbolicum, h. e. similitudinem quamdam et analogiam cum re significata habens; ergo data sacramenti notio manca est. *Prob. Ant.* ex D. Aug. epist. ad Bonifacium 98. (alias 23.) n. 9. ubi, *si sacramenta*, inquit, *quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent.*

5°. Si vera sit data sacramenti definitio; ergo et martyrium et sacrificium sacramentis accenseri debent; nam et primum confert gratiam, ac juxta Bellarm. L. 1. de Bapt. c. 6. aliosque, ex opere operato: alterum pariter ad sanctificandos homines institutum est; item signum est rememorativum passionis Christi.

12. R. *Ad* 1um. *quoad* 1^{am}. *p. D.* Corpus Christi, contritio non sunt sensibilia immediate per seipsa *C.* mediate, per aliud, quod tamen ad ejusdem sacramenti rationem pertinet *N.* Sed hoc jam sufficit. Contritio vero interior animi per confessionem externam sensibilis fit; pariter corpus Christi per species panis, tum verba consecrationis, quæ ad idem sacramentum spectant. *Quoad* 2^{am}. *p.* R. *D.* Hic actus esset sacramentum ejusdem rationis cum sacramentis, quæ de facto instituta fuerunt pro hominibus *N.* rationis diversæ *C.* Et *D. Cons.* Ergo sensibilitas signi non est de essentia sacramenti pro hominibus instituti *N.* sacramenti, quatenus abstrahit ab institutione pro hominibus, ac substantiis mere intellectualibus, alioque quocumque possibili modo, accommodati *C.* Definitio procedit de sacramentis institutis pro homine, quæ hujus conditioni esse accommodata oportuit, juxta num. 6. Cui adde: cum homo constet anima et corpore, colere debebat Deum non internis solum, sed etiam externis actibus; sicut et actibus externis eumdem offendit; proinde non anima solum, sed et corpore, sive externe hominem sanctificari oportuit per res utique externas, sive sensibiles, ut Nyssenus docet de Baptismo Christi (opp. t. 3. p. 369. C.) inquiens: *Compositus est homo et non simplex, ut certo scimus, atque idcirco..... cognata, similiaque medicamenta ei ad curationem præbuit.* Cui consentit Gregorius Nazianz. or. 40. de Baptismo n. 8.

13. *Ad* 2um. R. Sacramentum suo modo subjectum in utroque genere sanctificat: gemina enim est sanctitas, quam sacramenta causant; una, quam causant formaliter in se ipsis, estque illa sanctitas moralis ac legalis, per quam homo specialiter consecratur, jungiturque Deo, ac formaliter quasi

res Deo sacra, ad eumque singulari modo pertinens constituitur, ut sunt consecrationes templorum, ac similium, quæ sacrantur formaliter hoc ipso, quod illis applicentur ceremoniæ in hunc finem ab Ecclesia institutæ. Et hæc sanctitas est effectus formalis sacramentorum tum veteris tum novæ Legis, habeturque semper. Altera est, quam sacramentum generalius sumptum effective causat, et est vel gratia sanctificans, quam sola sacramenta nova effective causant; vel legalis aliqua specialis consistens in jure cohabitandi populo Dei, communicandi in sacris ejusdem ac religiosis ceremoniis, etc. quam conferre omnibus sacramentis commune fuit. Etsi vero permittatur, etiam specialem illam sanctitatem legalem conferri semper, modo sacramentum sit validum, sicut etiam character; sacramenta tamen novæ Legis sanctitatem illam veram, sive gratiam tunc solum causant, quando subjectum illa rite suscipit, ut docent Flor. in Decr. et Trid. Sess. 7. Can. 6. 7. Sic qui in peccati mortalis statu ordinatur sacerdos, hoc ipso speciali modo Deo devinctus fit, licet sanctitatem internam non recipiat. Quod vero sacramenta vetera non causarent gratiam, non ideo sacramenta vera non erant; quia non est de essentia sacramenti in genere causare gratiam, sed hanc significare et conferre aliquam sanctitatem vel imperfectam, vel perfectam; sacramenta vero antiqua saltem significabant gratiam ut conferendam per nova, velut umbræ horum et figuræ.

14. *Si dicas*: Quod in sacramentis habet rationem signi, debet causare id quod significat; ergo vel sacramenta vetera non erant vera, quia gratiam significabant solummodo: vel si nova non semper causent gratiam, erunt signa falsa.

R. *D. Ant.* Quod habet rationem signi cujuscumque *N.* demonstrativi *subd.* Debet causare id pro quovis eventu *N.* quando rite suscipitur *C.* Triplex in sacramentis significatum datur, 1°. significant gratiam; 2°. passionem Christi et mortem, causam gratiæ meritoriam; 3°. vitam æternam, gratiæ effectum. Sacramenta novæ Legis, quatenus Christi mortem significant, signa sunt rememorativa: vitæ æternæ, utpote futuræ, signa sunt prognostica: gratiæ vero, quam præsentem significant, signa demonstrativa sunt; sed respectu illius solummodo subjecti, quod illa rite suscipit, h. e. nullum gratiæ ponit obicem; respectu subjecti alterius obicem gratiæ afferentis non sunt signa demonstrativa; proinde eo casu nec signa falsa. Sacramenta vero Legis veteris erant signa tantum prognostica, quia et gratiam, et passionem Christi, et æternam gloriam significabant ut futura. Nihilominus vera sacramenta manebant, cum de ratione sacramenti in genere solum sit significare gratiam; causare vero eamdem simul de ratione sacramenti in specie novæ Legis, quod solum differentiam specificam inter sacramenta utriusque Legis constituit.

15. *Ad* 3um. R. *D.* Est accidentalis rei physicæ et physice spectatæ *C.* rei vel enti morali *N.* Ita quoque rem physicam physice non variat; variat tamen moraliter, sive rem consideratam moraliter. Sic e. g. licet in visione beatifica major vel minor duratio non variet operationem physice; variat tamen moraliter in ratione beatitudinis, ad quam spectat perfecte explere appetitum rationalem, ita ut cesset eo ipso beatitudo esse, si æternum non

duret. Remedium vero naturæ pro sola Abrahami familia mascula desiit, non pro aliis.

16. *Ad* 4um. R. *N. Ant.* vel *D.* Debet esse symbolicum, h. e. ex institutione divina significativum alicujus rei *C.* habere analogiam ac similitudinem cum re significata *N.* Neque aliud S. Aug. vult; nam juxta ipsum sacramenta debent repræsentare res significatas, sicut dies Dominica, de qua immediate agit ante objecta verba, resurrectionem Christi, ac proinde cum rebus significatis similem habere convenientiam; at dies Dominica non repræsentat resurrectionem Christi, nec huic est similis, nisi ratione institutionis; igitur et sacramenta aliter esse similia non debent.

17. *Ad* 5um. R. *N. seq.* quoad utrumque; nam 1°. martyrium non est ceremonia sacra a Christo instituta, ut exerceatur, quamdiu durat Christi religio; sed si spectetur ut cædes fidelium Christi, est actio detestabilis et prohibita. Deinde sacrificium principaliter cultum Dei respicit ac immediate, non sanctificationem hominum, juxta num. 9.

17. *Obj. II. cum Protestantibus* : Scriptura sacra, Patres aliique non raro sacramenta vocant *signacula, sigilla, pignora* divinarum promissionum, quæ veluti illis obsignentur, confirmentur. Sic ad Rom. 4. 11. circumcisio dicitur *signaculum justitiæ;* idemque nomen Aug. L. de catechizand. rudib. c. 26. n. 50. sacramentis novæ Legis omnibus tribuit. Baptismum sigillum vocat S. Greg. Naz. orat. 40. de Bapt. n. 4., Tertull. *fidei obsignationem.* de Pœnit. c. 6. *Pignoribus* a D. Bernardo comparantur serm. de cœna Domini.

R. Sic vocant in sensu, quo volunt adversarii *N.* in alio, eoque orthodoxo *C.* Vocant signacula, sigilla, 1°. quia obsignant veluti fideles et ceu notæ distinctivæ discernunt ab infidelibus; 2°. quia intra se vere rem sacram latentem claudunt, nempe invisibilem gratiam, ut ibid. exponit Aug. cit.; vocantur pignora, quatenus sensu etiam vero dici potest, esse veluti arrhas, certaque signa, quibus Deus promissionem de danda gratia contestatur. At his solis nec Scriptura, nec Patres totam sacramentorum naturam aut vim definiunt; sed talia esse signacula, sigilla volunt, quæ gratiam, quam intra se claudunt, ceu causæ conferant; promissiones gratiæ divinas in suscipientibus effectui dent, ut ex referendis infra sententiis de causalitate sacramentorum patescet. Sic S. Bennard. loc. cit. comparat sacramenta annulo et baculo, quibus tanquam signis et pignoribus confertur actu dignitas aliqua, vel possessio; ita per sacramenta monstrans actu conferri gratiam. At adversarii totam sacramentorum naturam atque vim in hoc solo constringunt; quod discernant fideles, sint divinarum promissionum obsignatio mera; quod sint signacula, sigilla sterilia, quæ ipsa per se conferre promissam gratiam nequeant : quod longissime remotum esse a Scripturis sacris, et mente Patrum ostendetur infra.

ARTICULUS II.

AN ET QUOT NOVÆ LEGIS SACRAMENTA SINT?

19. *Præmitto.* Nullum prorsus in nova Lege sacramentum dari, Ascodrutos olim affirmasse refert THEODORETUS, Hæretic. Fabular. L. 1. c. 10. (opp. t. 4. p. 101.). Etiam Fratricellos ecclesiastica despexisse sacramenta, JOANNES XXII. ait in Extrav. *Sancta Romana.* Alii hæreticorum circa particularia sacramenta aberrabant. Archontici, Epiphanio teste, Hær. 40. n. 2. Baptismum et Eucharistiam execrabantur: Baptismum Manichæi inficiabantur: Confirmationem neophytis conferendam negabant Novatiani: Ordinem Taudemitæ respuebant: Matrimonium Manichæi rursum et Encratitæ: Eucharistiam Petro-Brusiani: Extremam Unctionem Albigenses detestatos esse S. ANTONIN. testatur 4. part. tit. 11. c. 7.: sed et alia eos sacramenta rejecisse, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem ex Petr. VALLIUM Ord. Cist. scriptore coævo intelligimus. Ex postremi temporis Novatoribus Calvin. nonnisi Baptismum, Eucharistiam et Ordinem recepit: Swingl. Baptismum, Eucharistiam et Matrimonium. Luther. L. de captiv. Babyl. chamæleonte mutabilior modo unum, modo duo, modo tria, modo plura recepit: Augustana Confessio duntaxat tria civitate donavit, Baptismum, Eucharistiam, et Pœnitentiam; nec de his eorum unus recte sensit, cum singuli sacramentum quodlibet virtute causandi gratiam spoliarent.

20. *Dico.* Habet et Lex nova sacramenta sua, eaque numero septem, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium. Hæc est constans et fixa Ecclesiæ Catholicæ doctrina, ac clare definita in Conc. TRID. Sess. 7. Can. 1.; tum FLOR. in Decr. At quoniam Concilii utriusque auctoritatem, etsi immerito, pertinaciter respuant Protestantes; et dogmatis catholici, et definitionis veritas ulterius

Prob. I. Sacramenta novæ Legis sunt ritus sacri, seu signa externa et sensibilia, ac stabilia, quæ ex divina institutione annexam habent promissionem gratiæ, scilicet sanctificantis, ut dictum Art. 1., et in hac definitione generali conveniunt omnes Catholici, etsi quoad voculas alias sit quædam discrepantia. Atqui recensita septem sacramenta sunt tales ritus, aut talia signa, eaque sola; ergo.

Prob. min. quoad part. 1am. Ex Scripturis sacris inductione, hoc loco quidem breviter, quod longius ostendemus, ubi in specie de singulis erit disputatio.

Ac 1°. De Baptismo constat; est enim ritus expressus ad Ephes. 5. 26. *Lavacrum aquæ in verbo vitæ.* Institutio ejus extat Joan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc.; et Marc. ult. *baptizantes eos.* Promissio gratiæ ibid. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ad Tit. 3. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum*: ubi Baptismo promittitur salus, proinde gratia salutis radix.

2°. De Confirmatione ritus externus, manuum impositio habetur Actor. 8. et 19. Effectus gratiæ ibid.; nam per manus Apostolorum dabatur Spiritus

sanctus. Institutio, etsi in Scriptura expressa non æque sit ac de Baptismo, ex citatis locis tamen evidenter colligitur; nunquam enim Apostoli ita constanter imposuissent manus ad conferendam Spiritus sancti gratiam, nisi institutionem Christi et præceptum certo tenuissent; cum hominis potestatem excedat, ritus instituere, iisque gratiam annectere.

3°. Quoad Eucharistiam, ritus Matth. 26. et 1. Cor. 11. *Accepit panem, et gratias agens, fregit*, etc. Institutio ibid. *Hoc facite*, ac Joan. 6. *Nisi manducaveritis*. Promissio gratiæ, Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

4°. De Pœnitentia Joan. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ubi 1. exprimitur ritus externus, judicialis absolutio, quæ est signum internæ, quæ a Deo fit. 2. Promissio gratiæ: *remittuntur eis*, quod fit largiendo gratiam. 3. Institutio ibid.: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Unde inquit Apost. 2. Cor. 5. *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis.*

5°. De Extrema Unctione ritus exprimitur Jac. 5. 14. *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Promissio: *et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Institutio hinc rursum apparet, quod Apostolus non ausus fuisset, ita confidenter tantum effectum promittere, nisi Christi voluntatem tenuisset.

6°. De Ordine ritum externum, manus impositionem, ac promissionem gratiæ expressit Apost. 1. ad Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii.* Tum 2. ad Tim. 1. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Institutionem, ad Ephes. 4. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores.* Deinde, unde noverat Apostolus datam fuisse Timotheo gratiam, nisi a Christo didicisset hanc illi signo impositionis manus annexam esse.

7°. De Matrimonio ritum externum habemus, contractum marem inter et feminam. Institutionem, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Gratiam, ad Ephes. 5. v. 25., ubi juxta Apostolum conjunctio viri et feminæ significat conjunctionem Christi cum Ecclesia: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia*, v. 32. Sed hæc conjunctio est per gratiam; ergo et illa viri et feminæ talis esse debet; vel secus vere significare non posset conjunctionem alteram Christi cum Ecclesia.

Prob. min. quoad part. 2^{am}. Quia præter recensitos hos septem ritus, nullus alius sive ex Scriptura sacra, sive ex traditione afferri potest, qui tum stabili institutione divina, tum annexa gratia gauderet; sed hi septem soli; ergo nec plura sunt, nec pauciora, quam enumerata veri nominis sacramenta.

21. *Prob. II.* Pervulgata est S. Aug. regula L. 4. de Bapt. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Unde tale formatur argumentum: quod universa semper tenuit, tenetque Ecclesia, est tenendum omnino, utpote auctoritate traditum apostolica: atqui septem in nova Lege esse sacramenta, semper universa tenebat Ecclesia; ergo.

Prob. min. 1°. Semper enim Ecclesia eos sinu suo ejiciebat, qui vel unum e dictis respuerent. Sic seculo III. damnati Novatiani, qui Confirmationem negabant conferendam neophytis. Sec. IV. Manichæi male sentientes de Matrimonio. Sec. XII. Albigenses, qui Extremam Unctionem, Confirmationem, Pœnitentiam et Ordinem detestati. Rursum sec. XV. Wicleffistæ inter cætera specialiter, quod Extremam Unctionem aversati.

2°. Ex perpetuo Ecclesiæ utriusque, occidentalis et orientalis consensu, qui vel exinde indubius fit. 1. Quod, etsi Græci, cæterique orientales etiam in minimis, et ubi ubi se posse putabant, carperent ritus et fidem Ecclesiæ Romanæ; nemo tamen eorum unquam eam sit ausus perstringere quod admitteret sacramenta plura, quam Christus instituisset. 2. Ex utriusque Ecclesiæ Euchologiis et Ritualibus antiquissimis, in quibus de iis solis sacramentis, quæ recensuimus, fit mentio, præscribuntur ritus et cætera ad eorum administrationem pertinentia. 3. Ex responsione Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani data Confessionis Augustanæ nuntiis, Græcos omnes eadem cum Latinis, nec plura, nec pauciora sacramenta admittere.

3°. Ex omnis ævi Patrum testimoniis, quæ Protestantium quidem Doctores quoad Baptismum et Eucharistiam ultro amplectuntur nobiscum. Sed et amplectantur quoad cætera.

Confirmationis S. Dionys. Areopagita Apostolis coævus claram mentionem ingerit de Eccles. Hier. c. 4. part. 3. n. 11. *Sed et ipsis, qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, adventum Spiritus sancti consummans unguenti unctio elargitur.* Eu ritum, ejusque effectum, proinde rationem sacramenti. Illam sacramentum vocat Cypr. ep. 72. ad S. Stephanum de Concil. n. 1. Eodem in ordine cum Baptismo et Eucharistia Tertull. ponit L. de resurr. carn. c. 8. S. Cyril. Hierosolym. ex quinque Catechesibus mystagogicis 1am. et 2am. de Baptismo scripsit: 3am. de sacramento Confirmationis: 4am. et 5am. de Eucharistia, quæ scilicet sacramenta eodem die pro more tunc Ecclesiæ conferebantur neophytis.

Pœnitentiam Baptismo æquat S. Ambros. L. 1. de Pœnit. c. 8. n. 36. 37. utrobique inquiens idem esse ministerium sacerdotum; utrumque esse mysterium: in Pœnitentia Dei nomen operari. Pariter S. Cyril. L. 12. in Joan. (opp. t. 4. p. 1101. D.) reconciliationem pœnitentium Baptismo comparat.

Extremam Unctionem Innoc. I. sec. V. epist. 1. ad Decentium c. 8. (Labb. t. 2. p. 1248. B.) cæteris annumerat sacramentis; quippe de oleo infirmorum loquens: *Pœnitentibus*, inquit, *istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Sed et ante Innoc. Extr. Unctionem in peccatorum remissionem adhibitam, Origenes testatur homil. 2. in Levit. n. 2. et 4. (opp. t. 2. p. 189. A. et 191. C.).

Ordinem rursus sacramentis S. Dionys. Areop. accenset de Eccles. Hier. c. 5., per illum gratiam dari asserens. S. Aug. L. 2. contr. epist. Parmeniani c. 13. n. 28. scribens de Baptismo et Ordinatione: *Utrumque*, inquit, *sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur; illud, cum ordinatur. Itaque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari.*

Matrimonium demum inter sacramenta refert Aug. L. de bono conjug.

c. 18. n. 21. *In nostrarum* (uxorum) *nuptiis*, inquit, *plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri*. Et c. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis : quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti*. Idem Tertull. facit L. de Præscript. c. 40. Sed de his plura, ubi de sacramentis in specie.

Ratio a priori est voluntas Christi instituentis; cui tamen sua non deest congruitas, ut nunc dicetur.

22. *Dico II*. Sacramenta novæ Legis et quoad substantiam, et quoad numerum perquam convenienter instituta sunt.

Ratio 1ae. *part*. est, 1°. Quia maxime congruum est, ut Deus provideat homini de salutis mediis naturæ humanæ consentaneis : sed homo nonnisi per res sensibiles ad rerum divinarum ac spiritualium intelligentiam deducitur, ut ex S. Chrysost. observatum est n. 6.; ergo et statui Legis novæ sacramenta conveniunt. 2°. Ut ibid. ex S. Aug. notatum, ut ex tanta varietate hominum coalesceret Ecclesiæ corpus, ac fideles in unam colligarentur religionem, possentque discerni a cæteris, necessum fuit, eos quibusdam vinculis constringi, ac notis distingui sensibilibus; sed vincula illa sensibilia, notæque sacramenta sunt. Ubi tamen S. Pater minime intelligendus est de necessitate absoluta ac presse dicta ex parte Dei, sed latius accepta, pro magna congruitate ac convenientia naturali. Plures convenientias affert Catechismus Romanus.

Ratio 2ae. *part*. sumitur a similitudine, quæ vitam spiritualem et corporalem intercedit. Homini quippe ad vivendum, vitamque agendam tum suo, ac quia animal sociale est, reipublicæ bono, hæc septem videntur pernecessaria : 1°. generari debet : 2°. augeri et roborari : 3°. nutriri : 4°. sanari, si in morbum incidat : 5°. removeri infirmitatis reliquiæ debent : deinde 6°. quantum rempublicam attinet, ut magistratus non desint, quorum auctoritate regatur : 7°. eo quod mortalis sit, ut legitima sobolis propagatione conservet seipsum et humanum genus. Ita pariter ad spiritualem vitam requiruntur septem. 1°. per Baptismum renascimur, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*. 2°. Confirmationis virtute augemur et roboramur in fide, ut de baptizatis jam Apostolis notat D. August. iis idcirco a Domino dictum esse : *sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*, Luc. 24. 3°. Eucharistia nutrimur, juxta illud Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. 4°. per Pœnitentiam restituimur sanitati. 5°. per Extremam Unctionem abiguntur morbi spirituales, ac peccatorum reliquiæ, Jac. 5. 6°. per Ordinem traduntur ministeria sacra in Ecclesia, ac constituuntur superiores, qui præsint cœtui fidelium. 7°. Matrimonium additur, ut per legitimam sanctamque conjunctionem maris ac feminæ religiose susceptæ proles educentur ad cultum Dei.

23. *Obj. I*. Ex Script. 1°. Si septem darentur Legis novæ sacramenta, meminisset illius numeri S. Scriptura alicubi : atqui nusquam illius meminit; ergo. 2°. Scriptura sacra potius duo tantum esse sacramenta indicat; nam Joan. 19. ex latere Christi fluxerunt sanguis et aqua, h. e. Eucharistia, et Baptismus; ita enim locum hunc S. Aug. L. 2. de symbolo c. 6. et Tract. 9.

n. 10. in Joan.; tum Chrysost., Cyrill., Theophylact., Damasc. L. 4. de fide c. 9. et passim Patres Græci exponunt. Nec obscure hunc numerum reprobare videtur Apoc. 17., ubi angelus vocat sacramentum bestiam septem habentem cornua, quo significari videtur, septenarium sacramentorum numerum ad Antichristum, qui per bestiam illam designatur, pertinere.

24. *Ad* 1um. R. 1°. Nec Scriptura alicubi numeri binarii sacramentorum, vel ternarii mentionem facit.

R. 2°. *N. M.*, quod hujus numeri meminisse debuisset, cum multa teneamur credere vi verbi divini traditi, cujus eadem auctoritas est, quæ scripti, etsi in Scriptura ipsa scripta non sint. Sic quatuor omnes tenemus Evangelia, cæteris, quæ etiam sub hoc circumvolitabant nomine, rejectis; sic et determinatus est librorum canonicorum numerus, tametsi nec hunc, nec illa Scriptura determinet. Demum

R. 3°. *D. min.* Non meminit alicubi, h. e. in uno loco omnium septem, aut sub hac verborum formula sacramenta sunt numero septem *C.* non meminit ejus numeri quoad rem *N.* Sic vero meminit, cum septem ejusmodi ritus sacros assignet, nec plures, nec pauciores, quibus omnes veri sacramenti dotes conveniunt, ut constat ex Conclusione. Atque ita nobiscum respondeant, necesse est, adversarii, cum secus nec sua tria, vel duo sacramenta evincent. Quod vero hoc solum modo Scriptura sacramenta assignet septem, rationem hoc loco apposite Bellarm. dat, quia Scriptura (idem est de Patribus) non scripsit Catechismum, ut modo facimus ob multitudinem hæresum, sed tantum res ipsas tradit variis in locis.

Neque replicent: Debuisset saltem Scriptura iis in locis hisce ritibus tribuere nomen sacramenti, si eos ut vera sacramenta proponeret. Nam

R. Neque hoc nomen Baptismo, vel Eucharistiæ attribuit, quæ tamen adversariorum consensu sacramenta sunt; sed solum Matrimonium hoc insignitur nomine, quod tamen adversarii omnes e sacramentorum numero exulare jubent. Deinde nudum *sacramenti* nomen in Scripturis divinis adhibitum nondum signum sufficiens est, rem illam ad veri nominis sacramenta referri; nam variis rebus hoc nomen additur, quæ tamen ad illa minime pertinent. Ita ad Ephes. 1. propositum gentiles vocandi ad fidem dicitur sacramentum voluntatis Dei; ad Tim. 3. Verbi divini incarnatio magnum dicitur pietatis sacramentum; Dan. 2. statua Nabuchodonosori in somno objecta; Apoc. 1. sacramentum stellarum; Apoc. 17. sacramentum mulieris. Hinc non est de nomine hic, sed de re disputatio.

25. *Ad* 2um. R. *D.* Laudati Patres sic exponunt, ut excludant sacramenta alia *N.* secus *C.* Sic et Apostolus ad Hebr. 6. duo tantum ponit sacramenta; Baptisma, et impositionem manuum, h. e. Confirmationem; *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum; baptismatum doctrinæ; impositionis quoque manuum*; ubi per impositionem manuum Chrys., Theophyl., Theodoret., aliique Confirmationem intelligunt, quæ dabatur post Baptismum; nec meminit Eucharistiæ, licet et hæc dari post Baptismum soleret, quin tamen idcirco eam excludat. Sed non est necessitas inhærendi expositioni datæ: alii enim Patres exponunt aliter. Cyril. Catech. 3a. n. 10. et 13a. n. 21. Hieron. epist. 69. (al. 83.)

ad Oceanum n. 6. (opp. t. 1. p. 420.) per sanguinem et aquam duo significari Baptismata volunt, sanguinis et fluminis. S. Ambros. L. 10. in Luc. n. 135. ac S. Aug. ipse in cap. 19. Joan. Tract. 120. n. 2. aliique per sanguinem intelligunt redemptionis pretium ; per aquam Baptismum, quo pretium illud applicatur. Et hæc expositio videtur litteræ conformior ; ideo enim, ut notat Bellarminus, non dixit : exivit aqua et sanguis, ut ordo postulasset, si ageretur de Baptismo et Eucharistia, cum hanc ille præeat ; sed *exivit sanguis et aqua*, h. e. pretium, et hujus applicatio : quo ostenderetur efficacia baptismi Christi præ illo Joannis, qui venerat in aqua solum, sive baptismo inefficaci ; Christus in sanguine et aqua, h. e. aqua annexum habente ejus pretium sanguinis, sicque in baptismo efficacissimo, plane juxta illud 1. Joan. 5. *Hic est, qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.*

26. *Ad* 3um. R. Non sine blasphemia ita objici ; nolint enim, velint, ea etiam sacramenta hac ratione numerare debebunt inter cornua bestiæ, quæ adversarii admittunt pro veris, Baptismum et Eucharistiam. Verum non dixit Joannes ; septem cornua esse septem sacramenta, sed sacramentum in singulari, sive unum ; tum quid septem ea capita denotent, continuo subdit, esse septem reges.

27. *Obj. II.* Ex SS. Patribus 1°. Si septenarium sacramentorum numerum constanter tenuisset Ecclesia, cur igitur antiquiores Patres illius non meminerunt ? Quin

2°. Veteres Ecclesiæ Patres et Scriptores, ubi de sacramentis vere talibus agunt, duobus solummodo contenti sunt ; nam 1. duorum duntaxat S. Justin. M., Baptismi scilicet et Eucharistiæ meminit Apol. 2a. 2. Nec plurium Irenæus. 3. Tertull. pariter L. 1. et 4. contr. Marcion. 4. S. Aug. L. 3. de Doctr. Christ. c. 9. Item epist. 118. (al. 54. n. 1.) duo tantum dari sacramenta affirmat, Baptismum et Eucharistiam ; nam priori loco, *pauca*, inquit, *pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus et Apostolica tradidit disciplina : sicuti est Baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini.*

3°. Etiam Patres qui ex professo tractant de Sacramentis, nonnisi illa duo ponunt ; tales sunt S. Cyril. in Catechesibus, S. Ambros. L. de Sacrament. et de Myster.

4°. Recentiores e Patribus plura quidem subinde, quam duo recipiunt ; tamen non septem : sic S. Gregor. relatus Can. *multi secularium*, Caus. 1. Q. 1. tria ponit, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam : Auctor operis *de operib. Cardinal. Christi*, qui sub nomine Cypriani perperam alias venit, rursum tria tantum, Eucharistiam, Chrisma, Ordinationem : Raban. Maurus tandem de instit. Clericor. sex priora sacramenta, Matrimonio excluso ; ergo septenarius ille sacramentorum numerus e cerebro prodiit Scholasticorum, Hugonis a S. Vict. an. 1130., et Petri Lombardi, sive Magistri Sententiarum an. 1140., quia ante hos non occurrit.

28. *Ad* 1um. R. *N.* Quod non meminerint, etsi non sub hoc expresso

nomine, numeri septenarii (sic enim nec numeri binarii aut ternarii meminerunt), tamen quoad rem; non equidem singuli septem sacramentorum omnium, attamen universi vel collecti sacramentorum singulorum, ut ex Conclus. constat. Sed et Aug. singulorum septem sacramentorum diversis in locis mentionem sat claram ingerit; nam præter Baptismum et Eucharistiam loc. antec. num. cit. diserte Confirmationem sacramentorum albo infert L. 2. contr. litteras Petiliani c. 104. n. 239. *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus :* Ordinem L. 2. contr. epist. Parmen. verbis in prob. 2ª. num 21. adductis. Pœnitentiam in Ps. 146. n. 8. reconciliationem pœnitentium verbis disertis sacramentum appellans : Extremam Unctionem L. 5. de Baptism. c. 20., sub nomine enim olei passim apud veteres Extr. Unctio venit : Matrimonium demum L. 9. de Genes. c. 7. triplex ejus bonum esse dicens, proles, fidem, sacramentum. Cur vero singuli non referant sacramenta singula, ratio est 1°., quod id eorum scribendi scopus sæpe non posceret : vel 2°. quod illa tantum tractanda sumerent, quæ impugnabantur ab hæreticis, uti ex dicendis constabit : 3°. disciplina arcani, sive lex religiosi silentii de nostræ mysteriis fidei, de qua testantur, quotquot ferme veterum de religione scripserunt. *Omnibus mysteriis*, ait Tertul. Apol. c. 7. *silentii fides debetur.* Idem S. Basil. vult L. de Spir. sancto c. 27. n. 66. S. Ambros. L. de iis, qui mysteriis initiantur, seu de Mysteriis c. 9. n. 55. Quin ea lex gentilibus occultandi fidei dogmata adhuc sec. IV. et V. tenuit. Unde S. Chrys., qui sec. IV. exeunte floruit, homil. 40. in epist. 1. ad Corinth. n. 1. (opp. t. 10. p. 379. A.) de Baptismo loquens, *volo quidem,* inquit, *aperte hoc dicere, non audeo autem propter eos qui non sunt initiati; ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogant vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare, etc.* Et ineunte sec. V. Innoc. I. respondens Decentio Eugubino Episcopo, *verba dicere non possum,* inquit c. 3. (Labb. t. 2. p. 1246. D.), *ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Ea etiam de causa S. Aug. L. de catechizand. rudib. c. 9. sacramenta ait fuisse appellata mysteria, h. e. secreta, occulta, quæ solis communicanda initiandis, efferre contra in publicum nefas esset. Nimirum ne, si panderentur gentilibus, hi ritus et sacra religionis nostræ sensu acciperent maligno, indeque spernendi et cavillandi ansam caperent, ut revera docuerat experientia.

29. *Ad* 2um. R. 1°. id falsum esse de singulis Patribus, ut constat ex Aug. ante cit., et Tertul. paulo post, aliisque in Conclus. Deinde ad singulos

R. 2°. *in specie.*

S. Justinus ideo duorum solummodo meminit, quia, ut de singulis tractaret, nec scribendi, nec temporis ferebat ratio. Respondebat enim gentilibus, qui duo objecerant Christianis : 1°. eos esse atheos, quod Deos non colerent : 2°. in conventibus suis eos vesci pueruli alicujus carnibus, ideoque neminem eos, præter suos, suam ad synaxin admittere. Cujus calumniæ in Christianos conjectæ etiam Tertul. in Apologet., Athenagoras in Apolog., Minutius in Octavio testes sunt. Ad primum respondet, eos atheos non esse, cum tres divinas personas colant. Deinde de Christianorum synaxi agit, ac veluti cursim Baptismi meminit, ut doceat, nonnisi baptizatis permissum esse synaxi accumbere; tum, quid Christiani in synaxi agant, rationem red-

dit, ubi de Eucharistia necessum habebat disserere, utpote synaxeos mysterio præcipuo, ob quod, scilicet corpus Christi, putabantur carnibus vesci mactati pueruli. Igitur de sacramentis aliis ut scriberet, nec necessum fuit, cum hæc ignota essent adhuc gentilibus; nec proinde consultum, ne ex his divulgatis ampliorem causam sumerent Christianos amplius cavillandi.

S. Irenæus ex professo de sacramentis non tractat, sed pro oblata scribendi causa nunc Eucharistiæ, nunc Baptismi meminit. L. 1. c. 9. de priore disputat, ut Marci cujusdam errores refellat circa eamdem; cap. 18. autem de Baptismo, ut rursus hæreticorum aliorum circa eumdem ineptias confutet.

Tertull. plura admisit, quam duo; nam 1°. L. de Resurr. carnis c. 8. omnino quatuor distinguit, Baptismum, Chrisma, Eucharistiam et Ordinationem; quinque vero L. de Præscript. c. 40., ubi ait, *diabolum ipsas res sacramentorum divinorum æmulari .. tingit et ipse quosdam... expiationem delictorum de lavacro repromittit*; en Baptismum: *initiat mitra*; en Ordinationem: *signat in frontibus milites suos*; en Confirmationem: *celebrat panis oblationem*; en Eucharistiam: *quid? quod summum Pontificem in nuptiis statuit*; en Matrimonium. Deinde falsum, Tertull. L. contr. Marcion. duo dicere sacramenta; sed potius exinde refelluntur adversarii: ait enim ibid. L. 1. c. 14. in sacramentis uti voluisse Deum aqua, pane et oleo; sed hæc in quinque sacramentis materia sunt. Non meminit tamen hic duorum aliorum, quia nihil conducebant ad ejus propositum; quippe probandum sibi sumpserat, Deum verum vere condidisse elementa, cæterasque res sensibiles, quod negabat Marcion; atque ita probat: si hæc alius quidam condidisset Deus, sane non iis uteretur Deus noster et verus in sacramentis suis.

S. Augustin. ponit sacramenta duo non exclusive, veluti non darentur alia; omnia enim septem ab eo admitti, constat ex ante dictis; sed solum exempli gratia, ut particula *sicuti* satis indicat. Sic eadem sacramenta duo exempli gratia ponit in Ps. 103. conc. 1ª. n. 9. *Respice*, inquiens, *ad munera ipsius Ecclesiæ, munus sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia*; at non excludendo propterea reliqua; nam immediate subdit: *et in cæteris sacramentis*. Ideo vero hæc duo ad modum exempli refert, quod principaliora sint, Baptismus necessitate, cum et cæterorum sit janua, Eucharistia autem excellentia et dignitate.

30. *Ad* 3um. R. *N.* a laudatis Patribus ex proposito de sacramentis disputationem suscipi, sed uterque neophytos, seu baptizandos de iis instruit sacramentis, quæ cum Baptismo adultis conferuntur; ad hos enim Cyrilli catecheses, ut legenti patet, diriguntur, quos *illuminandos* vocat, h. e. baptizandos; Baptismus enim sacramentum *illuminationis* dicebatur antiquis. De S. Ambrosio vero vel ipse titulus id declarat, et de iis, qui *initiantur*, h. e. phrasi tunc pariter recepta, baptizabantur: adultis vero tria sacramenta dabantur, olim quidem die eodem Baptismus, Confirmatio, Eucharistia; id quod ex cit. L. Ambrosii *de Sacram. et iis*, etc., planum fit, ubi et totum Baptismi ordinem, et quæ hunc consequebantur, exponit. Hinc dum L. 6. c. 2. ait: *Accepisti plenissime de sacramentis, cognovisti omnia*; accipi debet de sacramentis iis, quibus instituebat neophytos.

31. *Ad 4um*. R. Verba cit. Can. non recte attribui Gregorio, cum non apud hunc, sed Isidorum extent L. 6. Etymolog. c. 19.: sed cujuscumque sint, duntaxat ad modum exempli referuntur. Auctor operis *de operib. Cardinal.* ea solum sacramenta exponenda sumpserat, quæ Christus in cœna instituit, Eucharistiam, Chrisma et Ordinationem; vide *Serm. de cœna Domini, et lot. ped.* inter opera S. Cypriani. Rabanus demum Libris de Instit. Clericor. de sex prioribus solum sacramentis agit, quia hæc clericis, quos instituit, conveniunt, Matrimonio omisso, quod ad eosdem non pertineat.

32. *Obj. III.* Etiam lotio pedum Joan. 13. adhibita in cœna a Christo ad vera sacramenta pertinet; ergo sunt plura, quam septem. *Prob. Ant.* Habet enim omnia, quæ veri nominis sacramentum exigit; nam 1°. adest ritus externus, sive signum sensibile, nimirum lotio. 2°. Institutio divina et præceptum Christi v. 14. *Si ergo ego lavi pedes vestros dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* 3°. Promissio gratiæ v. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

R. *N. A.* et *prob.* et dico, non haberi 1°. præceptum Christi, sive institutionem divinam, ut traditione constat ex praxi Ecclesiæ; nunquam ea præceptum Christi in ea lotione agnovit sibi traditum, quod demonstrat ejusdem quoad illam disciplina varia. Nam S. Ambrosio teste, L. 3. de Sacram., eam non observavit Ecclesia Romana, cæterarum Magistra. Teste Isidoro, L. 6. Etymolog. c. 7. Ecclesia Hispana Dominica Palmarum ante Baptismum non pedes solum, sed et caput abluebat baptizandorum. Idem mos Gallicanæ fuit Alcuino teste, L. de Eccles. Offic. De Africana Aug. refert epist. 55. n. 33. ad Januar. (alias 119.) plures lotionem in consuetudinem recipere noluisse, ne ad Baptismum pertinere videretur; alios, ubi consuetudo fuisset, eam abstulisse. Et vero nunquam Christiani putarunt, speciale sibi præceptum datum de pedum lotione; alioquin peccarent omnes, qui ea ceremonia non utuntur. Deinde plerumque ante Baptismum adhibebatur; ergo non putabatur instituta ut sacramentum, cum ille omnium janua sit. Per hæc igitur: *si ergo ego lavi pedes*, etc. humilitas, tum charitas præcipitur, ut exponunt Chrys. et Cyrillus in hunc S. Joannis locum.

2°. Nec habetur promissio gratiæ; per hæc enim: *nisi lavero te, non habebis partem mecum,* ad litteram non promittit Christus gratiam, sed minatur Petro pœnam ob inobedientiam, ut rursus exponunt laudati ante Patres Chrys., Cyril., tum S. Basil. L. 1. de Bapt. c. 2. Unde multum differt hæc Christi propositio: *nisi lavero te*, etc., ab hac Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc.; hæc enim posterior universalis est, omnes respiciens citra conditionem ullam; prior vero Petrum, ejusque reluctantiam respicit, cui, nisi obediat, comminatur pœnam. Per ista vero v. 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet,* non innuitur, lotionem pedum peccata venialia more aliorum sacramentorum remittere ex opere operato; alias quotidie deberent lavari pedes; sed esse figuram lotionis alterius internæ, qua etiam *loti, mundi toti,* sive simpliciter mundi, h. e. justi indigent, ut levioribus maculis, peccatis venialibus se mundent, quæ etiam justis adhærent, veluti balneo lotis in pedibus pulveres. Lotio autem interna, qua diluuntur ejusmodi nævorum in justis pulveres, per illam externam figurata sita est

in contritione, Pœnitentiæ sacramento, humilitate, aliisque virtutum actibus, qui oppositi sunt certis peccatis venialibus.

33. *Dices* : Attamen S. Ambros. L. 3. de Sacram. c. 1. n. 4. et seqq. lotionem pedum etiam ad nostram sanctificationem institutam asserit. Et L. de Mysteriis c. 6. n. 32. plantam Petri, ait, ablui, *ut hæreditaria peccata tollantur*; propria autem relaxari per Baptismum : auctor vero serm. de lot. ped. inter Cypriani opera p. 334. ad hæc verba, *nisi lavero te, non habebis partem meum* : *Paulatim*, ait, *mysterii hujus declaratur necessitas, quam conditio proposita inevitabilem reddit*. D. Bernard. serm. de Cœn. Dom. n. 4. (opp. t. 1. p. 891. E.) : *Ut de remissione quotidianorum*, inquit, *minime dubitemus, habemus ejus sacramentum, pedum ablutionem*.

R. 1°. *generaliter* : Lotionem pedum dici sacramentum acceptione latiore, quatenus scilicet aliquid sacri significet, quod in nobis fieri quotidie debet, h. e. expiationem peccatorum venialium; non hanc efficiendo sacramentorum aliorum more, sed ut obtinendam per deprecationem, pœnitentiam, humilitatem, etc. Et vero si crederent, lotionem pedum tale sacramentum esse; oporteret sane, inquit Bellarm. apposite, nos ex eorum sententia quotidie invicem lavare pedes, eo quod sacramentum hoc culparum quotidianarum esse expiationem dicant. Hinc simul patet responsio ad posteriores duos, D. Bern. et auctorem serm. cit.

R. 2°. *in specie* ad S. Ambros., et explico cum dist. : ait hunc ritum institutum esse etiam ad sanctificationem nostram, hanc simul efficiendam *N.* solum significandam, obtinendam vero per actus alios pœnitentiæ, humilitatis, charitatis, etc. *C.* Per hæreditaria vero peccata nihil minus, quam originale intelligit, cum illud per Baptisma dilui, nec solum propria personalia actualia, tota semper crediderit Ecclesia contra Pelagianos, ipseque Ambros. L. cit. de Myster. c. 3. n. 11. inquiens, in Baptismo *omne ablui carnale peccatum*; sed intelligit concupiscentiam, juxta ea, quæ S. Pater idem in Ps. 48. n. 9. tradit, ubi, quod L. de Myster. vocaverat *peccata hæreditaria, lubricum calcanei* appellat : *lavemus et pedes, ut lubricum calcanei possimus auferre*. Proinde sensus est : obtenta mundatione baptismali, necessariam insuper esse aliam, qua hæreditaria coerceatur concupiscentia, expienturque, si qua per hanc contracta, peccata quotidiana; hanc vero expiationem significari quidem lotione pedum, sed obtineri modis aliis, non per eamdem effici.

ARTICULUS III.

QUIS AUCTOR ET INSTITUTOR SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS ET QUÆ EORUM TUM AD SE INVICEM, TUM SUBJECTUM COMPARATIO?

34. *Præmitto*. Non istud hic in controversiam venit, Deusne solus principalis sacramentorum auctor sit; certum enim est, neminem, præterquam Deum solum, qui solus est gratiæ auctor, posse sensibilibus rebus virtutem causandi gratiam annectere, ac proinde ex auctoritate divina profluere debere, ut aliquid conferendi gratiam virtute polleat. Sed maxime quæritur, utrum sacramenta novæ Legis omnia a Christo, ac quidem immediate insti-

tuta sint? contra ac quidam Theologorum veterum putarunt, sacramenta quædam nonnisi post Christi in cœlos ascensum, accepta tamen a Christo potestate instituta fuisse. Sic Extremam Unctionem tum primum institutam fuisse ab Apostolis Hugo Victor., ac Magister Sententiar. asserebant. Confirmationem primum in Conc. Meldensi an. 845. tum Alex. Alens., tum D. Bonavent. tradidit; etsi immerito plane; cum nihil omnino de institutione hujus sacramenti, quasi tum primum facta, in toto isto Concilio reperire sit, sed solum quidam præscribantur Canones, juxta quos administrari hoc sacramentum debeat, ut ne conferatur a chorepiscopis, Can. 44. Ne ob sacrum chrisma aliquid muneris episcopi accipiant, Can. 45. Ne sacrum chrisma nisi feria quinta majoris hebdomadæ conficiatur, Can. 46. Quæ institutionem non primum factam arguunt, sed antiquam supponunt.

35. *Dico I.* Omnia et singula novæ Legis sacramenta Christus immediate et per se ipsum instituit. Est certa apud Doctores sententia, ac juxta multos de fide, quod tamen negant alii.

Prob. I. Ex Scripturis sacris. 1°. Nullum est ex sacramentis septem, cujus expressa in Scripturis mentio non fiat; ut constat ex num. 20. Igitur imprimis nullum post lapsam Apostolorum ætatem institutum ab Ecclesia dici potest. Sed nec ipsis ab Apostolis; nam 2°. 1. ad Cor. 4. Apostoli profitentur, se ministros duntaxat esse, ac dispensatores mysteriorum Dei; nusquam auctores. Et jam c. 3. v. 5. præmiserat: *Quid est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis.* 3°. Teste S. Luca Act. 1. Christus a resurrectione sua 40. dierum spatio conversatus cum Discipulis fuit, loquens de regno Dei, h. e. Ecclesia ordinanda; quo tempore proinde ea excepisse e divini Magistri ore dicendi sunt, quæ postea de sacramentis tradiderunt: *Non ii dies, dilectissimi*, inquit S. Leo serm. 1. de ascens. c. 2., *qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu; sed magna in his confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria.*

Prob. II. Ex SS. Patribus qui non alium unquam sacramentorum institutorem, quam Christum pronuntiant. Ita S. Ambros. L. 4. de Sacram. c. 4. *Auctor sacramentorum*, inquit, *quis est, nisi Dominus Christus Jesus?* S. Aug. tum epist. 54. n. 1. (alias 118.) ad Januar., tum L. de vera Relig. c. 17. n. 33. *Ab ipsa*, ait, *Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est, sub uno Deo liberæ multitudinis, continerent.* Similia in aliis comperies. Hæc vero de institutione immediata oportere intelligi, patebit ex sequentibus.

Prob. III. Ex Conc. Trident., quod Sess. 7. Can. 1. sic definit: *Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo instituta... anathema sit.* Sed hoc de institutione immediata debet accipi: 1°. Quia vulgari et modo loquendi et sensu per institutorem is proprie designatur, qui per se ipsum immediate instituit, vel ordinat quidquam; omnino sicut præcipere is solum dicitur, qui per se immediate præcipit, etsi legem chartæ consignet alius, divulget præco. Hinc et quæ præcipit Ecclesia, non veniunt juris divini, aut præceptorum Christi nomine, etsi Ecclesia, dum præcipit, id auctoritate faciat delegata a Christo.

2°. Dum Concilium agit de sacramentis in specie, ea a Christo instituta dicens, aliaque, etsi particulam *immediate* non addat; semper tamen hæc debet subintelligi, ut Sess. 14. c. 1. dum Pœnitentiam ait, tunc a Christo præcipue institutam, quando *a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos dicens : accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,* etc.; Sess. 22. c. 1. *Christum in ultima cœna Apostolos instituisse sacerdotes,* etc., semper institutio immediata intelligitur; ergo et dum Can. 1. cit. definit, esse instituta a Christo omnia sacramenta. Quin

3°. Sess. 14. Can. 1. Extremam Unctionem, ad quam fere solam tota recidit difficultas et quæstio (nam quod de Confirmatione putabant aliqui, eam in Conc. Meldensi institutam, lapsus fuit, ut ex ipso Conc. constat), definit fuisse institutam a Christo, et a Jacobo *promulgatam;* ergo hoc ipso docet S. Synodus, hoc sacramentum esse institutum a Christo immediate. 1. Quia institutionem opponit promulgationi, priorem Christo, alteram Jacobo tribuens; at promulgator institutionis institutor ipse non est. 2. Si esset ab Apostolo instituta immediate, eoque mediante a Christo, non esset ratio, quod promulgationem solam Jacobo, institutionem vero soli Christo tribueret. Igitur pariter, cum omnia sacramenta a Christo instituta docet, eodem loquendi modo instituta immediate intelligit.

4°. Si quædam sacramenta instituisset Ecclesia, mutare posset eorum substantialia, sicut eorum ritus, quos ipsa instituit; sed Trident. negat, hanc potestatem competere Ecclesiæ, dum Sess. 21. c. 2. docet, esse potestatem in Ecclesia mutandi sacramentorum ritus, at *salva eorum substantia.*

36. *Obj. I.* In statu Legis naturæ ac scriptæ ex auctoritate divina homines institucrunt sacramenta, cum determinarent ipsi signa sensibilia; ergo idem de Lege nova dici potest.

II. S. Augustin. L. 3. de Doctr. Christ. c. 9. quædam instituta ab Apostolis supponit, de sacramentis inquiens : *Ipse Deus et Apostolica tradidit disciplina.* Et epist. 54. cit. ad Januar. n. 1. Baptismum et Eucharistiam recensens ceu a Christo instituta addit : *et si quid aliud commendatur in Scripturis;* ergo illa duo solum a Christo instituta agnoscit, vel certe ea tantum, quorum refertur institutio in Scriptura.

III. Auctor *serm. de ablut. ped.* inter S. Cypriani opera p. 333. : *Ipse summus,* inquit, *sacerdos sui est sacramenti institutor et auctor, in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem;* ergo quædam per homines instituta supponit.

IV. Christus Apostolis et Ecclesiæ omnem reliquit potestatem; ergo et instituendi sacramenta.

Ad 1um. R. *N. Ant.,* cujus nullum extat ullibi fundamentum; sed et hæc immediate a Deo instituta sunt, promulgata per angelos et Moysen, ut de circumcisione in Lege scripta constat, ex Gen. 17., de aliis in libris Exodi et Levitici. Nec, ut homines tunc instituisse sacramenta dici possint, sufficit, quod signa e. g. in remedio naturæ determinarent; sed principaliter requiritur, ut signum sit significativum gratiæ, ac causativum sanctitatis, quam significationem ac vim signo Deus addidit, non homines.

Ad 2um. R. *N. Cons.* Nam quoad 1um. textum, vox *disciplina* non institu-

tionem, sed expositionem, promulgationem, doctrinam sonat. Quoad 2um. textum hæc duo refert ad modum exempli tantum; cætera vero agnoscit, non quæ instituuntur, sed commendantur in Scripturis, sive Scriptura eorum institutionem referat, sive non; sed singula septem commendantur in Scripturis juxta num. 20.

Ad 3um. R. *N. Cons.* Per particulam enim *cæteris*, non intelligi debent sacramenta cætera, cum omnium consensu certum sit, præter Eucharistiam, etiam Baptismum saltem a Christo esse immediate institutum; sed ceremoniæ, quæ ad Eucharistiæ celebrationem pertinent, ut sensus sit: Christus sacramentum sui corporis instituit ipse per se, cætera, quæ ad idem celebrandum pertinent, ritus, liturgiæ, etc., Ecclesiam, docente Spiritu sancto, auctorem habent.

Ad 4um. R. *D.* Omnem potestatem, quæ ad rectum Ecclesiæ regimen pertinet *C.* etiam instituendi sacramenta *N.* Priorem semper, posteriorem sibi relictam nunquam agnovit Ecclesia, juxta TRIDENT. Sess. 21. c. 2. supra cit.

37. *Dico II.* Sacramenta novæ Legis non sunt omnino paria, 1°. dignitate 2°. necessitate.

Prob. 1ª. *pars* ex Conc. TRIDENT. Sess. 7. Can. 3. *Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Quo Canone Lutheri assertum ferit in L. de ministris Ecclesiæ instituendis ad Pragenses; *Sacramentum altero dignius esse non posse, cum eodem verbo Dei omnia constent.* Et vero simpliciter Eucharistia dicenda est quoad ipsam substantiam antecellere sacramentis omnibus; cætera enim ex re sensibili constant et virtute quadam agendi communicata sibi a Deo; at Eucharistia non virtutem quamdam solum operativam gratiæ, sed virtutis, ipsiusque gratiæ auctorem Christum continet. Et præterea est hoc sacramentum quasi omnium cæterorum consummatio; unde et post alia tradi solet, quando illa traduntur adultis; olim etiam post ipsam Extremam Unctionem juxta Can. *Ab infirmo*, Caus. 26. q. 7. etsi consuetudo obtineat hodie contraria, eo quod sæpe accidat, ut infirmi in extremis constituti, morbo interim invalescente, S. Communionem recipere nequeant.

Prob. 2ª. *pars.* Quia Baptismus est necessarius omnibus necessitate medii, h. e. ut sine eo, vel in re vel in voto, salus obtineri non possit, quin excuset vel ignorantia, vel impotentia. Pœnitentia quoque necessitate eadem necessaria est, non quidem omnino singulis ut Baptismus, qui eatenus necessitate Pœnitentiam superat; sed solis et post Baptismum relapsis. E contra ex sacramentis alia nonnisi necessitate præcepti necessaria sunt, h. e. quorum susceptio quidem præcepto gravi imperatur; potest tamen absolute sine his vel in re, vel in voto susceptis obtineri salus, si aut ignorantia, aut impotentia excuset. Talia passim dicuntur Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, etsi adhuc iterum aliquo cum discrimine, de quo vide Theol. Moral. Aliam demum necessitatem Ordo habet, tum Matrimonium. Illa equidem non Christianis singulis, sed solum toti communitati Ecclesiæ, simpliciter necessaria sunt: 1°. Ordo; hic enim Ecclesiæ rectores aut gubernatores constituit: sed juxta Prov. 11. *ubi non est gubernator, populus corruet,*

Præterea si necessaria sit relapsis Pœnitentia, necessarii etiam ejusdem ministri sunt, sive sacerdotes. 2°. Matrimonium, ex eo quod conservat multitudinem Ecclesiæ.

38. *Dico III.* Comparative ad subjectum sacramenta novæ Legis 1°. alia dicuntur *sacramenta mortuorum,* quæ de se gratiam primam conferunt; unde et a peccatore recipi possunt; suntque Baptismus et Pœnitentia. Alia *vivorum,* quæ de se gratiam secundam, h. e. augmentum gratiæ sanctificantis conferunt; unde in subjecto jam gratiam præexistentem requirunt, qualia cætera quinque sunt. 2°. Rursum quædam sunt *characteristica,* sive ut aliis placet, *initerabilia,* sic dicta ob characterem, quem indelebilem imprimunt, unde iterari non possunt; ut Baptismus, Confirmatio, et Ordo. Quædam *non characteristica,* aut *iterabilia,* ut cætera quatuor. Demum unum est, et dicitur *permanens,* Eucharistia, utpote in re permanente, Christi videlicet corpore et sanguine consistens; reliqua sex *transeuntia* appellantur, quod non in re fixa, vel stabili consistant, sed actione transeunte.

CAPUT II.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS CAUSALITATE ET EFFECTU.

Præcipua hic disputatio cum posteriorum temporum Novatoribus est: 1°. Cum Socinianorum et Anabaptistarum sectis, quæ omnem plane virtutem ac vim causandi sacramentis abnegant, nihilque aliud volunt esse sacramenta, quam nuda et inermia signa discretiva fidelium a Judæis et infidelibus, ut habet Catechesis Racoviana c. 4., et docet Socinus Disp. de Bapt. 2°. Cum Protestantibus, qui etsi Socinianum dogma, ut debent, condemnent, ac contra hos sacramentorum efficaciam extollant; nullam tamen efficaciam aliam integram relinquunt sacramentis, quam obsignandi promissiones divinas, et excitandi in hominibus fidem, quæ sola justificet, h. e. faciat, ipsam Christi justitiam externe homini imputari, dum hic per sacramenta excitatus credit, se justum esse. Nullam igitur juxta hos gratiam internam sacramenta per se ipsa efficiunt. Recedunt ab his longissime Catholici, et sacramentis omnes virtutem efficiendi per se gratiam internam tribuunt, solum inter se differentes quoad causandi modum, et similia. Unde sit

ARTICULUS I.

AN SACRAMENTA NOVÆ LEGIS EX SE, SIVE EX OPERE OPERATO CONFERANT GRATIAM OMNIBUS OBICEM NON PONENTIBUS?

39. *Præmitto I.* Cum animo et ore concordi doceant Catholici omnes, sacramenta novæ Legis conferre gratiam ex opere, ut aiunt, operato; mirum, quam invidiose id suis depingant, quantis involvant calumniis Doctores Protestantium, huic recepto apud Catholicos loquendi modo sensum affingendo ab his prorsus alienum, et hostem scenicum sibi fingendo, quem impugnent. 1°. Luther. de Captiv. Babyl. cap. de Bapt. sacramentum conferre gratiam ex opere operato peccatori, ait, esse Catholicis idem, ac conferre huic gratiam sine fide ac bono motu cordis in peccatore, sive pœnitentia interna. Hanc calumniam Trident. merito depellit Sess. 14. de Pœnit. c. 4. inquiens: *Falso quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint de sacramento Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit.* 2°. Aliam cum priore pugnantem expositionem Lib. cod. et cap. confingit, opus operatum significare Catholicis opus meritorium, sive dignitatem operis, ut se hoc tenet sive ex parte ministri, sive recipientis, quo sensu eodem opus operatum contra Catholicos usurpant Protestantium alii. At cum ita falsa affingant Catholicis, illud hi jure regerunt, expositionem hanc testem esse, si non malitiæ, certo ignorantiæ. Patet inde, quod omnes Catholici opponant opus operatum operi operantis, perque opus operantis, intelligant opus bonum, sive meritorium ipsius operantis. Deinde cum semper Catholici teneant contra Donatistas, sacramentorum efficaciam non pendere a bonitate ministri, quo fundamento de Catholicis dicitur, eos credere, sacramenta gratiam conferre ex ministri dignitate et merito? 3°. Calvin. L. 4. Instit. c. 14. §. 14. et 17. a Catholicis sacramenta causam principalem gratiæ poni asserit, quasi externis symbolis vices suas resignasset Deus, ut ea ratione *miseras hominum mentes in terram suapte sponte plus satis inclinatas hac superstitione alligent, ut in spectaculo rei corporeæ potius, quam in Deo ipso acquiescant.* At immanis æque, ac infamis ea calumnia est. Id solum aiunt Catholici, sacramenta esse instrumenta Dei, ut ait de Baptismo Trident. Sess. 6. c. 7.; h. e. Deum justificare hominem per sacramenta, non sacramenta sine Deo. Hinc

Præmitto II. Modus producendi gratiam duplex est; nimirum ex opere operantis, et ex opere operato. Ex *opere operantis* produci gratiam, est conferri gratiam intuitu operis, non prout hoc præcise positum est, sed quatenus est positum ab operante laudabiliter ac meritorie; sic ut gratia tunc detur ceu præmium commensuratum nostro merito sive condigno, sive congruo. Ex *opere operato* causari gratiam est, eam conferri intuitu solius externi operis, ut a Deo ad hoc instituti, et nobis applicati citra, vel saltem ultra nostrum meritum; non vero citra dispositionem debitam ex parte subjecti; quæ tamen non habeat vim effectivam gratiæ, sed solum se habeat ad modum conditionis sine qua non, ac removentis gratiæ obicem. Sic

infans in Baptismo, utpote meriti omnis incapax, gratiam ex vi præcise sacramenti accipit. Sic adultus eamdem obtinet, si ad Baptismum cum fide, spe et contritione imperfecta accedat; actus enim illi a peccatore eliciti ne quidem de congruo merentur gratiam, sed sunt dispositio necessaria in peccatore; nec ullam sacramento ipsi vim tribuunt, sed solum removent obicem, quo alias impediretur sacramenti vis et efficacia. Quod si dispositio sit ultima, ut si adultus peccator cum contritione perfecta accedat, ultra gradum gratiæ, qui huic dispositioni respondet, confertur gradus alter, operi externe applicato, sive sacramento ipsi respondens. Atque istud est, quod Catholici volunt, dum aiunt, sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

40. *Dico*. Omnia sacramenta novæ Legis ex se, sive ex opere operato conferunt omnibus gratiam, obicem non ponentibus. Est de fide Catholica juxta definitionem claram Conc. Trid. Sess. 13. Can. 6. et 8., quos vide ab initio.

Prob. I. Ex SS. Scripturis. Hæ ipsis sacramentis vim gratiæ effectivam tribuunt; ergo.

41. *Prob. Ant.* 1°. De Baptismo ex Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde sic: hoc loco Baptismus dicitur causa nativitatis novæ, scilicet spiritualis; nam 1. dicitur causa; hoc enim importat particula *ex*, ut patet ex similibus omnibus loquendi modis. 2. Nativitatis novæ, scilicet spiritualis; hoc enim aperte verbum *renatus* innuit. 3. Ac quidem nativitatis per gratiam; nam uti non renatis hic inducitur a regno Dei exclusio; ita e contra renatis promittitur idem, sive salus, et necessario per consequens gratia.

Respondent 1°. Calvin., non esse hic sermonem de Baptismi sacramento, sed de sola renovatione interna; per aquam proinde hic intelligi ipsum Spiritum sanctum, ut sensus sit: nisi quis renatus fuerit ex aqua, h. e. ex Spiritu sancto qui mundat aquæ instar; sicut nimirum Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne*; ubi ignis per tropum metaphoræ sumitur pro Spiritu sancto. At

Contra est 1°. quod ea expositio repugnet perpetuæ traditioni Ecclesiæ, cum, quotquot eum in locum commentati sunt, intellexerint de vero Baptismi sacramento, ut Justin. Apol. 1ª. n. 61., Tertul. L. de Bapt. c. 12., Orig. in epist. ad Rom. L. 5. n. 8. (opp. t. 4. part. 1ª. p. 560., 561.), Cyprianus L. 3. ad Quirin. c. 25., Ambros. L. 3. de Spiritu sancto c. 10., Didymus Alex. de Trinit. c. 12., Hieron. in cap. 16. Ezech. v. 9. (opp. t. 5. p. 151.), aliique, quos Bellarminus affert de sacram. in gener. L. 2. c. 3. 2°. Si ita in Scripturis ludere liceat, Baptismus aquæ tandem penitus negari posset; eodem enim modo ubique nomine aquæ Spiritus sanctus intelligi poterit. Nec valet quidquam exemplum ex Matth. 3. a Calvino allatum; tum quia per ignem proprio sensu, et ad litteram externus ille ignis et visibilis intelligi potest, qui in die Pentecostes super Apostolos descendit; ut ignem hunc revera exponunt Damascen. L. 4. de fide c. 9. aliique; tum præscindendo etiam ab expositione data; quia hoc loco ignis Spiritui sancto postponitur; nihil vero inconvenientiæ est, post unum vocabulum positum poni alterum, per quod primo positum declaretur; hoc

enim passim scriptoribus in usu est. Sed Joan. 3. aqua Spiritui sancto præponitur; ergo aqua ejus explicatio esse non potest; non enim primo declaratio ponitur, ac deinde id, quod declarandum est; tum denique, quia constanter Ecclesia baptizavit in aqua, nunquam igne; quæ praxis perpetua optima interpres est utriusque loci, illa verba Joan. 3. intelligi debere litteraliter; alia Matth. 3. tropice.

Respondent 2°. Protestantium alii; renasci ex aqua esse renasci ex fide, quam videlicet aqua excitat. Sed

Contra est 1°. quod in data expositione sermo Christi fuisset inintelligibilis; cum enim nihil dixerit antea de fide, quis divinare posset, cum hoc loco modum tradere excitandæ fidei? 2°. Quod debuisset potius dicere Christus: nisi quis renatus fuerit *ex verbo* et Spiritu sancto, quam *ex aqua* et Spiritu sancto; cum non aqua, sed verbum sit potissima et apta ratio excitandæ fidei; unde et ipsi adversarii verba ministri conferentis Baptismum volunt esse concionatoria. 3°. Quod hæc expositio longissime recedat a naturali et obvio verborum sensu; quod non licet in Scripturis sacris, nisi quando alias sequeretur inconveniens, quale hic nullum est; videlicet secus tota perverti Scriptura posset. At vero communiter homines per locutiones ejusmodi causam aliquam proximam et intendunt significare aliis, et intelligunt ipsi.

42. *Prob. Ant.* 2°. Eamdem Baptismi efficaciam probant textus alii: ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti*; ubi ob particulam *per* Baptismus regenerationis nostræ et salutis causa instrumentalis dicitur. Marc. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Actor. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum*; in priore enim Baptismo vis salvandi, adeoque justificandi; in altero remissio peccatorum, proinde gratia tribuitur, utpote sine qua non fit remissio.

Respondent 1°. Cum Calvino, Baptismum dici lavacrum regenerationis, quia Deus ostendens hoc signum etiam simul operatur, quod significat. 2°. Salvari vero per Baptismum, baptizari in remissionem peccatorum, nihil esse aliud, quam accipere testimonium, sigillum justitiæ jam acceptæ per fidem. At

Contra 1um. est, quod ea ratione justificatio, quam operatur Deus solus, conjungatur cum Baptismo mere per accidens; ac proinde non magis proprie dicamur salvari per Baptismum, quam per quamlibet actionem aliam, quæ tunc simul fit. Deinde quo vero sensu Baptismus ipse dici lavacrum regenerationis potest, si vere *per* illum Deus nos nullo modo lavet, licet eodem tempore nos Deus abluat?

Contra 2um. est, quod nullo modo idem sint, sonentque ablui, mundari, salvari, etc., et accipere ablutionis, salvationis sigillum, vel testimonium. Sane dum dicimus: balneo, vel per balneum lavamur, mundamur a sordibus corporeis, vel lavamur in ablutionem sordium corporis; nemo mortalium sic intelligit: accipimus tunc sigillum, vel testimonium ablutionis factæ; sed intelligimus omnes, aquam vere et instrumentaliter concurrere ad ablutionem corporis: sed eodem invariato loquendi modo de ablutione spirituali loquitur Christus; ergo. Deinde hanc expositionem non patitur

locus posterior Actor. 2.; is enim aperte de remissione peccatorum adhuc consequenda per Baptismum agit; 1. quia jubet ante Baptismum eos agere pœnitentiam: *Pœnitentiam agite*: at si jam per fidem justificati fuissent, ad quid pœnitentiam ceu necessariam Petrus præcepisset? hæc enim necessaria est, non quia obtenta est peccatorum remissio, sed ut impetretur. 2. quia tum primum eos baptizari vult *in remissionem peccatorum*, h. e. ad remissionem consequendam, juxta obvium verborum sensum; velut cum dicimus ægro: utere balneo in sanitatem, nemo non intelligit, suaderi balneum sanitatis recuperandæ gratia.

Respondent 2°. Protestantium alii: salvos nos fieri lavacro Baptismi, quatenus Deus ostendens hoc symbolum provocet fidem, quæ justificet: pariter Marc. ult. et Act. 2. salutem ac remissionem peccatorum tribui Baptismo, quatenus excitet fidem. Sed

Contra 1um. est, quod eadem ratione dici possit, homines inebriari per hederam, quæ pendet ante cauponam; quia hedera provocat ad emendum vinum, quod inebriat. Hæc sane ridicula sunt.

Contra 2um. est, quod neuter textus hanc interpretationem sustineat; nam Marc. ult. fides præcedit; quod inepte fieret, si ea effectus esset Baptismi; sicuti inepte quis diceret: qui sanatus fuerit, et acceperit medicinam. Hinc quia audire verbum Dei vere causa fidei est, juxta illud Apostoli: *Fides ex auditu*; semper etiam in Scriptura præcedit, ut Joan. 5. *Qui audit verbum et credit*. Joan. 6. *Omnis, qui audivit, et didicit*: et alibi. Deinde quos Actor. 2. Petrus alloquitur, jam crediderant; audita enim Petri concione compuncti dicebant: *Quid faciemus, viri Fratres?* Ad quod non respondit Petrus, ut crederent, vel magis crederent; sed *pœnitentiam agite*, etc.

43. *Prob. Ant.* 3°. Actor. 8. 18. *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus*. Et 2. Tim. 1. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. In priori loco de Confirmatione sermo est, ut constat a v. 14. et ostendetur, ubi de Confirmatione in specie. In altero de Ordine. Atqui utrobique impositio manuum asseritur causa gratiæ, ut particula *per* indicat. Minime vero hic dici potest, manuum impositionem causam fuisse gratiæ excitando fidem; nam qui accepisse Spiritum sanctum dicuntur, jam crediderant omnes, fuerantque baptizati.

44. *Prob. Ant.* 4°. Sic quoque sacramentis cæteris vis gratiæ effectiva tribuitur. Extr. Unctioni: Jac. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Eucharistiæ: Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam... Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Pœnitentiæ: Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ac Matrimonio demum tum ad Ephes. 5. juxta num. 20., tum traditione Ecclesiæ perpetua illud annumerantis sacramentis cæteris, ut proinde eadem de illo sit ratio, quæ de aliis.

45. *Prob. II.* Ex Traditione Ecclesiæ, quæ elucet ex Conciliis et Patribus. 1°. Ex Conciliis. Nicænum I. in capite, quod inscribitur διατύπωσις, doctrina

de Baptismo, ante canonem 8. *Baptisma nostrum,* inquit, *non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis; aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam.* Constantinop. I. in Symbolo : *Credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Milevitanum II. Can. 2. (Labb. t. 2. p. 1538. D. E.) : *Parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* At certo in parvulis Baptismus nequit esse remissionis peccatorum causa fidem excitando. Arausican II. Can. 25. (ibid. t. 4. p. 1672. A.) *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quod rursum de excitatione fidei accipi non potest; nam infra dicit Concil. idem, a Deo prius fidem inspirari, ut Baptismi sacramenta fideliter requiramus. Deinde Baptismus dicitur a Concilio dare bene operandi gratiam; sed hanc fides non dat, etiamsi juxta adversarios justificet. His adde Florentin. et Trid.

2°. Ex Patribus. Tertul. de Baptismo c. 4. *Supervenit statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* S. Gregor. Nyssen. orat. de Baptismo Christi (opp. t. 3. p. 368. D.) : *Baptisma igitur peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa.* S. Aug. sacramentorum efficaciam stupens deprædicat Tract. 80. in Joan. n. 3. *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat?* Ac L. 19. contr. Faust. c. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum.* Pariter Greg. Nyss. loc. cit. (p. 371. C.), vim et efficaciam Baptismi ait *incomprehensibilem, nullaque vel ratione, vel arte explorari posse.* Sed nulla plane foret ratio mirandi sacramentorum efficaciam, hæcque incomprehensibilis non esset, si sacramenta fidem duntaxat provocarent, et gratiam seipsis non efficerent. Plures Patres qui volet, apud Bellarm. leget. Notandum vero, plerosque Baptismi vim effectivam gratiæ extollere; sed par ratio est de sacramentis aliis eodem modo a Christo institutis; unde et Tertull. de aliis eodem disserit modo L. de Resurrect. carn. c. 8. *Caro abluitur,* inquit, *ut anima emaculetur : caro ungitur, ut anima consecretur : caro signatur, ut et anima muniatur : caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur : caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*

46. *Prob. III.* Rationibus theolog. 1°. Recte baptizantur parvuli, amentes, iisque Baptismus confert gratiam; ergo hanc seipso iis confert, sive ex opere operato. *Prob. Cons.* Non enim potest dici, quod parvuli, amentes salventur, obtineantque proinde gratiam ex fide aut merito ministri, vel parentum; nam valebit Baptismus, etiam adversariorum consensu, etiamsi minister ac parentes infideles, pagani, Judæi sint : nec quod gratia conferatur dispositionis intuitu in suscipiente; nam hujus ambo incapaces sunt: pariter dici nequit, quod excitata in iis per Baptismum fides fuerit; nam æque hujus incapaces sunt, quam dispositionis alterius; ergo Baptismus se ipso, sive ex opere operato tales justificat.

Neque dicant, tales baptizari in fide Ecclesiæ, quæ in illis fidem supplet; nam etsi Ecclesia fidem suppleat in talibus, nihil tamen hinc pro

dogmate adversariorum sequitur, quod justificet Baptismus, quatenus in *suscipiente* fidem justificativam excitet, quæ non est fides illa Ecclesiæ communis et habitualis juxta adversarios; sed personalis, ac cuique propria, et actualis, qua quis credit, remissa sibi esse peccata, seque per imputationem justitiæ Christi justum esse. Deinde S. Scriptura ex dictis, et Patres non fidei Ecclesiæ, sed ipsi Baptismo tribuunt. Minime vero sustineri potest, quod Calvinus respondet, tunc saltem Baptismum prodesse parvulis, cum ad rationis usum perveniunt; alias ad remissionem peccati originalis iis haud esse necessarium, sed eos, etsi ante rationis usum decedant, propterea tamen salvari, quod ad fœdus novi Testamenti pertineant; aperte enim id S. Scripturæ repugnat, quæ omnem non baptizatum regno cœlorum excludit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* quæ sententia utpote universalis absoluta involvit omnes tam parvulos, quam adultos.

2°. Si sacramenta ex seipsis gratiam non conferant, sed solum nuda signa sint fidem excitantia; ergo 1. Baptismus Christi haud erit efficaciæ majoris, quam Baptismus Joannis, contra S. Scripturam Matth. 3., nec baptizati Baptismo Joannis rebaptizari debuissent Actor. 19., cum hic æque excitare fidem poterat, ac ille. 2. Possent sacramenta institui ab homine; signi enim nudi nihil refert, unde significationem habeat, modo objectum repræsentet; quid enim interest, quis in hospitiis signa posuerit? potuissent igitur signa instituta ab homine æque excitare fidem; sicut eodem modo significant verba hebraica a Deo scripta in tabulis, et græca, vel latina scripta ab hominibus, ac sicut eodem modo ad bellum incitabant tubæ, quas Deus fieri jusserat Num. 10., et quas fabricabant gentiles. 3. Ergo Baptismus Germano collatus idiomate hebraico, illi prodesset nihil, si non calleret hebraicum; in promptu causa est: cum enim idiomatis hebræi ignarus ex supposito sit, verba hebraica in eo fidem excitare non possent; ac fors potius putaret, vocum hebraicarum sono carmen magicum recitari. Taceo id genus plura, quæ sane absurda sunt.

47. *Obj. I.* Ex S. Scriptura. Hæc justificationem omnem ceu causæ soli fidei tribuit; ergo.

Prob. Ant. 1°. Ad Rom. 1. 17., et Hebr. 10. *Justus autem meus ex fide vivit,* inquit Apostolus; non vero dicit: justus ex sacramentis vivit.

2°. Ad Rom. 3. 22. inquit Apostolus idem: *Justitia Dei per fidem Christi Jesu in omnes, qui credunt in eum.* Unde v. 28. veluti infert: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus Legis.*

3°. Rursus ad Rom. 4. 3. confirmat Apostolus superius dicta exemplo Abrahæ, *credidit,* inquiens, *Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Ac demum c. 10. *Corde creditur ad justitiam.*

4°. Marc. ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Igitur sola fides, non Baptismus salvat; non enim dicitur: qui non baptizatus fuerit, condemnabitur, sed qui non crediderit.

5°. 1. Petr. 1. Baptismus per fidem resurrectionis Christi nos salvare asseritur: *Vos salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.*

R. *N. Ant.* Nusquam enim Scriptura justificationem fidei *soli* ceu causæ tribuit. Habet equidem fides suas quoque partes in justificatione hominis, utpote radix ejus et fundamentum, ut ait Trident. Sess. 6. c. 8., eamque præire debet ceu dispositio necessaria; at idcirco non excluduntur sacramenta.

Ad prob. 1am. R. 1o. Neque ait Apostolus, justum ex fide sola vivere; ergo sacramenta non excluduntur; vel secus non solum illa, sed et Deus, et Christi merita exclusa hoc loco dici deberent: neque enim etiam inquit: justus ex Deo, ex Christi merito vivit.

R. 2o. Etsi Scriptura hoc loco non asserat, justum ex sacramentis vivere, idem tamen affirmat alibi aliis verbis; cum enim dicat, per Baptismum hominem regenerari, Joan. 3. et ad Tit. 3., quid dicit aliud, quam Baptismum vitam dare?

R. 3o. Textus citatus huc plane impertinens est; non enim istud in eo ad litteram spectato dicitur, justum hominem fieri, aut reputari ex fide; sed justum ex fide, quam jam habet, constanter expectare, quæ Deus promisit, nec frangi aut deficere animo, etsi promissiones differri videantur, aut tardari a Deo. Genuinum hunc sensum esse patebit inspicienti Habac. cap. 2. e quo desumptus est, et Hebr. 10.; uterque enim de patientia et constantia agit.

Ad 2am. R. In priori textu non excludi sacramenta; vel alioquin, quia Scriptura justificationem et sacramentis tribuit, ut Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, et Actor. 22. *Baptizare, et ablue peccata tua,* imo aliis piis operibus; dici æque posset, excludi fidem. Sensus ergo est, quod fides justificet, si cætera in Scripturis requisita concurrant; fides vero justificare dicitur, quatenus justificationis omnis initium et radix est, summeque necessaria dispositio, cum sine hac impossibile sit placere Deo; et accedentem ad Deum oporteat credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit, ut ait Apostolus. In altero loco contra Judæos agit, qui justificatos se gloriabantur ob legis mosaicæ opera, seque ea de re præferebant Græcis; hunc errorem refellit Apostolus, docens, eos justificatos *gratis* v. 24. *per fidem*, ad quam gratis vocati sunt, quæque justificationis initium et radix est sine operibus *legis*, nimirum mosaicæ.

Ad 3am. R. *N.*, quod exemplo Abrahæ confirmare intendat, fidem solam justificare, exclusis sacramentis et cæteris requisitis; sed vult confirmare id, quod ante cap. 3. dixerat; Judæos justificatos non esse per opera mosaicæ legis, eaque non esse ad salutem necessaria; cum Abraham non ex circumcisione justificatus sit, sed fide, scilicet viva, et charitate formata; cum 1. Cor. 13. fides sine charitate nihil prosit. Demum *corde ad justitiam creditur,* quia hæc ex dictis a fide incipit.

Ad 4am. R. *N. Cons.*, quæ mala est; ex illo enim Antecedente tantum inferri potest: ergo non solus Baptismus salvat; sicut ex eo, quod 1. Cor. 13. dicat Apostolus, fidem nihil prodesse sine charitate, male inferres: ergo fides nihil prodest. Igitur in adultis et fides et Baptismus ad salutem requiritur juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.* Quod vero Dominus non dixerit: qui non baptizatus fuerit, condemnabitur, sed qui non crediderit; non ideo est, quasi revera verissimum non esset hoc, qui non baptizatus fuerit, condemnabitur, cum Dominus idem dixerit: *nisi quis renatus fuerit,* etc. Joan. 3.; sed quia dicere hoc necessum non fuit, cum per se id intelligeretur ex eo, *qui non crediderit, condemnabitur*; qui

enim non credit, etiam non vult baptizari; et licet vellet, nihil ei prodesset, cum sine fide ad recipiendam Baptismi gratiam non sit dispositus.

Ad 5am. R. *N. Assert.* Non enim S. Petrus dixit, Baptisma salvare per fidem resurrectionis, sed per resurrectionem, h. e. ad exemplar resurrectionis Christi, quam scilicet repræsentat Baptismus, 1°. quia, cum baptizamur, emergimus ex aquis ut Christus e sepulcro: 2°. quia Baptismus, nos justificando, facit ut, sicut Christus post resurrectionem, et nos in novitate vitæ ambulemus, sive in vita gratiæ, ut ait Apostolus ad Rom. 6. 4. Simili phrasi ad Rom. 425. utitur: Christus *traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*: quod idem est, ac si diceret, per Christi passionem morimur peccato, per Christi resurrectionem vita justitiæ vivere incipimus, ubi præpositio *per* non causam meritoriam, sed exemplarem haud dubie significat.

48. *Obj. II.* Ex SS. Patribus. 1°. Tertul. L. de Pœnit. c. 6. Baptismum ait esse *obsignationem fidei*; ergo ipse non justificat, vel certe nonnisi per fidem.

2°. S. Bernard. serm. de cœn. Dom. n. 2. *Sicut,* inquit, *investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per annulum..... sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis*; ergo ex mente S. Bernardi sacramenta sunt signa mere speculativa gratiæ, sicut liber respectu canonici, baculus respectu abbatis, et annulus respectu episcopi.

3°. S. Augustin. vero in locis pluribus vim effectivam gratiæ abnegat; nam 1. L. 19. contr. Faust. c. 16. sacramenta ait, nihil esse aliud, quam *visibilia verba, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia et temporalia*; ergo supponit S. Doctor sacramenta concurrere ad sanctificationem hominis non aliter, quam verba concionis, h. e. excitando fidem. 2. L. Quæst. vet. et nov. Testam. q. 59. *Donum cœleste non posse consequi, qui se non per aquam, sed per fidem immutari non credit*; ergo per fidem habetur justificatio. 3. L. 15. de Trinit. c. 26. non ipsos Apostolos dedisse Spiritum sanctum, sed *orabant*, inquit, *ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant.* 4. QQ. in Heptateuchum L. 3. q. 84. duo dicit: 1. ministrum hominem solum præbere sacramentum visibile, Deum autem invisibilem gratiam; 2. hæc duo sic separari, ut in quibusdam sit sacramentum sensibile sine gratia invisibili, ut in Simone mago a Philippo baptizato; in quibusdam vero invisibilis gratia sine sacramento sensibili, ut in bono latrone. 5. Serm. 30. de verb. Dom. (al. serm. 106. n. 1.) Baptisma, quod semel adhibetur *per fidem,* mundare asserit.

49. *Ad* 1um. R. *D.* Baptismum obsignationem fidei vocat, quia fidem justificantem excitat *N.* quia est professio fidei, et datur Catechumenis rite tentatis in approbationem et testificationem fidei *C.* Hunc sensum reddit Tertul. ipse loc. cit. Inde et Baptismus passim a veteribus *sacramentum fidei* appellatus fuit.

Ad 2um. R. *N. Cons.* Non enim S. Bernard. sacramenta cum libro, baculo, annulo quoad efficientiam comparat, sed quoad sacramentorum diversitatem, ut ostendat, varias esse in sacramentis gratiarum divisiones, sicut in Ecclesia dignitatum gradus sunt varii, quarum insignia proinde et signa

diversa sunt, ut baculus, annulus, etc. Nam alioqui sacramenta conferre gratiam, ibidem docet.

Ad 3um. R. *N. Ant.* De Aug. enim mente ex relatis ejus sententiis in Concl. constat. Unde

R. Ad singula. *Quoad* 1um. *textum. D.* Sic vocat sacramenta quoad modum significandi *C.* quoad efficientiam, quasi se tantum haberent ut verba concionantis, quæ aliud non operentur, quam excitare in animo audientis motum e. g. fidei *N. Ant. et Cons.* Res ex scopo S. Patris plana fit. Disputabat contra Manichæos, qui reprehendebant mutationem sacramentorum veterum in nova; sed occurrit S. Pater dicebatque, necessario mutanda fuisse verba post Christi adventum; cum enim veteres dicerent : Christus veniet, morietur, resurget; nos modo dicere debemus : venit, mortuus est, resurrexit. Inde inferebat, etiam sacramenta mutari debuisse, ne secus essent signa falsa; signa enim Christum adventurum, ejus mortem, resurrectionem futuram significantia non possunt significare hæc præterita. Proinde ut similitudo aptissima demonstraretur, dixit : *Quid sunt sacramenta, nisi visibilia verba, etc.* : nimirum quoad significationem tantum; non quoad efficientiam, de qua non erat disputatio.

Quoad 2um. *textum* R. 1°. Librum hunc perperam S. Aug. tribui, sed esse cujusdam hæretici, multa contra orthodoxam fidem, contraque Aug. ipsum docentis, ut quod femina non sit creata ad imaginem Dei, Quæst. 21., quod Melchisedech fuerit Spiritus sanctus, et similia.

R. 2°. Quicumque auctor sit, hic tamen potius pro dogmate catholico stat; non enim de causa efficiente justificationis, sed formali loquitur, aitque, hominem immutari, renovari non per lotionem externam, quasi nihil plus sit Baptismus noster, quam emundatio carnis, ut Judæorum olim baptismata; sed per fidem, quæ, cum perfecta et viva est, mundat formaliter, sicque justificat, juxta illud Actor. 15. : *fide purificans corda eorum.* Hanc vero fidem, sive justificationem formalem dari in Baptismo, ait auctor Oper. *Aqua,* inquiens, *cernitur, sed qui non videtur, Spiritus operatur, ut fides in ipso sit.* Quæ non possunt intelligi de fide imperfecta, inchoata, quæ juxta nos ad justificationem disponit, et juxta adversarios justificationem apprehendit. Igitur de fide perfecta loquitur, quæ homini in Baptismo infunditur, justificatque formaliter. Quod idem a Trident. docemur Sess. 6. c. 7.

Quoad 3um. *textum* R. *D.* Negat per Apostolos datum esse Spiritum sanctum eo modo, quo a Patre, Filioque datur et mittitur, sive auctoritate principali *C.* ministeriali *N.* Tractat eo loco S. Pater de processione Spiritus sancti, quem probat esse a Patre et Filio, quia datur et mittitur ab utroque. Ubi objectionem, quæ formari posset, præoccupat, scilicet : etiam ab Apostolis datum legi Spiritum sanctum, a quibus tamen non procedit; negat vero ab his Spiritum sanctum datum; sed tali modo, quo a Patre, Filioque mittitur; h. e. auctoritate pari ac independente. Deinde aliud sunt dona Spiritus sancti, et gratia, aliud Spiritus sanctus ipse; gratiam Spiritus sancti etiam sacramenta dant; Spiritum sanctum ipsum is magis proprie, a quo procedit.

Quoad 4um. *textum* R. *Explico* 1^{am}. partem cum *D.* Ait, hominem solum præbere sacramentum visibile, si spectetur præcise secundum virtutem suam naturalem *C*, sic enim plus non potest, quam lavare e. g. corpus. Spectatus

juxta potestatem ministerialem et instrumentalem a Deo acceptam, quatenus applicat sacramenta ut instrumenta Dei *N*. Sic et Hieron. intelligi debet in cap. 4. Isa. inquiens : *In Baptismo homo tantum aquam tribuit, Deus autem Spiritum sanctum, quo sordes abluuntur.*

2am. partem etiam *D*. Sacramentum esse potest sine gratia, ex defectu virtutis in sacramento causandi gratiam *N*. contrarium enim supra ex Aug. constat. Ex defectu subjecti, scilicet indispositi, ac gratiæ obicem ponentis *C*. Sed hinc contra dogma catholicum quid evinci potest?

Quoad 5um. *textum* R. S. Patrem solum velle, quod *adultos* non salvet Baptismus sine fide propria ac prævia, ceu dispositione necessaria.

50. *Obj. III.* Ex Ratione. 1°. Deus solus auctor est gratiæ ac gloriæ; hinc Luc. 5. 21. dicitur : *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* ergo sacramenta illam causare nequeunt.

2°. Qui non habet, a quo baptizetur, salvatur per fidem; e contra qui sacramenta suscipit sine fide, damnatur ; ergo in sacramento fides est, quæ justificat.

3°. Si sacramenta novæ Legis causent effectum suum ex opere operato ; ergo etiam sic eum causassent sacramenta Legis veteris ; nam sicut Jac. 5. 14. dicitur : *Orent super eum, et oratio fidei salvabit infirmum ;* ita Levit. 5. 6. dicitur de sacrificiis : *Rogabitque pro eo sacerdos... et dimittetur ei.* Porro ut Actor. 8. 17. in Confirmatione per impositionem manuum fideles dicuntur accepisse Spiritum sanctum ; ita Deut. 34. 9. Josue repletus dicitur spiritu sapientiæ, quando Moyses ipsi manus imposuit.

4°. Fieri non potest, ut sacramenta, quæ res materiales sunt, ad animam penetrent ; ergo peccatorum sordes, quæ in anima resident, nec abluere possunt.

Ad 1um. R. 1°. Si Deus solus causet gratiam, quomodo specialis fides justificat? quomodo verificantur Christi verba : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Joan. 20.

R. 2°. Solus Deus causat gratiam, remittit peccata virtute, auctoritate propria et principali *C*. ita ut sacramenta nequidem instrumentaliter *N*. Deinde mirum, adversarios malle Pharisæis credere, quam Christo; illi enim ita locuti fuerant Luc. 5. : at Christus ut ostenderet, se etiam ut hominem posse peccata dimittere, continuo sanavit paralyticum. Ibidem.

Ad 2um. R. 1°. *Antec.* quoad membrum primum, falsum esse de parvulis juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit.*

R. 2°. Loquendo de adultis, neque hi eo casu per fidem solam salvantur; sed in his requiritur primo fides; deinde contritio perfecta, quæ est votum sacramenti Baptismi et Pœnitentiæ ; ejusque justificatio tunc a duobus pendet, fide et sacramento in voto, sicut in adultis aliis a fide et sacramento in re ; diverso tamen adhuc modo ; cum utrobique se fides solum habeat ut dispositio, nusquam ut causa efficiens.

Ad 3um. R. *D. sequel.* Sic etiam eum causassent in aliquo genere sacramenta Legis veteris, scilicet sanctitatem legalem, imperfectam *C*. simul quoad sanctitatem perfectam, internam gratiam *N*. Modi loquendi equidem perquam affines sunt; at cum Scriptura sacramenta Legis veteris vocet elementa egena, infirma Gal. 4., dicatque Hebr. 9. alibique, sacrificia vetera non po-

tuisse mundare conscientias, sed valuisse tantum ad emundationem carnis; hinc ex opere operato sanctitatem equidem legalem causabant; ad dimittenda vero peccata, obtinendam sanctitatem internam necessaria fuit contritio perfecta, cujus signum ac protestatio erant sacrificia. Deinde impositio manus a Moyse facta super Josue ne quidem sacramentum fuit, cum non esset instituta a Deo ceu ritus sacer, permanens et stabilis.

Ad 4um. R. *N. Assert.* Ac quomodo sacramenta mundent animam, causent sanctitatem internam, istud nunc declarandum venit.

ARTICULUS II.

QUOMODO SACRAMENTA NOVÆ LEGIS CAUSENT GRATIAM, PHYSICE, AN MORALITER?

51. *Præmitto I.* Causa ut sic in causam per se, et causam per accidens dividitur: hæc potius est conditio, sine qua non poneretur effectus, in hunc vero non influit; sic dispositio ligni, ignis approximatio est causa per accidens combustionis: illa est, quæ in effectum influit. Causa per se vero alia est physica, alia moralis; et utraque rursum alia est principalis, alia instrumentalis. Causa principalis physica est, quæ naturali virtute sua producit effectum physice, nec agit ut inserviens fini alterius; sic ignis producit ignem: instrumentalis physica est, quæ ut elevata, h. e. virtute sibi a causa principali communicata, et ut inserviens fini alterius effectum producit physice; sic se habet e. g. penicillus pictoris respectu picturæ. Similiter causa principalis moralis illa dicitur, quæ virtute propria, merito et intentione inducit causam efficientem physicam ad producendum physice effectum: instrumentalis vero moralis dicitur, quæ non ex propria virtute et intentione, sed ut subordinata voluntati et intentioni alterius causam physicam inducit ad dandum esse effectui intento.

Præmitto II. Quæritur proinde hic, qualis causalitas competat sacramentis? In qua controversia simpliciter negant Protestantium alii, posse sacramenta utpote res materiales agere quomodocumque in animam. Verum cum ex dictis Art. præc. constet, sacramenta revera seipsis concurrere ad productionem gratiæ; immerito rei hujusce possibilitatem negant. Sed et nihil hic esse impossibilitatis; satis, si voluerint, ex dicendis videbunt. Inter orthodoxos vero satis convenit 1°. causam principalem physicam gratiæ esse solum Deum; 2°. principalem moralem esse Christum juxta Tract. de Incarnat., quia Christus passione et morte omnem gratiam nobis est meritus, suique valorem meriti applicavit sacramentis; 3°. sacramenta etiam dici posse instrumenta moralia Dei ad productionem gratiæ; tum quatenus Deus determinavit Christum ad instituenda sacramenta, promisitque se ad positionem illorum daturum gratiam; tum quatenus etiam subordinata sunt causæ principali morali, sive Christo. Sed solum inter hos controvertitur, sintne causæ instrumentales morales tantum, et in quo moralis eorum causalitas sita? vel an etiam physicæ? Affirmativam communius tenet cum quibusdam aliis Schola Doctoris Angelici, hoc solo intercedente dissidio, quod alii velint, elevari extrinsece sacramenta per concursum Dei specialem ad producendam etiam physice gratiam: alii

vero autument, elevari ea intrinsece, per superadditam scilicet qualitatem intrinsecam, transeuntem supernaturalem; sic tamen, ut cum hac ad productionem gratiæ concurrat ipsa sacramenti entitas. Negativam contra tuentur reliqui.

52. *Dico I.* Quidquid sit de eo, utrum sacramenta elevari a Deo possint ad producendam physice gratiam, verosimilius est, ea de facto esse causas instrumentales tantum morales, non physicas gratiæ.

Prob. I. Sacramentis non debet tribui major causandi vis, quam quæ ex Scriptura sacra, Conciliis ac Patribus evincitur; sed hæc est tantum moralis; totum enim, quod ex illis colligitur, consistit in duobus : 1°. quod sacramenta nova vere causent gratiam : 2°. quod multum differant ab antiquis; sed utrumque salvatur per causalitatem moralem tantum, quia sacramenta vetera nonnisi conditiones erant, nullamque omnino causalitatem exercebant in gratiam, ut dicetur Art. seq. Quod autem vere ac proprie causent gratiam, causam physicam moraliter movendo ad productionem illius, constat 1°. ex paritate causæ finalis, quæ rationem causæ proprie dictæ participat, licet moraliter tantum, scilicet movendo intentionaliter causet : 2°. ex paritate passionis Christi, quæ vere dicitur, et est salutis nostræ causa, licet eam non physice operetur, sed moraliter tantum, cum jam physice non existat. Confirmatur ea ratio inde amplius, quod non sint affirmanda miracula, nisi apertæ rationes, vel necessitas cogant; miracula enim non præsumenda, sed probanda sunt; sed gratiam produci efficienter physice ab alio, præterquam Deo, ingens est miraculum, ad quod tamen neque necessitas, neque apertæ rationes cogunt.

Prob. II. Sacramenta sæpe causant gratiam moraliter tantum, ut sacramentum cum obice susceptum, ac remoto postea obice reviviscens, ut Baptismus; item Matrimonium contractum sub conditione de futuro; in his enim casibus sacramentum non existit physice amplius, et tamen gratiam causat ex opere operato. Quod vero dicatur, dum sacramentum reviviscit, a Deo characterem, quem tamen sacramentum cum obice susceptum impressit, elevari ad producendam gratiam, novum est miraculum, cujus asserendi non est fundamentum. Ac quid characterem hoc casu supplet in sacramentis aliis, quæ characterem nullum imprimunt?

Prob. III. Causa meritoria et impetratoria suum effectum causat nonnisi moraliter; sed sacramenta se habent ad modum causæ meritoriæ ac impetratoriæ, movendo videlicet Deum ad gratiam physice producendam; 1°. ad modum causæ meritoriæ; tum quia causant gratiam virtute passionis Christi tantum moraliter causantis; tum quia juxta SS. Patres sunt vasa plena sanguine et meritis Christi, quæ nimirum Christus sic annexa esse sacramentis voluit, ut, qui ea susciperent, per merita illa acquirerent jus ad gratiam, quasi ipsi eam per se essent meriti; 2°. ad modum causæ impetratoriæ; quia Christus sacramenta instituens rogavit Patrem, ut, quoties rite susciperentur, toties conferret gratiam suscipientibus passionis suæ et mortis intuitu, quod et obtinuit.

53. *Obj. I.* Ab auctoritate. 1°. Scriptura sacra, Concilia, ac Patres passim aiunt, sacramenta continere, conferre gratiam; animam abluere, mun-

dare: atqui hi loquendi modi nonnisi physicam causalitatem sonant; ergo.

2°. Utuntur comparationibus cum causis physicis; ita Sylvester Papa, teste Nicephoro L. 7. c. 33., allocutus Constantinum imperatorem: *Hæc, imperator, aqua divina virtute per invocationem vivificæ Trinitatis concepta, sicut exterius corpus hominis abluit, ita etiam animam interius a sorde et inquinatione omni mundificans, splendidiorem radiis solaribus efficit.* S. Leo serm. 5. de Nativ. c. 5. *Virtus Altissimi,* inquit, *et obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.* S. Cyrill. Alex. L. 2. in Joan. (opp. t. 4. p. 147. C.): *Quemadmodum,* ait, *infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit, ita Spiritus efficacitate sensibilis aqua ad divinam quamdam et ineffabilem vim transformatur, omnesque demum in quibus fuerit sanctificat.* D. Thomas hic q. 62. a. 1. in θ. comparat sacramenta securi, quæ certe instrumentum physicum est.

3°. SS. Patres mirantur sacramentorum vim, et quod res adeo natura sua viles, ut est e. g. aqua in Baptismo, effectus adeo miros operentur: sic S. Aug. Tract. 80. in Joan. n. 3. ideo exclamat: *unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat?* Vide loca SS. Patrum similia num. 45.; ergo supponunt causalitatem physicam.

4°. Utuntur particulis causam physicam indicantibus: sic Joan. 3. dicimur renasci *ex* aqua. Ad Tit. 3. salvati *per* lavacrum regenerationis. 2. ad Tim. 1. gratia data dicitur *per* impositionem manuum. Et vero nulla causa physica bene dicitur operari per moralem; sed causa moralis operatur per physicam; sic consulens, mandans homicidium dicitur occidere per occidentem ceu causa moralis per physicam, non vero occidens per mandantem et consulentem.

Ad 1um. R. *N. min.* Etsi enim hi similesque loquendi modi in philosophicis causalitatem potius physicam importent; in theologicis tamen ac moralibus sæpissime causalitatem moralem sonant. Sic nihil in Scriptura, Conciliis ac Patribus frequentius, quam Christi passionem et sanguinem sanctificare, justificare homines, mundare a peccatis, etc. 1. Joan. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Apoc. 1. 5. *Christus lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, etc.*; quæ certum est intelligi debere de causalitate morali tantum.

Ad 2um. R. *D.* Utuntur comparationibus adæquatis, etiam quoad influendi modum *N.* vel quoad effectum, ut indicent, sacramenta vere efficere gratiam, ut Sylvester; vel quoad modum participandi virtutem ab alia ulteriore causa, ut S. Leo, S. Cyrill. et D. Thom. *C.* Paritas, quam SS. Patres inter sacramenta et instrumenta physica formant, solum in eo stat, quod gratiam, effectum suum vere causent; utrum physice, vel moraliter, disputationi Scholasticorum relinquitur; de qua controversia forte eorum multi ne quidem cogitarunt. Confirmatur hæc distinctio nostra auctoritate S. Gregorii Nysseni; cum enim, orat. de Baptismo Christi (opp. t. 3. p. 368.), Baptismum *regenerationis causam* esse dixisset, et infra (p. 370. C) virgæ Moysi, per quem Deus voluit efficere sublimia, et (p. 371.) virtuti miraculorum effectrici illud sacramentum comparasset, tamen idem sanctus Doctor omnem vim gratiæ producendæ physicam Deo soli adscribere videtur, dum ait (ibid. p. 369. B.): *Hoc autem beneficium* (regeneratio) *non aqua largitur* (*esset enim omni crea-*

tura sublimior), *sed Dei præceptum et accessus Spiritus, qui mystice ad nostram libertatem venit. Aqua vero subservit ad ostendendam purgationem. Quoniam enim sordibus et cœno fœdatum corpus aqua lavantes purum reddere solemus, propterea etiam in mystica actione eam adhibemus, re sub sensum cadenti incorporeum splendorem significantes.* Gregorio Nyss. consentit tum Nazianzenus hom. 40. n. 8., tum Cyrillus Hierosol. catech. 17. n. 14.

Igitur sicut passionis et meritorum Christi efficacia commendatur satis per efficientiam solum moralem; ita et altera sacramentorum Christi, præsertim quod actiones sacramentales Christi non physice, sed moraliter sint propriæ, ab ejusque meritis virtutem omnem sortiantur. Equidem Doctor Angelicus hic illic causalitati physicæ favere videtur; non desunt tamen alia ejusdem loca causalitatem moralem suadentia; præterquam enim quod nusquam expresse dicat, sacramenta esse causas physicas, hic q. 62. a. 5. virtutem, ait, in sacramenta derivari ab humanitate Christi, media ejus passione; sed ab hac utpote non amplius existente, certum est, nihil physice derivari posse. Nec obstat, quod dicat, humanitatem Christi esse instrumentum conjunctum respectu productionis gratiæ; sacramentum vero esse instrumentum separatum, quod videtur de instrumento physico debere intelligi, cum humanitas Christi non videatur dici posse instrumentum in genere causæ moralis, sed dicenda esse potius causa meritoria principalis, hoc, inquam, non obstat; etsi enim Christus complete sumptus sit causa meritoria principalis gratiæ; humanitas tamen secundum se considerata, utpote præcisa ab unione hypostatica, nonnisi causa instrumentalis est, cum ex se virtutem ac proportionem ad meritum tanti valoris non habeat.

Ad 3um. R. *N. Cons.* Mirantur enim Patres, quod Deus Christi merita, suamque omnipotentiam rebus adeo infirmis certa adeo lege annexuerit, ut iis rite positis conferat infallibiliter gratiam, in quo maxime Dei elucet potentia; cum enim rebus ejusmodi vilibus ad nobilissimos utatur effectus, ostendit, se nullius egere opera ad facienda quælibet, sive res eæ concurrant physice, sive non.

Ad 4um. R. 1°. Retorsio est in sacramento reviviscente.

R. 2°. *N.* Per ejusmodi particulas in theologicis ac moralibus præcise indicari causam physicam. Sic in specie particula *per* causalitatem moralem indicat ad Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors;* ubi in membro ultimo particula *per* causalitatem moralem innuit. Par vero ratio est de particula *ex*. *Rationem* additam *D*. Causa physica non operatur per moralem, quando hæc est instrumentum illius *N*. quando non est *C*. Particula *per* denotat rationem instrumenti; cum igitur Deus eo fine velit poni sacramenta, ut iis moveatur ad conferendam gratiam, illa bene dicuntur instrumenta Dei moralia.

54. *Obj. II.* Ex Ratione. 1°. Sacramentis debet tribui operandi modus nobilior; sed influxus physicus est morali nobilior, cum ipsi sit proprius Deo. Quin si ignis inferni cruciet physice dæmones, cur influxus physicus negetur sacramentis?

2°. Causæ principali respondet instrumentalis; ergo si prior agat physice, eodem modo agere debet instrumentalis: atqui causa principalis est Deus, producitque physice gratiam; ergo.

3°. Sacerdos vere absolvit a peccatis : atqui fieri id non potest, nisi ad productionem gratiæ remissivæ peccatorum physice concurrat ; secus enim Deus solus ad sacerdotis verba peccata remitteret.

4°. Qui movet, est causa principalis ; sic causa principalis dicitur dominus, quia movet servum ; ergo si sacramenta movent Deum ad producendam physice gratiam, erunt hujus causa principalis.

5°. Humanitas Christi tanquam instrumentum physicum conjunctum accepit virtutem patrandi miracula, quia fuit assumpta a Verbo ; ergo etiam quia sacramenta assumuntur a Deo ad productionem gratiæ, oportet, ut habeant virtutem physice producendi gratiam.

Ad 1um. R. 1°. *N. M.* Sacramentis enim non tribuendum est plus, quam Scriptura, auctoritas Patrum et efficax ratio persuadet : sed ex his non probatur sufficienter, sacramentis de facto causalitatem physicam competere. Deinde sicut passioni Christi nihil derogat, quod justificationis nostræ causa moralis sit ; ita nec sacramentis, præsertim cum ex Christi passione et meritis eorum virtus profluat.

R. 2°. *D. min.* Influxus physicus principalis est nobilior *C.* physicus instrumentalis *N.* Causa instrumentalis moralis nobilior est causa instrumentali physica ; prior enim causat ob bonitatem suam intrinsecam ; altera vero tantum agit per motum sibi a principali impressum. Quomodo vero infernalis ignis cruciet dæmones, nemo satis hactenus exposuit. Id ex S. Aug. scimus, eos *torqueri miris, sed veris modis ;* at qui hi modi sint, incertum.

Ad 2um. R. 1°. Christus juxta Tridentinum Sess. 6. c. 7. est justificationis nostræ causa meritoria, et Baptismus instrumentum, quo sua nobis merita applicat ; ergo sicut Christus est causa moralis principalis, sic sacramenta erunt moralis instrumentalis.

R. 2°. *N. seq. M.* Nam et sacramentum reviviscens est causa instrumentalis gratiæ, Deum ut causam principalem respiciens ; quod tamen agit solum moraliter ; ergo causa instrumentalis quoad agendi modum causæ principali non commensuratur necessario. Cæterum sacramenta simul sunt instrumenta Christi et Dei ; Christo enim subordinantur ut principali causæ meritoriæ ; Deo ut agenti principali physico, sed hoc sensu, quia a sacramentorum positione moveri vult ad producendam physice gratiam.

Ad 3um. R. *N. min.* Ut enim sacerdos absolvat, satis est, quod media absolutione gratiam illam causet moraliter ; sicut vere absolvit ab excommunicatione et interdicto, etsi absolvendo ab his vinculis nihil producat physicum. Si replices : igitur creditor per exhibitionem chirographi movens debitorem ad solvendum dici posset solvere. *N. seq.* Cum enim solutio connotet obligationem ex natura sua in solvente, et jus in eo, cui solvitur, alium, quam debitorem denominare non potest. Simile est in sacramento Pœnitentiæ, in quo pœnitens ponit sacramenti materiam ; itaque moraliter causat gratiam peccati remissivam, nec tamen ideo se ipsum absolvere dici potest ; quia absolvere a peccatis non est gratiam illam causare quomodocumque, sed est eam producere per modum judicis sententiam ferentis, sive id fiat moraliter, sive physice.

Ad 4um. R. *D. Ant.* Qui movet virtute non communicata ab eo, qui movetur *C.* sic movet servum dominus : qui movet quomodocumque *N.* Movere

convenit causæ morali ut sic ; movere virtute communicata causæ morali instrumentali convenit.

Ad 5um. R. *D. Ant.* Quia est assumpta per unionem physicam, quæ est in ordine ad operandum physice *T.* quia est assumpta quomodocumque *N.* Alias sacramentum reviviscens esset instrumentum physicum. Dixi : *Transeat,* quomodo enim Christi humanitas concurrerit ad patranda miracula, vide Tr. de Incarn. Diss. II. Sect. III. Art. III. num. 223.

55. *Dico II.* Vis causandi gratiam moraliter in sacramentis est specialis eorum dignitas et excellentia, quæ potest movere Deum ad conferendam infallibiliter gratiam. Dignitas vero illa consistit in eo, 1°. quod sint moraliter actiones ipsius Christi, scilicet ab hoc institutæ et adoptatæ, ac volente, ut ab ejus ministris, h. e. Christi exerceantur nomine; et 2°. Christi dignificatæ meritis, quibus videlicet merita ac passionem suam applicavit, eumque in finem, ut obtineatur gratia.

Ratio est; quia actiones substituti sunt moraliter actiones substituentis, sive delegantis, ac ab hujus persona et dignitate ipsæ dignitatem trahunt, ut tanti fere æstimentur, ac si a principali ipso physice procederent : atqui ministri ponentes verba et actiones sacramentales sunt vicarii Christi, ab hoc substituti delegati, ut ipsius nomine sacramenta administrent : constat 1°. ex verbis consecrationis; manifeste enim Christus, ministro sacerdote mediante consecrat, ubi dicitur : *Hoc est corpus meum.* 2°. Ex verbis sacramenti Pœnitentiæ; homo enim non habet auctoritatem dimittendi peccata, nisi delegatam; igitur dum dicit : *Ego te absolvo a peccatis tuis,* Christi nomine loquitur. 3°. Ex Scriptura Joan. 1., ubi de Christo dicitur : *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto;* quod non solum de Baptismo, quem Christus immediate per se, sed etiam, quem per Discipulos contulit, intelligendum. Et 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 3. 4. *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? ministri ejus, cui credidistis.* Tandem Trident. Sess. 2. c. 2. sacrificium cruentum crucis comparans cum incruento altaris, *una, eademque,* inquit, *est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Quod vero Concilium de sacrificio dixit, eodem modo de altaris sacramento debet intelligi, in quo ratio utraque concurrit.

Ex hisce intelligitur 1°. ac quidem perfacile, quomodo sacramenta, res etsi materiales, operari possint in animam, eam mundando, scilicet causando gratiam.

2°. Etsi sacramenta non causent gratiam physice; non tamen idcirco habent rationem puræ conditionis sine qua non, aut rationem puri signi, sicut e. g. denarius plumbeus, vel chirographum regium, quo exhibito datur alicui pecunia ex voluntate regis; conditio enim mera non habet in se ipsa virtutem et dignitatem movendi, sed solum movet ut quid conjunctum cum altero, quod talem dignitatem habet, exigitque non movere, nisi quando hoc sibi conjunctum habet. Sic dum dominus mandat servo, ut aureum det pauperi, si nummum plumbeum a domino illi datum exhibuerit, nummus ille mera est conditio; voluntas autem, sive mandatum domini est causa moralis, qua sola ad dandum aureum movetur servus : at vero sacramenta utpote actiones moraliter ipsius Christi, ab eo institutæ, ut

obtineatur gratia, ipsius dignificatæ meritis virtutem et dignitatem in se ipsis continent.

56. *Obj.* cum DD. Protestantibus, aliisque. 1°. In Lege veteri etiam Dei, aut venturi Christi nomine operabantur, qui sacramenta conficiebant; nec tamen eorum actiones inde dignitatem obtinebant moraliter causativam gratiæ; ergo nec ministri sacramentorum novæ Legis.

2°. Actio sacramentalis potest esse mala, ut si ponatur a ministro ex malo fine, vel sine conditionibus debitis; ergo nequit esse actio moraliter Christi.

3°. Actiones et opera Christi respectu salutis nostræ sunt causæ morales principales; sacramenta vero causæ instrumentales tantum; ergo hoc ipso actiones sacramentales non sunt actiones Christi.

4°. Si sacramenta essent causæ morales gratiæ, quia sunt moraliter actiones Christi; ergo pertinerent ad genus causæ meritoriæ: sed hoc dici non potest; quia Christus modo non est in statu capaci merendi: quin jam erat extra statum viæ, quando sacramenta instituit; cum pleraque saltem post resurrectionem ab eo instituta sint; ergo non potest per sacramenta tanquam per actionem propriam mereri.

5°. Neque dici potest, sacramenta utpote actiones moraliter Christi pertinere ad genus causæ impetratoriæ; ergo. *Prob. Ant.* In Christi enim morte perfectissime consummatum est ejus meritum, satisfactio et redemptio; igitur nulla nunc datur Christi impetratio; igitur nec sacramenta habere possunt rationem causæ impetratoriæ. Accedit, quod Christo ascendenti in cœlum sit data omnis potestas: sed qui omnem habet potestatem, non interpellat, ut impetret; ergo.

6°. Si actiones sacramentales essent moraliter actiones Christi propriæ; ergo Christus dici posset dolere, confiteri, etc. dum homo pœnitens dolet de peccatis, confitetur: ac in sacramento Matrimonii, dum sponsi contrahunt, Christus ipse dici posset contrahere: sed hæc absurda sunt; ergo.

57. *Ad* 1um. R. *N.* 1^{am}. *part. Ant.* Et rationi naturali et Scripturæ repugnat dicere, quod sacerdotes antiquæ Legis personam Dei, vel Christi gesserint; cum enim sacramenta Legis veteris vacua fuerint, infirma et egena elementa, ad Gal. 4., cumque sacramenta illa, præsertim sacrificia ordinarentur ad cultum Dei; Deus vero seipsum colere, vel adorare non possit, non potuit Deus ministros substituere, qui ipsum nomine ipsius colerent. Sed neque delegati dici possunt fuisse Christi; tum quia Christus nondum extitit in illa Lege; tum quia contrarium indicat Apostolus ad Hebr. 7. in Lege antiqua dicens, plures fuisse sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere; Christum autem, quia manet æternum, sempiternum habere sacerdotium: at si sacerdotes Legis veteris Christi egissent nomine, ut ministri illius, sicut sacerdotes novæ Legis; æque dici debuisset, unum fuisse sacerdotem antiquæ Legis, sicut Legis novæ unus est.

Ad 2um. R. *D. Ant.* Potest esse mala, ut est actio Christi *N.* ut est actio præcise ministri *C.*

Si replices. Non potest eadem actio simul esse bona et mala. R. *D.* Si ab agente eodem imperetur et exerceatur *C.* si imperetur ab alio, et ab alio exerceatur *N.* Patet in actione omni, quæ per ministrum ab altero substi-

tutum exercetur; hæc enim respectu substituentis esse bona et meritoria potest, mala et demeritoria respectu substituti. *Ratio* a priori est, quia actio externa ex se non habet bonitatem, vel malitiam, sed denominative solum ab actu voluntatis interno, a quo imperatur; ergo si actus internus tantum unus est, uti accidit, si unus idemque est, qui imperat, et actum elicit, necesse est, ut actio illa vel bona, vel mala sit; sed hæc cessat, si diversi sint actum imperans et exercens.

Ad 3um. R. *D. Ant.* Actiones illæ, quæ physice et immediate a Christo procedunt *C.* quæ tantum ab eo assumptæ sunt ad producendam gratiam; physice vero et immediate ponuntur a sacramentorum ministris, et quæ sunt actiones ipsius solum moraliter *N.* Hæ enim sunt causæ instrumentales tantum, quia valorem et dignitatem non a persona sortiuntur, a qua physice procedunt, sed ab illius dignitate, cujus ponuntur nomine.

Ad 4um. R. *N. min.* Quia Christus sacramentis a se institutis merita sua ita annexa esse voluit, ut iis, quibus rite applicarentur sacramenta, simul appropriarentur Christi merita, quibus et jus acquirerent ad gratiam, ac si hanc essent per se ipsos promeriti. Hinc patet responsio *ad prob. min.* Nam conceditur totum; non enim dicimus Christum meritum fuisse per sacramentorum institutionem, si quidem hæc post resurrectionem facta sit; aut modo per sacramentales actiones proprie loquendo mereri; sed merita sua, sive actiones, passionem, mortem, quibus est meritus, cum adhuc viator esset, annexuisse sacramentis. Hinc paucis : sacramenta actiones morales Christi sunt, non tamen ut etiamnum merentis, sed ut merita sua applicantis ad obtinendam gratiam.

Ad 5um. R. *N. Ant.* Dum enim Christus sacramenta instituit, rogavit Patrem, ut ea rite suscipientibus vellet ob sua merita conferre gratiam; cui petitioni annuit ob Christi merita Pater. Ac quoniam hanc ipsam Christi orationem continent, exhibentque Patri, impetrare etiam dicuntur, non communi modo, sed ex opere operato, sicut et ita mereri dicenda sunt.

Ad prob. R. *N. Cons.* Etsi enim in morte terminatum fuerit Christi meritum et satisfactio, adeoque jam nec mereatur, nec satisfaciat; fuit tamen in ejus libertate, merita sua et satisfactiones applicare ad promerendas hominibus gratias. Quin hoc ipso, quod omnis ipsi data sit potestas in cœlo ac terra, haud dubie etiam facultas ei data est, applicandi sua merita ad impetrandum, quod vellet, cui vellet, quo modo vellet. Hinc *N. min.* syllogismi alterius.

Ubi etiam observa : Licet apud Theologos non sit extra dubium omne et controversiam, an etiamnum Christus per orationem formalem in cœlo impetret? certum tamen est, quod impetret æquivalenter, quatenus orationes ejus ab ipso in mortali vita pro nobis fusæ, omniaque ejus merita perseverant objective in mente Dei, eumque movent ad conferendas nobis gratias, juxta illud ad Rom. 8. 34. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Quod etiam repetitur ad Hebr. 7. 25., quæ impetrationem æquivalentem ad minimum evincunt.

Ad 6um. R. *D. M.* Si actiones sacramentales ponerentur Christi nomine sub omni ratione *C.* aliter *N.* Sacramenta ea solum ratione ponuntur sub Christi nomine, quatenus ritus sacri sunt per se ad cultum Dei et confe-

rendam gratiam ordinati; ut Matrimonium, quatenus signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia. Dolor autem et confessio ne quidem ponuntur a ministro, sed a suscipiente sacramentum.

ARTICULUS III.

AN ET ANTIQUA SACRAMENTA CAUSARINT GRATIAM EX OPERE OPERATO?

58. *Dico I.* Nec remedium Legis naturæ, nec circumcisio, nec ullum aliud sacramentorum veterum contulit gratiam ex opere operato. Ita communis hodie Theologorum cum Doctore Angelico sententia, contra Antiquiores varios.

Prob. I. Auctoritate S. Scripturæ. 1°. Ad Gal. 4. 9. ab Apostolo dicuntur infirma et egena elementa, ad efficiendam videlicet sanctitatem internam. *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa?* Etsi vero Galatæ essent ex gentilismo conversi; hæc tamen ut plura alia conversos Judæos Galatis mixtos attinent, quos revocare hoc loco conatur a servitute Legis, quam videbantur respicere Judæi, ut ex scopo hujus capitis liquet; unde et v. 21. inquit: *Dicite mihi, quid sub Lege vultis esse.* Ad Hebr. 9. v. 9. negat diserte idem Apostolus, valuisse sacrificia quidquam vetera ad mundandas conscientias, sed totam eorum vim in emundatione carnis hæsisse docet: *Munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis et in potibus, et variis baptismatibus et justitiis carnis.* Ac v. 13. *Sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Cap. 10. 4. *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.*

Neque dici potest, Apostolum velle, quod sacramenta Legis veteris infirma et egena elementa sint post Christi adventum et promulgatum Evangelium; nam in specie loquens de circumcisione ad Rom. 3. ait, utilem esse circumcisionem *multum per omnem modum*; quod certo intelligi non potest pro statu Legis evangelicæ, cum post promulgatum Evangelium circumcisio evaserit mortifera. Deinde ad Hebr. 10. v. 1. vocat umbras nostrorum, sive figuras, quod pro Lege evangelica dici non potest.

2°. In specie de circumcisione ad Rom. 3. 1. quærens Apostolus, quæ sit utilitas circumcisionis, respondet: *multum per omnem modum: primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* Præcipuum ergo circumcisionis privilegium fuit, quod eloquia Dei, h. e. lex et mandata Judæis concessa fuerint; ergo non conferebat virtute sua, ex opere operato, circumcisio gratiam deletivam peccati; alias, cum hic effectus sit priore illo longe nobilior, hunc, non illum debuisset primum dicere Apostolus. Deinde ad Rom. 4. de industria probat, Abrahamum non in circumcisione, sed præputio justificatum fuisse, aitque id factum ideo v. 11. et 12. *Ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam: et sit pater circumcisionis, non iis tantum, qui sunt ex circumcisione, sed et iis, qui sectantur vestigia fidei*; quibus docet, istud Abrahamo non singulare fuisse ut justitiam consequeretur ex fide; sed commune iis omnibus, qui ipsius fidem imitantur, sive circumcisi sint, sive non. Ex quo infertur, cir-

cumcisionem non fuisse ad justificandum institutam. Demum Gen. 17. 10. ad hoc instituta solum circumcisio refertur, ut esset signum fœderis Deum inter tum Abrahamum ejusque posteros; nempe ut signum esset distinctivum Judaici populi a gentibus cæteris; religionis item et cultus, quo specialiter Hebræorum populus colere tenebatur Deum; ex parte Dei vero in populum hunc singularis amoris ac providentiæ.

Prob. II. Ex Conc. Flor. in Decr. Eugenii, quo sacramenta nostra multum differre dicuntur ab antiquis : hæc non causasse gratiam, sed præfigurasse; nostra vero et continere gratiam, eamque conferre digne suscipientibus. Pariter per hanc præcise efficientiam gratiæ differre sacramenta nova ab antiquis, non obscure Trident. innuit Sess. 7. Can. 2.; ergo. Quibus adde Patres plerosque sancto Augustino antiquiores, S. Basilium de Spiritu sancto c. 14. n. 32. *Quid igitur confers baptismata, quorum sola communis appellatio; rerum autem tanta differentia, quanta somnii a veritate, ac umbræ et imaginum, ab his quæ revera subsistunt.* S. Chrysostomum de Baptismo Christi n. 3. (opp. t. 2. p. 370. C.) : *Judaica illa quidem expiatio nequaquam a peccatis liberabat, sed a corporeis sordibus tantum; nostra vero talis non est, sed multo major, ac multa gratia referta : nam et liberat a peccatis, et animam emundat, et spiritus gratiam largitur.* S. Augustinum ipsum in Ps. 73. n. 2. *Sacramenta non eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem, sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.* Alios require apud Suarez in 3am. part. S. Thomæ Disput. 10. sect. 3.

Neque dici potest, Concilia tantum velle, differre sacramenta antiqua et nova in solo causandi modo; nova causare gratiam physice, vetera causasse tantum moraliter; nam Florentina Synodus expresse et absolute negat, sacramenta vetera ullam causasse gratiam, cum dicat, quod hanc solum figurarint; at vero causassent moraliter gratiam, non hanc figurassent solum, cum causalitas moralis sit vere et proprie dicta causalitas : quis enim negat passionem Christi esse veram justificationis nostræ et salutis causam?

59. *Obj. I.* Ex Scriptura 1°. Non minus per sacramenta vetera remissa sunt peccata, quam per nostra in Lege nova; nam Lev. cap. 4. 5. 6. peccata dicuntur expiari per sacrificium et orationem sacerdotis.

2°. Deus Gen. 17. 14. omni Hebræo masculo etiam infanti comminatur mortem æternam, nisi circumcisionem recipiat; ait enim : *delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* Quam rationem textus S. Aug. L. 16. de Civ. c. 27. explicat de pacto Deum inter et Adamum inito, quod violavit parvulus; ergo de peccato originali ibi sermo est, quod Scripturasu pponit per circumcisionem tolli.

3°. Apostolus 1. Cor. 10. v. 3. 4. de antiquis Hebræis ait : *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt; et omnes eumdem potum spiritalem biberunt : bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Sed esca illa, et potus spiritalis est Christi gratia, quam in symbolis, seu sacramentis mannæ, et aquæ e petra defluentis perceperunt Hebræi.

Ad 1um. R. *N. Ant. et prob.*; sumendo particulam *per* pro vera causa efficiente gratiæ juxta dicta num. 50. quæ inde confirmantur, quod sacrificia

ac sacramenta Legis antiquæ destinata fuerint quibusdam certis tantum peccatis expiandis, ut patet ex Levitico : at si vim habuissent expiandi quoad reatum culpæ, pœnæque æternæ, expiassent simul omnia; certum enim est, unum sine altero remitti non posse, cum gratia sanctificans, per cujus infusionem remittuntur, stare nequeat cum mortali ullo; ergo tantum sanctitatem externam ac legalem producebant ex opere operato; ad internam vero acquirendam necessaria contritio perfecta fuit cum fide, cujus utriusque signum et protestatio erant sacrificia, similesque externi ritus, ut notat S. Thomas 1. 2. q. 103. a. 2. in 6.

Ad 2um. R. 1°. cum Bellarm., textum loqui de adultis, qui peccabant graviter non observando præceptum circumcisionis graviter obligans, ut sensus sit : masculus Hebræus, qui circumcidi noluerit, aut filium suum circumcidere, peribit de populo suo ob violationem præcepti divini.

R. 2°. Hæc : *peribit de populo suo*, non mortem æternam, sed separationem a populo Dei, per mortem sive corporalem, sicut hanc Deus intentabat Moysi, ni filium circumcideret; et sicut dicitur Exod. 12. 15. : *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel*, h. e. occidetur; sive civilem, h. e. inter Abrahæ filios non censebitur. S. Aug. id solum asserit, posse etiam de pacto cum Adamo intelligi. Hinc *D. Cons.* Ergo originale tollebatur per circumcisionem ut causam gratiæ peccatum destruentis *N.* ut conditionem *C.*

Ad 3um. R. Neque manna, neque aqua e petra profluens sacramenta fuerunt, cum aquam illam et potarint jumenta, et manna manducarint canes; unde hoc ad rem præsentem impertinens est. Sed nec Apostolus ait, quod Hebræi eamdem escam spiritalem manducarint, quam nos; sed quod manducarint omnes Hebræi inter se. Escam autem spiritalem appellat, et potum spiritalem, non ob vim causandi sanctitatem internam, sed præcipue ob significationem spiritalem; manna enim de cœlo datum, Christum figurabat missum cœlitus, et in Eucharistia præsentem in nostræ nutrimentum animæ; rupes percussa vero, percussum in cruce lancea Christum, aqua Baptismum.

Nec dicas, Aug. ex illo 1. Cor. 10. Tract. 26. in Joan. n. 12. inferre, sacramenta nostra et Judæorum fuisse diversa quidem in signis, in re autem, quæ significatur, paria; nam paria solum esse vult *significatione*, cum utraque gratiam significent; non *virtute*; idem enim L. 19. contr. Faust. c. 13. nostra ait esse *virtute majora, utilitate meliora*. Quo modo alia S. Patris loca quædam debent intelligi, velut cum in Ps. 77. n. 2. dicat, gratiam communem esse sacramentorum etiam veterum virtutem, nimirum significatione; vel quod etiam Judæi eamdem nobiscum gratiam participarint, at non per eamdem sacramentorum virtutem et efficaciam. Quæ responsio ad similia aliorum Patrum loca servire potest.

60. *Obj. II.* Ab auctoritate. 1°. Innoc. III. cap. *Majores* de Baptismo, hunc ait successisse circumcisioni, esse tam parvulis, quam adultis conferendum, ne videatur efficaciæ minoris, quam circumcisio : *Sicut enim*, inquit S. Pater, *sine distinctione clamabat Lex mosaica; anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit*, etc.; *ita nunc indistincte intonat vox Evan-*

gelica : nisi quis renatus fuerit, etc. ; item, remissum esse peccatum originale per circumcisionis mysterium ; ergo.

2°. S. Aug. variis in locis ipsi etiam circumcisioni vim delendi peccatum originale tribuit : ut L. 4. de Bapt. contra Donatist. c. 24. docet, nos ex circumcisione posse conjicere, quid in parvulis valeat Baptismi sacramentum. Ac contra Pelagianos scribens sæpius asserit, circumcisionem necessariam fuisse ad originale delendum.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Ut enim ex initio cit. cap. constat, mens S. Pontificis alia non fuit, quam damnare falsitatem doctrinæ hæreticorum quorumdam asserentium, nullum peccatum remitti posse, nisi per actum charitatis ab illo ipso elicitum, cui facienda esset remissio ; unde sequebatur, infantes omnes inutiliter baptizari. Contra hos definit Innocentius, parvulis per baptismum remitti originale sine ullo ab ipsis elicito actu, idemque olim in circumcisione factum ; utrum vero hæc remissio olim ex opere operato facta sit, vel an solum circumcisio fuerit ad hoc conditio ? ab hac quæstione S. P. abstrahit.

Ad 2um. *N. Assumpt.* Mens S. Aug. ex ejus scopo intelligitur. Donatistæ contendebant, nihil olim profuisse parvulis circumcisionem, neque nunc iisdem prodesse Baptismum, eo quod peccati remissio soli actuali fidei deberet tribui. Pelagiani vero originale negabant omnino : contra priores contendit Augustinus, circumcisionem profuisse parvulis, etsi fidem elicere non possent, eo quod ipsis Deus originale remitteret, vi scilicet promissionis suæ, qua illud remittere decrevit, posito hoc ritu, ceu signo protestativo fidei in Christum venturum a parentibus, aliisve : contra Pelagianos probat existentiam peccati originalis ex circumcisionis remedio : utrumque vere, etsi circumcisio non esset causa gratiæ deletivæ originalis, sed solum se haberet ut conditio, sine qua non vellet Deus originale remittere. Quod vero Aug. circumcisioni vim vere causativam gratiæ non tribuat, liquet ex ejusdem epist. 82. ad Hieron. n 8. et 9. qua diserte docet, nec circumcisionem, nec alia veteris Legis sacramenta ullum justificare potuisse. Et ex Quæst. 25. in Libr. Numeror., ubi de antiquis sacramentis universim pronuntiat : *Si per se attendantur, nullo pacto possunt mederi*, e quibus perspicuis Aug. sententiis aliis minus claris accersenda lux est.

61. *Obj. III.* Ex Ratione. 1°. Saltem circumcisio dici potest movisse ut conditio Deum ad conferendam gratiam; ergo adhuc dici potest fuisse causa moralis gratiæ.

2°. Sicut nunc movetur Deus ad conferendam per sacramenta gratiam ex meritis Christi jam positis, ita movebatur olim ex iisdem ponendis ; ergo sacramenta vetera Deum ad conferendam gratiam modo movebant eodem, quo nostra.

3°. Sacramenta antiqua erant promissiones, quibus Deus promiserat venturum Christum, et dandam a se gratiam ob ejusdem Christi venturi merita, ut ait S. Aug. in locis variis, et Apostolus ad Hebr. 8. et 11., sacramenta illa *repromissiones* ideo vocans, quod Deus per illa promissionem de Messia mittendo renovarit : atqui promissio causa moralis rei promissæ est; promittentem enim ad præstandum promissum movet; ergo.

Ad 1um. R. *N. Ant.* Duplex datur conditio; alia est pura, quæ et purus

terminus dicitur, quam respicit volitio faciendi aliquid, quin ab illa moveatur ullo modo. Ita si quis dicat, si sonuerit hora, ambulabo, non movetur ad ambulandum horologii sonitu, sed e. g. sanitate; unde hæc, similesque puræ conditiones sunt, vel puri termini, seque habent in genere morali, velut in genere physico applicatio causæ. Alia est non pura, quæ videlicet simul causæ moralis munere fungitur, ac ratione bonitatis et æstimabilitatis suæ habet movendi virtutem; ut, si quis dicat: si sanitatem consequar, ad locum sacrum peregrinabor: si dominus imperaverit, faciam; hic enim ad ita operandum illinc movet sanitatis bonitas, inde voluntas domini. Circumcisio autem ad summum conditio sine qua non, et primi generis fuit, nullam in se ipsa movendi vim habens.

Ad 2um. R. *D. Ant.* Ita movebatur olim meritorum Christi præcise intuitu *T.* ex parte et intuitu actionum sacramentalium *N.* Hæ enim non erant actiones moraliter Christi propriæ, vel ipsius Dei, ut ex hactenus dictis constat.

Ad 3um. R. 1°. *N. min.* Neque enim promissio præcise causa rei promissæ est, aut promittentem movere debet ad præstandum, quod promisit, cum ad hoc moveri possit, atque etiam, præsertim Deus, moveatur a fidelitate.

R. 2°. *D. M.* Erant promissiones conferendæ gratiæ, tanquam signa hujus speculativa; vel erant repromissiones repræsentative tales *C.* tanquam signa illius practica, ac promissiones formales *N.* Sacramenta vetera promissiones divinas de mittendo Messia, ejusque lege et gratia repræsentabant tantum; unde ut earum promissionum signa rememorativa dicebantur promissiones simpliciter, eo fere modo, quo imago Cæsaris dicitur Cæsar, et chirographum a Jurisconsultis appellatur obligatio, etsi obligationis contractæ merum signum sit.

62. *Dico II.* Remedium Legis naturæ nonnisi merita conditio erat, qua posita, Deus solus vi promissionis suæ et intuitu meritorum Christi conferebat parvulis gratiam deletivam peccati originalis, citra recipientis et ministrantis meritum, ac proinde ne quidem ex opere operantis hoc remedium parvulis gratiam contulit.

Prob. Imprimis enim non vi operis ab infante eliciti, hic enim operis meritorii plane incapax est. Deinde nec vi operis eliciti a ministrante, cum is sæpe esse in statu peccati mortalis potuerit, quo casu opus ab eo elicitum præter contritionis actum perfectæ, vel dilectionis Dei super omnia ne quidem fuisset gratiæ meritorium de congruo; sicque perdifficilis fuisset hujus remedii infantibus applicatio. Hinc et est, quod Christus sacramentorum suorum vim a ministri pendere merito, vel probitate noluerit.

Dixi vero: *parvulis;* verosimilius enim videntur adulti non hocce remedio, sed contritione perfecta justificati fuisse. Quod inde colligitur, quia tota ratio, cur remedio illo infantes justificatos dicamus, est, ne illi secus videantur destituti fuisse omni salutis medio; at hæc ratio in adultis cessat, cum hi per actus proprios contritionis perfectæ, vel charitatis se ad obtinendam gratiam possent ipsi disponere.

63. *Dico III.* Etiam circumcisio ad summum conditio fuit, quam Deus poni volebat ad hoc, ut gratiam peccati originalis deletivam ipse parvulis masculis conferret.

Prob. Primario enim instituta fuit, ut esset signum fœderis Deum inter et Abrahamum, ejusque posteritatem, et ad discernendam Abrahæ progeniem, ex qua scilicet nasciturus esset Christus Gen. 17. juxta dicta in Concl. 1ª. Quod et Apostolus confirmat ad Rom. 3., ubi circumcisionem commendaturus, eam profuisse inquit *multum per omnem modum;* sed primum quia credita sunt illis eloquia Dei, juxta pactum scilicet Dei cum Abrahamo. Nec plus de circumcisione tota in Scriptura reperitur. Respectu parvulorum igitur ad summum par fuit conditio, sicut remedium Legis naturæ, ut posito hoc circumcisionis ritu cum signo aliquo protestativo fidei in Deum et venturum Christum, infanti a parentibus aliisve applicato, Deus conferret gratiam remissivam peccati originalis, infallibiliter tamen vi promissionis suæ gratuitæ, et meritorum Christi intuitu conferendi parvulis gratiam, hoc ritu circumcisionis posito cum aliquo actu protestativo fidei. Et vero tantum saltem deferendum videtur SS. Patribus, Augustino, et post hunc florentibus Bernardo, Ruperto, aliisque apud Suarez loc. cit. sect. 2. dum circumcisioni vim justificandi videntur tribuere; nimirum quo modo vulgariter alias conditioni ipsi solemus tribuere effectum, qui causæ suæ proprius est, quando causa in productione effectus alligata est conditioni sine qua non, sive quod causa se huic conditioni alligarit liberaliter et sponte, uti in præsenti Deus, sive alligata sit aliunde. Itaque conciliari possunt Patres Augustino posteriores cum antiquioribus, qui plerique alium effectum circumcisionis non agnoscunt, quam illum Gen. 17. et ad Rom. 3.

Dixi 1°. *parvulis;* nam et in Lege scripta adultis necessariam fuisse contritionem, sicut in Lege naturæ, plurimorum est sententia, et spectata S. Scriptura, item auctoritate priorum Ecclesiæ Patrum, Justini Dial. cum Tryphone, n. 23. Irenei L. 4. c. 16. n. 1. et 2. Epiphanii hæres. 8. (opp. t. 1. p. 19. C. D.), Chrysostomi homil. 27. in Genes. (opp. t. 1. p. 258. C. D.), Ambrosii epist. 72. nunc 74. n. 4. (opp. t. 2. part. 1ª. p. 1081.) aliorumque verosimilior.

Dixi 2°. *parvulis masculis;* lex enim circumcisionis feminas non obligabat; quapropter in Lege scripta contra originalem noxam remedio Legis naturæ fruebantur. *Nam quod genus muliebre circumcisionem accipere non potest,* verba sunt Justini loc. cit., *id argumento est in signum datam esse, non ut opus justitiæ. Sic enim Deus mulieres fecit, ut quæ justitiam.... spectant, ea pariter ipsæ quoque omnia observare possent.*

ARTICULUS IV.

QUID SIT GRATIA SACRAMENTALIS?

64. *Præmitto.* Sacramenta novæ Legis singulis obicem non ponentibus conferre gratiam sanctificantem, constat ex hactenus disputatis, ut proinde illa sit communis quidam effectus sacramentorum. Sicut vero cum gratia sanctificante, quæ confertur ex opere operantis, velut vi contritionis perfectæ infunduntur simul supernaturales virtutum tum theologicarum, tum moralium habitus; ita etiam docente Trid. Sess. 6. c. 7., quando confertur gratia ex opere operato sacramenti, iidem simul infunduntur habitus, quo-

niam, qui dat formam, etiam proprietates ad illam consequentes dat; habitus vero illi se ad gratiam sanctificantem instar proprietatum habent. Gratia tamen cum hisce habitibus non est unicus et omnis sacramentorum effectus; sed quodlibet sacramentum effectum specialem habet, sibi ac tali præcise proprium. Inde hic inquiritur, quis ille singularis effectus sit; an in habitu aliquo distincto consistat, ad eos actus ordinato, ad quos exercendos sacramentum ordinatum est, qui in Baptismo dicatur regenerativus, in Confirmatione roborativus, in Eucharistia nutritivus, ut voluerunt antiquiorum aliqui? Vel an in specialibus, et pro diversitate finis sacramenti diversis auxiliis gratiæ excitantis, ut communiter sentiunt Doctores alii? Ad quam controversiam paucis

65. *Dico I.* Singula sacramenta præter gratiam sanctificantem specialia conferunt auxilia gratiæ, sive gratias excitantes peculiares, diversas pro diversitate finis, ad quem obtinendum singula sacramenta instituta sunt. Ita communis cum Doctore Angelico 3. p. q. 62. a. 2. in θ.

Ac ratio est, quia quodvis sacramentum ad finem peculiarem ordinatur, ut ait Tertul. L. de Resurrect. carn. c. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Vel ut rectius Eugen. IV. in Decr. union. pro Armenis : *Per Baptismum spiritualiter renascimur : per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide : renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia,* etc. Vid. init. Ad fines vero hosce varios et adeo distinctos assequendos necessaria quoque est sacramentalis gratia propria et peculiaris; effectus enim sacramenti induit rationem medii ad fixum a Deo sacramenti finem assequendum. Et vero nisi effectus ille diversus, distinctusque esset, non apparet, unde alias differrent sacramenta, nisi solo externo ritu : nec alterum altero esset majoris necessitatis, ac reliqua, præter unum, essent superflua.

66. *Dico II.* Gratia sacramentalis habitualis non differt entitative et intrinsece a non sacramentali; multo minus dicit habitus speciales a gratia sanctificante communi, et virtutibus cum hac infundi solitis realiter distinctos.

Ratio 1ae. *part.* est, quia illa non differunt substantialiter ac entitative, quæ ex prædicatis suis intrinsecis non habent vim, vel exigentiam diversam : sed talem vim et exigentiam diversam non habet gratia sacramentalis habitualis; omnis enim gratia sanctificans ex prædicatis suis intrinsecis habet hoc 1°. ut sit participatio naturæ divinæ, scilicet ethica; 2°. destructiva peccati mortalis; 3°. reddens hominem Deo gratum, filium Dei adoptivum; 4°. conferens jus ad gloriam; sitque radix omnium virtutum et habituum supernaturalium : sed eadem citra controversiam præstat ex prædicatis suis intrinsecis, exigitque gratia sanctificans sacramentalis; neque plus, ut constabit solutione objectionum.

Ratio 2ae. *part.* est, quod hic habitus, vel qualitas permanens asseratur sine ulla necessitate. Vel enim foret necessarius ad sanctificandum, vel operandum. Non 1um. id enim præstat gratia sanctificans communis; non

2um. quia non est assignabilis actus ullus supernaturalis in ulla materia, qui non posset produci ab aliquo eorum habituum, qui solent cum gratia sanctificante infundi. Deinde actus a tali habitu elicitus non distingueretur specie ab actibus aliarum virtutum infusarum; igitur neque necessaria est causa specie distincta.

67. Gratia igitur sacramentalis a non sacramentali nonnisi accidentaliter, extrinsece et denominative differt, estque ipsa gratia habitualis connotans dicta auxilia gratiæ excitantis, ad quæ suo tempore conferenda sacramentum ex institutione divina dat quoddam jus suscipienti, quod sibi conjunctum habet gratia sacramentalis. Sic in Baptismo præter gratiam habitualem regenerativam jus actu confertur ad auxilia specialia tempore opportuno conferenda ad servandam divinam legem, cujus quædam professio est Baptismus, tum ad suscipienda digne sacramenta alia, quorum Baptismus janua est. In Confirmatione præter augmentum gratiæ sanctificantis datur jus ad auxilia specialia ad profitendam fortiter et constanter fidem, cujus professio finis est Confirmationis. In Eucharistia speciales dantur gratiæ ad exercendos charitatis actus, quibus anima nutritur spiritualiter; quæ nutritio charitatis est proprius Eucharistiæ finis. In Pœnitentia conferuntur gratiæ ad detestanda efficacius peccata, pro commissis satisfaciendum plenius, vitandaque facilius futura. In Extrema Unctione conferuntur auxilia, quibus roboretur homo ad superandum languorem ex ægritudine corporis oriri solitum, resistendum dæmoni, erigendamque in spem, firmamque fiduciam de divina misericordia. In sacramento Ordinis conceduntur gratiæ ad cujusque Ordinis ministerio rite fungendum. In Matrimonio demum ad vivendum convenienter statui caste, servandam conjugalem fidem, fovendum amorem mutuum, pie ac christiane educandas proles.

Nec aliam differentiam gratiæ sacramentalis a non sacramentali agnoscere videtur Doctor Angelicus, dum 3. p. q. 72. a. 7. ad 3. de Confirmatione ita inquit: *Per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per Baptismum, sed quæ prius inerat, augetur.* Et ibid. q. 62. a. 3. in 0. *Gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter acceptam quoddam auxilium divinum.* Proinde dum eodem articulo ad 3. ait, gratiam sacramentalem habere se ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus, paritatem in eo posuit, quod, sicut species superaddit aliquid generi, ita et gratia sacramentalis superaddat aliquid gratiæ communiter dictæ; non in hoc, quod sicut species superaddit prædicatum essentiale intrinsecum, sic quoque gratia sacramentalis superaddat vim et exigentiam intrinsecam, quam non habeat gratia habitualis ut sic.

68. *Dices* 1°. Omnis gratia habitualis ab intrinseco habitus virtutum per se infusos exigit; ergo et simul exiget gratias ad actus virtutum illarum exercendos; ergo, nisi aliunde differre dicantur gratia sacramentalis et non sacramentalis, nulla plane inter utramque erit differentia. Deinde gratia Baptismi e. g. etiam exigit auxilia gratiæ ad constantem professionem fidei, sicut gratia Confirmationis, quia ad observantiam legis Christianæ constans fidei professio præprimis pertinet.

R. *D. Ant.* Omnis gratia habitualis exigit auxilia ita copiosa, ut gratia

sacramentalis *N.* non ita copiosa *C.* Pariter gratia Baptismi equidem gratias excitantes ad fidei professionem exigit; at non ita speciales et copiosas, quam gratia Confirmationis. Scilicet quævis gratia sanctificans tantum indeterminate quædam auxilia in tempore opportuno exigit; determinatam vero connexionem ad auxilia specialia, copiosa, ac certo conferenda sola sacramentalis gratia habet, idque ab extrinseco tantum, sive institutione Christi et libera voluntate Dei.

69. *Dices* 2°. Gratia sacramenti unius, ut Baptismi, exigit, habetque annexas gratias actuales specie distinctas ab iis, quas habet alterius sacramenti gratia; ergo et gratia sacramentalis differre debet intrinsece ab altera. Item, gratia Baptismi remissiva est omnis culpæ et pœnæ, etiam temporalis; non gratia Pœnitentiæ, quæ stat cum pœna temporali.

R. *D. Ant.* Exigit illas gratias ratione sui *N.* ratione sacramenti *C.* Exigit quidem gratia sacramentalis speciales gratias actuales; hæc vero exigentia non est perfectio quædam ipsi entitati gratiæ sacramentalis intrinseca, sed fundatur in sola institutione sacramenti ad hunc specialem effectum a Deo ordinati; gratia enim habitualis secundum se nonnisi generatim ac indeterminate confert jus ad gratias actuales; quod igitur gratia sacramentalis exigere dicatur gratias actuales speciales, non a sua entitate habet, sed institutione sacramenti et ordinatione divina; ex qua etiam sola provenit, quod gratia baptismalis qua talis reduplicative (nam quæ talis ac secundum se stare potest cum reatu pœnæ temporalis), etiam reatum pœnæ temporalis tollat; secus ac gratia in Pœnitentia, quia videlicet in solo Baptismo ad hunc effectum Christus applicavit sua merita.

70. *Dices* 3°. Characteres sacramentorum entitative distinguuntur; ergo et gratiæ; cum hæ proprii sint sacramentorum effectus, sicut characteres.

R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est, quod, etsi characteres sacramentorum effectus sint, ipsi tamen ordinantur ad diversos iterum fines *ut suos* sibique proprios; gratiæ autem ordinentur quidem et ipsæ ad effectus diversos, at non ut suos, sed sacramenti.

ARTICULUS V.

QUAM GRATIAM CAUSENT SACRAMENTA NOVÆ LEGIS? PRÆSERTIM AN SACRAMENTA VIVORUM POSSINT CAUSARE GRATIAM PRIMAM PER ACCIDENS?

71. *Præmitto.* Prima gratia dicitur, quæ ante se nullam aliam in subjecto, cui infunditur, supponit, ut dum peccator justificatur. Gratia secunda dicitur, quæ subjecto in gratia constituto advenit, sicque gratiam præexistentem auget, sic, ut non sint diversæ gratiæ, sed ejusdem gratiæ gradus diversi. Sacramenta mortuorum per se primo et directe instituta esse ad causandam gratiam primam certum est, uti pariter sacramenta vivorum ex prima et directa institutione causare gratiam secundam: priora enim, ut Baptismus et Pœnitentia, ad delendum mortale, sicque causandam vitam spiritualem animæ ordinata sunt; quin inde mortuorum dicuntur, quia subjectum per peccatum mortuum, privatumque spirituali vita gratiæ supponunt: poste-

riora vero peccatum jam deletum supponunt; subjectumque jam vivere vita gratiæ spirituali, sed et præterea satis convenit inter Doctores, et ut certum habetur, sacramenta mortuorum posse per accidens gratiam secundam producere, eamque sæpe causare actu, ut, si is, qui ea accipit, jam esset justificationis gratiam consecutus ope contritionis perfectæ, quia omnia sacramenta conferunt suscipientibus gratiam non ponentibus obicem. Hinc igitur

Præcipua et sola controversia de sacramentis vivorum remanet, possintne illa per accidens pariter causare gratiam primam? Variis enim modis evenire potest, ut quis constitutus in peccato mortali recipiat sacramentum vivorum, sed bona fide, ut 1°. si invincibiliter ignoret, se esse in statu peccati mortalis; 2°. etsi quidem peccati gravis conscientiam habeat, sed invincibiliter existimet, se perfecte contritum, rite confessum, debite absolutum, cum non sit; 3°. si mentis infirmitate præventus non possit procurare statum gratiæ, et tamen interea extreme inungatur; 4°. si invincibiliter putet, ad sacramenti perceptionem non requiri dispositionem aliam, quam attritionem. In his igitur casibus quæritur: an, si quis cum sola attritione supernaturali, bona tamen fide suscipit sacramentum vivorum, per hoc obtineat gratiam primam, remissivam peccatorum?

72. *Dico.* Sacramenta vivorum per accidens causare possunt gratiam primam. Ita probabilior, usuque Auctorum longe receptior sententia, quos ex omni classe præcipuos refert, et sequitur Suarez; tum divinæ bonitati, hominumque conditioni, pro quibus sacramenta instituta sunt, plurimum consona.

Prob. I. De Extrema Unctione, de qua Jac. 5. 15. absolute dicitur: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Cui concordat hujus sacramenti forma: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid e. g. per visum deliquisti*; et Trid. Sess. 14. c. 2. se ad S. Jacobi verba referens, docensque, iis explicari rem, seu effectum hujus sacramenti: *Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si qua sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.*

Neque dici potest, singula illa intelligi posse 1°. de sola venialium remissione; vel 2°. de mortalium etiam, sed quoad reatum solum residuæ temporalis pœnæ; vel 3°. etiam de remissione mortalium quoad culpam, sed mediate; quatenus scilicet per Extremam Unctionem impetrantur actuales gratiæ ad perfectæ contritionis eliciendum actum. Nam 1°. relati textus indefinite loquuntur sine facto discrimine peccata mortalia inter et venialia. 2°. Etsi in Scriptura sacra vox *peccatum* sumatur metonymice pro pœna; per remissionem tamen peccatorum principaliter remissio culpæ intelligitur, ut ex absolutione sacramentali patet, et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 3°. Postremum minime subsistit; gratiam enim, quam sacramenta dicuntur conferre, semper ex opere operato, immediate causant; sed hic ipsi sacramento remissio peccatorum tribuitur, nec solum venialium; ergo et gratiam mortalium remissivam per se ipsum producet. Inde et quoad hoc sacramentum cum S. Thoma ita nunc docet sententia communissima.

73. *Prob. II.* De Eucharistia ex SS. Patribus, juxta quos, apud Suarez in

3am. p. disp. 63. sect. 1a. Eucharistia simpliciter dicitur tollere peccata, sanare vulnera, abluere, extinguere peccata, sorditiem, itaque pronuntiant sine distinctione, ut S. Damascen. L. 4. de Orthod. fid. c. 13. ait (opp. t. 2. p. 272. B. edit. Venet.) : *Corpus et sanguis Christi est* (Eucharistia), *in nostri, tum animi, tum corporis vegetationem cedens,.... in substantiam nostram et conservationem, omnigenæ labis propulsationem, omnisque spurcitiei detersionem.* S. Justinus Resp. 44. ad Orthod. *Quem enim vidit Propheta carbonem labiis suis non puris admotum ad expurgationem iniquitatum et peccatorum, is indicium habebat Dominicæ carnis, quæ conscientias comedentium expurgat ab omni iniquitate. Corpus Domini in hoc sacramento habet vim, ut omnem immunditiam et spurcitiam tollat.* Similia habent alii. Sed juxta Patres dici nequit, quod hunc effectum Eucharistia præstet per se; ergo saltem per accidens. Doctor Angelicus vero ipsum hunc casum controversum nobiscum resolvit q. 79. a. 3. in θ. *Potest hoc sacramentum operari remissionem peccati.... perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet; forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote, et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, et remissionem peccati.* Imo in 4. dist. 9. q. 1. a. 3. *Talis*, inquit, *non peccat, imo magis ex vi sacramenti remissionem consequitur.*

Neque dici potest, S. Thomam velle solum, quod ita recipienti sacramentum conferantur gratiæ auxiliantes, quibuscum talis contritionem perfectam concipiat, quæ deinde justificet; nam 1°. latum discrimen est inter gratias auxiliantes, et gratiam charitatis, quæ ipsa est gratia sanctificans; 2°. gratiæ auxiliatrices nequeunt efficere, ut attritio fiat contritio; 3°. si Eucharistia ipsa hoc casu non præstet gratiam remissivam peccati, quo fundamento dicetur, quod ex opere operato has gratias actuales causet, si subjectum non sit rite dispositum? Eamdem responsionem adhibe, si similis exceptio apud alios Patres fiat. 4°. In altero loco diserte ait: *ex vi sacramenti.*

74. *Prob. III.* De Confirmatione idem rursus diserte S. Thomas enuntiat 3. p. q. 72. a. 7. ad 2. *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum.* Aliorum vero Patrum de Confirmatione, Ordine et Matrimonio non tanta habentur testimonia, sed ex allatis hactenus cum sit par ratio, et ad hæc sacramenta vivorum deducitur argumentum; et præterea generaliter

75. *Prob. IV.* Ratione theolog. Juxta Trident. Sess. 7. Can. 6. omnia sacramenta novæ Legis conferunt infallibiliter gratiam non ponentibus obicem : atqui peccator cum ignorantia invincibili peccati sui, bona fide, et attritione generali de omnibus peccatis suis ad sacramenta vivorum accedens non ponit gratiæ obicem; non enim 1°. ponit obicem ratione peccati actualis, quia accedit bona fide; non 2°. ratione peccati habitualis, quia peccatum habituale invincibiliter ignoratum, et generali attritione retractatum non est obex gratiæ; sicut juxta communissimam hodie sententiam non est gra-

tiæ obex in Extrema Unctione, et probatum ante, non esse in Eucharistia.

76. *Obj. I.* Ab auctoritate 1°. negative. Effectus sacramentorum probari debent vel ex Scripturis, vel ex Conciliis, vel ex Patribus : atqui ex his non probatur hæc vis sacramentorum vivorum; ergo.

2°. Juxta TRIDENT. sacramenta causant gratiam, quam significant; sed sacramenta vivorum gratiam primam non significant. Deinde Conc. idem Sess. 13. c. 2. etsi eo loco Eucharistiam extollat, hoc solum de ea docet, quod sit *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur;* ergo per hoc solum a mortalibus præservamur, non liberamur; vel cur alias de hoc tam nobili effectu penitus siluisset Concilium?

3°. Conc. FLORENT. in Decr., item TRIDENT. cit. ac Catechismus Roman. §. 40. dum Eucharistiæ effectus describunt, eam alimoniæ spirituali comparant: sed cibus mortuis nihil prodest, etiam per accidens. *Quemadmodum,* inquit Catechismus laudatus, *mortuis corporibus alimentum naturale nihil prodest, ita constare, quod etiam animæ, quæ non est in statu gratiæ, prosint sacra Mysteria.*

4°. SS. Patres ad sacramentum Eucharistiæ cum fructu percipiendum simpliciter exigunt statum gratiæ. Sic S. AMBROSIUS L. 6. in Luc. c. 9. n. 70. simpliciter pronunciat : *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus, et illi, qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur.* S. GREGOR. L. 2. in 1. Reg. c. 1. n. 14. *Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea, quibus se repleverant, flagitia portant in mente.* S. THOMAS 3. p. q. 79. a. 3. ad 3. ait, gratiam sanctificantem non dari peccatori in hoc sacramento, sed is, de quo disputatio movetur, est peccator; ergo.

Ad 1um. R. *D. M.* Effectus ii debent probari evidenter, vel certo *N.* secus plurimæ, nobilissimæque controversiæ exspirassent pridem, quæ in utramque partem disputantur, utraque parte ex iis fontibus theologicis solum eruente argumenta probabilia : saltem vere probabiliter *C.* Dum assertio theologica ponitur ut certa, haud dubie indubitata adesse debet Scripturæ, vel Conciliorum, vel Patrum auctoritas; aliud est, si solum ponatur ut probabilis, vel probabilior, uti in præsenti accidit; tunc enim auctoritas vel probabiliter, vel affirmans sufficit; hanc vero stare pro nostra probabilius sententia contendimus. Etsi vero Scriptura virtutis remittendi mortalia non ita expresse in singulis sacramentis vivorum meminerit; non tamen etiam negat; proinde quo intelligenda modo sit Christi institutio, ex Patribus oportet intelligere.

Ad 2um. R. *D. min.* Sacramenta vivorum gratiam primam non significant per se et principaliter *C.* Non secundario, et per accidens *N.* Ita argumentum hoc iisdem fere terminis solvit Doctor Angelicus, de Extrema Unctione loquens in Supplem. q. 30. a. 1. in θ. *Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios, ex consequenti, inducere possit; et quia sacramentum efficit, quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc*

sacramentum secundum modum cujusdam medicationis... Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandam infirmitatem peccati... Sicut autem corporalis medicatio præsupponit vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem; et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale; sed contra illos quibus homo spiritualiter infirmatur... et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod (vel mortale, vel veniale) quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia et Confirmatione supra dictum est; et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens : si in peccatis sit, remittentur ei. Ubi S. Thom. effectum, quem nos secundarium, per accidens talem dicimus, nuncupat ex consequenti.

Ad 2um. ex Trident. R. *N. Cons.* Quod vero Concilium hoc loco non meminerit hujus secundarii Eucharistiæ effectus, ratio est, quod, ut legenti patet, finis ejus esset, Sess. 13. instruere fideles per quinque capita de hujus sacramenti dignitate; tum cap. 7. et 8. de debita ad illud recipiendum dispositione; ne quis videlicet judicium sibi manducet, et bibat; igitur de Eucharistiæ effectu, quem per se causat et primario, loquitur, non de effectu ejus per accidens, quem producit in illo, qui cum bona fide, cum ignorantia peccati invincibili illam recipit. Nec tamen omnino de hoc secundario Eucharistiæ effectu S. Synodus siluit; sed satis hunc indicavit Sess. 7. can. 6., de omnibus sacramentis in genere definiens, ea *conferre gratiam omnibus obicem non ponentibus.*

Ad 3um. R. *D. min.* Cibus corporeus, materialis nihil prodest mortuis etiam per accidens *C.* cibus spiritualis *N.* Cibus materialis in se vitalis non est, et convertitur in substantiam aliti; unde hoc vivens necessario supponit; at cibus spiritualis Eucharisticus vitalis est, fontem vitæ continens, nec convertitur in substantiam aliti, sed contra convertit alitum in se, proinde hoc vivificare potest, Joan. 6. 58. *Qui manducat me, vivet propter me.* et 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Deinde in spiritualiter mortuo vitæ spiritualis semina et quædam initia remanent fides, spes, attritio; igitur sic accedentem Eucharistia vivificare potest; secus est de mortuo corporaliter; in quo nulla remanent vitæ animalis semina. Catechismus Roman. de effectu Eucharistiæ per se ex institutione primaria loquitur, vel dispositione per se requisita.

Ad 4um. R. Explico cum distinctione. Requirunt simpliciter statum gratiæ vel verum, vel existimatum *C.* necessario verum *subd.* spectata sacramenti institutione ac vi per se, et primaria *C.* per accidens, et secundaria *N.* Cum enim SS. Patres per ipsam Eucharistiam simpliciter pronuntient, peccata non facto discrimine remitti, satis declarant, posse per accidens bonam fidem cum attritione conjunctam sufficere. In specie

Ad S. Thomam R., eum ista loqui de Eucharistiæ effectu per se, quem in homine justo causat, evidens est ex corpore hujus Articuli relato supra num. 74. et Articuli titulo : *Utrum effectus hujus sacramenti sit remissio peccati mortalis?* conjuncto cum Corpore.

77. *Obj. II.* Ex Ratione. 1°. Sequeretur ex hac sententia, quod, qui origi-

nale et personale simul habet, si ad Eucharistiam accederet sola cum attritione et ignorantia invincibili obligationis Baptismi suscipiendi, obtineret justificationis gratiam: sed hoc sustineri non potest.

2°. Scriptura, Concilia, ac Patres ante Eucharistiæ perceptionem confessionem ipsam, quantum possunt, præcipiunt: atqui sola hujus ratio est, ne peccator ob contritionis incertitudinem Eucharistiæ privetur fructu; ergo.

3°. Qui cum peccato, sed sine attritione accedit ad sacramenta mortuorum, etsi bona fide et cum ignorantia peccati sui invincibili, justificationis gratiam non consequitur; ergo et accedens similiter ad sacramenta vivorum cum peccato invincibiliter ignorato, sed sine contritione, licet cum attritione, non consequitur sacramenti gratiam. *Prob. Cons.* Ideo primum; quia attritio est per se requisita ad percipiendum fructum sacramenti mortuorum: atqui etiam contritio per se requiritur ad sacramenta vivorum percipienda cum fructu.

4°. Sacramenta vivorum in subjecto vitam spiritualem essentialiter supponunt, quia ad hanc roborandam, fovendam et nutriendam instituta sunt; ergo nec per accidens illam vel significare, vel causare possunt.

Ad 1um. R. *N. M.* Cum enim Baptismus ex institutione sua sit sacramentorum cæterorum janua, ut ex ordinatione divina, nobis perpetua Ecclesiæ traditione et praxi intimata, ad nullum aliud, sine Baptismo prævio, suscipiendum homo capax sit, patet, etiam nullum aliud posse sine Baptismo fructuose percipi.

Ad 2um. R. *N. min.* Et vero alias etiam confessio ante alia sacramenta vivorum præcepta esse deberet. Sed sola hujus præcepti ratio Eucharistiæ dignitas est; unde et fit, ut, etsi aliunde quis etiam revelatione certus esset de contritione perfecta a se elicita, ex Ecclesiæ præcepto ante Eucharistiæ receptionem confiteri deberet peccata gravia nondum subjecta clavibus.

Ad 3um. R. *C. Ant. N. Cons. Ad prob. D. M.* Quia attritio est per se tantum requisita ad sacramentum mortuorum necessitate præcepti *N.* necessitate sacramenti *C.* Sic *D. min.* Contritio est requisita ad sacramentum vivorum necessitate sacramenti *N.* præcepti tantum *C.* Et hæc ipsa disparitas est. Necessarium vero necessitate sacramenti illud est, quo etiam inculpabiliter omisso ne quidem valide recipitur sacramentum; sicque se habet respectu sacramenti mortuorum attritio supernaturalis, vel contritio. Necessitate præcepti e contra necessarium est, quo inculpabiliter omisso potest quis validum recipere sacramentum; hinc quia contritio ad receptionem sacramenti vivorum necessaria tantum necessitate præcepti est, potest illa inculpabiliter omissa obtineri gratia, modo ponatur attritio supernaturalis, qua peccatum retractatur. Quod autem contritio ad sacramenti vivorum perceptionem necessaria tantum necessitate præcepti sit, patet consensu omnium; et vero certum est, SS. Eucharistiam, Confirmationem, Ordinem et Matrimonium posse recipi valide ab existentibus in peccato. Si vero deesset utraque contritio et attritio, non obtineretur gratia; quod in hac providentia, juxta dicta Tract. de Pœnit., nullum remittatur peccatum grave sine aliqua pœnitentia et retractatione; peccata vero pariter in hac providentia nonnisi per gratiam remittuntur.

Ad 4um. R. *D. Ant.* Hanc supponunt; item, sunt instituta ad illam robo-

randam, fovendam, etc., per se, et ex institutione sua primaria *C.* ex institutione secundaria *N.* Responsio ex hucusque dictis patet.

Si porro replices : sed obex sacramenti vivorum est peccatum mortale : at hoc non tollitur attritione, quæ æstimata est contritio.

R. *D.* Est obex spectata illius institutione per se, et primaria *C.* secundaria *subd.* peccatum grave cognitum, nec debite retractatum *C.* invincibiliter ignoratum, et attritione supernaturali retractatum *N.* Tunc enim sacramentum vivorum vi institutionis suæ secundariæ contritum, ut dicitur, ex attrito facit.

ARTICULUS VI.

QUANTAM GRATIAM NOVÆ LEGIS SACRAMENTA CAUSENT? AN ÆQUALEM ÆQUALITER, INÆQUALEM INÆQUALITER DISPOSITIS?

78. Triplex moveri quæstio potest : 1°. An sacramenta inter se diversa specie, uti inæqualis dignitatis sunt, ita inæqualem conferant gratiam? At incertum id plane est, cum a libera Dei voluntate id pendeat, et Christi, quantum sua merita applicare huic, illive sacramento voluerit, de qua nihil in Scripturis, Conciliis vel Patribus expressum. 2°. An ob ministrorum diversitatem saltem detur diversa gratia, major vel minor, quo major vel minor fuerit ministri dignitas, etsi nulla sit inter eos, qui suscipiunt, diversitas? Sed cum Christus gratiam sacramentalem simpliciter pendere non voluerit a ministri bonitate vel probitate, ut dicetur Dissert. sequenti, etiam sequitur per se ad majorem sacramentalem gratiam conferendam nihil efficere majorem dignitatem ministri unius præ alio; 3°. tandem, quæque sola hic locum habet; an sacramenta ejusdem speciei, ut duo Baptismi, conferant diversam gratiam, h. e. plures, paucioresve ejusdem gratiæ sacramentalis gradus, si in suscipientibus sit dispositio dispar, in uno major, in altero minor?

79. *Dico I.* Sacramenta ejusdem speciei conferunt ex opere operato æqualem gratiam æqualiter dispositis; inæqualem dispositis inæqualiter. Ita communis sententia et doctrina cum S. Thoma 3. p. q. 69. a. 8. in 0.

Prob. I. Ex Trident. Sess. 6. c. 7., ubi, cum recensuisset justificationis nostræ causas, subdit : *Justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem*; ergo justitia, quæ confertur in Baptismo (par autem ratio est de sacramentis aliis) datur secundum propriam cujusque dispositionem; ac proinde magis disposito major justitia, sive gratia, æqualis vero æqualiter dispositis.

Nec dici potest, Tridentinum eo loco non agere amplius de sacramentali, sed extrasacramentali gratia; nam hoc nec verisimile, quia sine fundamento ullo ita excipitur; nec credibile est, cum aliud plane exigat dictorum series; cum enim ante de industria explicet causas omnes justificationis extrinsecas, interque eas recenseat Baptismum ceu instrumentum; inde immediate subjungat formalem intrinsecam, utpote causarum extrinsecarum effectum, scilicet ipsam justitiam, sive gratiam, eamque a nobis

recipi dicat secundum propriam dispositionem, de nulla præterea gratia alia sit locutum ante, nec per hanc gratiam intelligi potest alia, quam sacramentalis.

Prob. II. Ratione. Sacramenta causant gratiam ad modum causarum naturalium, quæ vocantur necessariæ; sed causæ naturales et necessariæ in subjectis æqualiter dispositis effectum producunt æqualem; inæqualem vero in dispositis inæqualiter, ut patet in igne applicato ligno sicco et humido; ergo. *Maj.* ex Doctore Angelico habetur hic q. 69. a. 8. in θ., ubi inquit de Baptismo : *Quidam cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt; et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat.*

80. *Dico II.* Dispositio illa, cui sacramentalem gratiam commensurat Deus, maxime actualis est, sita in actibus charitatis, spei, pœnitentiæ, etc., quibus se homo ad recipiendum devotius sacramentum disponit.

Prob. Quia Trident. ante cit. tradit, gratiam dari secundum cujusque dispositionem et cooperationem; unde videtur confici, actus ejusmodi debere in ipsam receptionem sacramenti moraliter influere, h. e. non moraliter ab ea esse sejunctos.

Dixi : *maxime actualis*; utrum enim, ut cum Suarez autumant alii quidam, gratia sacramenti juxta dispositionem hominis habitualem conferatur, ab ea quæstione dependet; an gratia sanctificans magis intensa augeat dignitatem operis meritorii? quod negat communior. Et sequeretur alias augmentum incredibile gratiæ, si justus habens gratiæ gradus mille, perquam tepide licet, Eucharistiam reciperet. Proin nec major gratia videtur ita influere in usum sacramenti ad capiendum majorem fructum ex opere operato. At quidquid de hoc sit, id saltem videtur concedi posse, quod sacramentum mortuorum receptum a justo, sicque jam antecedenter vivo majorem conferat ex opere operato gratiam, quam a peccatore, vel mortuo, eo quod ipsa habitualis gratia talem dispositionem dignificet.

81. *Dices* 1°. Juxta Trid. cit. gratia datur *secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult*; ergo datur uni mensura gratiæ major pro libera voluntate Dei.

R. *N. Cons.* Illa enim, *prout vult*, accipi debent de divina voluntate antecedente, qua Deus libere pro mensura dispositionis cujuslibet fixit, et statuit certam gratiæ mensuram, sicut cuilibet operi meritorio certum decrevit præmium et gradum gloriæ; alias Concilium eodem textu vel contradiceret sibimet, vel frustra addidisset : *Et secundum cujusvis dispositionem et cooperationem.*

82. *Dices* 2°. Major illa gratia, quæ datur magis disposito, provenit ex hujus dispositione; ergo non ex vi sacramenti.

R. *D. Ant.* Provenit ex dispositione, ceu conditione sine qua non *C.* tanquam a causa efficiente *subd.* gratia sacramentalis *N.* alia extrasacramentalis, dispositioni respondens ceu operi operantis *C.* Homo dispositus duplex obtinet augmentum gratiæ; unum ex opere operato, quod ob dispositionem

ceu conditionem unice TRIDENT. in sacramentum tanquam causam instrumentalem refert : alterum ex opere operantis respondens illis actibus religiosis, qui seipsis simul vim merendi habent.

83. *Dices* 3°. Deus homines æquales prædestinat in inæqualem gloriam; ergo etiam æqualiter dispositis dat inæqualem gratiam.

R. *Tr. Ant. N. Cons.* Adultos, quos ad gloriam inæqualem prædestinat, prædestinat ante ad dispositionem inæqualem, majorem et majora merita, per majora media, conferendo gratias actuales, per quas gratiam sanctificantem sibi majorem comparent. Parvulos vero ante usum rationis decedentes, supposito quod baptizentur, ad gloriam inæqualem non prædestinat.

Si contra posterius de parvulis dicas : Hi occupabunt sedes angelorum rebellium, quarum multæ sunt inæquales; ergo et parvuli habebunt inæqualem gloriam, etsi dispositionem æqualem non habeant.

R. *D. M.* Occupabunt illas sedes quoad substantiam *C.* quoad sublimitatis diversitatem *N.*

84. *Dices* 4°. Sacramenta habent vim causandi ex meritis Christi, quæ æqualis valoris sunt: item, eam solum conferunt gratiam, quam significant : sed eamdem significant gratiam; ergo nihil huc facit dispositionis inæqualitas.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Potuisset haud dubie Christus ita sacramentis sua applicare merita, ut omnibus digne solum accedentibus conferrent gratiam æqualem; at aliter ipsi visum est, ut ex TRID. et rationibus Concl. discimus.

Ad 2um. *R. D. min.* Eamdem significant gratiam indivisibilem *N.* divisibilem, sive intensionis capacem *C.* Hinc et quia signa practica sunt, magis intensam respectu magis dispositorum significant, et causant gratiam.

85. *Dices* 5°. Sacramenta conferunt æqualiter dispositis gratias actuales et inæquales; ergo et gratiam sanctificantem inæqualem.

R. *Tr. Ant. N. Cons.* Pro gratiis actualibus inæqualibus non habetur æque solidum fundamentum; 1°. enim TRID. cit. de sola gratia habituali loquitur. 2°. Gratiæ actuales non statim conferuntur, sed in tempore opportuno, ac sub conditione, nisi interea temporis perdatur gratia sanctificans, quacum jus ad gratias illas actuales connexum est; aut nisi aliter interea iis indignus a Deo judicetur. At gratia sacramentalis habitualis semper absolute respectu ad capacitatem subjecti commensuratur.

ARTICULUS VII.

AN SACRAMENTA FICTE SUSCEPTA SUBLATO OBICE REVIVISCANT, GRATIAMQUE, ET QUAM PRODUCANT?

86. *Præmitto 1.* Obex alius sacramenti, alius gratiæ dici potest. Obex sacramenti est, quando ipsi sacramento deest aliquod ex constitutivis essentialibus, ut vel materia, vel forma; vel ex aliis necessario requisitis, ut

debita intentio, sive ex parte ministri, sive subjecti. De hoc obice hic nulla est quæstio, quia ipsum sacramentum reddit simpliciter nullum et invalidum; quod vero nunquam fuit, vel vixit, reviviscere non potest. Obex gratiæ est, quando sacramentum ipsum quidem habetur verum ac validum, quin tamen recipienti conferat gratiam, ex defectu requisitæ in eodem dispositionis. Obex hic fictio dicitur. Quo nomine proinde non intelligitur simulatio interna, vel simulata recipiendi sacramenti intentio; quia, ut dictum, sic esset ipsius obex sacramenti. Quoties igitur sacramentum valide quidem, sed infructuose suscipitur, cum fictione, vel ficte dicitur suscipi; eo quod suscipiens quasi fingat se esse ad sacramenti fructum dispositum, cum non sit. Sacramentum hoc modo susceptum nuncupatur validum et informe; sicut e contra formatum, quando simul percipitur sacramenti fructus.

Præmitto II. Fictio illa est vel culpabilis, vel inculpabilis; prior etiam materialis, seu negativa; altera formalis, seu privativa dicitur. Si is, qui sacramentum suscipit, sciens volensque ponat, vel non removeat impedimentum gratiæ; ut, quia cum peccati mortalis nondum expiati conscientia sacramentum recipit, erit formalis fictio, sacrilegii malitiam continens; secus materialis tantum, si cum peccato invincibiliter ignorato, nec retractato, aut inculpabiliter ignorans, se non esse debite dispositum. Unde et obex gratiæ in adultis duplex esse potest: 1°. *materialis* et negativus, si per ignorantiam invincibilem omittitur dispositio debita ad perceptionem gratiæ; 2°. *formalis* et privativus, quando illa dispositio voluntarie omittitur, sive quod quis conscius peccati gravis ante commissi, quin illud expiet, accedat; vel in susceptione ipsa peccet, ut si accedat e. g. cum consensu in cogitationem malam. Quod postremum alii specialiter obicem positivum appellant.

Quæritur jam, utrum sacramenta valide, sed ficte suscepta maneant infructuosa perpetuo? Vel an gratiam, quam ex defectu dispositionis conferre non poterant, quando suscipiebantur, saltem producant postea, quando tollitur obex, poniturque dispositio debita, e. g. retractatio peccati, quæ in Baptismo ab adulto peccatore fuerat omissa? Quod est reviviscere sacramentum.

87. *Dico I.* Sacramentum Baptismi cum fictione sive materiali, sive formali susceptum, remoto per subsequentem dispositionem obice, reviviscit, gratiamque confert ex opere operato. Est communissima Theologorum sententia post S. Aug. tempora, præter Scotum, Vasquez, paucosque alios.

Prob. I. Auctoritate D. Aug. L. 1. de Bapt. contra Donatist. c. 11. et seqq. Cum enim Donatistæ graviter ferrent, se dici hæreticos, eos tamen, qui a Donati parte transibant ad Catholicos, ab his non cernerent rebaptizari, hoc contra S. Aug. utebantur dilemmate: vel Baptismus nobis collatus confert Spiritum sanctum et gratiam, vel non. Si confert; ergo habemus veram Ecclesiam, quia in sola vera Ecclesia confertur gratia, datur Spiritus sanctus, et fit remissio peccatorum. Si non conferat; ergo non habemus verum Baptismum, ac proinde a nobis recedentes ad vos deberent rebaptizari, quod tamen non fit. Sed respondet S. Aug., inanem hanc objectionem esse, idque probat exemplo hominis adulti, qui Baptismum in

vera Christi Ecclesia ficte accipit; is enim nec Spiritum sanctum, nec gratiam recipit, quin idcirco debeat repeti Baptismus : *Sicut*, ait loc. cit. c. 12. n. 19., *in illo qui fictus accesserat, fit ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit* : unde inferebat S. Doctor : ergo et Baptismus collatus ab hæreticis potest esse verus ac validus, et tamen infructuosus; qui tamen tunc fructuosus fit, cum ad fidem veram convertitur. *Cum*, inquit ibid., *se correxerit, et ad Ecclesiæ societatem unitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa ei reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate prodesse jam incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Quod idem repetit constanter L. 3. de Bapt. contr. eosd. Donatist. c. 13. n. 18. *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint..... ut..... propter pacem intus operetur salutem.* Ac L. 6. c. 5., tum alias. Accedit auctoritas D. Thomæ hic. q. 69. a. 10. et Theologorum consensus.

Respondet 1°. Scotus, S. Aug. solum velle, quod Baptismus eo casu reviviscat ad remissionem solius pœnæ temporalis. Vel, ut alii, ad causandas gratias actuales.

Verum *contra est*, quod S. Doctor nunquam de pœna loquatur, sed semper de culpa, remissione peccatorum : hoc sacramentum *incipere prodesse ad remissionem peccatorum*. Deinde gratis asseritur, Baptismum reviviscere in ordine ad unum effectum, et non ad alterum. Demum si Baptismus non reviviscat, ut causet gratiam habitualem, qua ratione probari poterit, quod reviviscens causet gratias actuales? Sed ex mente S. Doctoris reviviscere dicendus, ut gratiam habitualem causet; quia inquit, eum prodesse ad *remissionem peccatorum*; sed hæc per gratiam habitualem fit.

Respondent 2°. alii, scopum S. Aug. contra Donatistas solum fuisse, ut ostenderet, Baptismum cum fictione susceptum non debere repeti; sed ad hoc sufficit, quod remoto obice ad justificationem prosit solum indirecte et negative, per modum conditionis. Ac ideo quoque S. Pater speciali ratione non probat, quod postea gratiam ex opere operato producat.

At *contra est*, quod, etsi præcipua fuerit controversia S. Aug. inter et Donatistas de validitate Baptismi in hæresi vel schismate suscepti, ea tamen occasione verbis perspicuis hanc Baptismi reviviscentiam in ordine ad causandam gratiam asseruit, arguendo ad hominem, quasi dixisset : si Baptismus ficte susceptus a Catholico valeat, et non iteretur, quia sublata fictione suum exerit effectum; ergo nec in hæresi, vel schismate receptus, debet iterari; quia abjurata hæresi, et deposito schismate exerit effectum suum.

Respondent 3°. S. Doctorem velle, quod sublata fictione Baptismus prosit eatenus, quatenus saltem facit, sacramentum Pœnitentiæ esse validum, quo deinde originale peccatum remittitur; vel quod Baptismus tunc, extra sacramentum Pœnitentiæ, cum contritione præstet ut hæc remittantur peccata.

Sed *contra est* 1°., quod remissionem peccati S. Doctor non Pœnitentiæ, sed ipsi Baptismo tribuat : quod *tunc incipiat valere* (Baptismus) *in remissionem peccatorum, operetur salutem*, etc. 2°. Falsum est, sacramento Pœnitentiæ originale remitti unquam, quod solum gratiam resuscitativam confert, non

regenerativam. Nec 3°. contritione perfecta, ut votum Baptismi includit, tunc originale dici potest remitti; nam Baptismo semel valide suscepto cum iterari non possit, ejus suscipiendi votum fas esse non potest, cum, quod nec facere, nec fieri licet, nec desiderare liceat.

88. *Prob. II.* Ratione. Qui Baptismum suscepit ficte, si postea concipiat contritionem perfectam, vel suscipiat sacramentum Pœnitentiæ cum attritione supernaturali, hic, ut certum est, justificationis gratiam consequitur; liberatur a peccato originali, omnibusque actualibus tum ante Baptismum, tum ejus susceptione commissis: atqui hoc non consequitur vi sacramenti Pœnitentiæ, sed Baptismi; ergo sublato obice reviviscit Baptismus.

Prob. min. 1°. Juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, etc., omnes regenerari debemus ex sacramento Baptismi; gratia vero, quam confert sacramentum Pœnitentiæ, non est regenerativa, ut ante dictum. 2°. Juxta Conc. Trid. Sess. 6. c. 4. *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ... sine lavacro, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus*, etc.; sed ab eo, qui non vere, sed ficte baptizatus est, non potest Baptismus repeti; nec admitti potest ex dictis votum Baptismi suscipiendi; ergo necesse est, translatio illa Baptismi prius suscepti virtute fiat, isque per consequens reviviscat. 3°. Peccatum originale, atque actualia ante Baptismum, vel in hujus susceptione commissa non sunt materia sacramenti Pœnitentiæ; tum quia non sunt subjecta clavibus ac jurisdictioni Ecclesiæ; sicut enim Ecclesiæ nulla in nondum baptizatum competit jurisdictio, sic nec in peccata ante Baptismum commissa; tum quod diserte Trid. doceat Sess. 14. c. 1. et 2. sacramentum Pœnitentiæ nonnisi pro peccatis post Baptismum commissis institutum esse.

89. *Dico II.* Probabilius etiam est, sacramenta Confirmationis, Ordinis, imo Matrimonii, et Extremæ Unctionis ficte suscepta, recedente fictione reviviscere. Ita rursum communis sententia contra Scotum, Vasquez, paucosque alios.

Prob. I. De Confirmatione et Ordine, argumento sumpto ab exemplo Baptismi; ideo namque Baptismus dicitur reviviscere, quia per hoc sacramentum Christus præbere remedium adversus peccatum originale voluit, quo hoc deleretur, et causaretur sacramentalis gratia, etsi tantummodo post hoc remedium poneretur dispositio necessaria ad consequendum sacramenti effectum; ne videlicet homo, cum Baptismus iterari non possit, gratia baptismali, et huic annexis actualibus adeo necessariis perpetuo privatus maneret: sed etiam auxilia gratiæ, quæ conceduntur vi Confirmationis ad fidem fortiter, constanterque profitendam, sunt admodum necessaria; et quæ conferuntur vi Ordinum, summe sunt necessaria ad rite obeunda ministeria Ordinibus propria: ac cum insuper sacramenta hæc iterari nequeant, sequeretur alias, hominem perpetuo his gratiis cariturum. Accedit, quod argumentum Augustini pro Baptismi reviviscentia, eodem modo procedat de Confirmatione et Ordine, eo quod sacramenta hæc non minus opus ex se sanctum sint, sanctificans et semen Christi perpetuo in homine incorrupto

perseverans, ob characterem indelebilem; quo argumento de charactere et Doctor Angelicus utitur; ergo pariter dicenda sunt, recedente vel sublata fictione, reviviscere.

Prob. II. De Extrema Unctione et Matrimonio a paritate rationis; ideo enim sacramenta, quæ characterem imprimunt, dicuntur sublata fictione reviviscere; quia iterari non possunt, ac nisi reviviscerent, nunquam obtineri posset gratia alias his sacramentis propria; etsi enim hæc duo sacramenta non sint initerabilia simpliciter, sunt tamen secundum quid; Matrimonium quidem durante eodem conjugio, Extrema Unctio durante eadem infirmitate; igitur et pariter videntur reviviscere, ne secus conjux toto Matrimonii tempore careat gratia ad Matrimonii statum adeo necessaria; ac infirmus, eadem perdurante infirmitate, existat privatus gratia maxime necessaria ad insidias dæmonis in agone ultimo et tentationes superandas.

90. Paulo aliter tamen de sacramentis Eucharistiæ ac Pœnitentiæ judicandum videtur. Utrum sacramentum Pœnitentiæ reviviscat? ab ea quæstione pendet, an dari possit sacramentum Pœnitentiæ validum et informe? Quod probabilius multi negant. Supposito tamen facto posse sacramentum hoc validum esse et informe, hoc quoque reviviscere videtur perquam probabile; est enim sacramentum hoc post Baptismum graviter relapsis necessarium necessitate medii; ergo, si dari possit validum et informe, etiam probabiliter reviviscit; si enim in dato supposito non reviviscerет, sequeretur, peccatum mortale a baptizato commissum remitti posse sine sacramento Pœnitentiæ, ejusque voto; non enim peccatum remitteretur per illud reipsa susceptum, et postea reviviscens, ut supponitur; sed neque per votum illius, quia contritio perfecta post confessionem valide peractam, eamque ex supposito validam, non est votum sacramenti Pœnitentiæ, cum homo hæc peccata non teneatur rursum confiteri; rei autem non præceptæ non tenemur habere votum.

Eucharistia vero suscepta cum fictione, saltem formali ac positiva, non videtur reviviscere, quia pro hujus reviviscentia non stant rationes hactenus allatæ pro sacramentis cæteris; ideo enim hæc recedente fictione reviviscunt ad causandam gratiam, quia vel necessaria sunt ad salutem necessitate medii, ut Baptismus, et relapsis Pœnitentia; vel quia aut simpliciter, aut pro certo statu iterari non possunt; at nulla ex his rationibus pro sacramento Eucharistiæ pugnat, quod non est ad salutem necessarium nisi necessitate præcepti, ac præterea potest facile, sæpeque iterari. Deinde non videtur credibile, quod sacerdos, qui longis annis celebravit sacrilege, in vitæ fine vere contritus simul obtineat gratiam omnem, quam accepisset, si toto priori tempore digne celebrasset.

Nec refert, quod sacramentum hoc sit inter omnia præstantissimum, ac quælibet causa in suo genere habens completam virtutem operandi, remoto obice operetur; ac proinde æque Eucharistia, ac sacramenta alia, videatur posse reviviscere: etsi enim sacramentum præstantissimum Eucharistia sit; non tamen idcirco tribui eidem effectus debent, ad quos probabilius non est a Christo instituta. Hinc et causa in suo genere etsi completam operandi virtutem habeat, non tamen idcirco operatur effectus quoslibet, sed eos tantum, ad quos efficiendos vel a natura sua, vel aliunde ordinata est.

91. *Dices* 1°. Non datur sacramentum validum et informe; ergo etiam sacramentum reviviscens dari non potest. *Prob. Ant.* Sacramentum hoc ipso est invalidum, quando falsa est significatio formæ : atqui dum ficte suscipitur sacramentum, falsa est significatio formæ; sensus enim formæ est : ego tibi de præsenti confero gratiam, quæ tamen non confertur; ergo.

R. *N. Ant. et prob. min.* Etsi enim non semper conferatur gratia, quando profertur forma sacramentalis; semper tamen vera est hujus significatio, quia habet sensum virtualiter conditionatum hunc : confero tibi gratiam, si sis rite dispositus, vel, quantum est ex parte virtutis sacramenti; hinc forma manet vera, quando hic et nunc non confertur gratia, quia hoc non ex defectu virtutis in Sacramento, sed ex conditione subjecti oritur. Pariter si dicas : sacramenta gratiam determinate et de præsenti significant, etiam quo tempore ficte suscipiens non est capax gratiæ.

R. Hinc *D.* Significant gratiam simpliciter quoad substantiam *C.* quoad modum *N.* Quoad hunc non significant absolute, sed sub conditione requisitæ dispositionis, vel amotæ fictionis.

92. *Dices* 2°. Opus mortuum, h. e. in statu peccati mortalis factum non reviviscit, sicut opera bona, licet de cætero meritoria sint; in statu tamen peccati mortalis exercita nunquam reviviscunt ad meritum gratiæ et gloriæ : atqui sacramentum ficte susceptum est opus mortuum; ergo.

R. *C. M. D. min.* Sacramentum ficte susceptum, ut est opus hominis, est opus mortuum *C.* ut est opus Dei, vel Christi *N.* Hinc est disparitas quoad alia opera mortua. Opus aliud meritorium in statu peccati mortalis exercitum est mortuum simpliciter; proinde et nunquam reviviscere potest. At indigna sacramenti susceptio licet sit opus mortuum, imo mortiferum; ipsum tamen sacramentum, ut est opus Christi, in se vivum et sanctum est, habetque ex Christi meritis vim sanctificandi, ubi obex vitæ et sanctitatis recesserit, instar causæ meritoriæ, ac sicut corpus grave cessante impedimento causat motum. Hinc neque tenet hic Reg. 18. J. in 6. *Quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescit;* quia sacramentum in præsenti casu est validum ab initio; proinde licet tunc non exerat virtutem, dum confertur, exeret tamen recedente impedimento.

93. *Dices* 3°. Si post Baptismum ficte susceptum homo peccet, et deinde cum attritione accedat ad sacramentum Pœnitentiæ, in hoc casu deberet causari gratia tam a sacramento Pœnitentiæ præsente, quam a Baptismo reviviscente : at hoc dici non potest. *Prob. min.* Quia gratia causata a Baptismo est incompossibilis non solum cum peccatis ante, sed etiam post Baptismum; ergo Baptismus deleret peccata post Baptismum admissa, quod dici non potest. Pariter gratia collata vi sacramenti Pœnitentiæ est incompossibilis etiam cum peccatis ante Baptismum commissis, et ipso originali; ergo et hoc sacramentum illa deleret, quod certo falsum est.

R. *N. min. Ad prob. N. Cons.* Etsi quilibet gradus gratiæ sit incompossibilis cum peccato gravi quolibet; Deus tamen in hoc casu eodem signo concurret cum sacramento utroque ab causandam eamdem realiter gratiam; sic tamen, ut, quatenus est a Baptismo, deleat directe solum originale ac peccata Baptismum præcedentia; quatenus vero est a Pœnitentia,

remittat directe peccata sola post Baptismum secuta; sicuti enim dicimus, visionem beatificam e. g. realiter esse tam ab intellectu, quam a lumine gloriæ, sed formalitatem vitalitatis respondere intellectui, formalitatem supernaturalitatis lumini gloriæ, quatenus sine intellectu non haberetur vitalitas; nec supernaturalitas sine hoc lumine; ita eadem gratia causaretur a sacramento utroque, ut tamen, qua deletiva peccati originalis est aliorumque ante Baptismum, respondeat Baptismo; qua deletiva peccati est post Baptismum commissi, sacramento Pœnitentiæ.

Si dicas : sed in casu, quando tollenda est fictio formalis, sacramentum Pœnitentiæ prius natura produceret effectum suum, quam Baptismus; ergo adhuc peccata remitteret ante Baptismum contracta. *Prob. Ant.* Prius natura debet tolli fictio formalis, ut Baptismus operetur gratiam, quia recessus impedimenti prius natura intelligitur, quam introductio formæ: sed fictio formalis non potest tolli, nisi per gratiam; est enim peccatum mortale sacrilegii; ergo si sacramentum Pœnitentiæ tollat fictionem, prius natura producet gratiam.

R. *N. Ant. Ad prob. D. Ant.* Prius natura debet tolli fictio in ratione voluntarii, ut operetur Baptismus *C.* in ratione maculæ *N.* Et sic *D. min.* Fictio in ratione culpæ et maculæ non potest tolli, nisi per gratiam *C.* in ratione voluntarii *N.* Rationem *Maj.* etiam *D.* Recessus impedimenti negativi prius natura intelligitur, quam introductio formæ *C.* positivi *N.* Nimirum sicut in physicis, et in exemplo allato fit, carentia dispositionis ultimæ est impedimentum negativum, et prius natura abesse debet ad formam novam; forma prior autem in materia est impedimentum positivum; attamen prior natura est introductio formæ novæ, quam veteris expulsio: ita hic peccatum fictionis est impedimentum positivum, si spectetur secundum maculam, et se habeat ut forma præcedens in materia; secundum rationem voluntarii habet se ut carentia dispositionis ultimæ ad formam subsequentem, scilicet gratiam, sive ut impedimentum negativum; quo proinde prius natura sublato, tunc pro eodem signo causat utrumque sacramentum gratiam, ut dictum numero præced.

94. *Dices* 4°. Quando tollitur fictio adæquata Baptismi, is reviviscit; sed in illo, qui Baptismum cum obice tantum negativo suscepit, etsi postea peccarit graviter, adæquata fictio per attritionem tollitur, quia in hoc casu illa in sola attritionis omissione consistebat. *Conf.* Peccatum, quod post Baptismum admittitur, non potest esse gratiæ baptismalis impedimentum, quia hoc in sola dispositionis ad Baptismum prærequisitæ omissione consistit.

R. *D. M.* Si sola fictio negativa post Baptismum perseverans sit impedimentum baptismalis gratiæ *C.* si præter fictionem negativam accedat impedimentum novum illius gratiæ, antequam reviviscat Baptismus *N.* Sic *D. min. et N. Cons.* In casu dato gratia baptismalis obtineri non potest, nisi peccatum commissum postea deleatur; cumque hoc materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ sit, deleri non potest, nisi vel per sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam; adeoque nec aliter tolli potest impedimentum reviviscentiæ Baptismi.

Ad Conf. R. *D.* Impedimentum gratiæ baptismalis prout conferendæ per actualem susceptionem Baptismi non potest esse peccatum postea commis-

sum *C.* prout conferendæ per Baptismum in hoc casu reviviscentem *N.* Responsio intelligitur ex dictis num. præc., et colligetur amplius ex seq.

95. *Dices* 3°. Vel igitur ad sacramentorum reviviscentiam requiritur attritio, vel contritio perfecta, aut sacramentum Pœnitentiæ. Non 1um.; quia in hac providentia nullum peccatum remittitur sine sacramento Pœnitentiæ vel in re, vel in voto. Non 2um.; quia sic non esset necessaria reviviscentia sacramenti.

R. Subinde sola supernaturalis attritio sufficit; subinde vel sacramentum Pœnitentiæ, vel contritio perfecta requiritur. Hinc 1°. ut Baptismus (eadem est proportionaliter de aliis ratio) ficte cum obice tantum negativo susceptus reviviscat ad remissionem peccati originalis, aliorumque personalium ante Baptismi susceptionem commissorum, sola sufficit attritio, si post Baptismum homo non peccarit mortaliter, quia hoc casu impedimentum adæquatum gratiæ baptismalis est carentia illius dispositionis necessario prærequisitæ, quæ requirebatur ad percipiendum cum fructu sacramentum; ergo si postea ea dispositio ponitur, omne tollitur impedimentum gratiæ: sed dispositio requisita et sufficiens in peccatore adulto ad obtinendam baptismalem gratiam est attritio; ergo. Deinde peccata personalia ante baptismum commissa eatenus solum sunt obex gratiæ, quatenus manent voluntaria: atqui per attritionem tolluntur in ratione voluntarii; hæc enim illorum retractatio est; ergo.

2°. Ut reviviscat sacramentum Baptismi, et tollatur obex negativus in eo, qui post Baptismum talem peccavit de novo lethaliter, non sufficit ad obtinendam baptismalem gratiam ponere dispositionem ante omissam, vel attritionem, sed requiritur necessario vel contritio perfecta, vel attritio cum sacramento Pœnitentiæ; ut vult Theologorum communis cum Doctore Angel. hic q. 69. a. 4. ad 3. Ac ratio est, quia ad delendum mortale post Baptismi susceptionem commissum necessario necessitate medii requiritur sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto, quia Baptismus institutus non est ad delenda peccata post ipsum commissa; sed hæc clavibus et jurisdictioni Ecclesiæ subdita sunt. Et regula generalis est a plerisque recepta: quodcumque sacramentum reviviscens plus non præstat, quam præstitisset, si absque fictione susceptum fuisset, quia per reviviscentiam præcise restituitur in statum, in quo fuisset, si obice caruisset.

3°. Neque sufficiens est attritio, ut tollatur obex culpabilis, sive privativus ille sit, sive positivus; sed contritio perfecta, vel sacramentum Pœnitentiæ requiritur. Ratio fere eadem est, quæ præcedentis; cum enim hic obex, sive ista fictio sit in se peccatum sacrilegii, ipsumque sacramentum, e. g. Baptismum liget et impediat, non potest tolli aliter, quam contritione perfecta, vel attritione cum sacramento Pœnitentiæ. Contra hoc postremum

Si dicas: Fictio illa non est peccatum posterius Baptismo; ergo potius per hunc reviviscentem tollitur, quia homo ante Baptismi consummationem nondum est subditus Ecclesiæ.

R. 1°. *D. Ant.* Non est posterius Baptismo tempore *C.* natura *N.* Fictio enim illa ipsum Baptismum impedit, quominus operetur gratiam; prius vero natura est, esse Baptismum, quam Baptismi impediri virtutem. Loquimur vero de fictione non inchoata, sed consummata: si quis enim fictionem

inchoatam retractaret ante Baptismi momentum ultimum, hæc non esset materia sacramenti Pœnitentiæ, sed deleretur a Baptismo. Unde

R. 2°. aliter *D*. Fictio illa inchoata non est peccatum Baptismo posterius *C*. consummata, *subd*. non est peccatum posterius tempore *C*. natura *N*. Consummatur autem in instanti reali terminativo intrinseco ultimo Baptismi; pro quo instanti prior natura solum est Baptismus, adeoque et character; hunc enim fictio non impedit; ergo et pro priori naturæ ante fictionis consummationem homo fit subditus Ecclesiæ; ac proinde peccatum fictionis consummatæ subjectum est Ecclesiæ clavibus.

ARTICULUS VIII.

AN ET QUÆNAM SACRAMENTA IMPRIMANT CHARACTEREM, QUÆQUE HUJUS NATURA?

96. *Præmitto*. Character ex græco fonte desumptum nomen est, significatione generali notam importans, vel signaculum, quo unus vel distinguitur ab alio, vel ad certum deputatur munus. Inde character militaris veteribus nota fuit corporalis, militibus imprimi solita. Hic a Theologis juxta Trid. Sess. 7. Can. 9. atque jam ante illud, pro signaculo quodam spirituali sumitur per sacramentum animæ indelebiliter impresso, quo fideles specialiter deputantur ad ea, quæ cultus divini sunt. Negarunt characterem sacramentalem temporum posteriorum novatores Wicleffus, Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores, eum nonnisi novum esse Innocentii III. inventum asserentes. Inter Catholicos Doctores quoad naturam duntaxat characteris hujus litigium est. Plerique cum Doctore Angel. 3. p. q. 62. a. 2. in 0. inhærentes proprietati verborum, quibus characterem Trid. describit, per hunc qualitatem physicam intelligunt. Scotus illum in relatione reali reponit; Durandus in relatione rationis, ac denominatione extrinseca, quæ a deputatione divina oritur, qua homo destinatur ad certas functiones sacras. Quam, Durandi præsertim, opinionem, sunt qui errori dictorum Novatorum omnino affinem autument; at, ut Vasquesio aliisque videtur, immerito. Novatores enim illi Confirmationem et Ordinem e sacramentorum albo expungunt, non Durandus: isti characterem ceu inventum Innocentii explodunt; secus iste: etsi igitur non æque commode hujus opinio conciliari possit cum catholico dogmate; potest tamen absolute, ac proinde proscripta dici non potest; permisso enim gratis, characterem non esse absolutum quid, sed relationem aliquam, sive realem, sive rationis, adhuc absolute loquendo posset dici indelebilis, quia hæc relatio est perpetua; item impressus, inhærens; sic enim et macula dicitur permanere in anima, licet actus peccaminosus transierit; etsi multorum consensu nihil sit aliud, quam peccatum moraliter adhuc perseverans. Cæterum

97. *Dico I*. Datur character sacramentalis; isque per tria duntaxat sacramenta imprimitur, Baptismum, Confirmationem et Ordinem. Est de fide, Catholica sententia clare definita in Conc. Trid. Sess. 7. Can. 9. Idemque ante tradidit Florent. in Decr. Union.

Sunt, qui conclusionem probant ex quibusdam Scripturæ textibus: 2.

Cor. 1. 21. *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad Ephes. 1. 13. *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Et c. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Signum enim, inquiunt, illud, ac pignus Spiritus est character per sacramenta Baptismi et Confirmationis impressus. Perlubenter fundamenta hæc suo valori, quem tenent apud Theologos quosdam, relinquimus. Verum hos ipsos textus SS. Patrum non pauci S. Chrys., Ambros., Hieron.; item Theodoret., imo S. Thomas relati a Suarez ad q. 63. S. Thom. a. 1. et 3. et Disp. 11. Sect. 1., etsi alias characterem supponant et admittant, in sensu litterali de interiori per gratiam unctione et consignatione, quæ pignus Spiritus sancti et hæreditatis æternæ est, exponunt; alii hanc probationem ex Scriptura sacra præcise petitam ceu decretoriam non habent. Unde conclusio præcipue ex altera fidei regula, quæ est traditio,

Prob. I. Hoc modo: Datur character sacramentalis, supra descriptus, si constet ex traditione Ecclesiæ perpetua, per quædam sacramenta imprimi signum distinctum, tum ab externo sacramentali ritu, tum ab interna gratia, quod animæ inhæreat indelebile; ac fideles discernat a cæteris, efficiatque, ut sacramenta hæc iterari non possint: atqui constat ex traditione Ecclesiæ perpetua per sacramenta quædam imprimi ejusmodi signum; ergo. *Maj.* certa ex iis, quæ de traditione, altera fidei regula Tract. de Princ. Theol. dicuntur, hic supponitur. Unde

Prob. min. Ex perpetuo Patrum consensu. Sic S. Dionys. Areopag. de Eccles. Hier. c. 2. part. 3ª. §. 4. ait, Deum accedenti ad Baptismum sui participationem tradere, h. e. gratiam, quæ est naturæ divinæ participatio ethica; et addit, *propriæque lucis, instar signi cujusdam participat.* Unde D. Thomas in 4. dist. 4. q. 1. a. 1. ait: *a Dionysio prima traditio characteris nobis advenit.* Immerito excipiunt quidam scriptores Protestantium, Librum de Eccles. Hier. non esse S. Dionysii Areop., sed alterius cujusdam, ut ex speciali Dissert. tractatui de sacramento Eucharistiæ addenda constabit.

S. Cyrillus Præfat. in Catecheses n. 16.: *Magnum sane est,* inquit, *propositum Baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati... signaculum sanctum et indelebile.* Ubi recenset Baptismi effectus, inter quos signaculum, seu characterem indelebilem, distinguit aperte et a gratia, et ab externo sacramenti ritu.

SS. Chrysost. et Epiphanius, hic hæres. 8. (opp. t. 1. p. 19.), ille hom. 2. in epist. ad Ephes. n. 2. (opp. t. 11. p. 9.) docent nos in anima signari per Baptismum, quomodo Judæi in corpore per circumcisionem signabantur; sicut igitur circumcisionis signum in corpore corporale fuit, ac perpetuum; sic istud Baptismi in anima spirituale est et perpetuum.

S. Ambrosius L. 1. de Spir. sancto c. 6. *Etsi,* inquit, *specie signemur in corpore, veritate tamen signamur in corde;* ubi scite duplex signum, exterius in ritu sacramenti externo, et interius in charactere distinguit.

S. Augustinus, quo vix aliquis aut luculentius, aut frequentius characterem expressit, epist. 23. (al. 98. n. 7.): *Consecratio,* inquit, *reum facit hæreticum, extra Domini gregem habentem Dominicum characterem.* Epist. 50. (al. 185. n. 43.) interroganti Donatistæ cur non iterum baptizaretur ad

St. Albert's College Library

peccatorum ablutionem, respondet: *Quia non facio injuriam characteri imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.* Vides, hic a S. Patre characterem supponi indelebilem; ideoque iterari Baptismum non posse. Tract. 5. in epist. 1. S. Joan. n. 6. *Ecce,* inquit, *accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus. Sacramentum habet, et magnum sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile... attendat tamen in cor, si perfectum est ibi, quod factum est in corpore: videat si habet charitatem... si non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* Similia habet alibi L. 6. contr. Donatist. c. 1., Tract. 6. in Joan. n. 16. Ac demum cum contra Donatistas constanter probet, malos juxta ac probos verum Baptisma recipere, hocque nec amitti, nec iterari posse; cum igitur, qui ficte recipit, non recipiat gratiam, ipse autem Baptismi actus fluat, et transeat; sequitur ex S. Doctoris mente, esse quid aliud, quod recipiunt mali, inque his indelebiliter permanet; sed hoc quid aliud, quam character est?

Hinc sequitur, evidenti errore ac falsitate ab adversariis Protestantibus inventionem characteris primum Innocentio III. tribui; sed hic, cap. *Majores* de Baptismo, hac nixus certa traditione, de charactere non ut re a se noviter inducta, sed de qua constet in Ecclesia, loquitur, ut uberius constabit solutione objectionum. Inde et definitionis Concilii Trid., tum decreti Eugenii IV. in Concil. Flor. elucet veritas, hac perpetua traditione innitentium. Ex eodem vero fundamento

98. *Prob. II.* Constanter Ecclesia ab ætate sua prima tenuit, docuitque, Baptismum, Confirmationem et Ordinem valide semel suscepta amplius iterari non posse, ut constat ex consensu Patrum et praxi Ecclesiæ utriusque tum orientalis, tum occidentalis, nunquam approbantis, sed detestantis, vetantisque horum sacramentorum iterationem; sed aptior hujus ratio reddi nequit, quam quod tria hæc sacramenta præter gratiam imprimant characterem. Certe hæc ratio S. Aug. fuit, cur in relapsis iterari Baptismum nollet, citati supra: *quia non facio injuriam characteri imperatoris.* Eamdem quoque reddit de apostatis et hæreticis ad Ecclesiam Catholicam redeuntibus, L. 6. contr. Donatist. c. 1., quos corrigi quidem, non rebaptizari vult, utpote in quibus *character Dominicus agnoscatur potius, quam mutetur.*

Neque dicant Adversarii: Etsi Baptismus characterem non imprimeret, eum tamen reiterari non debere aliis ex rationibus, velut 1°. quia est janua in Ecclesiam, in quam semel ingressus non potest amplius ingredi; 2°. quia Baptismus ad delendum originale institutus est, quod est unicum; 3°. quia est signaculum fœderis, et per illum vita æterna promittitur; ergo inde, quod repeti non possit, male infertur, quod characterem imprimat; 4°. quia est regeneratio; ergo sicut homo corporaliter nascitur semel, ita spiritualiter semel renascitur.

Nam etsi ex aliis quoque rationibus posset ostendi, Baptismum reiterari non posse; propterea tamen non excludenda ratio a charactere sumpta, cum hæc potissima sit, eamque solam assignent Patres et Ecclesia. Sed nulla ex allatis rationibus est solida; nam 1°. Ecclesiæ janua, quæ rite baptizatis aperitur, iisdem factis apostatis ac desertoribus, si reverti velint, rursum aperienda est; juxta orthodoxos quidem tantum per Pœnitentiam, sed

cur non juxta adversarios per Baptismum novum? 2°. Qui ad Baptismum ficte accedit, ab originali non mundatur, non commoritur Christo, non regeneratur, nec tamen rebaptizatur, cum resipiscit. 3°. Tale fœdus, ac vitæ æternæ promissio etiam Eucharistia est; ac tamen potest sæpius repeti. 4°. Sæpe potest homo spiritualiter mori; cur ergo non renasci per Baptismum, sicut per Pœnitentiam?

99. *Dico II.* Character sacramentalis non est pura relatio rationis, nec realis; sed quid reale et absolutum est.

Ratio 1ae. *part.* est 1°. quia juxta Concilia Flor. et Trid. character est *signum* spirituale, quod *imprimitur,* animæ *indelebiliter inhæret*; sed hæc singula nonnisi admodum improprie, ac abusive de relatione rationis, ac denominatione mere extrinseca dici possunt; ergo non recte dicitur relatio rationis, præsertim quod Ecclesiæ definientis verba debeant sumi in sensu alias naturali et proprio, ne secus definitiones aliæ sic eludi possent. Etsi proinde Durandi sententia non adversetur adeo fidei; ideo tamen aspernanda videtur, quod non satis apposita sit communi Ecclesiæ loquendi modo. 2°. Relatio rationis resultat ex sacramento quolibet, sicut et denominatio mere extrinseca; nec tamen sacramentum quodlibet characterem imprimit. 3°. Trident. voluit definire existentiam characteris, quem negabant Novatores: atqui non est verosimile, eos negasse denominationem quamdam extrinsecam, sicque relationem rationis, quæ per se ex deputatione alicujus ad quodvis munus resultat, sicut et baptizatus semper denominationem baptizati retinet; ergo.

Ratio 2ae. *part.* est, quod hujus relationis nequeat assignari fundamentum, quod in Scoti sententia notant omnes; non enim illius fundamentum dici potest anima; vel ejus potentia aliqua, aut facultas, cum alias nemo non haberet characterem; nec ipsa gratia aut dona; quia etiam sine his in illis qui ficte accedunt, character imprimitur; nec demum sacramentalis actio; quia hæc transit charactere remanente; relatio autem realis sine fundamento suo proximo remanere non potest. Deinde character produci, imprimi dicitur; at hæc prædicata relationi non conveniunt, quæ positis fundamento et termino resultat.

Ratio 3ae. *part.* per se ex dictis sequitur; nihil enim superest aliud, servatque insuper proprietatem verborum definientis Ecclesiæ, cui saltem tantum debetur reverentiæ, ut verba ejusdem sumantur naturali usu, quamdiu nihil vere inconveniens sequitur, quale hic non habetur. Unde character ad categoriam qualitatis pertinet. Num vero sit primæ speciei qualitas, scilicet dispositio, vel habitus; non quidem talis, qui frequentatione actuum facilem reddat potentiam; sed qualitas permanens, ac difficulter mobilis, quæ subjectum convenienter in suo esse disponit, ut pulchritudo? an vero secundæ speciei, scilicet potentia? controvertitur. Primum tuetur Suarez cum aliis, alterum alii.

100. *Obj. I.* negative. 1°. Characteris sacramentalis nusquam Scriptura sacra meminit, ut multi ex Catholicis ipsis fatentur recentiores Theologi cum Scholasticis antiquis; ergo male characterem definivit Concilium Trid. 2°. Apud Theologos veteres pariter ante Innoc. III., altum est de charactere

silentium; nihil de eo refert Petr. Lombardus Magister sententiarum; nihil Hugo Victor., etsi de sacramentis ex proposito scripserint.

3°. Quin ex antiquioribus Theologis plures hac in re dogma Protestantium tenuerunt, ut Scotus, Durandus; Gabriel Biel q. 2. a. 1. inquiens, se ex Script. et Patribus non posse reperire aliquod characteris fundamentum, sed hunc unice niti auctoritate Ecclesiæ. Ac Cajetanus in q. 63. S. Thom. a. 1. hanc Ecclesiæ traditionem non multum antiquam esse asserit, sed ex cap. *Majores* de Bapt. Innocentii III. probandam; ergo recte ab hoc summo Pontifice character sacramentalis inventus dicitur.

4°. In ipsomet usque adeo Concilio Trid., teste Pallavicino Concilii historico L. 9. c. 5., quidam contendebant, articulum de charactere ut probabiliorem solummodo, ut Seripandus præsertim volebat, non ut certum esse declarandum.

Ad 1um. R. *Tr. Ant. N. Cons.* Ut enim Ecclesia possit definire aliquid, sufficit verbum divinum traditum; ex quo potissimum plura dogmata esse definita constat.

Ad 2um. R. 1°. *N. Ant.* Magister enim sententiarum jam ante Innoc. III. characteris meminit, L. 4. dist. 7. docens, Baptismum, Confirmationem et Ordinem reiterari non posse, quia per quamdam consecrationem conferuntur, quæ ratio ex S. Aug. desumpta characterem subindicat; quin dist. 24. expressam characteris mentionem facit, eumque nuncupat *signaculum quoddam sacrum*; cujus vestigia deinde secutus Petr. Pictaviensis Magistri sententiarum discipulus, et in Parisina Cathedra successor, quam annis fere 40. tenuit, de charactere impresso distincte dist. 24. velut de re a Magistro suo hausta certaque, mentionem ingerit.

R. 2°. Etsi etiam non meminissent Scholastici primi, quid inde? Meminerunt enim Patres Scholasticis multo antiquiores.

Ad 3um. R. *N. Ant.* Plerique ex laudatis Theologis non de existentia characteris, sed ejus natura disputant, ac modo, quo probandus esset. Admittendum esse characterem, ait subtilis Scotus in 4. dist. 69. q. 9., quem idcirco in relatione reali dicit consistere. Durandus in 4. dist. 4. q. 1. ait, profitendum esse characterem. Biel eumdem asserit; neque hoc vult, characterem non habere fundamentum in Patribus, sed dubitat, an qualitas absoluta sit: ac postquam non esse probasset, infert in 4. dist. 6. q. 2. a. 1. *Sic ergo patet, characterem ad hunc intellectum* (quod qualitas absoluta sit) *in quo accipitur a recentioribus, non esse ponendum*: aitque, præsumptionem esse negare characterem; nimirum quod clara Ecclesiæ definitio nondum existeret; secus dixisset, esse hæreticum.

Cajetani assertio falsa est; ex veteri enim illa controversia circa iterationem Baptismi collati ab hæreticis assertum suum inferebat, sicut et Spalatensis fecerat, characterem tum temporis fuisse incognitum. Sed absona plane ac distorta hæc est illatio; illi enim non negabant, characterem per Baptismum imprimi, quando hic verus ac ratus est; sed rebaptizantes negabant, qui proprius eorum error fuit, verum et ratum esse sacramentum Baptismi collatum ab hæretico; unde consequens erat, ut dicerent, nullum a Baptismo invalido characterem imprimi. Deinde constat character ex SS. Patribus quorum recitavimus testimonia; et vero unde Trident. Syno-

dus, nisi ex his hoc dogma hausit? Falsa igitur CAJETANI assertio nihil adversariis suffragari potest, ad ita asserendum principio falso decepti.

Ad 4um. R. ita esse : sed quid hinc eruant adversarii, non video; utrum aliquid divinæ traditionis sit, non a privati unius, alteriusque Theologi pendet opinione; sed a perpetuo sensu Ecclesiæ, in quem inquiritur ante quam proferatur definitio. Sciebat quidem SERIPANDUS, agnosci characterem ab omnibus; sed putabat solum, esse nonnisi Doctorum communem sententiam, ac proinde probabiliorem, eo quod non extaret definitio aperta Ecclesiæ; at contrarium senserunt Patres omnes reliqui; quorum proinde potius auctoritate utpote majore moveri oporteret adversarios, quam unius privati hominis.

101. *Obj. II.* Ex SS. Patribus. 1°. Primi Ecclesiæ Patres per characterem intellexerunt solummodo vel ritum sacramenti externum, vel unctionem interiorem per gratiam, sicque commode exponi possunt; ergo.

2°. Hoc sensu S. AUG. ipse characterem sumit 1°. serm. ad plebem Cæsareens. de Emerito Donatista n. 4. docens characterem exterius agnosci, et probari agnitum : sed si character signum spirituale esset, impressum animæ non posset agnosci exterius; ergo per characterem ritum sacramentalem intelligit. 2°. Serm. eod. fidem et invocationem SS. Trinitatis in Baptismo ait characterem esse : *Ego*, inquit n. 2., *quando venio ad fratrem meum, et colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : iste est character Imperatoris mei.* 3°. Ibid. si etiam Donatus baptizasset nomine suo, impressisset, inquit, characterem Donati: at talis character procul dubio nihil internum ac spirituale fuisset.

Ad 1um. R. *N. Ant.* Ut enim ex relatis supra Patrum sententiis constat, aperte dicunt, signum, sigillum imprimi indelebiliter; inhærere etiam apostatis et desertoribus; esse signum spirituale in anima : at hæc neque ritu sacramentali externo accipi possunt, utpote qui corpus solum afficit, nec permanens est, sed fluit, et transit; neque de gratia; hæc enim non manet in apostatis et desertoribus.

Ad 2um. R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. 1°. Vox *exterius* in AUG. non extat, sed ait solum : *agnoscimus.*

R. 2°. *D. min.* Non posset agnosci in se ipso immediate *C.* non in sua causa, scilicet Baptismo *N.*

Ad prob. 2am. ex S. Patre, rursum R. *D.* Invocationem SS. Trinitatis ait esse characterem metonymice, causam sumendo pro effectu *C.* secus *N.* Ut legenti contextum patet, S. Doctor solum intendit, omnes baptizatos debere esse baptizatos in nomine SS. Trinitatis, non vero in nomine Pauli, aut Donati, etc. Et hæc invocatio SS. Trinitatis est characteris impressi causa.

Ad prob. 3am. R. S. Doctor solum eo loco intendit probare, Baptismum habere vim suam a Christo solo, de quo dicitur : *hic est, qui baptizat;* proinde validum esse Baptismum a quocumque ministro, modo legitime collatum; quod hypothesi ab impossibili probat : si Donatus proprium baptismum suum conferret, suum esset characterem impressurus; verum hypothesin hanc ipsam S. AUG. neque probat, neque admittit.

102. *Obj. III.* Ex RATIONE. 1°. Juxta nos sacramenta quædam characte-

rem imprimunt quia iterari non possunt; et ideo non possunt iterari, quia imprimunt characterem; sed hoc est circulum committere vitiosum; ergo.

2°. Character est prorsus inutilis; ergo. *Prob. Ant.* Asseritur enim, quod sit nota quædam distinctiva; sed hoc sine ullo effectu; non enim serviet Deo ad discernendum hominem ab homine, quia Deus sine tali nota distinctiva omnia in se ipsis videt. Non Beatis; hi enim omnia vident in Verbo. Non demum hominibus, qui signa ejusmodi interna ac spiritualia videre non possunt. Denique sacramenta antiqua erant signa distinctiva fidelium; nec tamen imprimebant characterem. Item summus Pontificatus discernit S. Pontificem ab omnibus aliis; nec tamen characterem imprimit.

3°. Character partim asseritur ideo, quod sit nota quædam fixa ac permanens, per quam homo stabiliter consecretur Deo; sed hæc ratio inanis est. *Prob. min.* Quia sic per omnia sacramenta deberet imprimi character, eo quod per omnia homo deputatur ad cultum Dei, sicque suo modo consecratur Deo.

4°. Baptismus, Confirmatio et Ordo dicuntur imprimere characterem, quia iterari non possunt; at nulla etiam hæc ratio est; nam etiam tonsura prima non iteratur, nec Matrimonium cum eadem persona; neutrum tamen characterem imprimit. Idem est de abbatum benedictione.

5°. Immerito sacramentalis character dicitur indelebilis; ergo *Prob. Ant.* 1. Gratia enim, charactere longe perfectior, corruptibilis est; ergo multo magis character. 2. Religiosus Dei cultus, ad quem destinatur homo, qui characterem baptismalem accipit, cessat in inferno; ergo saltem non remanet character in damnatis; ideo enim et in iisdem habitus fidei et spei depereunt. 3. In cœlo etiam non manet potestas illa spiritualis ad conficienda et ministranda illa sacramenta, quam denotat character Ordinis; ergo nec character manet.

Ad 1um. R. *N. M.* Ratio enim a priori, cur quædam sacramenta iterari non possint, immediata et proxima est character : ratio autem a priori, cur detur character, voluntas Christi est, per illum nos ad speciale munus perpetuo destinantis, quam voluntatem nobis insinuat Ecclesiæ traditio perpetua. Solemus quidem deinde etiam characterem a posteriori probare inde, quia sacramenta quædam iterari non possunt; sed citra vitium circuli, quia hæc probatio est ex diverso causarum genere, quo modo sæpe alias causa per effectum, hicque per causam probatur.

Ad 2um. R. *N. Ant. Ad prob.* R. 1°. Ratio hæc partialis est; interim tamen admittitur et *N. min.* Etsi enim Deo, et forte Beatis ad hoc non necessarius sit; cognoscitur tamen ab illis, sicque pro signo distinctivo servit, quod iis, qui salvantur ad gloriam, damnatis ad ignominiam cedit.

Quoad addita, disparitas est 1°. Quoad sacramenta antiqua, quia character tantum designat aptitudinem subjecti ad participanda, vel communicanda bona spiritualia; nulla vero talia bona conferebantur per sacramenta antiquæ Legis; hinc etsi circumcisio esset janua ad sacramenta et bona alia Legis veteris, ut est Baptismus in nova Lege; quia tamen solum inducebat ad legalia bona, quæ recipiebantur in corpore, Baptismus e contra inducat ad recipienda interna bona et spiritualia; Judæis sufficiebat character carnalis impressus in corpore, Christianis e contra conveniebat spiritualem in anima characterem imprimi. Deinde aliunde constat, sacramenta nostra et longe excellentiora esse antiquis et magis efficacia.

2°. Quoad summum Pontificatum ; quia hic per se sacramentum non est ; ergo nec characterem debet imprimere.

Ad 3um. R. *N. min. Ad prob. N.* rationem cum D. Thoma 3. p. q. 63. a. 6. ; sed per ea tantum sacramenta imprimitur character, per quæ homo deputatur, vel potestatem accipit *ad agendum aliquid, vel recipiendum, quod pertinet ad cultum Dei* : atqui tria duntaxat hujusmodi sacramenta sunt ; sic per Baptismum potestatem passivam, vel idoneitatem accipit recipiendi sacramenta cætera ; per Ordinem, activam ea aliis ministrandi ; per Confirmationem, potentiam fidei hostibus resistendi. Ad nihil vero ejusmodi deputatur homo in sacramentis aliis.

Ad 4um. R. *N. min.* Tonsura prima nec sacramentum est, nec repugnat, eam absolute iterari ; quin olim illam iteratam fuisse in cujusvis susceptione ordinis Morinus refert part. 3. Sacr. Ordinat. Exercit. 15. Quod igitur nunc non iteretur, sola facit consuetudo Ecclesiæ. Matrimonium absolute sublato priori vinculo cum personis diversis iterari potest, quod satis est, ut characterem non imprimat. Benedictio abbatum ad sacramenta non pertinet, ejusque tota solemnitas, ac initerabilitas præcise habetur ab institutione Ecclesiæ, in cujus potestate non est, tribuere ritui alicui a se inducto vim imprimendi in anima tale spirituale signum indelebile.

Ad 5um. R. *N. Ant. Ad prob.* 1^{am}. *Disparitas* est, quod gratia, etsi charactere nobilior, habeat sui contrarium, scilicet peccatum ipsam demeritorie destruens ; sicut ergo liberum homini peccatum est ; ita ei libera est conservatio gratiæ. At character nullum sui contrarium et destructivum habet ; sed postquam essentialia sacramenti sunt posita, imprimitur inimpedibiliter, nullo postmodum peccato expellendus.

Ad prob. 2^{am}. R. *N. Cons.* Sufficiens enim ratio permanendi in damnatis, est, quod his ad confusionem sit. Aliud est de habitibus illis, quia hi ad justificationis gratiam, hujusque augmentum a Deo ordinati sunt, suntque actuum supernaturalium principia, quorum damnati incapaces sunt ; nihil tale characteri ex se non operativo convenit.

Ad prob. 3^{am}. R. *N.* pariter *Cons.* Quia in Beatis saltem ornamento est ; sicut, inquit Doctor Angel. hic q. 63. a. 5. ad 3., militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his, qui vicerunt, ad gloriam ; in his, qui victi sunt, ad pœnam.

DISSERTATIO II.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS CAUSIS INTRINSECIS ET EXTRINSECIS, ET SUBJECTO.

Intrinsecæ sacramentorum novæ Legis causæ eorum constitutiva sunt, materia et forma. Extrinseca efficiens, de qua potissimum agendum superest, est vel *principalis*, et institutrix dicitur, estque Christus; de qua jam actum Dissertat. I. cap. 1. art. 5.; vel *secundaria*, quæ ministerialis appellatur, sive efficiens proxima, estque sacramenti minister; deque hac sola deinceps, ac causa intrinseca; tum demum de subjecto hac Dissertatione II. de sacramentis in genere disseremus.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS CAUSIS INTRINSECIS, SIVE MATERIA ET FORMA.

Etsi sacramentum non sit proprie totum, vel compositum physicum ex partibus inter se physice unitis constans, sed totum, vel compositum morale, sicque unum quid analogice, quatenus scilicet constat ex pluribus, rebus et verbis, morali quadam unione sibi cohærentibus, ac habentibus proportionem et similitudinem aliquam ad partes totius partim physici, partim artificialis; nihilominus ut quid simile composito physico a Theologis plerisque considerari solet; ac sicut in hoc constitutiva ejus materia et forma rationem causæ intrinsecæ sustinent, ita ad similitudinem in hoc composito morali, sacramento; 1°. enim ut in composito physico præcedit materia, et accedit forma; ita in sacramento verbum accedit ad elementum: 2°. Ut materia compositi physici ex se indeterminata et indifferens determinatur a forma; ita in sacramento indifferentiam elementi verbum determinat: 3°. Ut materia compositi physici est imperfecta, forma autem perfecta, utpote dans esse rei; ita in sacramento verba perfectiora sunt rebus, cum sint signa clariora longe et præstantiora. De rebus igitur ut materia; de verbis ut forma sacramenti hoc capite agemus.

ARTICULUS I.

AN OMNIA SACRAMENTA NOVÆ LEGIS CONSTENT REBUS UT MATERIA, ET VERBIS UT FORMA?

103. *Præmitto.* Materia in sacramentis alia dici potest *ex qua*; alia *circa quam*. Prior est illa, ex qua ipsum constat sacramentum; posterior ea dicitur, circa quam sacramentalis versatur actio. Sic panis et vinum secundum substantiam in sacramento Eucharistiæ est materia circa quam, non ex qua, quia cum per consecrationem destruatur panis et vini substantia, hæc nequit esse materia Eucharistiæ, ex qua constet, cum hæc debeat actu existere.

Porro materia ex qua alia *remota*, alia *proxima* est, saltem in quibusdam sacramentis. Sic materia remota Baptismi est aqua; proxima vero ablutio; et universim ea actio, per quam materia remota applicatur. Materia tamen remota ex qua, et materia circa quam, quæ etiam dici remota solet, sunt remotæ diverso modo; nam prior aliquo modo ipsam ingreditur compositionem sacramenti, non posterior; nam e. g. peccata in sacramento Pœnitentiæ, quæ sunt materia circa quam, sacramentum Pœnitentiæ non componunt.

Nomine rei tandem hic vel substantia aliqua sensibilis dicitur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione, etc.; vel saltem actus aliquis, aut actio sensibilis, prout contradistincta est a verbis, et per hæc determinabilis; ut ablutio in Baptismo, unctio in Confirmatione, actus pœnitentis in sacramento Pœnitentiæ. Verborum nomine intelliguntur vel verba formaliter talia, sive articulatæ voces, quibus forma sacramenti exprimitur; vel æquivalentia, ut nutus, aliaque signa verbis oralibus æquivalentia.

104. *Dico.* Omnia novæ Legis sacramenta constant ex rebus et verbis, et quidem ceu materia et forma, ac ut intrinsecis et essentialibus. Ita communis et certa cum D. Thoma q. 60.

Pars 1ª. constat ex Concilio Flor. in Decr. Union., ubi ait: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conficientis sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.*

Nititur hæc Florentini decisio passim auctoritate Scripturæ sacræ, sacramentis singulis res et verba assignantis; Baptismo ad Ephes. 5. 26. *Mundans* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*; et Matth. 18. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Eucharistiæ Matth. 26., ubi panis ponitur cum verbis: *Hoc est corpus meum.* Confirmationi Actor. 8., ubi cum impositione manus oratio. Extremæ Unctioni Jac. 5. rursum unctio et oratio. Pœnitentiæ Joan. 20. *Quorum remiseritis,* etc. De Ordine et Matrimonio nihil quidem in Scriptura sacra expressum legimus; at ex traditione habetur, quam explicuit Florentinum. Ratio a priori voluntas Christi est, cujus congruentias quasdam proponit Doctor Angelicus q. 60. a. 6.

Pars 2ª. quod sacramenta nova constent rebus et verbis, ceu *materia* et *forma*, hinc patet, quia illud habet rationem materiæ, quod est determinabile et perfectibile ad certam speciem; illud vero rationem formæ, quod est determinativum et perfectivum alterius : sed in omnibus novæ Legis sacramentis res per verba determinantur; de se enim indifferentes sunt ad significanda plura, per verba vero determinantur ad unum : sic aqua, vel ejus affusio de se indifferens est, ut significet ablutionem, eamque a corporali macula, vel refrigerationem. At cum accedunt verba : *ego te baptizo*, determinatur ad significandam ablutionem, eamque spiritualem. Eodem modo se res habet in sacramentis cæteris. Unde S. Aug. Tract. 80. in Joan. n. 3. *Detrahe*, inquit, *verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*

Pars 3ª. sequitur ex præcedenti; materia enim et forma sunt partes intrinsecæ, essentiales compositi cujusvis, sive naturalis et physici, sive moralis. Unde D. Thomas in 4. dist. 1. q. 1. a. 3. ad 2. inquit universaliter : *Verba et res sunt de essentia sacramenti.* Item : *Sacramenta fiunt ex materia et forma, sicut Christus ex Verbo et carne.* Ac 3. p. q. 90. a. 2. in 0. ait, *quodlibet sacramentum distingui in materiam et formam, sicut in partes essentiæ.*

Dixi in Conclusione : *et verbis*, h. e. formalibus, solo excepto Matrimonii sacramento, quod etiam per verba æquivalentia posse perfici inde suadetur, quod Christus elevando Matrimonium ad dignitatem sacramenti illud reliquerit in statu contractus humani legitimi, qui non necessario verbis formalibus, sed et æquivalentibus, nutu, signis perfici et celebrari potest.

105. *Obj. I.* Ex Concilii. 1°. Concilium Flor. non dicit, sacramenta componi rebus et verbis; sed tantum *perfici*; ergo non sequitur ex Florent. res et verba esse partes intrinsecas.

2°. Trident. Sess. 14. c. 3. actus pœnitentis, contritionem et confessionem, vocat *quasi* materiam sacramenti Pœnitentiæ; ergo non habent in hoc sacramento reipsa rationem materiæ.

Ad 1ᵘᵐ. R. *D. Ant.* Non dicit hoc explicite *C.* non implicite *N.* Non ideo dicitur, res et verba esse partes sacramentorum essentiales et intrinsecas, quia Concilium dicit, hæc illis perfici præcise; sed quia dicit, perfici rebus ut materia, et verbis ut forma; hæc vero sicut in composito physico, sic in morali essentialia sunt. Cur vero Concilium potius dixerit *perfici*, quam componi, ratio est; quia loquebatur non solum de rebus et verbis, sed etiam intentione ministri, quæ probabilius sacramentum non constituit; sed se habet tantum ut requisitum essentiale, quia, quidquid componit intrinsece compositum heterogeneum, debet esse, vel se habere ut materia, vel forma, ut patet inductione compositorum omnium tum naturalium, tum artificialium : atqui sacramentum est compositum heterogeneum; intentio autem ministri neque se habet ut materia, neque ut forma; est enim ipsa voluntas adhibendi materiam et formam, proinde has antecedens; ergo.

Ad 2ᵘᵐ. R. *D.* Vocat quasi materiam, quia non sunt quid entitative materiale, ut est materia in aliis sacramentis, e. g. aqua in Baptismo *C.*

quatenus non sunt quid incompletum, informe, ac determinabile ad significandam et causandam sacramentalem gratiam *N*.

106. *Obj. II.* in specie de sacramento Eucharistiæ : In sacramento Eucharistiæ fallere videtur conclusio ; ergo.

Prob. Ant. 1°. Verba ministri, licet etiam in aliis sacramentis, præsertim tamen in Eucharistia habent rationem causæ efficientis sacramentum, ut colligitur ex Concilio Flor. : sed causa efficiens non constituit intrinsece suum effectum ; ergo.

2°. Verba ministri hoc sacramentum conficientis non significant gratiam per hoc sacramentum conferendam, quia non ad recipientem, ut fit in sacramentis aliis, sed tantum ad significandum corpus et sanguinem Christi diriguntur ; ergo nec intrinsece hoc sacramentum constituent.

3°. Etiam verbis desinentibus, et transeuntibus, Eucharistiæ sacramentum permanet ; ergo hæc illius constitutiva esse non possunt.

4°. Eucharistia habet rationem cibi, servatur in ciborio, defertur ad ægrotos, manducatur : sed nihil eorum accommodari verbis potest ; ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D. M.* Sunt causa efficiens Eucharistiæ partialiter, vel denominative, et præcise quoad materiam suam proximam sumptæ *C.* sumptæ quidditative pro toto illo, quod est a Christo assumptum ad significandam sensibiliter realem corporis sui et sanguinis sub speciebus panis et vini præsentiam *N.* Eucharistia enim sic sumpta verba pro forma habet sibi essentiali et intrinseca. Causa igitur efficiens non potest quidem effectum suum constituere intrinsece ; potest tamen effectui a se producto conjungi, cumque eodem constituere compositum, ut fit in physicis. Sic etiam, qui videt, simul est causa et pars hujus concreti, *videns.*

Ad 2um. R. *D. Ant.* Non significant gratiam, si præcise spectentur secundum significationem naturalem, et quam habent ab institutione hominum *C.* si secundum illam quam in hoc sacramento habent ex institutione Christi *N.* Secundum hanc etiam significant gratiam. De hoc plura, ubi de hoc sacramento in specie.

Ad 3um. R. *D. Ant.* Desinentibus verbis Eucharistiæ sacramentum permanet quidditative sumptum *N.* denominative sumptum *C.* Physice quidditative non manet sacramentum Eucharistiæ, sive secundum omnes prorsus partes ; sed tantum manent species, corpus et sanguis Christi, quæ partes nobiliores denominantur sacramentum. Respondent etiam alii, manere verba, non physice quidem, sed moraliter.

Ad 4um. R. *D. Ant.* Habet rationem cibi, etc. sumpta denominative, secundum partem suam primariam corporis Christi *C.* sumpta quidditative, sive secundum se totam sumpta *N.* Quidditative sumpta autem est complexum, involvens insuper verba.

107. *Obj. III.* quoad sacramentum Pœnitentiæ. 1°. Sacramentum hoc nonnisi verbis perficitur ; ergo. *Prob. Ant.* ; nam 1. significatio effectus sacramenti in hoc sacramento in absolutione sita est, quæ verbis constat ; hæc enim sola remissionem peccatorum significat, scilicet ut in judiciis aliis liberationem sola significat sententia judicis. 2. Si confessio et contritio

pœnitentis sint etiam hujus sacramenti partes; ergo et laici illius ministri essent; qui enim ponit partem sacramenti, ejus etiam minister est; sic enim in Matrimonio contrahentes ministri sunt: sed consequens est falsum; nam ad solos sacerdotes dictum fuit Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*; ergo.

2°. Quin etiam confessio pœnitentis, quæ sacramenti hujus materia proxima dicitur, fit verbis; ergo.

Ad 1um. R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D.* Significatio principalis effectus in hoc sacramento, et explicita, in absolutione sita est *C.* tota *subd.* quæ habetur ab institutione humana *C.* quæ habetur ab institutione divina *N.* Colligitur ex Trid., quod Sess. 14. c. 3. ait: *Docet præterea S. Synodus, sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: ego te absolvo,* etc. Igitur vis significandi gratiam principalis ac præcipua in forma continetur; non tamen omnis, si præsertim spectetur institutio Christi, qui et rebus, sive actibus pœnitentis hanc vim inesse, licet minus principaliter, voluit hoc ipso, quod eos voluerit esse sacramenti partes, ut eos vocat Trid. ibid. Aliud est de judiciis aliis, in quibus tantum significatio ex institutione humana, non ex divina habetur.

Ad prob. 2am. R. *N. seq.* Quia, ut quis sacramenti minister dicatur, non sufficit ponere aliquam sacramenti partem, materiam; sed necesse est, ut ponat formam, quam hic solus judex, sacerdos ponit; in omni enim sacramento qui minister est, concurrere debet nomine Christi secundum specificam rationem sacramenti; cum vero Pœnitentiæ sacramentum ad modum judicii institutum sit, specifica in eo concurrendi ratio est, ut concurrat more et modo judicis, quod facit sacerdos solus. In Matrimonio dispar est ratio, quia in hoc contrahentes ipsi materiam et formam simul ponunt, juxta dicta de hoc sacramento cap. 2. art. 5.

Ad 2um. R. *D. Ant.* Et hæc confessio fit verbis, ut est materia proxima adæquata hujus sacramenti *N.* tantum ut inadæquata *Tr.* Ad materiam adæquatam etiam dolor internus, sive contritio pertinet, ut constat ex Florent. et Trid. citatis; dolor vero internus per confessionem externam sensibilis redditur.

108. *Obj. IV.* 1°. Sacramenta antiqua non constabant simul verbis tanquam forma; ergo neque nova; hæc enim successerunt antiquis.

2°. Etiam sacramentum ex significatione ceu forma componitur; ergo non tantum verbis ut forma. *Prob. Ant.* Sacramentum enim est quoddam artefactum morale in genere signi; sed omne signum ad placitum ex re significante tanquam subjecto, et significatione tanquam forma componitur. Deinde sacramentum est signum ex instituto; ergo per aliquam formam constitui debet in ratione talis signi: sed alia assignari non potest, quam significatio; ergo.

3°. Materia et forma compositi debent uniri simul; sed in sacramentis novæ Legis res et verba non semper simul uniri debent; sic e. g. in Baptismo verba subinde nonnihil præcedunt, aut subsequuntur: item in Pœnitentia absolutio confessionem subinde tardius subsequitur.

Ad 1um. R. *C. Ant. N. Cons. Disparitas* est. De antiquis non habetur par fundamentum idem asserendi. Dicitur quidem Levit. 4. de sacrificio pro pec-

cato aliorum de populo, quod orare debeat sacerdos; at orationem hanc probabilius non habuisse rationem formæ, inde videtur evinci, quod similis oratio non requireretur in sacrificio, quod sacerdos offerebat pro seipso. Contrarium constat ex dictis de sacramentis novis. Rationem additam pariter *D*. Successerunt antiquis, sed ratione significandi clariore et perfectiore *C*. eadem *N*. Illa antiqua umbræ erant; nostra autem lux sunt.

Ad 2um. R. *D. Ant.* Sacramentum integre et reduplicative sumptum, ut signum, ex sacramentali significatione ceu forma, rebus vero et verbis ceu materia componitur *C*. specificative sumptum *N*. Primum solum evincitur ratione probationis. At specificative sumptum rebus ut materia, verbis ut forma consistit. Nimirum sicut in quovis artefacto alio, ut statua, potest considerari duplex compositio; una in ipso ligno ex materia et forma ligni, ex quibus compositum est lignum naturale; altera ex toto ligno et forma artificiali statuæ; sic quoque in sacramento.

Ad 3um. R. *D. M.* Materia et forma compositi physici debent uniri simul, ac quidem physice *C*. quia unio physica esse non potest sine actuali coexistentia partium unitarum : compositi moralis *subd.* debent uniri simul simultate physica *N*. morali *C*. Hæc autem moralis unio in morali tantum simultate, sive propinquitate tali consistit, ut secundum moralem æstimationem, et communem usum actionum similium censeantur esse simul. Hæc tamen unio et simultas moralis non est eadem in sacramentis omnibus : In Eucharistia simultas illa est maxima : In Baptismo, Confirmatione, Ordine et Extrema Unctione res non debet finiri ante inceptionem verborum, nec contra; falsa enim alias foret ministri actio : In Matrimonio, ut in contractibus : In Pœnitentia, ut in judicio humano accusatio tempore præcedit absolutionem, et promissio ac traditio acceptationem; modo in his sacramentis prudenter censeatur forma cadere super materiam, et fieri unum. Quænam vero mutatio materiæ aut formæ obstet sacramenti valori, Theologia Moralis pertractat.

ARTICULUS II.

UTRUM VERBA SACRAMENTORUM SINT PROMISSORIA ET CONCIONATORIA, AN CONSECRATORIA ?

109. *Præmitto.* Quæstio hæc cum altera controversia de sacramentorum causalitate connectitur; hic vero velut proprio in loco, scholarum more, pertractanda est. Dupliciter vero potest intelligi : 1°. an in omni sacramentorum collatione adhiberi debeat et præmitti ceu essentialis sacramenti pars, concio aliqua divinæ promissionis explicativa : 2°. an verba, quæ rationem formæ in sacramentis habent, promissoria sint et concionatoria, non autem consecratoria? Utrumque a Protestantibus asseri videtur; primum quidem non æque a singulis, sicut secundum.

Verba autem, quæ in sacramentis formæ munere funguntur, vocant 1°. *promissoria*, vel quod promissiones divinas in se contineant; vel et maxime, quod illas factas revocent in memoriam, earumque quasi sigilla sint. 2°. *Concionatoria* appellant, quod alta voce prolata excitent justificationis a Deo promissæ fidem in audientium mentibus, quæ fides deinde sola

justificationis causa sit, uti dictum de causalitate sacramentorum. 3°. *Consecratoria* autem hoc uno sensu dici posse concedunt, quod rem in sacramentis a profano usu ad religiosum et sacrum transferant; nullatenus vero quod simul efficiant id, quod significant, nimirum gratiam. In quo ultimo capitalis eorum a Catholicis differentia intelligitur. Adultis enim necessaria rerum illarum scientia nondum imbutis concionem, h. e. instructionem adhiberi debere, non quidem quasi pars esset sacramenti, facile permittunt Catholici, juxta illud : *docete, baptizantes.* Pariter posse verba in sacramentis dici divinarum promissionum sigilla et pignora; illa etiam aliquo sensu concionis vices subire excitando objective fidem, pietatem, ut suo loco ex Catechismo Romano observavimus; ac tandem verba res a profano usu transferre, ut, si in his solis controversia hæreret, hæc tota esset de solo nomine. At præter hæc plus exigunt Catholici, scilicet verba in sacramentis esse præcipue consecratoria, quatenus simul vere efficiunt, scilicet gratiam, quam significant.

110. *Dico I.* Ad nullius sacramenti collationem tanquam pars essentialis præmitti vel adhiberi concio debet, quæ sit divinarum promissionum, tum quarumvis, tum de sacramentorum institutione, vel effectu explicatio.

Prob. I. Ex S. Scriptura, quæ dum sive de Baptismo, sive Eucharistia loquitur, nusquam mentionem facit habendæ concionis; quin officium baptizandi ab officio prædicandi, vel concionandi distinguit, ut, dum 1. Cor. 1. 17. ait Apostolus : *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Et vero si verba concionatoria essent in sacramentis, instituta ad excitandam divinæ promissionis fidem, pro forma potius illa adhibenda essent. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc.* ac in Eucharistia : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc.* quam ista : *Ego te baptizo in nomine Patris, etc. : Hoc est corpus meum.* Cum enim hæc divinam promissionem explicite non contineant, sed potius priora; hæc magis præ illis ad excitandam fidem facerent.

Prob. II. Certum est, Baptisma hæreticorum, etsi quoad mysterium SS. Trinitatis errarent in fide; si tamen formam proferrent integram, semper ab Ecclesia agnitum fuisse validum, nec tales baptizatos transeuntes ad Ecclesiam Catholicam fuisse rebaptizatos, ut constat ex Can. 8. et 19. Concilii Nicæni I. et S. Augustino L. 3. de Bapt. contra Donatistas c. 15. dicente, integrum esse sacramentum, si Evangelicis verbis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti fuerit consecratum, sive a Marcione, sive Ario, sive Eunomio, sive Valentino; qui singuli de SS. Trinitate sentiebant hæretice, ac proinde circa formam Baptismi; ergo dicendum, vel nullam essentialiter ante sacramentum concionem requiri; vel dicendum, etiam concionem hæreticam : et blasphemam fuisse partem essentialem sacramenti, quod sine blasphemia nova dici non potest.

Prob. III. Recte et bene adversariorum consensu baptizantur infantes et amentes: sed his nec adhibetur concio, nec adhiberi potest, qua in ipsis justificationis promissæ excitetur fides; ergo vel horum Baptismus esset invalidus, vel illa concio non est de sacramenti essentia.

Respondet Calvinus 1°. Etsi Baptismus tunc non prosit infantibus, profutu-

rum tamen suo tempore, cum ad rationis usum pervenerint, ut significationem possint intelligere. Verum

Contra est 1°. Si concio est de essentia Baptismi, deberet ab infantibus actu percipi, sicut eosdem aqua debet attingere. 2°. Multi infantes moriuntur antequam ad rationis usum perveniant, ut proinde ex habita concione nec quidquam utilitatis consequi, nec intelligere significationem possint.

Respondet 2°. Concionem, si non prosit infantibus, saltem prodesse adstantibus. Sed

Contra est 1°. Quod fieri possit, ut præter baptizantem et baptizandum nemo alius præsens sit. 2°. Sacramenta non celebrantur ob circumstantes, sed ad utilitatem suscipientium. 3°. Manebit igitur, parvulum ipsum ex tali Baptismo nihil fructus percipere, quod omnium hominum rationem ferit. Item manebit hoc alterum, infantes inutiliter baptizari. Similia vide alia de Causal. Sacrament.

111. *Dico II.* Verba sacramentorum, quibus forma constat, sunt vere consecratoria, sic, ut consecrent, et sanctificent elementum vel rem, ac etiam efficiant id, quod significant, sive gratiam.

Prob. I. Auctoritate S. Scripturæ, et Patrum, a quibus constanter verba sacramentorum vocantur consecratoria, nunquam promissoria, aut concionalia. Sic 1. Cor. 10. 16. Eucharistiam vocat calicem *benedictionis* Apostolus: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Sic Act. 22. 16. Baptismus conferri dicitur *invocatione* nominis Christi: *Exurge, baptizare, et ablue peccata tua invocato nomine ipsius,* scilicet Christi. Sed per verbum benedictionis, invocationis, non aliud intelligitur, quam verbum consecrationis. Hinc S. Ambros. L. 4. de Sacram. c. 4. n. 14. inquit, *per consecrationem de pane fieri carnem Christi.* S. Gregor. Nyss. orat. Catech. c. 37. (opp. t. 3. p. 104. C.) *Dei verbo sanctificatum panem, et in Dei Verbi corpus credo transmutari.* S. Aug. L. 3. de Bapt. contra Donatistas c. 10. n. 15. : *Baptismus Christi,* ait, *verbis Evangelicis consecratur.* Et L. 5. c. 20. asserit ad verba ministri, Deum oleum sanctificare; et paulo infra, a Deo exaudiri deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur. S. Cyril. Hierosol. Catech. 3. n. 3. ait, *aquam simplicem per Spiritum sanctum, Christi et Patris invocationem, sanctitatem consequi.* Nemo vero unquam promissionis, vel concionis usus nomine reperitur.

Prob. II. Eadem ratione, qua Conclusio præcedens, sumpta tum ex Baptismo hæreticorum, formam servantium, valido semper habito in Ecclesia; tum a Baptismo infantium. Quibus adde: ab ipsis adversariis validum haberi Baptisma Catholicorum, etsi hi concionalibus non utantur verbis, nec de concione, ceu essentiali aliquo sacramenti cogitent; sed hi rebaptizandi essent, si quando ad castra adversariorum transeant, si verba concionalia essent de essentia sacramenti.

112. *Obj. I.* Ex S. Scriptura. 1°. Christus Matth. ult. 19. præcepit Apostolis, docere gentes, et baptizare: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* ergo Baptismum prædicatio, vel concio præire debet.

2°. 1. Petr. 3. inquit S. Petrus : *Vos nunc similis formæ salvos fecit Baptisma ; non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum.* Ubi, dum interpres latinus vertit *interrogatio*, textus græcus habet *stipulatio*, quæ vox pactum significat, quod scilicet baptizatus init cum Deo ; igitur verba sacramentalia verba pacti, vel promissionis sunt.

3°. Ad Ephes. 5. 25. ait Apostolus : *mundans* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ* ; sed hoc verbum vitæ non aliud est, quam concionis, ipso ita interpretante Hieron. Comment. in epist. ad Ephes., per verbum vitæ doctrinam intelligi ; ergo.

Ad 1um. R. *D. Cons.* Præire debet concio tanquam pars, vel essentiale requisitum Baptismi *N.* tanquam præparatio ad Baptismum cum fructu percipiendum *C.* Doctrina et instructio præire debet Baptismum respectu adultorum, non tanquam essentiale quid sacramenti, cum apud infantes non habeat locum; sed quia adulti rerum fidei notitia prius imbuendi, sicque ad Baptismum præparandi sunt.

Ad 2um. R. *N. Cons.* Verus enim Apostoli sensus est, quod Baptismus salvos faciat, quos abluit ; non equidem sordes abluendo corporis, quod tantum in Lege veteri baptismata poterant ; sed abluendo sordes animæ, quam mundationem interiorem exprimit per conscientiæ bonæ interrogationem ; vel, si ita contendas, per stipulationem, quia baptizatus, quasi inito cum Deo pacto, hunc sibi, seque Deo obstringit, cum Baptismi susceptio sit quædam totius Christianæ Legis servandæ professio, sicut olim circumcisio Legis veteris. Vide etiam de hoc textu dicta num. 47.

Ad 3um. *N. min.* Per *verbum vitæ* Apostolus invocationem SS. Trinitatis intelligit, juxta illud : *baptizantes eos in nomine Patris, etc.* ; non vero illud : *docete* ; sicque hunc locum exponunt S. Chrysost., Theophylact. apud Bellarm. hic, solo excepto Hieron., qui vero loc. cit. fatetur ipse, se hæc non de sacramento Baptismi, sed in sensu tropologico de qualibet purgatione loqui, quæ quomodocumque haberi per doctrinam potest.

113. *Obj. II.* Ex SS. Patribus. 1°. S. Aug. Tract. 80. in Joan. n. 3. in illa Christi verba : *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, diserte inquit : *Quare non ait, mundi estis propter Baptismum, quo loti estis, sed ait, propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat ? detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum* ; ergo juxta S. Patrem tota vis mundandi in Apostolis fuit a verbo concionis a Christo habitæ ; estque adhucdum.

2°. Tract. eod. ibid. *Unde*, inquit, *ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo ; non quia dicitur, sed quia creditur* : atqui fides ex concione habetur ; unde subdit : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus ; quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, etc.* ; quæ rursus verbum concionale denotant.

3°. S. Ambros. L. de Mysteriis c. 4. n. 14. *Aqua*, ait, *sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est... Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum..... ita et in hunc fontem sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam* ; ergo.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Apposite enim S. Pater notat, Christum dixisse :

vos mundi estis propter verbum, et non *propter Baptismum*, quia in omni mundatione vis mundandi a verbo oritur : nam si mundatio fiat extra sacramentum, debet adesse fides actualis; *fides autem ex auditu; auditus autem per verbum Christi.* Rom. 10. 17. Si vero in sacramento fiat, necesse est, accedat verbum consecrationis. S. Aug. igitur hoc Tract. generatim loquitur de omni verbo, per quod mundatio fit; hinc pro utroque verbo S. Scripturæ colligit testimonia tum pro concionali, tum sacramentali, vel consecratorio. Per verbum vero, quod *in aqua* mundat, consecratorium intelligit, 1°. quia ait, per hoc verbum ipsam aquam consecrari; hoc enim important clare : *detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua?* Concio etenim, etsi in audientium mente operari fidem possit, in ipsa tamen nihil operatur; unde et juxta adversarios ideo requiritur concio, vel verbum concionale, ut excitetur fides. 2°. Quia ait, verbum hoc ad elementum accedere; sed juxta adversarios concio præcedere debet.

Ad 2um. R. *Explico* 1um. *textum* cum *D.* Non quia dicitur, sed *quia creditur* actu et formaliter *N.* quia creditur objective *C.* Non hoc vult S. Doctor, nullam vim inesse verbis sine fide actuali, cum contra Donatistas multis probet, valere Baptisma sine fide datum, et sine fide receptum; sed, ut ex contextu patet, scopus S. Aug. est, docere, quod verbum vim mundandi in Baptismo non habeat a solo sono, sed ob mysterium fidei, quod sua significatione exprimit, scilicet invocationem SS. Trinitatis. Unde sensus est : *non quia dicitur,* h. e. secundum exteriorem sensibilem vocis sonum; sed *quia creditur,* h. e. secundum sensum verborum, qui sola fide percipitur et tenetur; ita enim statim S. Doctor explicat semetipsum, rationem subdens; *nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.*

Ad alterum textum R. Hæc revera iterum verbum concionale denotant; sed falsum, quod hoc ibi exigat Baptismum; nam, ut dictum, eod. Tractatu 80. in Joan. de verbo generaliter loquitur, modo de concionali, modo de sacramentali et consecratorio, ut ostendat, mundationem omnem a verbo oriri; quin tamen sit in verbis S. Doctoris æquivocatio; quia utriusque verbi characteres sic semper distincti sunt, ut nullus possit decipi. Quare dum sic tandem concludit : *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait. Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, hæc Christi verba non restringit præcise ad sermonem post ultimam cœnam habitum; sed intelligit de verbo generatim, ut sensus sit : vos mundi estis propter verbum meum, sive quod me concionante audivistis, sive quo in Baptismo mundati estis.

Ad 3um. R. *N. Cons.* Per prædicationem enim Dominicæ crucis S. Ambros. verbum consecratorium intelligit, nullatenus concionatorium; alioquin non ibid. dixisset : *In hunc fontem sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit;* concio enim non ad fontem sed ad audientes dirigitur. Hæc igitur Dominicæ crucis prædicatio est invocatio SS. Trinitatis, quæ, ut applicatur Baptismo, crucis efficacitatem commendat. Unde ipse Ambrosius de sacram. L. 2. c. 5. n. 14. *Venit sacerdos*, inquit, *precem* (non concionem) *dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii et Spiritus sancti : utitur verbis cœlestibus. Cœlestia verba quæ? Christi sunt, quod baptizemus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et de mysteriis c. cit. n. 8. *Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas... summum sacerdotem interrogantem et consecrantem* (non concionantem). Et vero, admissa adversariorum

sententia semper ante Baptismi collationem præire deberet concio de S. Christi cruce, quod nec unquam fecit Ecclesia; nec ipsi sustinebunt cultus ac laudis S. crucis minime amici.

114. *Obj. III.* Ex Ratione. 1°. Sacramenta sunt signa sacra, quæ in cognitionem alterius rei sacræ debent suscipientem deducere: sed hoc fieri nequit, nisi per verba concionalia excitetur fides; ergo. 2°. In infantibus reipsa excitatur fides; ergo non tenet argumentum petitum a Baptismo infantium. *Prob. Ant.*; nam 1. ait Aug. serm. 14. de verb. Apost. (al. serm. 294. c. 18. n. 17.): *Absit ut ego dicam, non credentes infantes.* 2. quia alias patrini mentirentur, dum nomine infantis respondent: *Credo*; ergo credunt infantes miraculose, ut ait Lutherus; ad hoc elevati, sicut S. Joannes Baptista in matris utero.

Ad 1um. R. Sunt signa sacra, quæ debent suscipientem deducere in cognitionem alterius actu *N.* potentia *C.* Sacramenta enim sunt signa præcipue practica, quæ efficiunt id, quod significant, etiam sine rei significatæ notitia, ut constat ex Baptismo infantium et amentium, aut collato in periculo mortis etiam adulto petenti, quando nondum debite instructus est. Unde et Ecclesia instructionem et doctrinam præmisit respectu adultorum solum præparationis causa.

Ad 2um. R. *N. Ant. Ad prob.* 1^{am}. R. S. Doctor ait credentes infantes nomine et actu proprio *N.* alieno *C.* Statim namque addit Augustinus: *Jam superius disputavi, credit in altero, qui peccavit in altero.*

Ad prob. 2^{am}. R. *N. Ant.* Nec enim mentiuntur patrini; sicque respondendo non intendunt significare, quod infantes credant actu proprio, sed alieno; scilicet ut S. Aug. serm. 10. de verb. Apost. (al. serm. 176. n. 2.) ait: *Accommodat mater Ecclesia* (infantibus) *aliorum pedes ut veniant; aliorum cor ut credant; aliorum linguam ut fateantur.* Illatio proinde Lutheri inane commentum est.

ARTICULUS III.

AN MATERIÆ ET FORMÆ SACRAMENTORUM OMNIUM NOVÆ LEGIS SINT A CHRISTO DETERMINATÆ? ET QUOMODO?

115. *Præmitto.* Præsens controversia inde potissimum nata est, quod Ecclesia pro variis temporibus videatur diversis usa ritibus fuisse, ac præsertim, quod sacramentum Ordinis alio ritu conferatur a Græcis etiam Catholicis, quam Latinis; unde videtur consequi, quod vel Christus non determinarit sacramentorum omnium materiam et formam, vel in his quædam immutarit Ecclesia. At

116. *Dico I.* Christus aliquo modo determinavit sacramentorum omnium materiam et formam. Est certa Theologorum omnium sententia.

Prob. I. Ex S. Scriptura, quæ, ut dictum Dissertat. præced. c. 1. a. 3., pro singulis sacramentis assignat aliquem ritum externum; ergo.

Prob. II. Ex perpetua traditione Ecclesiæ, et doctrina SS. Patrum non alium unquam sacramentorum auctorem asserentium, quam Christum;

quos retuli Dissert. I. c. 1. a. 5. Unde hoc ducitur argumentum : Christus est auctor sacramentorum novæ Legis; sed auctor compositi ille proprie dicitur, qui hujus materiam et formam instituit, et determinat; ergo.

117. *Dico II.* Non tamen determinavit sacramentorum omnium materias et formas eodem modo, sed alias magis specifice, alias magis generice.

Prob. In quibusdam sacramentis determinavit materiam quoad speciem infimam, et verba formæ quoad significationem plane singularem, in aliis vero quoad speciem subalternam, et quoad genus; formam autem quoad significationem latiorem; ergo. *Prob. Ant.* Sic in Baptismo pro materia remota determinavit aquam elementarem ablutioni aptam, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* : quæ est materiæ in specie infima determinatio. Pariter in hoc sacramento determinavit verba, quibus explicite significetur persona, quæ baptizatur; et ablutio facta a ministro cum expressa invocatione SS. Trinitatis, juxta illud Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* E contra pro materia remota sacramenti Eucharistiæ instituit speciem subalternam, panem triticeum, et vinum de vite; sive deinde panis sit azymus, sive fermentatus; sive sit vinum album, sive rubrum, Rhenanum, Franconicum, Burgundicum. In sacramento Ordinis, juxta ea, quæ de sacramento hoc in specie dixi, actionem determinavit externam magis genericam, per quam significetur collatio potestatis sacræ. In sacramento Matrimonii sufficere voluit verba, non tamen formalia, sed etiam virtualia; in cæteris vero sacramentis sex verba formalia requisivit; hæcque subinde in significatione latiore, ut in sacramento Ordinis; subinde strictiore, ut in Baptismi sacramento. Quin in sacramentis pluribus formam aliqua verborum phrasi determinatam a Christo non accepimus; sed ex divini auctoris institutione solum in genere quædam tradita est, ut in Pœnitentia verba remissionem peccati significantia; in Matrimonio expressiva consensus mutui; in Extrema Unctione oratio. Christus nimirum egisse videtur cum Apostolis modo, quo princeps agit cum ministris et legatis, quibus hic quidem certum negotium conficiendum determinat, verba vero in ipso adhibenda negotio in specie non præscribit.

118. *Obj.* Christus omnium sacramentorum materias determinavit in specie; ergo non alias magis specifice, alias magis generice.

Prob. Ant. 1°. Quia nullum est ex septem novæ Legis sacramentis, cui non expressa ac determinata materia assignetur a S. Scriptura, ut constat inductione; nam de Baptismo imprimis et Eucharistia hoc inter omnes convenit non solum quoad materiam, sed et formam; cæteris vero quinque, etsi non æque forma, materia tamen assignatur specifica; Confirmationi impositio manus Actor. 8. *Tunc imponebant manus super illos* : Ordinationi tum diaconorum impositio manus Actor. 6. 6. *Orantes imposuerunt eis manus*, tum presbyterorum, et episcoporum 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii* : Extremæ Unctioni oleum Jac. 5. : sacramento Pœnitentiæ confessio Joan. 20. : Matrimonio demum unio viri cum muliere, sive mutuus utriusque consensus. Ergo si quid materiæ accesserit Ecclesiæ usu, ut traditio

instrumentorum in Ordine, ad partes accidentales, vel ad summum integrales tantum pertinet; vel Ecclesia aliquid immutavit in substantialibus.

2°. Christus immediate ac per se singula Legis novæ sacramenta instituit, ut colligitur ex Concilio Trid. Sess. 7. Can. 1.; sed si Ecclesia determinasset in aliquo materiam in specie, non Christus illud instituisse dici proprie posset, sed tantum mediate per Ecclesiam; et hæc potius instituisse dicenda esset.

3°. Juxta Trid. Sess. 21. c. 2. Ecclesia nihil mutare potest quoad sacramentorum substantialia, seu partes essentiales; ergo nec determinare in specie materiam.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *N. Cons.* Non enim omnia, quæ ad sacramenta pertinent, in Scripturis expressa sunt, sicut nec omnium sacramentorum formæ; sed multa habentur ex traditione Ecclesiæ. Sic Apostoli leguntur Confirmationis sacramentum contulisse impositione manus; at ut dicemus suo loco ex SS. Patribus, non exclusa chrismatizatione. Pariter dum Apostoli sacramentum Ordinis contulerunt impositione manuum, non ideo hac usi sunt, quod eam Christus ipse in specie determinasset, sed, ut mox dicemus, cum Christus voluerit hoc sacramentum administrari per signum aliquod vel ritum, quo significaretur collatio potestatis sacræ, Apostoli tanquam signum hujus potestatis expressivum determinarunt impositionem manuum, ritum jam olim in Lege veteri usitatum.

Ad prob. 2am. R. *D. Ant.* Christus per se instituit sacramenta singula, pro singulis determinando materiam in specie *N.* sic enim certo singulis non determinavit formas; saltem determinando in genere materias *C.* Hoc jam sufficit, ut Christus dicatur instituisse per se singula, quod requisiverit aliquod signum in genere expressivum effectus, ac ejus deinde determinationem specificam reliquerit Ecclesiæ; hoc ipso enim, quod signo a se determinato in genere, et in specie determinando ab Ecclesia annexuerit gratiam ipse, vere ipse solus dici debet instituisse sacramenta; hoc enim proprie est sacramenta instituere, signo alicui dare vim conferendi gratiam, non vero quomodocumque materialiter signum eligere.

Ad prob. 3am. R. *N. Cons.* Quia semper salva manet sacramenti substantia, quoad servatur Christi institutio; servatur vero hæc, si signum a Christo in genere requisitum pro concessa sibi ab eodem libertate hoc determinet in specie, ut signum sit idoneum ad exprimendum effectum; unde, etsi hoc signum spectatum materialiter diversum sit a signo alio in specie pariter expressivo effectus; est tamen idem formaliter, quod satis est, ut salva dicatur remanere substantia.

119. *Dico III.* Etsi Ecclesia possit determinare, mutare accidentales quosdam sacramentorum ritus; nequit tamen immutare eorum materias et formas quoad substantiam, sive sub ea ratione, sub qua eas Christus instituit.

Prob. Ex Concilio Trid. Sess. 21. c. 2., ubi docet, hanc potestatem perpetuo fuisse in Ecclesia, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati magis expedire judicaret; per hæc: *salva illorum substantia,* clare indicat, non posse Ecclesiam mutare, quæ de sacramentorum substantia sunt, materias

nimirum et formas, quatenus eas Christus determinavit. Accedit, quod sacramenta vim suam omnem significandi et causandi præcise a Christo institutore habeant, qui illam materiis et formis, quantum has determinavit, annexuit; ergo ut determinatæ ab eo sunt, remanere debent, ne secus vim a Deo acceptam deperdant.

120. *Obj.* Ecclesia in variis mutavit materias et formas, adeoque substantialia; ergo.

Prob. Ant. 1°. Nam Baptismus olim conferebatur ab Apostolis solo invocato nomine Jesu, ut constat ex Actor. 2. et 8.; hodie vero non valet, nisi collatus invocatione trium divinarum personarum singillatim expressa. Item olim conferebatur per trinam immersionem, non sic hodie.

2°. Apostoli sacramentum Confirmationis sola olim manus impositione contulerunt, Actor 8.; nunc vero etiam confertur unctione chrismatis, cui quidem Græci ultra triginta immiscent aromatum species. Pariter forma sacramenti Pœnitentiæ, ut vult Morinus, in primitiva Ecclesia erat deprecatoria, jam vero est judicativa et absoluta.

3°. In Ecclesia latina sacerdos ordinatur per traditionem simul instrumentorum, calicis cum vino, et patenæ cum hostia sub hac forma : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, etc.* : postea per impositionem manuum Episcopi cum forma : *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris*, etc.; quarum forma prior exhibet potestatem in corpus Christi verum, sive consecrandi; altera in corpus Christi mysticum, sive absolvendi; olim vero per solam impositionem manuum peragebatur ordinatio, eaque tantum adhuc hodie utuntur Græci cum hac forma : *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, et quæ desunt, supplet, promovet venerabilem diaconum in presbyterum.* Idem argumentum circa diaconatum valet. Certum vero est, valuisse olim ordinationem istam, valereque etiamnum apud Græcos.

4°. Non mansit eadem materia in sacramento Matrimonii; ergo. *Prob. Ant.* Olim ante Trid. valuit contractus clandestinus; sed hunc invalidavit idem Concilium.

R. *N. Ant.* vel *D.* Mutavit materialiter et accidentaliter *C.* formaliter et substantialiter *N.*

Ad prob. 1am. R. *quoad* 1am. *part. N.* collatum fuisse Baptismum solo invocato Jesu nomine; sed dum baptizati dicuntur in nomine Jesu, idem sonat, ac Baptismo ab eodem instituto, vel auctoritate Christi, aut virtute; quod enim Apostoli conferendo Baptismum expresserint personas, ex Actor. 19. intelligere est, ubi, cum Ephesii dicerent : *neque si Spiritus sanctus est, audivimus*, quærebat ex iis Apostolus : *in quo ergo baptizati estis?* Ergo tunc baptizabantur in nomine Spiritus sancti; alioquin enim non recte collegisset Apostolus, eos ex Baptismo Spiritum sanctum scire debuisse. Sed de hoc plura, ubi de Baptismo in specie. *Quoad* 2am. *part.* R. : Ritus immersionis et infusionis nonnisi accidentaliter discrepant; cum utroque modo habeatur vera ablutio, quam solam requisivit Christus.

Ad prob. 2am. R. *quoad* 1am. *part. N. Ant.* Ut enim testantur Dionys. Areop., Clemens Rom., Tertul., Cyprian., Cornelius, aliique relati a Bellarm. de Confirm. L. 2. c. 8. Apostoli simul adhibuerunt chrisma, usi unctione chrismatis, ut nunc Ecclesia; hæc proinde, ut paulo ante dictum, Actor. 8.

non excluditur. *Quoad* 2am. *part.* pariter *N. Ass.* quod non sufficienter probatur a Morino. Sed etiam de utroque hoc sacramento plura suo loco leges; cum hæc ex instituto pertractare nondum hujus loci sit.

Ad prob. 3am. R. *N. Cons.* Neque impositio manuum juxta dicta antè determinate, nec traditio instrumentorum determinate fuit designata a Christo pro materia; sed in genere ritus externus, quo significaretur sacræ potestatis collatio. Similiter pro forma Ordinum non fuerunt instituta hæc vel illa determinata verba, sed aliqua collationem ejusdem potestatis significantia. Cum igitur varii ritus possint esse ita significativi, potest Ecclesia pro libertate a Christo accepta, quem voluerit, determinare. Hinc Apostoli elegerunt solam manuum impositionem, eamque solam retinuit Ecclesia Græca; Latina vero ad majorem collatæ potestatis expressionem impositioni manuum addidit traditionem instrumentorum cum verbis potestatem consecrandi clarius significantibus. Ex quo patet, materiam Latinorum et Græcorum non differre formaliter et substantiâ, sed materialiter tantum et physice, cum utraque prædicatum, quod Christus in genere instituit, ac in materia Ordinis reperiri voluit, scilicet esse ritum significativum potestatis sacræ, participet.

Utrum vero, si Latinus ordinaretur ritu græco, aut Græcus ritu latino, valida sit ordinatio, incertum plane est et controversum. Affirmant Suarez, Vasquez, aliique magno numero, quod, cum una sit Ecclesia, sacramenta ubique esse debeant uniformia, ac proinde materia Ordinis apud Latinos et Græcos non sit diversa in substantia. Negant nihilominus alii, quod signa illa per legem et consuetudinem amiserint vim significativam potestatis; cum enim sint signa ad placitum, ex lege et consuetudine vim significandi amittere et mutare possunt. Nec tamen idcirco, aiunt patroni hujus sententiæ, sunt religiones, aut sacramenta moraliter et formaliter diversa; quia sunt quidem signa diversa materialiter et physice in diversa Ecclesia particulari; sed habent tamen respective ad diversam illam Ecclesiam vim significandi eamdem. Nec hoc rarum est, inquiunt, quod signum materialiter idem respectu diversorum populorum non significet idem, sed diversa; sic enim detectio capitis apud Europæos honoris est, apud Sinenses contemptus.

Ad prob. 4am. R. *D. Ant.* Non mansit eadem materia formaliter et substantialiter *N.* materialiter *C.* Christus pro materia hujus sacramenti non designavit hanc vel illam contrahendi rationem in specie, sed solum in genere contractum legitimum, h. e. legi a legitimo magistratu conformem; Ecclesiæ vero, cujus dispositioni, ceu magistratus legitimi, hic contractus subest, postquam ad sacramenti dignitatem subvectus fuit, integrum reliquit, liberumque annectendi conditiones pro exigentia temporis; hanc vel illam in specie contrahendi rationem pro legitima statuendi; cum igitur Ecclesia sustulerit legitimitatem ex contractu clandestino, ac solum legitimum declararit contractum publicum, non mutavit quidquam in eo, quod determinaverat Christus.

CAPUT II.

DE CAUSA SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS EFFICIENTE MINISTERIALI, SIVE MINISTRO.

Perutiles æque, ac graves hic controversiæ occurrunt, quæ qualitatem ministrorum attinent; de eorum probitate, fide, intentione; quas nunc ordine pertractabimus.

ARTICULUS I.

QUIS SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS MINISTER SIT?

Præmitto. Lutherus L. de Miss. priv. etiam angelos, bonos et malos posse legitime sacramenta conficere : Calvinus contra in Antidoto Concilii Trid. ad Can. 10. Sess. 7. cos, qui tantum legitime vocati sunt, habere sacramenta ministrandi facultatem, adeo tuetur severe, ut ne quidem urgente necessitate velit competere laicis, præsertim feminis, potestatem conferendi Baptismi.

121. *Dico I.* Solus homo, ac quidem viator de lege Dei ordinaria, non vero angelus, sive bonus, sive malus, nec anima separata a corpore, minister sacramentorum est.

Prob. Auctoritate S. Scripturæ, quæ non aliis, quam hominibus, iisque viatoribus datam a Christo facultatem ministrandi, sive conficiendi sacramenta refert. Ad solos enim viatores homines dixit Christus Matth. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata.* Luc 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ita et Apostolus 1. ad Cor. 4. 1. non alios ministros, quam homines designat : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Ac ad Hebr. 5. 1. *Omnis*, inquit, *pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis, qui ignorant et errant : quoniam et ipse circumdatus est infirmitate.* Hæc soli homini viatori conveniunt.

Et vere hic excludi omnes, qui homines viatores non sunt, insuper ex traditione constat. Superfluum foret, in re obvia et aperta congerere SS. Patrum sententias. S. Chrysost. hic sufficiat L. 3. de sacerdotio (opp. t. 1. p. 385. B.) inquiens : *Qui terram incolunt, in eaque commorant, ad ea, quæ in cœlis sunt dispensanda, commissi sunt; potestatemque acceperunt, quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est : quæcumque ligaveritis.*

122. *Dices* 1°. Etiam angeli ministrasse sacramenta leguntur, aliaque obiisse officia sacerdotum propria; ergo non solus homo viator minister est sacramentorum.

Prob. Ant. Sic NICEPHORO teste L. 11. c. 20. S. AMPHILOCHIUS ab angelis Iconii episcopus consecratus fuit, hancque consecrationem ratam cæteri episcopi habuerunt. Teste CLEMENTE VIII. in Bulla canonizationis S. Agnetis de Monte Politiano, angelus ei sæpius S. Eucharistiam præbuit. Simile factum de S. CATHARINA Senensi, et S. STANISLAO Kostka Soc. Jesu Viennæ in ædibus hospitis Lutherani infirmo, refert historia. Teste PETRO de Natalibus L. 8. c. 130. et MOLANO, S. Michaelis Basilica ab ipsomet Archangelo consecrata fuit.

R. *D. Ant.* Leguntur angeli ministrasse, confecisse sacramenta ex concessione divina extraordinaria *Tr.* ordinaria, de qua sola procedit Conclusio *N.* Posse ex concessione extraordinaria ministrari sacramenta ab angelis, atque animabus beatis separatis a corpore, docet Doctor Angel. 3. p. q. 69. a. 7. ad 2., cumque eo alii; cum in hoc, utpote quod a divino pendet arbitrio, non sit repugnantia. Hinc et inferunt: si quem baptizasset angelus, non esse rebaptizandum, modo constet, fuisse angelum bonum. Nihilominus sacramentum ex jussione divina speciali confectum ab angelo, etsi habeat effectum, quem sacramentum novæ Legis, non tamen esset cum hoc ejusdem rationis; 1°. quia sacramenta, ut sunt de facto instituta, constant rebus et verbis (excepto Matrimonio, cujus tamen aliunde incapaces sunt angeli) formalibus, h. e. vocibus articulatis, ore vitaliter prolatis; sed talia verba non sunt soni ab angelo formati in aere. 2°. Quia de lege ordinaria homo viator minister est, et quidem qui ad sacramenta quinque alia, præter Baptismum et Matrimonium, ministranda specialiter esse consecratus debet.

123. *Dices* 2°. Quidquid potest minister inferior, etiam competit superiori: sed juxta DIONYS. de cœlesti Hier. c. 6. angeli sunt ministri homine superiores, et quidem teste Apostolo ad Hebr. 1. in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; ergo.

R. *D. M.* Illud competit etiam superiori in eo genere, in quo est superior *C.* in alio genere *N.* Sic *D. min* et *N. Cons.* Angeli sunt ministri superiores homine 1°. quoad naturam; 2°. quoad functiones alias, custodiam et illuminationem hominum, præsertim Ecclesiæ ministrorum, quos singulariter protegunt; non autem quoad potestatem conficiendi sacramenta superiores sunt.

124. *Dices* 3°. Si sacerdos defunctus prodigiose excitatus rediret ad vitam, esset legitimus sacramenti minister; ergo etiam talis erit sacerdotis beati anima. *Prob. Cons.* Ideo enim primum; quia in sacerdote resuscitato manet idem character: sed hic etiam permanet in anima sacerdotis beati; ergo.

R. *C. Ant. N. Cons. Ad prob.* R. *D. M.* Ideo tantum, quia character manet *N.* simul quia resuscitatus sacerdos est verus homo viator *C.* Sed hoc ultimum deest animæ sacerdotis beati, separatæ a corpore; at vero ex dictis de lege ordinaria solus homo viator sacramentorum minister a Christo determinatus est.

125. *Dices* 4°. Valor et efficacia sacramentorum non dependet a qualitate ministri, sed a sola Christi institutione; ergo modo hæc servetur, validum erit sacramentum, a quocumque conferatur, sive ab homine, sive angelo, eoque sive bono, sive malo. Deinde, ut Lutherus ait, membra dæmonis, sive peccatores possunt conficere valide sacramenta; ergo et dæmon ipse.

R. *Ad* 1um. *D. Ant.* Valor sacramentorum non dependet a qualitate accidentali ministri, ut est probitas, status gratiæ *C.* a qualitate essentiali *N.* Sed ex dictis de lege ordinaria qualitas hominis viatoris requiritur ad sacramenti confectionem essentialiter, quia Christus sic instituit. *Quoad* 2um. *N. Cons.* quia peccatores sunt ministri Christi, non quia tales peccatores sunt, sed quia homines viatores; hocque requisivit ad confectionem sacramenti, non vero ministri probitatem, ut plenius patebit ex Art. seq.

126. *Dico II.* Non tamen quilibet viator homo est minister sacramenti cujuslibet. Est de fide, ut constat ex Trid. Sess. 7. Can. 10., ubi damnat Lutheri hac in re doctrinam: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

Ratio est, quia licet omnis homo viator, ratione utens, etiam hæreticus, paganus, Judæus possit quidem baptizare valide, supposita debita intentione, ut constat ex Decr. Eugenii IV. in concilio Flor., soli tamen baptizati conficere possunt Sacramentum Matrimonii, reliqua autem a solis ministris ad id specialiter deputatis et consecratis conficiuntur valide, ita ut minister Extremæ Unctionis et Eucharistiæ sit quivis sacerdos; Pœnitentiæ sacerdos jurisdictionem habens; Confirmationis et Ordinis episcopus consecratus; his enim solis a Christo hæc potestas collata est, etsi non ubique cum æquali restrictione; nam etiam sacerdos simplex, ut suo loco dicemus, ex delegatione summi Pontificis conferre potest sacramentum Confirmationis; et juxta multorum sententiam, subdiaconatum et diaconatum; contra in nullo casu, qui non est sacerdos, valide conficere potest sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis.

Ratio a priori omnium voluntas Christi est, Scriptura et Traditione nobis intimata, quod sic breviter, quantum pro hoc loco satis, ostenditur; nam opportunior de hoc disserendi uberius locus erit, ubi de singulis sacramentis in specie.

1°. Juxta S. Scripturam in Ecclesia diversa officia diversis committuntur, *ut non sit schisma in corpore,* 1. ad Cor. 12. Hinc in Ecclesia Christus quosdam constituit Apostolos, quosdam Pastores, quosdam Doctores, scilicet *in opus ministerii in ædificationem corporis Christi*, ad Ephes. 4. Neque quisquam hunc honorem sibi sumit, h. e. sumere potest, *nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron,* ad Hebr. 5. Sed si omnes fideles haberent potestatem ministrandi, conficiendi sacramentum quodlibet, nullum esset inter Ecclesiæ membra discrimen; omnes haberent eumdem actum, idem officium; non evitaretur schisma in Christi corpore. Deinde non omnibus fidelibus, sed solis Apostolis dictum fuit Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata.* Matth. 18. *Quæcumque solveritis... ligaveritis.*

2°. Ex Traditione, qua constat, nunquam in Ecclesia ad sacramenta ministranda vel conficienda, excepto Baptismo, admissos fuisse alios, præ-

terquam ordinatos et specialiter consecratos. Hinc in Concilio ALEXANDR. invalida declarata fuit Ischyræ ordinatio, quia Colluthus qui eum ordinaverat, non fuerat episcopus, ut refert S. ATHAN. Apol. contr. Arian. n. 75. Hinc et Osius Cordubensis, ut rursus refert ATHANASIUS Hist. Arian. n. 44., ad Constantium imperatorem dicebat libere : *Ne te immisceas rebus Ecclesiasticis ; nec nobis his de rebus præcepta mandes, sed a nobis potius ediscas : Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit.* Plures Patrum textus vide, ubi de sacramentorum ministris in specie.

127. *Dices* 1°. Textus supra ex S. Scriptura deprompti non loquuntur de potestate, sed solum de hujus potestatis usu ; ergo iis non obstantibus possunt homines omnes conficere et ministrare sacramenta.

R. *N. Ant.* Nam Apostolus de eo loquitur, quod Apostoli acceperant a Christo, et Aaron a Deo : sed hi potestatem acceperant ; idque confirmat Apost. ad Hebr. 5. exemplo Christi, dicens : *Non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret ; sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sicut ergo Christus non usum tantum accepit a Deo, sed potestatem ; ita et alii.

128. *Dices* 2°. Omnes fideles dicuntur sacerdotes ; nam 1. Petr. 2. omnes vocantur *genus electum, regale sacerdotium.* Item Christus in ultima cœna ad omnes dixit Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem ;* ergo.

R. *D. Ant.* Dicuntur sacerdotes vere et proprie tales, pari potestate præditi *N.* improprie, metaphorice, quatenus offerunt Deo hostias spirituales laudis, bona opera *C.* Ita S. Petrus seipsum explicat ibid. v. 5. *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerte spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum.* Alterum solos respicit Apostolos, quos Christus vult et jubet, ad sui memoriam facere, seu consecrare, ut viderant fecisse ipsum. Verum ne idem bis repetamus, vide, quæ huc porro reduci possent, quibus ex instituto probavimus, Ordinem sacrum hierarchicum ministrorum Ecclesiæ a statu laico penitus jure divino distinctum, cum solutione argumentorum Protestantium Tract. de Sacram. Ordin. Dissert. I. cap. 1. per totum.

ARTICULUS II.

AN AD SACRAMENTI VALOREM REQUIRATUR FIDES MINISTRI ?

Controversia hæc gravissime quondam circa an. 256. S. CYPRIANUM Afrum, Carthaginis episcopum, FIRMILIANUM Cæsareensem, cæterosque Africanos, ac Orientales episcopos colliserat cum S. STEPHANO summo Pontifice. Contendebant illi, Baptismum ab hæretico, vel schismatico collatum (multo magis ab infideli, vel Judæo) nullum esse, ac proinde ita baptizatos, dum ad Ecclesiam Catholicam redeunt, rebaptizandos esse, contra ac volebat S. STEPHANUS S. P. Unde ipsis rebaptizantium nomen adhæsit, etsi non solum Baptismum a ministro hæretico vel schismatico datum ; sed et sacramenta

alia iteranda vellent. At quoniam historiæ hujus controversiæ frequens est apud Theologos usus, operæ pretium censui, si ejusdem epitomen aliquam criticam præmitterem.

§. I.

ORIGO CONTROVERSIÆ REBAPTIZANTIUM.

129. Baptizatos ab hæreticis et schismaticis rebaptizandos esse, jam ante Cypriani ætatem statuerant Concilia Iconiense et Synnadense in Phrygia Asiæ minoris provincia, ut refert Dionys. Alexandrin. epist. 3. ad Philemonem. In Africa etiam Agrippinus Carthaginensium Episcopus, et Cypriani antecessor in habita aliquot episcoporum Synodo idem statuerat, ipso testante Cypriano epist. ad Jubaian. n. 74. dicens : *Apud nos non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint.* Ubi observandum tempus, quod Cyprianus *multos annos, longam ætatem* dicit, a S. Aug. L. 4. de Baptismo contra Donat. c. 6. ad annos paucos contrahi; cum enim Concilium Africanum sub Agrippino nonnisi an. 217. vel juxta alios an. 215. fuerit habitum; conficitur, ab eo Agrippini statuto usque ad an. 256., quo Cyprianus epistolam ad Jubaianum dedit, vix ultra 40. annos intercedere. Anno vero 256. Cyprianus consultus a Januario, aliisque Numidiæ episcopis de hæreticorum et schismaticorum Baptismo, ipse eadem in causa Synodum Carthagine celebravit episcoporum 31., quibuscum deinde respondet (ep. 70.), quæstionemque sibi propositam solvit, asserendo extra Ecclesiam Catholicam non posse dari vera sacramenta; hinc necessario rebaptizandos, vel potius cum antea nihil habuissent, simpliciter baptizandos esse, quicumque in hæresi, aut schismate aqua profana et adulterina tincti fuerint. Paulo post rursum a Quinto Mauritaniæ episcopo eadem de re consultus numerosius celebravit Concilium episcoporum 71. an. 256., in quo confirmata superior ad Januarium responsio : tum duo Legati episcopi destinati Romam ad S. Stephanum S. P., quibus ad eumdem data a Cypriano epistola (inter Cyprianicas 72.) plena humanitatis et reverentiæ in summum Pontificem, ac rationum, quibus sperabat, facile fore, ut accederet Pontifex.

§. II.

Gesta S. Stephani cum Legatis Cypriani, et Episcopis Afris, tum Firmiliano et huic adhærentibus Episcopis Orientalibus.

130. Ut primum Legati pervenere Romam, quasi signo dato vehemens erupit controversia, summa deinceps ingeniorum contentione agitata. Stephanus enim doctrinæ antiquæ et traditionis, ac fidei tenax, summopere indignatus Legatis, eos nec amplexu, nec aspectu dignatus repulit; quin voluit, ne quis Romæ eos hospitio exciperet. Litteras deinde ad Cyprian. dedit non parum acerbas, quibus illud inculcabat, ut refert Cyprian.

epist. 14. ad Pompeium n. 7. *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*; etiam CYPRIANO, ejusque episcopis excommunicationem minitans, nisi resipiscerent. Similis argumenti quoque litteras ad FIRMIL. Cæsareensem dedit, qui cum episcopis Ciliciæ, Cappadociæ, aliisque Orientalibus erat CYPRIANI in errore socius.

131. Sunt, qui præter acatholicos cum LAUNOIO, DUPINIO, aliisque ex hoc STEPHANI responso eum ipsum arguunt, velut qui ipse in errorem oppositum lapsus sit, approbans hæreticorum Baptisma, non eorum solum, qui Baptismi formam servarent, sed eorum etiam, qui eam adulterabant; 1°. quia ait STEPHANUS in decreto suo: *Si quis a quacumque hæresi venerit*, non esse rebaptizandum; attamen hæreticorum plures adulterabant formam. 2°. Quia hoc sensu ita responsum fuisse a STEPHANO testari CYPRIANUS videtur ep. 74. ad Pompeium n. 7. hoc exprobans STEPHANO, quod usque adeo recipiat baptisma Marcionis, Valentini, Appelletis: *In tantum*, inquit, *Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis Baptismo, item Valentini et Appelletis, et cæterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios nasci, et illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Patrem, et in Dominum Deum Christum*: sed illi hæretici in nomine SS. Trinitatis non baptizabant; quoad hoc enim mysterium errabant in fide, erantque hæretici; ergo. 3°. Quia BENEDICTUS XII. teste EMMERICO in Directorio Inquisitorum n. 2. q. 17. refert, STEPHANUM et CYPRIAN. incidisse in errores oppositos, quos correxit Concilium Nicæn. I. generale.

132. At prorsus immerito; nam STEPHANUM per hæc: *ex quacumque hæresi, etc.* in suo decreto non eos comprehendisse hæreticos, qui formam, sive expressam SS. Trinitatis invocationem in Baptismo non retinerent; 1°. ex FIRMIL. et CYPRIANO perspicuum fit; ex priore, quia FIRMIL. epist. ad Cyprian, de STEPHANI decreto n. 9. ait: *Illud quoque absurdum quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi poterit invocata* (N. B.) *trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ex altero, quia idem asserit CYPRIAN. epist. ad Pompeium n. 5. loquens de STEPHANO: *Aut si effectum Baptismi majestati nominis* (scilicet invocationi SS. Trinitatis) *tribuunt, ut qui in nomine* (sive auctoritate) *Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque baptizantur, innovari et sanctificari judicentur*; ergo utroque STEPHANI quidem adversario teste, ejus decretum de omnibus loquitur hæreticis, at formam retinentibus, ut ratum velit Baptisma, quicumque hæreticus contulerit, modo formam servarit. 2°. Ex S. AUG. qui passim in Libris contra Donatist. ait, a STEPHANO antiquam Ecclesiæ consuetudinem vindicatam fuisse; at nunquam ea Ecclesiæ fuit consuetudo, ut baptizatos ab hæreticis formam non servantibus reciperet, sine Baptismi collatione nova; ergo. 3°. Inde, quia tota STEPHANUM inter et rebaptizantes controversia nonnisi de fide ministri fuit, nullatenus de Baptismi forma, ut constat ex rebaptizantium argumentis, quæ infra referemus; ergo decretum STEPHANI tantum fidem ministri, non formam sacramenti respicit. 4°. Ex ipsis STEPHANI verbis supra relatis; unde sic subsumo:

sed est, et fuit semper in Ecclesia traditum, non promiscue omnium hæreticorum Baptisma, sed illud solum fuisse validum habitum, quod sub legitima forma, etsi ab hoc, vel illo hæretico collatum; igitur particulæ illæ: *ex quacumque hæresi* limitantur per has sequentes: *quod traditum est.* Nec quidquam valent momenta contraria; nam

Ad 1um. ex dictis patet responsio.

Ad 2um. R. *N. Ant. Ad prob.N. min.* sumptam universaliter; omnes scilicet relatos hæreticos corrupisse formam, sic, ut nullus ex qualibet secta baptismum conferret forma a Christo præscripta. Nec refert, quod hæreticorum varii in fide circa Trinitatem errarent; nam hoc non obstante eorum multi baptizabant in nomine Trinitatis, ut ex secutis postea Arianis palam fit; qui etsi Filium creaturam ac Patre minorem dicerent, passim tamen, quin eorum plurimi sub expressa trium personarum invocatione baptizabant; unde et eorum baptisma validum habuit Concilium generale I. Nicænum.

Ad 3um. R. Benedict. XII. ita scripserat de re meri facti, cum adhuc Cardinalis esset, ut proinde ejus auctoritas prævalere haud possit momentis aliis gravioribus, quæ eum fugisse videntur, cum eorum nullum attingat.

§. III.

Gesta a S. Cypriano et Firmiliano post Stephani Papæ Responsum.

133. Ut ut ponderosis sententiis, minisque usus esset S. Pontifex Cypriano et Firmil. scribens, neuter tamen a sua dimotus opinione fuit, ut videre est ex litteris, quas Cyprianus ad Stephanum, Firmilianus ad Cyprianum dedit, plenis utrimque et nimio contentionis æstu, et sententiis minus decentibus, quam oportuisset uti de S. Pontifice. Ac Cyprianus quidem eo ipso adhuc labente 256. ne videretur acquievisse Stephano, aliud ex Africa, Mauritania, Numidia episcoporum 78. Concilium, præter magnum presbyterorum, et diaconorum numerum et partem plebis coegit Carthagine, in quo episcopi, ne uno quidem excepto, omnes sententiam dixerunt, uti in Conciliis superioribus ad mentem Cypriani; tamque multis, ac, quantum apparebat, validis argumentis suam fulciebat sententiam Cyprianus, ut S. Aug. fateretur L. 3. de Bapt. contra Donatist. c. 4. se iis victum fuisse, nisi eum revocasset Ecclesiæ auctoritas. Hinc et est, quod S. Aug. dubitaret aliquando, an Cyprianus unquam errorem abjecerit: *Fortasse*, inquit L. 2. de Baptism. contr. Donatist. c. 4., *factum est, sed nescimus*; quanquam eo non obstante S. Aug. videatur inclinare ad alterum, quod revera Cyprianus mutarit mentem, ut infra dicetur. Sed et Firmilianum in sua perstitisse sententia Dionys. Alexandrin. inquit in epist. 1ª. ad Xystum S. P. n. 1.; tum ex S. Basilio M. deprehenditur, qui, cum post centum et amplius annos in Cæsareensi sede Firmiliano successisset, rebaptizabat hæreticos, moremque Ecclesiæ suæ, atque aliarum, epist. canonica 1ª. ad Amphilochium canone 1. (opp. t. 3. p. 269. B. 270.) exemplo Cypriani et Firmiliani propugnabat. Hinc ex obfirmata utriusque præsulis opinione nata quæstio; utrum tandem Stephanus Papa utrumque excommunicarit? De qua nunc

§. IV.

Utrum tandem Stephanus Papa in Cyprianum et Firmilianum excommunicationis tulerit sententiam?

134. Quoad CYPRIANUM affirmat BARONIUS, non quoad FIRMILIAN. Contra Rigaltius, Tillemont, aliique de utroque affirmant, his fere moti momentis 1°. Quia id FIRMILIANUS ipse non obscure innuit epist. ad Cyprianum n. 24. 25. dicens, Stephanum *ab Ecclesiæ Catholicæ pace discedere ausum: rupisse pacem: se a tot gregibus scidisse*; sed hæc plus indicant, quam excommunicationem solum intentatam. 2°. CYPRIAN. quoque epist. ad Pompeium n. 2. ait, Stephanum *fuisse unitatis oblitum*. 3°. Idem in Præfat. ad Concilium Carthaginense habitum an. 256. post responsum Stephani ait (Labb. t. 2. p. 786. E.), posse unumquemque sentire libere, quod vellet, quia nullus est, qui se episcoporum episcopum constituat, et cæteros terrore tyrannico ad suum sensum adigat, hisce STEPHANUM indigitans.

135. At aliter plerique alii sentiunt, BELLARMIN. L. 1. de Concil. c. 10., VALESIUS in not. ad cap. 5. L. 7. Euseb., NATAL. ALEX., et cæteri. Ac merito. Nam 1°. EUSEB. L. 7. Hist. c. 3., S. HIERON. in Dial. contr. Luciferian. n. 25. et alii referentes hoc dissidium, nihil unquam de lata aliquando excommunicatione meminerunt; ne quidem S. AUG. etsi hic opportunitatem haberet illius in rem suam mentionem faciendi; cum enim constanter Donatistæ Catholicis exemplum CYPRIANI opponerent, qui hæreticos rebaptizasset; Catholici et præsertim AUG., dum contra Donatistas disputabat, non omisisset reponere, CYPRIANUM ideo excommunicatum fuisse, si ita se res habuisset; attamen de excommunicatione lata, nec AUG. nec ullus alius verbulo meminit. 2°. S. CYPRIAN. ipse epist. ad Pompeium n. 8. de STEPHANO inquit, *Sacerdotes Dei veritatem Christi et Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat*, quod solum excommunicationis comminationem indicat, non executionem. 3°. Clariora quoque S. AUG. verba sunt, quam ut ullo modo eludi possint; nam L. 5. de Bapt. contr. Donatistas c. 25. de STEPHANO et CYPRIANO inquit: *Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignarentur; vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos schismatis malum oriretur*. Rursum L. de unico Bapt. contr. Petilian. n. 23. *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret... tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit... nec ulla facta est a Cypriano, et eis qui pariter de Baptismo sapiebant, ab illorum communione divisio;* ergo et nulla lata fuit excommunicatio. 4°. Cum utroque præsule cæteri omnes per orbem christianum episcopi fuerunt semper communione conjuncti, ac SIXTUS STEPHANI successor cum CYPRIANO communionem habuit, planeque egit pacifice. Etsi igitur intentarit utrique præsuli excommunicationem STEPHANUS, non tamen tulit; verosimiliter ad preces DIONYSII ALEXANDRINI, qui, teste EUSEBIO L. 7. c. 4. pro FIRMILIANO præsertim, ac cæteris per Ciliciam, Cappadociam, ac finitimas provincias episcopis, ne eos a communione Ecclesiæ præcideret, intercesserat.

136. Neque evincunt aliquid momenta contraria. Nam *quoad* 1um. permisso gratis, genuinam esse hanc FIRMILIANI epistolam, nihil meretur fidei, utpote a viro scripta perquam subirato, ac æstu nimio contra STEPHANUM, atque idcirco res supra verum exaggerante, excommunicationem intentatam pro lata jam venditante. Neque inepte etiam hunc præsulem locutum quis dixerit de facto STEPHANI adeo austere CYPRIANI legatos habentis, ut nollet cum iis agere, eos a quoquam sub tectum recipi, quæ erat species excommunicationis minoris, sive communionis specialis privatio, olim perquam usitata; sed nondum erat a corpore Ecclesiæ Catholicæ præcisio. Quin ad hoc potius factum alludi a FIRMILIANO colligi videtur a sequentibus; dum postea refert Stephanum *noluisse legatos episcopos... ad sermonem saltem colloquii communis admittere... præcepisse fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed et tectum, et hospitium negaretur*. Hanc igitur privationem a communione illa speciali amicitiæ et fraternitatis, ac quod in legatis factum interpretaretur de episcopis aliis, quorum vices gerebant legati, hoc adeo exaggeravit. Dixi : *permisso gratis, etc.* nam genuinam esse hanc epistolam, alii vehementer dubitant; tum quia illam ignoravit AUG., tum quod primum Morellus Calvinista eam, nescitur unde, produxerit.

Quoad 2um. S. CYPRIAN. non ea dixit de unitate communionis, sed Baptismatis, culpans STEPHANUM, quod unitatem Baptismatis in Ecclesia violaret; putabat enim CYPRIANUS, ita unicum esse Baptisma, ut in sola Ecclesia Catholica verum et ratum esse posset. Patet responsio ex contextu : *Præcipit*, inquit de Stephano, *nihil aliud innovari, nisi quod traditum est, quasi is innovet, qui unitatem tenens unum Baptisma uni Ecclesiæ vindicat, et non ille utique qui unitatis oblitus mendacia et contagia profanæ tinctionis usurpat.*

Quoad 3um. R. 1°. Hæc verba intellecta in sensu obvio optime referri possunt ad præsentes episcopos, quorum nullus se dicat episcopum episcoporum, nec alios terrendo conetur in suas partes pertrahere. Sed

R. 2°. Esto quod spectent STEPHANUM; iis non excommunicationem actu latam, sed ferendæ minas suggillat.

§. V.

An S. Cyprianus, eique adhærentes Episcopi controversiam hanc putarint pertinere ad fidem?

137. CYPRIANUM cum suis controversiam hanc esse fidei judicasse, quædam CYPRIANI sententiæ persuadere videntur : 1°. Quia epist. ad Pompeium n. 9. STEPHANI opinionem, qui antiquam traditionem opponebat, errorem vocat. 2°. Epist. ad Jubaianum sententiam suam esse a Spiritu sancto revelatam, esse fidem et veritatem Ecclesiæ asserit. 3°. Epist. ead. profitetur, se eadem fide credere, nullum esse sacramentum collatum ab hæreticis, qua credit, non esse communem Deum, fidem, Ecclesiam. 4°. Ibid. a Christo ait non esse datam baptizandi potestatem hæreticis; sed fide certum est, eum baptizare non posse, qui potestatem baptizandi non accepit a Christo.

138. Aliter nihilominus sentiendum videtur, si CYPRIANUS cum CYPRIANO conferatur; nam 1°. S. Præsul in hac de Baptismo hæreticorum controversia,

ut ut ille pro nullitate talis Baptismi pugnaret; cuilibet tamen aliter sentiendi, imo agendi libertatem integram, salvamque voluit; sed minime id potuisset S. Præsul, aut fecisset, si sententiam suam de fide esse credidisset, non vero ad disciplinam pertinere. *Min.* patet, quia circa illa quæ fidei sunt; non datur libertas; una enim fides, etsi disciplina esse varia possit. *Maj.* constat pariter ex CYPRIANI ad STEPHANUM epist. in qua n. 3. *Scimus*, inquit, *quosdam quod semel imbiberint, nolle deponere... sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo, quædam propria quæ apud se semel sint usurpata retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus.* Idem in epist. ad Jubaian. n. 26. repetit; hæc vero certe in materia fidei locum non habent.

2°. Idem sensus FIRMILIANI fuerat; is enim epist. ad Cyprian. probare volens, injuste STEPHANUM excommunicationem intentasse, ait n. 6. : apud Romanos *circa celebrandos dies Paschæ; et circa multa alia divinæ rei sacramenta esse aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter quæ Hierosolymis observantur, secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est*; ergo, sicut juxta FIRMILIANUM controversia de celebratione Paschæ, et diversitas rituum ad disciplinam pertinebant; ita et rebaptizandi consuetudo putabatur disciplinæ esse.

3°. S. BASILIUS, multis post FIRMILIAN. annis, hujus Cæsareensi in sede successor, controversiam hanc adhucdum esse disciplinæ credidit, epist. ad Amphiloch. canone 1. supr. cit. referens, se quidem ejusdem cum CYPRIANO ac FIRMIL. sententiæ esse; non tamen reprobare aliorum praxin contrariam; ait enim : *sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam et dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.* Tum infra de Encratitis : *quod hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, et sequi oportet Patres, qui, quæ quoad nos pertinent, providerunt.*

139. Facilis etiam est ad alia CYPRIANI loca, quæ contraria videntur, responsio. Nam *quoad* 1um. opinionem STEPHANI vocat quidem errorem, sed non in fide; verum prout error veritati, etiam non revelatæ opponitur. Nec enim consequens est, ut, quoties esse aliquid verum credimus, ejus oppositum ceu hæreticum censeamus, ac errorem in fide.

Quoad 2um. Ait sententiam suam esse revelatam formaliter *N.* arguitive, illative *C.*

Quoad 3um. *N. assertum.* Equidem CYPRIANUS ex eo, quod non sit apud hæreticos fides, nec Ecclesia, inferebat, nec esse verum Baptisma; sed non ait, se etiam eadem fide credere, non esse apud hæreticos verum Baptisma, qua crederet, non esse apud eos veram fidem, et Ecclesiam; nihil enim tale ex CYPRIANI verbis colligi potest : en verba ep. ad Jubaianum n. 21. *Quare Baptisma nobis et hæreticis commune esse non potest, cum quibus nec Pater Deus, nec Filius Christus, nec Spiritus sanctus, nec fides, nec Ecclesia ipsa communis est; et ideo baptizari eos oportet qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt.*

Quoad 4um. Equidem de fide est, quod baptizare non possit, qui baptizandi potestate caret; verum de fide esse, quod hæretici careant potestate baptizandi, nusquam dixit Cyprianus; estque hoc a priori longe diversum. Igitur Cyprianus quæstionem hanc inter disciplinaria numerabat, quæ variare posset pro varietate Ecclesiarum et temporum.

140. Utrum vero Stephanus eam pertinere ad fidem censuerit, prorsus incertum est; saltem non definivit ex Cathedra ut dogma fidei; ut enim definivisse aliquid ex Cathedra dici possit S. Pontifex, necesse est, hoc solemni ritu tanquam credendum fide divina proponat toti Ecclesiæ : atqui talis definitio facta a Stephano nusquam extat, qui solum litteris privatis dehortatus est ab opinione Cyprianum, et huic adhærentes, eorum rejiciens opinionem, non ut contrariam dogmati, sed consuetudini : *nihil innovetur, nisi quod traditum est.*

Neque refert, quod Stephanus excommunicationem intentarit rebaptizantibus; potest enim S. Pontifex in rebus ad disciplinam pertinentibus, præsertim in rebus majoribus, et quando disciplina quædam in Ecclesia universalis est, comminari excommunicationem in refractarios, ut constat ex Victore S. P. illam intentante Asiaticis sic dictis Quartodecimanis, nisi parerent, in controversia de celebrando Paschate.

§. VI.

Quis controversiæ exitus? An Cyprianus ante mortem, aliique errorem deposuerint?

141. Celeberrimæ hujus controversiæ, quæ viros utrimque sanctos adeo colliserat, is tandem finis fuit, ut S. Stephano in persecutione Valeriani Romæ an. 257. martyrio coronato, sopiretur disputationis fervor. Sixtus II. enim Stephani successor nullam amplius hac de re litem movit : sed cum Cypriano pacem coluit, ut ex hujus epist. 82. colligere est. Altero pariter an. 258. persecutione eadem gloriosi martyrii palmam Cyprianus retulit, decedens retenta totius communione Ecclesiæ, teste S. Aug. cit. sup. et serm. 116. de Diversis (al. serm. 312. n. 6.), *merito in Ecclesia Catholica tanti honoris celsitudinem meruit* (Cyprianus), *cujus concordissimum vinculum tanta humilitate servavit.* Et Paciano Barcinonensi epist. 2. ad Sympronian. : *Cyprianus in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est.* Idem de Firmiliano constat, quem Ecclesia græca inter sanctos constanter coluit. Equidem omni culpa non caruerunt, præsertim quod post Stephani decretum verbis plus æquo injuriosis uteretur uterque in Stephanum S. P., neque tunc post intentatam etiam excommunicationem acquiescere vellet, ac opinionem deponere. Hanc tamen *maculam*, ait S. Aug. de S. Cypriano, *eluit sanguine.*

142. Utrum vero errorem Cyprianus et Firmilianus ante mortem deposuerint, incertum est; præsumi tamen de Cypriano id prudenter posse, S. Aug. contendit. Primum inde videtur confici, quod nullum ejusmodi retractationis positivum fundamentum extet. Et quid facilius fuisset Catholicis,

ipsique S. Aug. contra Donatistas disputantibus, aut quid opportunius ad eos convellendos, dum ad factum Cypriani constanter appellabant, quam reponere, Cyprianum, cæterosque retractasse errorem? Attamen id nemo unquam reposuit; nec Aug. ipsemet, etsi longas hac de re disputationes cum Donatistis haberet. Alterum ex ipsomet Aug. liquet in epist. 48. (al. 93. ad Vincentium Donatist., ubi n. 38., Cyprianum, inquit, *correxisse istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab iis qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt.* De quo vide plura apud Hagiologos nostros Antuerpienses in vita S. Cypriani.

Novi quid contra primum dici posset; nimirum 1°. S. Dionysium Alexandr. epist. ad Steph. Papam apud Euseb. L. 7. c. 4. testari, *omnes Ecclesias orientales rediisse ad concordiam.* 2°. A S. Aug. L. 3. contr. Crescon. c. 4. supponi ceu verum, quod Cresconius dixerat, deposuisse Orientales errorem. 3°. A S. Hieron. asseri in Dial. contr. Lucifer n. 23. *Illos ipsos episcopos, qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos, novum emisisse decretum.* Sed nihil ex his certi evinci potest; nam Dionys. ne quidem de hac Africanorum et aliorum rebaptizantium controversia ibi loquitur; sed de alia, ad quam redierunt Ecclesiæ ante ob schisma Novatianorum inter se discissæ; subdit enim continuo Euseb.: *Ad hunc* (Stephanum S. P.) *Dionysius scripsit per litteras, in quibus id tantum illi indicat, omnes ubique Ecclesias, mollito jam persecutionum furore, Novati turbulentam novitatem detestantes inter se pacem iniisse;* S. Aug. vero id quidem supponit, sed pro suo tempore, h. e. ducentis facile post Cyprian. et Firmil. annis, quod non probat proinde hos duos præsules ante mortem errorem deposuisse. S. Hieron. tandem loquitur quidem de episcopis Afris, sed iis, qui Concilio Arelat. interfuerant, in cujus Can. 8. rebaptizantium error fuit primo proscriptus; at vero, quia Concilium hoc celebratum est an. 314.; Concilium Carthag. contra post Stephani responsorias litteras, in quo sub Cypriano, rebaptizantium dogma fuerat de novo assertum, habitum fuit an. 258., h. e. 60. annis ante Arelat. I. sequitur, sententiam Hieronymi nec de Cypriano nec Firmil., utpote tempore Concilii Arelat. pridem defunctis, posse intelligi; nec de episcopis omnibus cum Cypriano viventibus, quorum vel plurimi interea decesserant; exceptis forsitan paucis extremæ senectutis.

§. VII.

Asseritur Dogma Catholicum.

143. *Dico.* Ad valorem sacramenti fides ministri non est necessaria. Est de fide catholica, juxta definitionem claram Concilii Trid. Sess. 7. de Baptism. can. 4. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

Prob. 1. Ex traditione et praxi Ecclesiæ perpetua, quæ constat 1°. ex rescripto Stephani S. P. unam traditionem opponentis farragini rationum Cypriani in ep. ad eumd., quod refert Cyprian. ipse epist. ad Pompeium n. 1.

Si quis a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam. 2°. Ex S. Aug. L. 2. de Bapt. contr. Donat. c. 9. ubi de controversia rebaptizantium ait : *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem*, nimirum a Stephano Papa, Cypriano, eique adhærentibus. Et vero non aliter censuit Ecclesia ante Agrippini ætatem, *qui* scilicet, ut verbis utar Vincentii Lirinensis common. 1. cap. 6. *primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta Majorum rebaptizandum esse censuit,* videlicet in Concilio Carthag. 1. an. 215., vel juxta alios 217. ; unde idem hausit Synodus Iconiensis, et Synnad. habitæ an. 235. Hinc et Cyprian., etsi omni rationum genere armatus suam tueretur opinionem, nullam, quæ Agrippino antiquior esset, consuetudinem allegare potuit. Quin 3°. hujus antiquissimæ consuetudinis conscius Cyprian. volebat decidi rem ex rationum momentis ep. 71. ad Quint. n. 2. scribens : *Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.* Hancque consuetudinem fassus uterque est Firmil. et Cyprian., prior epist. ad Cypr., posterior epist. 71. et 72., qua fatentur, cæteros episcopos ad Ecclesiam redeuntes, ex veteri consuetudine, sine iteratione Baptismi, sola impositione manus recipere. Ac demum epist. 73. ad Jubaian. ait Cyprian. n. 23. : *Sed dicet aliquis, quid ergo fiet de iis qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt? Ubi*, inquit Aug. L. 2. de Bapt. contr. Donatist. c. 9., *aperte indicat fuisse aliam Ecclesiæ consuetudinem.*

144. *Prob. II.* Ex Conciliis, e quibus Arelat. I. an. 314. sic statuit Can. 8. (Labb. t. 1. p. 1428.) : *Placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; etsi perviderint, eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Nicæn. I. pariter Can. 8. (Labb. t. 2. p. 41.) prohibet, ne Cathari, seu Novatiani redeuntes ad Ecclesiam baptizentur ; Paulianistæ e contra, ait idem Concilium Can. 19. (Labb. id. p. 43.) *baptizentur omnimodis.* Sed unde hoc discrimen, nisi quod Cathari hæretici servarent formam; Paulianistæ vero eam corrumperent? ut testatur Innoc. I. epist. 22. (al. 17.) ad episcopos Maced. c. 5. n. 10. Idem dogma declararunt Concilia plurima alia : Laodic. an. 360. Can. 7. (Labb. t. 1. p. 1498.), Constantinopolitan. I. an. 381. Can. 7. (Labb. t. 2. p. 951.), Arelat. II. an. 452. can. 16. 17. (Labb. t. 4. p. 1013.), ac novissime Trid. cit. supr. Quibus adde ex SS. Patribus Aug., qui L. 2. de Bapt. studiose rebaptizantium errorem refutavit; S. Hieron. Dial. contr. Luciferian., aliosque.

145. *Prob. III.* Rationibus theologicis. 1°. Argumento ipsa in Scriptura sacra fundato. Juxta hanc minister sacramenti non agit auctoritate propria, sed Christi, adeo ut hic principalis conferens sacramentum, hocque in ejus potestate sit; ergo infidelitas, vel hæresis sacramentorum valori obesse nequit; imo sæpe nec fructui, si non ponatur obex a suscipiente. *Ant. prob.* ex 1. ad Cor. 4. 1. *Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi.* Et 1. ad Cor. 3. 4. *Quid enim est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis.* Joan. 1. 33. de Christo dicitur : *Hic est, qui baptizat.* In quæ ait

Aug. Tract. 5. in Joan. n. 6. *Baptisma tale est, qualis est ille in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur.* Et n. 18. *Quod dabatur a Paulo, et quod dabatur a Petro, Christi erat; et si datum est a Juda, Christi erat... Columbam attendo, per quam mihi dicitur : hic est qui baptizat.* Cons. per se sequitur, estque rursum ipsius Aug. ibid. inferentis : *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus?*

2°. Ministri sacramentorum agunt instrumentaliter : sed instrumentum non agit juxta virtutem et formam propriam huic assimilando effectum, sed secundum virtutem principalis, a quo movetur; hic vero ex dictis est Christus; ergo ministri qualitas, seu hæreticus, seu infidelis sit, sacramento obesse non potest. Adde : cum oporteat esse hæreses nec cuiquam de fide ministri interna constare possit, nemini etiam de sui veritate Baptismi constare posset; unde non potest non nasci incertitudo et anxietas perpetua, quod suavitati religionis Christi adversatur.

146. *Obj. I.* In controversiis, quæ definiuntur ex consuetudine, ei parti est adhærendum, pro qua stat consuetudo antiquior et universalior : atqui pro sententia Cyprriani et rebaptizantium aliorum stat consuetudo antiquior et universalior; ergo.

Prob. min. quoad part. 1am. Consuetudo rebaptizandi videtur ortum traxisse ab ipsis Apostolis, ut patet ex Can. 45. et 46. Apostolorum (Labb. t. 1. p. 35.) quibus *deponi jubetur episcopus, vel presbyter, qui hæreticorum Baptismum admiserit.* Idem asserit Firmilian. epist. ad Cyprian. n. 19. inquiens : *ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolis traditum, est, nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse.*

Prob. etiam min. quoad 2am. *p.* Nam 1°. consuetudo rebaptizandi vigebat in Numidia, Mauritania, imo Africa tota; item in Oriente toto, cum plerique Orientalium Firmiliano adhærerent. 2°. Pro hac stabant ante hoc dissidium Tertul., et ea lite durante celeberrimus S. Dionys. Alexandr. teste S. Hieron. de Scriptor. Eccles. c. 69. *Hic in Cypriani et Africanæ Synodi dogma consentiens de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas, quæ usque hodie extant.*

R. *N. min.* quoad utrumque, cujus contrarium satis constat ex ratione conclusionis.

Quoad prob. 1ae. *p.* R. *N. Ass.*, quod ex subjunctis rationibus minime probatur. Nam 1°. Canones citati non sunt Apostolorum primorum, sive illorum antonomastice duodecim, ut multis ostendimus Tract. de Jure et Justit. Dissert. proœm. cap. 1. art. 2. §. 2. a num. 42.; sed collecti fuere ex variis orientalibus Conciliis, dictique sunt *Apostolorum*, h. e. virorum apostolicorum, sive episcoporum. Talesque sunt duo Canones cit. 45. et 46.; quos illorum Canonum collector desumpsit ex Synodo Iconiensi in Lycaonia, et Synnadensi in Phrygia majore. Perperam vero dicitur, approbationem tulisse hos Canones Synodi generalis VI. cap. 2.; nam Synodus hæc nullos plane Canones addidit. Sed post Synodum generalem V. imperante Justiniano, Patres qui Constantinopoli remanserant convenientes in Trullo Palatii Cæsarei, conflabant sua auctoritate Synodum, quæ a loco dicta est *Trullana* : etiam *Quinisexta*, h. e. inter generalem V. et VI. Synodus quidem hæc ex privatis constans duntaxat episcopis, varios edidit Canones,

quorum Can. 2. approbantur Canones Apostolorum; verum hujus conventus Trullani Canones repudiavit constanter Ecclesia, nec eos habere auctoritatem vult, nisi quos ipsa ex iis receperit, quæ sors paucis duntaxat contigit, minime autem duobus citatis. 2°. Firmilianus hic in causa propria loquens auctoritatem non habet; eumque exaggerative loqui constat ex prob. 1. Concl. Sic etiam Cyprianus illos 39. vel 40. annos inter Concilium Carthaginense I. sub Agrippino, et illud a se habitum an. 256. vocat exaggerative *annos multos, ætatem longam.* Vide n. 129.

Quoad prob. 2ae. *p.* R. *Ad* 1um. *N.* quoad Africam totam, et Orientem totum; ex Africanis solum adhæserunt Cypriano episcopi 78., Firmiliano nonnisi 50. At hi quidem ne a longe comparandi sunt aliorum adhuc in Oriente episcoporum numero; sed erant duntaxat episcopi Phrygiæ, Cappadociæ, et quarumdam duntaxat finitimarum regionum, quæ exilis pars respectu totius Orientis sunt. Similiter Africani potissimi erant ex Numidia, et Mauritania. Et revera inter Africanos alios sensisse cum Stephano, ex ipso Cypriano discimus, qui aliis rebaptizare nolentibus integram relinqui libertatem voluit etiam in Africa, epist. ad Steph. supr. n. 130. cit. Jam vero præterea totus reliquus contradicebat Occidens; ut proinde pauci illi Africani 78., atque Orientales 50. respective ad cæteros orbis christiani episcopos ne quidem numerari mereantur.

Ad 2um. R. 1°. generaliter: opinio unius alteriusve, vel paucorum prævalere nequit universali aliorum, et totius Ecclesiæ consuetudini, quæ constat ex prob. 1. Hinc et Vincentius Lirinensis Commonit. c. 6. de rebaptizantium errore loquens, *undique,* ait, *ad novitatem rei cuncti reclamarunt.*

R. 2°. Quidquid de Tertulliano sit; de S. Dionysio Alexandr. quædam controversia est. Hieronymo consentiunt Baron., Alex. Nat., Berti, aliique: negant contra Juenin., Tournely cum cæteris, variis moti rationibus; quarum tamen aliquæ rem non evincunt. Interim nihilominus huic secundæ sententiæ subscribendum autumo his ex rationibus:

1°. Quia nunquam sive Cyprian., sive Firmil., sive rebaptizantium ullus S. Dionysio socio et patrono tam celebri non tantum ob Alexandrinam sedem auctoritate eminentiorem, sed etiam ob singularem virtutis et doctrinæ famam toto in oriente diffusam gloriatus est. Sed nec Stephano Papæ, nec hujus successori Sixto hac in re vel suspectus fuit.

2°. Teste S. Basilio epist. ad Amphiloch. canone 1. S. Dionysius admisit baptisma quorumdam hæreticorum, qui Pepuzeni, seu Montanistæ vocabantur. Neque dicant adversarii, hinc sequi nimium, quod eorum baptisma recepisset, qui formam corrumpebant, quales Montanistæ erant, baptizantes in Patrem, Filium, Montanum, et Priscillam; hinc certe Synod. gen. Constantinop. I. rebaptizari jussit Montanistas Can. 7., tum Laodicæna Can. 8. Nam falsum notorie est, Montanistas semper formam Baptismi adhibuisse corruptam, ut clare de suo tempore testis est Athanas. orat. 2. contr. Arian. n. 43. Porro Synodus gen. Nicæna I. Can. 8. diserte ratum habuit baptisma Novatianorum, quos ibi Catharos vocat; sed eadem tunc temporis Montanistarum erat conditio; alioquin non apparet, cur Synodus hæc solos Paulianistas rebaptizari vellet; sed idem de Montanistis, si formam corrupissent, debuisset statui. Tempore autem Synodi gen. Constantinop. I. habitæ an. 381., et Laodicænæ an. 364. Montanistæ cum Sabellianis (alii Monta-

nistas in Sabellianismum ipsum incidisse contendunt) forma utebantur corrupta; hinc et cum iis ab utraque Synodo rebaptizari jubentur.

3°. S. Dionys. pro Cypriano et Firmil. mediator extitit apud Stephan., teste Euseb. L. 7. Hist. c. 5., ubi fragmentum refert epistolæ hac de re datæ a Dionysio ad Sixtum successorem Stephani; at quomodo esse mediator poterat, si errore eodem cum iis, pro quibus intercedebat, esset implicitus? Monet quidem Dionys. S. Pontificem, ut mitius hos viros habeat; probatam esse Firmiliani sententiam in Conciliis Afris, et Iconii, ac Synnadis: proinde periculosum esse a tot episcoporum communione discedere, ut inquit in epist. ad Philemon. presbyterum Romanum; sed hinc ad summum sequitur, Dionys. judicasse tot episcopos excusandos, donec quæstio controversa maturiori judicio discuteretur; ac propterea S. Hieronymo visus est stare a sententia Cypriani.

147. *Obj. II.* Adhuc in seculo IV. e primariis Ecclesiæ Patribus et Doctoribus complures, non obstante decreto Stephani, Cypriani ac Firmiliani sententiam potius amplexi et secuti sunt; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. talis erat S. Athanasius; etenim orat. 2. contr. Arian. n. 42. ait, quod Ariani in periculum veniant amittendæ mysterii integritatis; verum Patrem non pronuntient, nec verum Filium, sed alium ex nihilo creatum fingant, eorum *baptismum esse prorsus vacuum et inutilem;* vel ut alia reddit versio, *esse inane religionis simulacrum.* Item, *eorum baptisma esse tam diversum a vero, quam a Creatore diversa est creatura.* Ac demum baptisma Arianorum comparat illi Paulianistarum; sed horum baptisma erat invalidum, utpote forma vitiata utentium; ergo.

2°. S. Basil. M. epist. canonica 1. ad Amphiloch. can. 1. (opp. t. 3. p. 270. A.) rejicit hæreticos sine discrimine omnes; rationem subdit, quæ ipsa fuerat Cypriani ratio: *quia, qui se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent amplius in se gratiam Spiritus... et non possunt amplius Spiritus sancti gratiam dare aliis, a qua ipsi exciderunt.* Et epist. 2. ad eumd. can. 47. (opp. t. 3. p. 296. E.) de Encratitis, Saccophoris, sicut de Novatianis, licet præscripta forma utentibus, ait: *nos una ratione eos rebaptizamus.*

3°. S. Cyril. Hierosolymit. Præf. Catech. n. 7. perspicue ait: *Soli hæretici rebaptizantur, siquidem prius illud non erat baptisma.*

4°. S. Optat. Milevit. L. 1. contr. Parmenian. c. 12. (opp. p. 12.) docet, *hæreticos a domo veritatis satis extorres, solos habere varia et falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare.* Deinde contrarium asserit de schismaticis, eos *nobiscum vera et communia sacramenta traxisse.*

5°. S. Hieron. in cap. 4. epist. ad Ephes. v. 5. (opp. t. 7. p. 610. edit. Vallarsii) hæreticos negat habere Baptisma verum. S. Ambros. L. de Mysteriis cap. 4. n. 23. ait, *non sanare baptisma perfidorum, nec mundare, sed polluere.* Et S. Aug. L. 7. de Baptismo contr. Donatist. c. 53. dubitavit ipse, valeatne Baptismus ab infideli collatus?

R. *N. M.* sumptam universaliter; nam de plerisque hic relatis, excepto uno, falsum dici nunc constabit. Unde

148. *Ad* 1um. R. *N. Ass.* de S. Athanasio; nam 1°. S. P. epist. ad Ruffi-

nianum, Arianos non vult rebaptizari; sed plane juxta decretum Stephani, et Concilii Nicæni, cui quidem ipse interfuerat, solum recipi cum pœnitentia et impositione manuum. 2°. Pariter in Concilio Alexandrino an. 362., cui ipse præfuit, id solum vult (Labb. t. 2. p. 812. D.), *nihil amplius ab illis exigi, quam ut execrentur Arianam hæresin, confiteanturque SS. Patrum in Nicæa fidem* : atqui certo exegisset, ut rebaptizarentur, si Arianorum baptisma censuisset invalidum. 3°. S. Athanasium prorsus non poterat latere Can. 8. et 19. Nicænus, utpote cui Concilio interfuerat ipse; priore autem sine rebaptizatione jubentur Novatiani recipi; altero Paulianistæ contra rebaptizari, quod præscriptam formam non tenerent; at hanc servabant ipso teste Athanasio Ariani. Nec eum fugere poterat Can. 8. Concilii Arelat. I., de quo supra n. 142., cum biennio ipse in Gallia exul moratus sit. Unde ad loca objecta

R. *Explico* cum *D.* Ait, Arianorum baptisma esse vacuum, inutile, simulacrum religionis, etc., quoad effectum gratiæ in adultis, qui cum Arianis in hæresi communicant, vel ab his, si Catholici sint, scientes sine causa necessitatis, Baptismum sumunt *C.* quia tales obicem ponunt gratiæ: quoad substantiam et valorem *N.* Responsio ex hoc ipso S. Patris loco patet; nam 1°. ait, Arianos *venire in periculum amittendæ integritatis Baptismi*; at si judicasset reipsa nullum, dicere debuisset, eos amisisse Baptismi integritatem. Dicit vero, eos se periculo exponere amittendi ipsam Baptismi substantiam, quia pronum erat, ut, cum erronee de Trinitate sentirent, etiam errorem, ut postea Sabelliani, in forma exprimerent, baptizando in nomine Patris majoris, Filii creaturæ, etc. 2°. Quia inquit, inutilem esse Baptismum, sed ex hac causa quod nihil ad pietatem queat conferre.

149. *Ad* 2um. R. Basilium revera Cypriani et Firmiliani videri tenuisse sententiam; sed ex eo capite excusandum, quod ritum hunc esse meræ disciplinæ putaret; atque eum ita sensisse inde intelligitur, quia loco utroque cit. cuique suum hac in re morem, etiam non rebaptizantibus salvum vult; in priore enim subdit : *quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam et dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur*. In altero addit : *si autem prohibita est apud vos rebaptizatio, sicut a Romanis, œconomiæ gratia, nostra tamen ratio* (ritus rebaptizandi) *vires obtinet*. Unde concludit, necessarium esse convocari Concilium, ut ea controversia terminetur. Immerito autem quidam Basilium explicant, quod de iis loquatur hæreticis, qui formam non retineant; nam 1°. præter hos, ut Pepuzenos, etiam alios formam retinentes speciatim nominat, quos nihilominus rebaptizari vult, etsi non rebaptizantur apud Romanos; at Romana Ecclesia nunquam approbavit Baptismum sine præscripta forma collatum. 2°. Ratio Basilii eadem, quæ Cypriani fuit, generalis hæreticos omnes spectat (1).

150. *Dices* : Dogma Rebaptizantium jam fuerat proscriptum in Concilio

(1) Lege notam quam Benedictini Editores opp. S. Basilii canoni 47. supr. cit. subjiciunt.

Nicæno I. Item Arelatensi I., quo utroque Basilius posterior fuit; quomodo igitur adhuc servare rebaptizandi consuetudinem potuit?

R. *D.* Dogma hoc jam erat proscriptum in Concilio Nicæno formaliter et explicite *N.* illative et arguitive *C.* Quia Concilium hoc Can. 8. vult, Novatianos recipi citra rebaptizationem; e contra non sine hac Paulianistas Can. 19., utpote formam vitiantes; hinc tantum per consecutiones et ratiocinia inferri poterat, hæreticos formam servantes recipiendos esse sine collatione Baptismi novi. Quia igitur non explicite hoc dogma fuit definitum, poterant adhuc aliter sentire rebaptizantes post Concilium Nicæn., putareque decretum Concilii spectare non fidei dogma, sed rem disciplinæ variabilis pro varietate regionum. Concilium Arelat. I. vero annis circiter 11. ante Nicæn. habitum partim ignorari in Oriente potuit, partim pariter credi, ejus Can. 8. pro disciplinari conditum esse respectu Occidentis.

151. *Ad* 3um. R. Ob hanc sententiam rebaptizantibus quidam annumerant Cyrillum usque ad Concilium Constantinopolit. I., in quo priorem sententiam primum deposuerat, Can. 7. hujus Concilii subscribens; attamen ratio hunc S. Patrem accensendi rebaptizantibus, ex textu Præf. Catech. petita cæteris non videtur efficax; in græco enim textu aliter habetur, nec, ut versio latina habet, *siquidem prius non erat Baptisma,* sed *ubi,* vel *quando,* aut si illud prius non erat Baptisma; in græco enim est particula επειδη, quæ potius idem sonat, ac *ubi, quando,* habens vim conditionalem. Unde in hac sententia adhuc satis commode explicari potest de hæreticis formam corrumpentibus.

152. *Ad* 4um. R. S. Optatum distinguere quidem inter schismaticos et hæreticos; sed per hæreticos eos solos intelligit, qui forma vitiata utebantur. Patet 1°. ex contextu, quia loquitur de hæreticis, qui *symbolum* vitiant; hujus vero nomine tum temporis intelligebatur Trinitatis invocatio: sic in Concilio Arelat. I. Can. 8. dicitur: *Si quis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto baptizatum,* etc. Sic Aug. L. 6. de Bapt. contr. Donatist. c. 47. n. 25. *Cæterum,* inquit, *quis nesciat, non esse Baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint.* 2°. Quia loquitur de hæreticis, qui *varia* habent *Baptismata*; consequenter diversas formas. 3°. Quia idem S. P. L. 5. contra Parmenian. eumd. c. 7. (opp. p. 86.) omne Baptisma a quocumque collatum, modo præscripta forma, approbat: *In quo baptizarentur gentes, a Salvatore mandatum est; per quem baptizarentur, nulla exceptione, discretum est: non dixit Apostolis: vos facite; alii non faciant: quisquis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit.* Ex quo concludit: *Ergo nomen est, quod significat; non opus.* Deinde ibid. c. 6. commune rebaptizantium fundamentum impugnat: *Redeo nunc,* ait, *ad illud vestrum quod dicitis: qui non habet, quod det, quomodo dat? Hæc verba in lege scripta non sunt; nam si (ut vultis) homo dat, Deus vacat.* Alia proinde loca, quæ ex eod. S. Patre plura objici possunt, velut aquam Praxeæ, Patripassianorum, explica, ut supra S. Athanasium.

153. *Ad* 5um. R. Tam S. Hieronymus, quam S. Ambrosius loquuntur de

sacramento quoad effectum, sive fructum, quem non percipiunt, qui hæreticis vel consentiunt, vel cum iis communicant; sed ob perceptionem sacrilegam polluuntur, scilicet peccato sacrilegii. S. Augustinus pro opinione sua privata de talis Baptismi valore nunquam dubitavit; decidere tamen hac in re non voluit sui solius auctoritate, eo quod de Baptismo collato ab infideli nullum Concilium aliquid decrevisset, ut eodem declarat loco.

154. *Obj. III.* Ecclesia præsenti in controversia nunquam sibi constans fuit; ergo.

Prob. Ant. 1°. Concilium Nicæn. I. Can. 19. dicit: si quis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis et Cataphrygis, statutum est, rebaptizari eos omnino debere; sed tamen Cataphryges, h. e. Montanistæ formam servabant, teste Athanasio orat. 2. contr. Arian. supra cit., et Hieron. Dial. contr. Luciferian.

2°. S. Hieronymus ante cit. negat Cerinthianos, Ebionitas, et Manichæos fuisse rebaptizatos; Gennadius contra sec. V. scriptor ait L. de Dogmat. Eccles. c. 22. alias 52. Montanistas, Manichæos et alios hujusmodi rebaptizari; ergo.

R. *N. Ant.* de Ecclesia universali; quædam particulares enim, de quibus ante dictum, nihil reliquæ universali derogare possunt.

Ad prob. 1am. R. Vox *Cataphrygis* mendose et vitiose irrepsit in versionem Isidori; nec enim in Canone græco et primigenio extat, nec in versione Dionysii Exigui. Interim tamen revera Montanistæ tempore Concilii Nicæni non rebaptizabantur, pari fruentes sorte cum Novatianis, ex ratione jam superius data.

Ad prob. 2am. R. *N. Cons.* Variatio enim illa non velut versatili in Ecclesia dogmati, aut disciplinæ, sed hæreticorum tribuenda inconstantiæ est, eorum maxime, qui de Trinitate sentiebant erronee, pro varietate locorum et temporis formam depravantium. Sic Manichæi et Montanistæ primo forma utebantur evangelica, quam postea tempore Gennadii depravarunt, ut de Montanistis jam observavimus.

155. *Obj. IV.* Ex SS. Pontificibus. Multo adhuc post Stephanum tempore, varii successores Pontifices judicarunt contrarium; ergo.

Prob. Ant. 1°. Innoc. I. epist. 18. (al. 24. c. 3.) ad Alexand. hoc ait esse discrimen inter Arianorum baptisma et consecrationem, quod eorum baptisma sit ratum, sed non ordinatio. Simile quid leges Caus. 1. q. 1. Can. *Qui perfectionem,* et c. *Ventum est.* 2°. Leo I. epist. 79. (al. 159. c. 7.) ad Nicætam Aquileiensem: *Hi,* inquit, *qui baptismum ab hæreticis acceperunt... formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt.* 3°. S. Greg. M. L. 11. ep. 61. (al. 67. opp. t. 3. p. 1168. A.) jubet repeti Bonosianorum baptisma. Pelag. II. relatus Caus. 24. q. 1. c. *Schisma* ait: non est Christi corpus, quod schismaticus conficit. 4°. Urban. II. epist. ad Lucium (Labb. t. 10. p. 441. A.) videtur docere, valere quidem sacramenta collata ab improbis Catholicis, non autem a schismaticis et hæreticis. 5°. Plures demum SS. Pontifices declarant ordinationes factas a schismaticis, hæreticis esse nullas, irritas.

R. *N. Ant. Ad prob.* R. Nullum ex singulis relatis esse contrarium. Innoc. I.

non dixit ordinationem Arianorum invalidam quoad substantiam; sed solum, quod apud hos ordinati, dum ad Ecclesiam redeunt, cum honoribus suis et gradibus recipiendi non sint. S. Leo eo ipso in loco Baptismum non esse iterandum docet; unde per sanctificationem fructum intelligit, quem communicantes hæreticis non percipiunt. S. Gregor. merito a Bonosianis baptizatos rebaptizari voluit, qui Bonosiani corrupisse formam notati sunt; non enim baptizabant in nomine SS. Trinitatis : cæterum ibidem declarat simul, quod baptizatus ab hæreticis præscripta forma baptizantibus rebaptizari non debeat. Pelag. non intelligit Eucharistiam, sed corpus Christi mysticum, Ecclesiam ; vultque apud schismaticos non esse verum corpus Christi mysticum; unde subdit : *Nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli reprobatione confingere : unam, ut sæpe dictum est, quæ Christi corpus est, constat esse Ecclesiam.* Urbanus solum de sacramenti fructu loquitur. Cæteri demum ordinationes factas a schismaticis vel hæreticis, nullas, irritas dicunt, non quoad *substantiam,* sed *exercitium.* Sed de hæreticorum ordinationibus cum specialis difficultas sit, quæ hujus nondum loci est, vide quæ de valore talium ordinationum satis prolixe disserui, Tract. de sacr. Ord., ubi de ministro hujus sacramenti.

156. *Obj. V.* Ex ratione. 1°. Baptismus est fons vitæ : atqui hunc non habent hæretici, sed e contra aquam mendacem et adulteram; ergo.

2°. Juxta illud 1. Petr. 3. 20. 21. In arca Noe *pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma;* arca Noe aquis diluvii supernatans figura est veræ Christi Ecclesiæ : atqui aqua diluvii non fuit aqua salutis, nisi iis solum, qui in arca erant; ergo.

3°. Sacramenta soli Ecclesiæ a Christo data sunt; ergo hæretici utpote extra Ecclesiam sacramenta non habent, nec proinde dare possunt aliis. Item, hæretici non sunt membra Ecclesiæ, vel sunt tantum mortua : sed caput non influit in corpus per membra mortua; ergo.

4°. Per Baptismum homines generantur filii Dei ; filios vero Dei ex sola Christi sponsa sua suscipit, quæ est Ecclesia vera, non ex adultera, quæ a Christo separat et nonnisi proles spuria gignit; ergo hæretici non baptizant valide.

5°. Nullum hæretici habent jus in sacramenta; *quæ enim conventio Christi cum Belial ?* 2. ad Cor. 6.; ergo.

Ad 1. R. *C. M. D. min.* Habent tantum aquam mendacem et adulteram, h. e. infructuosam pro se hæreticis, et iis, qui cum ipsis communicant *C.* h. e. non habent verum Baptisma, si ritum evangelicum servent *N.* Baptismum cum Ecclesia communem habent; nimirum sicut fluvius Paradisi, ait Aug. L. 4. de Bapt. c. 1., etiam diffundebatur in terras exteras, sic fons aquæ vitalis in Ecclesia Catholica positus exundat foris.

Ad 2um. R. *D. min.* Aqua diluvii non fuit aqua salutis, nisi iis, qui in arca erant, spectato effectu; quia scilicet ab interitu sunt actu liberati *C.* spectata virtute, quasi secundum se salvare alios non potuisset *N.* Baptismus hæreticum qua talem non salvat, potest tamen hunc salvare, si deponat hæresin; sicut et Catholicus Baptismum ab hæretico bona fide, vel in necessitate suscipiens eo salvatur.

Ad 3um. R. *D. Cons.* Ergo non habent sacramenta ut sua *C.* ut Ecclesiæ *N.* Sicut S. Scriptura, quam habent hæretici, non est eorum, sed Ecclesiæ : vel sicut res tua jure proprietatis pertinet ad te solum, licet ab alio quocumque possessore detineatur. Deinde Deus quibuscumque membris ceu instrumentis uti potest. Caput naturale equidem per membra mortua non influit in corpus; cum enim influxus ejus vitalis sit, influere debet per membra viventia : at Christus caput morale per hæreticos non ceu per membra influit, sed ceu per instrumenta.

Ad 4um. R. *C. Ant. N. Cons.* Illi enim, qui baptizantur ab hæreticis, etiam generantur ab Ecclesia, quia baptizantur Baptismo, qui est Ecclesiæ, quem ministrant hæretici ceu instrumenta. Sicut videlicet, inquit Aug. L. 5. de Bapt. c. 24. Sara ex utero Agar ancillæ jure conjugali genuit Abrahæ Ismaelem, sic Ecclesia ex utero ancillæ, hæresis, ut ex divino semine, scilicet Baptismate quod ejus est, Christo sponso suo filios procreat.

Ad 5um. R. *D. Ant.* Nullum habent jus in sacramenta Christi, ut illa administrent licite et legitime *C.* ut nec valide, auctoritate Christi illa administrare valeant *N. Multa enim,* ait Aug. ad hanc object. L. 5. de Bapt. c. 15. n. 19., *contra jus dantur; non tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur.* Quique eorum hæresi non consentiens Baptismum ab iis bona fide, in necessitate suscipit, conventionem cum Belial non habet. His porro objectionibus addi etiam possunt, quæ Art. seq. afferentur.

ARTICULUS III.

AN AD VALOREM SACRAMENTI SALTEM REQUIRATUR IN MINISTRO PROBITAS?

157. *Præmitto.* Seculo IV. dispari longe modo et pertinacia vere hæretica rebaptizantium errorem propugnarunt, auxeruntque Donatistæ, sic dicti a Donato episcopo a Casis-nigris, ut inquit Aug. L. 1. Retract. c. 21. schismatis Carthaginensis in Cæciliani electione promotore principe. Mortuo Majorino episcopo, cum Cæcilianus communibus populi suffragiis esset electus Episcopus, et a Felice Aptungitano ordinatus, Botrus et Cælestius, qui ipsi episcopatum ambierant, Luciliæ Cæciliano pridem subinfensæ, potentis feminæ præsidiis adjuti, nullam esse aiebant Cæciliani ordinationem, utpote a Felice factam, homine improbo, quem ceu traditorem sacrorum Codicum criminabantur, dicendo, sacramenta non solum collata ab hæreticis extra Ecclesiam, sed etiam ab improbis intra Ecclesiam nulla esse. Paucis S. Optatus hoc schisma depinxit L. 1. c. 29., *schisma,* inquiens, *confusa mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit.* Quod novum dogma hæreticum postea nonnihil emollientes peccatorem publicum inter et occultum distinguebant docendo, valida adhuc esse sacramenta collata a peccatore occulto, at non publico; unde et Catholicos, quod Baptismum susceptum in hæresi vel schismate non repeterent, ac rata haberent sacramenta collata ab improbis, pro hæreticis habebant, teste Aug. L. 3. de hæresib. num. 69. Sæpius S. Aug. totius definitionem Ecclesiæ ipsis opposuit factam plenario in Concilio; at contendebant Donatistæ, Ecclesiam toto

in orbe, criminum et abusuum multitudine oppressam, sepultamque in una Donati parte, pro qua videlicet supra 400. stabant episcopi, consistere. Quodnam vero fuerit plenarium istud Concilium, disputant Critici, aliis ARELAT. I. non adeo multo post CYPRIANI mortem tempore habitum, aliis generale NICÆN. I. opinantibus. Quæ sententia postrema S. AUGUSTINO videtur conformior; ait enim S. Doctor, fuisse hoc totius orbis Concilium; sed hoc soli NICÆNO convenit; ARELATENSE enim, etsi plures in eo, quam in NICÆNO convenerint episcopi, numero facile 600., hoc tamen ex solis constabat Occidentalibus; NICÆNUM contra ex episcopis totius orbis.

Hanc Donatistarum hæresin sec. XII. resuscitasse dicuntur Apostolici, ut S. BERNARD. serm. 66. in Cantica innuit; tum sec. XIV. Waldenses et Albigenses, S. ANTONINO teste 4. p. Theol.: longius vero his omnibus progressi sec. XIV. Wicleffistæ, ea tantum sacramenta valida dicentes, quæ a ministris prædestinatis conficerentur.

158. *Dico.* In ministro ad sacramenti valorem probitas, h. e. sanctitas, vel status gratiæ non requiritur. Est de fide.

Constat 1°. ex Concl. Art. præced. a potiori; si enim sacramentorum valori non obstet hæresis, quanto minus status peccati?

2°. Auctoritate et definitione Concilii CONSTANTIENSIS damnantis Art. 4um. Wicleffi: *Si episcopus, aut sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Ac Concilii TRID. Sess. 17. Can. 12. *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum aut conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit.*

3°. Ex traditione et praxi Ecclesiæ perpetua nunquam iterantis sacramentum collatum a ministro peccatore, sive occulto, sive publico, sed semper damnantis, qui contrarium sentirent.

4°. Ex auctoritate SS. Patrum, quorum una vox est, una sententia, sacramenta sic esse in potestate Dei, vel Christi, ut efficaciam suam ministrorum sanctitati prorsus non debeant, velut diserte tradit S. GREGOR. NAZ. orat. 40. de Bapt. n. 26., S. CHRYSOST. hom.8. in epist. 1. ad Cor. n. 1. (opp. 10. p. 66. C.) ac nitide S. AUG. L. 2. contr. epist. Parmeniani c. 10. n. 22. dicens: *Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus; prosunt tamen per eos digne suscipientibus.* Et Tract. 5. in Joan. n. 18. *Dedit Judas,* inquit, *et non est baptizatum post Judam: dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem; quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat... Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit.* Ubi S. Pater simul rationem expressit, ex qua infra idem probabimus.

5°. Ex ratione theologica. Potestas et virtus sacramentorum apud Christum, non apud ministrum est, ut modo ex AUG. notatum, et Art. præced. ex S. Scriptura n. 144. Quia scilicet semper principalis operans Christus est. Nocet igitur minister malus sibi, ut infert AUG. Tr. 5. in Joan. cit.; sed aliis tamen prodest, estque instar canalis, qui licet lapideus sit, et ex aqua fructum ferre non possit, hortis tamen aquam, et cum aqua pluri-

mum fructum affert : ex August. Tract. 5. in Joan. n. 15. Item, est instar sigilli, quod sive plumbeum, sive aureum sit, semper eamdem imprimit imaginem principis, quæ similitudo S. Gregorio Naz. loc. cit. placuit; vel ut cerea fax, quæ aliis prælucens seipsam consumit, ut ait Nicolaus I. Papa ad consulta Bulgarorum. c. 71. (Labb. t. 8. p. 541.)

Adde hoc ingens absurdum; si sacramentorum valor dependeret a ministri probitate, vel statu gratiæ, cum hæc desint multis, sacramenta persæpe essent irrita, cum ingenti animarum dispendio; non esset eorumdem iterationis finis, nunquam anxietatum; itaque Christus parum Ecclesiæ, parum animarum saluti providisset; quæ quam longissime abhorrent a fine et scopo Christi sacramenta instituentis.

159. *Obj. I.* Ex S. Scriptura 1°. Eccl. 34. 4. *Ab immundo quis mundabitur?* Et v. 30. *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Ergo impii mundare quicumque non possunt a peccatis, aut conferre Baptismum validum; sed talis Baptismus *aqua mendax* est, ut ait Jeremias cap. 15.

2°. Aggæi 2. contaminari dicitur, *quidquid tetigerit pollutus in anima*: sed peccator est pollutus in anima; ergo.

3°. Eccles. 10. 1. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*: sed tales muscæ peccatores sunt, et unguentum hoc est sacramentum; ergo.

4°. Matth. 7. Christus dicit: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: atqui peccator est arbor mala. Præterea

5°. Christus Joan. 20. ait ad Apostolos, inque iis ad sacerdotes omnes: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, etc.*; ergo nemo potest remittere peccata, nisi habeat Spiritum sanctum; sed improbi illum non habent; ergo.

Ad 1um. R. *D.* 1^{am}. *Cons.* Ergo impii non possunt mundare virtute propria et principali *C.* virtute Christi, et ut causa instrumentalis *N.* Sicut medicus mediante medicina potest ægro conferre sanitatem, qua ipse caret; sic actio sacramentalis posita a ministro improbo mundare potest Christi virtute et nomine. *N.* autem 2^{am}. *Cons.* Nam textus ex quo educitur plane impertinens est; ibi enim de purificatione ab immunditia legali sermo est, quæ contrahebatur ex contactu cadaveris, vel mortui; ac sensus est: quid prodest post cadaveris contactum purificari lustrationibus legalibus, si rursum repetito illius contactu eamdem de novo immunditiam contrahas? Deinde qui Baptizatur a peccatore, baptizatur quidem a mortuo ceu instrumento; attamen baptizatur a Christo vivente tanquam a causa principali, inquit Aug. L. 2. contra epist. Petiliani L. 10. c. 22. Jeremias per aquam mendacem populum perfidum intelligit, non aquam Baptismi, quæ ex se nunquam mendax est; sed solum per accidens ob pravam dispositionem recipientis.

Ad 2um. R. 1°. Etiam hic textus inepte contra litteram affertur; pollutus enim hoc quoque loco dicitur, qui corpus mortui attigerit juxta legem Numeror. 19., ait Hieron. in Aggæum.

2°. Textum huc licet applicando, contaminari dicitur, quod tangit pollutus ut pollutus, non ut Dei minister, ut inquit S. Optat. Milevitanus Lib. 6. de schism. Donatist. c. 3.

Ad 3um. R. *N. min. quoad p.* 2^{am}. Per unguentum hic odor bonæ famæ

indicatur; scilicet muscæ morientes, sive impii perdunt suavitatem unguenti, sive odorem bonæ famæ; non vero perdunt Dei virtutem, per quam agunt in sacramentis, juxta S. Aug. L. 2. contr. Parmenianum cap. 10. n. 22.

Ad 4um. R. Explico cum *D.* juxta Augustinum cont. epist. Petiliani L. 2. c. 6. n. 13. Arbor mala, vel peccator qua talis *C.* qua minister Dei *N.*

Ad 5um. R. *D. Cons.* Nemo potest remittere peccata, nisi habeat Spiritum sanctum, h. e. potestatem per Spiritum sanctum communicatam *C.* nisi habeat Spiritum sanctum, h. e. ejus gratiam sanctificantem sibi inhærentem *N.* Potestas conficiendi sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratis data in aliorum commodum, quæ etiam in peccatoribus et infidelibus esse potest.

160. *Obj. II.* Ex SS. Patribus 1°. S. Aug. pluribus in locis docet, ministros malos non posse dare remissionem peccatorum; sic L. 3. de Bapt. contr. Donat. c. 18. ait de ministris malis: *Tales ipsius Cypriani temporibus baptizabant..... remissam tamen peccatorum non dabant; quæ per orationes sanctorum, id est per columbæ gemitus datur... non enim raptoribus ac fœneratoribus diceret Dominus: si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi... sed solvitur, qui cum columba fecerit pacem, et ligatur, qui cum columba non habet pacem*; ergo.

2°. S. Hieron. in cap. 3. Sophon. asserit, erroneum esse putare, Eucharistiam fieri posse verbis sacerdotis, non vita; solemni oratione, non meritis; ergo hæc ad valorem requirit.

Ad 1um. R. Docet, ministros malos, sive hæreticos, sive schismaticos non posse dare remissionem peccatorum, vel gratiam iis, qui consentiendo eorum hæresi, vel schismati, vel malitiæ ponunt obicem *C.* secus *N.* Responsio ex ipso textu colligitur: ait enim, Christum non dedisse raptoribus et fœneratoribus potestatem solvendi, ligandi; sed *solvitur, qui cum columba fecerit pacem,* h. e. a schismate redeunt ad Ecclesiam; *ligatur autem qui cum columba non habet pacem,* h. e. vult remanere in schismate; eoque casu talium remittendi peccata potestatem non dedit ministris Deus. Eodem modo exponi debet, quod dicit L. 5. de Bapt. c. 22., hæreticos Baptismum, non gratiam dare posse juxta dicta Art. præced. Cæterum mens Aug. nemini dubia esse potest, cum eo nemo valentius dogma hoc catholicum contra Donatistas sit tuitus, ut ex recitatis ejus sententiis liquet.

Ad 2um. R. S. Hieron. ibi ad significationem vocis *Eucharistia* alludit, quæ gratiarum actionem significat, dicitque, ut hæc Deo grata ac vera sit, requiri præter verba consecrationis probitatem sacerdotis atque vitam sanctam. De ordinationibus factis a simoniacis, intrusis ac similibus abunde jam dictum suo loco fuit de Sacram. Ord. ubi de ministro hujus sacramenti.

161. *Obj. III.* Ex ratione 1°. Nemo dat, quod non habet: sed minister improbus non habet Spiritum sanctum; ergo nec eumdem dare posset.

2°. Hoc modo nullum foret discrimen inter ministrum probum et improbum, bonum et malum: sed hoc pugnat cum communi fidelium sensu, qui judicant, melius esse, sacramentum a ministro bono, quam a malo percipere.

3°. Sacramentum ut conferatur valide, debet fieri Christi nomine, et minister debet agere ut instrumentum Christi: sed improbi non possunt esse ministri et instrumenta Christi; nam instrumentum agenti principali conjunctum esse debet; ergo.

Ad 1um. R. *D. M.* Nemo dat virtute propria, quod non habet; vel si agat ut causa principalis nomine proprio *C.* nemo dat virtute et potestate aliena, quod non habet; aut si nomine alieno agat ut causa mere instrumentalis *N.* Sic *D. min.* et *N. Cons.*

Ad 2um. R. *D. M.* Nullum foret discrimen, quantum ad substantiam sacramenti *C.* neque hoc pugnat cum fidelium sensu. Quantum ad humana merita, dignam sacramentorum administrationem et ædificationem *N.*

Ad 3um. R. *N. min. Rationem D.* Debet esse conjunctum agenti principali per amicitiam et gratiam *N.* per institutionem et intentionem, ut velit facere, quod Christus instituit, et cujus potestatem ab eo accepit *C.*

ARTICULUS IV.

QUID REQUIRATUR IN MINISTRO, UT SACRAMENTUM MINISTRET LICITE?

Minister sacramenti alius est talis ex officio, sive per se, qui speciali consecratione ad tale sacramentum conficiendum, vel ministrandum deputatus est, ut episcopus ad conficiendum et ministrandum sacramentum Confirmationis et Ordinis; sacerdos ad sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis. Alius est minister per accidens, non ex officio talis, h. e. non specialiter consecratus, vel deputatus ad sacramentum ministrandum. Prior etiam minister solemnitatis dicitur, posterior necessitatis.

162. *Dico I.* Minister ex officio talis, sive specialiter consecratus et deputatus per se loquendo peccat mortaliter, sacramentum in statu peccati mortalis conficiens.

Prob. I. Ex S. Scriptura. Multo magis requiritur sanctitas et mundities in ministris sacramentorum novæ Legis, quam veteris; hæc enim nostrorum figuræ tantum et umbræ erant: sed sub culpa gravi requirebatur in ministris Legis veteris sanctitas et mundities, Exod. 19. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Levit. 22. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra* (Aaronica, *ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino;* pœnæ autem intentatæ gravitas gravitatem detegit culpæ; ergo.

Prob. II. Auctoritate Patrum e quibus S. Aug. L. 2. contr. epist. Parmen. c. 10. jam supra relatus, *Omnia,* inquit, *sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne suscipientibus.* Et in Ps. 103. n. 9. *Videant, qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur;* hoc vero de ministris dixit. Tum Tract. 5. in Joan. n. 15. *Ego dico, et omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti Judicis ministros.* S. Greg. L. 1. ep. 25. (opp. t. 2. p. 508. B.) *Necesse est, ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat... scriptum namque est: Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Similia referunt alii apud Suarez hic. Unde et Greg. IX. c. ult. de

tempor. ordinand. ait : *Sacerdotes iniquos sub interminatione judicii divini obtestandos esse, si non pœnituerint, ut in susceptis ordinibus non ministrent;* Ac Rituale Romanum, *impure vel indigne sacramenta administrantes in æternæ mortis reatum incidere.*

Prob. III. Ratione. Quia sacramenta in se sunt res sanctissimæ, in se moraliter continentes Christi merita et sanguinem; ergo ipso dictante rationis lumine sancte tractanda sunt. Deinde minister sacramentum conficiens Christi ipsius gerit et sustinet personam, estque unum agens cum Christo tanquam agente principali; ergo gravis in hunc et sacramenta irreverentia committitur, si tantæ sanctitatis et dignitatis actio indigne exerceatur.

Dixi 1°. Minister *ex officio* conficiens; quod si enim talis non sit, ut in baptismo accidit, quem laicus in necessitate ministrat, complures putant eum non peccare mortaliter, quod non sit ad hoc specialiter consecratus. Verum contrarium affirmant communius alii; eo quod de ministris quibuscumque sine discrimine pronuntient Patres, ministrum in statu peccati mortalis conficientem sacramentum peccare mortaliter, et quosvis alloquitur rectæ rationis vox : sancta sancte tractanda esse.

Dixi 2°. *per se loquendo;* quia per accidens excusari potest, non a mortali solum, sed etiam veniali; si invincibiliter se in statu peccati esse ignoret, vel non advertat : aut, etsi advertat, adeo urgeat necessitas, ut ministro non relinquat spatium temporis, se prius Deo reconciliandi, velut si subito ob urgentem necessitatem esset baptizandus infans, absolvendus moribundus, ne hic ante absolutionem, ille ante baptismum moreretur. Cum enim sacramenta instituta sint pro salute hominum, hoc casu intentioni ac voluntati Christi erit conformius, prius periclitanti homini subvenire.

163. *Dico II.* Probabilius est, non peccare graviter ministrum, qui in statu peccati Eucharistiam solummodo distribuit. Ita Auctorum communior sententia.

Prob. Nam 1°. obligatio gravis non debet adstrui sine fundamento gravi, et sufficienti : sed tale non videtur a parte adversa afferri. 2°. Sacerdos Eucharistiam solummodo distribuens neque conficit sacramentum, neque Christi personam gerit, neque illius auctoritate immediate sanctificat; sed tantum jam confectum movet localiter illud applicando ori communicantis; in quo non potest dici, committi irreverentiam gravem; sicut juxta omnes non est irreverentia gravis, si sacerdos existens in peccato portet Eucharistiam de loco in locum; si attingat; si gestet e collo pendulam alio; si ea benedicat populo; re ipsa enim distribuendo Eucharistiam plus non facit, quam quod eam localiter deferat ad communicantes. Deinde distribuens Eucharistiam non est necessario ex institutione Christi persona sacra; cum eam olim in primo Ecclesiæ ævo secum domum deferrent laici, eamque sibi ac aliis distribuerent. Quod vero peccetur saltem venialiter, certum est, quia ratio dictat, esse saltem irreverentiam aliquam, in peccati gravis statu dispensare corpus Domini.

E quibus veluti sponte sua fluit, multo minus peccare ministrum graviter, qui in peccati statu existens exercet functiones sacras alias, non sacramentales; cujusmodi sunt chrismatis confectio, benedictio olei infirmorum, consecratio templorum, benedictio abbatum, vestium sacerdota-

lium, aquæ lustralis, cinerum, palmarum, nuptiarum : item cantus solemnis Evangelii a diacono, lectio Epistolæ a subdiacono ; eo quod in his similibusque actionibus nulla interveniat sacramenti confectio ; nulla meritorum Christi dispensatio ; nullum opus in se tam sanctum, ut detur obligatio gravis, illud exercendi in gratia.

Nec obstat, quod Greg. IX. cap. *Quæsitum.* de cohabit. cleric. et mul. dicat indistincte, Clericum quemlibet pro mortali peccato, quoad se ipsum esse suspensum ab officio ; et S. Th. in 4. Dist. 24. a. 3. in solut. q. 5ae. *Quicumque homo quod sibi competit ex ordine, facit indigne... per hoc mortaliter peccat ;* et ibid. ad 4. *quandocumque* (existens in mortali) *exhibet se in aliquo actu ut ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat, et toties mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit ;* neuter enim sumi potest, ut verba sonant, ne, secus, aperte sequatur nimium ; et vero sequeretur, graviter peccare ostiarium, qui existens in mortali aperit januam ; acolythum, qui in statu peccati gravis deferret ampullas vel lumen ; subdiaconum, qui eodem in statu in Sacro solemni explicaret corporale : at hæc admitti non possunt. Uterque igitur pro qualitate materiæ intelligendus est, scilicet de ministratione, qua simul conficitur sacramentum, vel, quæ responsio Doctori Angelico apta est, si ob improbitatem notoriam detur scandali gravis occasio.

164. *Dico III.* Per se loquendo, citra peccatum grave ex parte ministri sacramentum indigno ministrari non potest. Est comm. et certa cum Doct. Ang. hic q. 80. a. 6.

Indignus vero hic dicitur, qui capax quidem est suscipiendi valide sacramenti, incapax autem obtinendæ per illud gratiæ. Indignitas hæc ex delicto gravi, vel impedimento oritur ; estque pro ratione delicti vel publica, et notoria ; vel occulta. Delictum autem publicum vel notorium est tale vel facto ipso, vel jure, vel fama communi. Publicum vel notorium, ut dicitur notorietate *facti* est, quod tot præsentibus patratum hominibus, ut nulla queat tergiversatione celari. Publicum vel notorium *jure ;* cujus quis in judicio est probatus et declaratus reus. Publicum vel notorium *fama,* quod compluribus innotuit, licet facto ipsi præsentes non adessent.

Prob. Ex S. Scriptura 1. ad Cor. 4. ubi præcipitur, ut minister fideliter sacramenta dispenset. Ac Matth. 7. monet Christus : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos ;* inter sancta vero religionis Christianæ sacramenta præcipuum locum sibi vindicant. Et ratio est 1°. quia lex naturalis dictat, ut, qui ex officio est dispensator bonorum domini, de iis non disponat, nisi fideliter et juxta voluntatem domini ; quæ hic est, ne communicentur indignis. 2°. Religio qua virtus ad hoc specialiter obligat ; vi cujus minister cavere tenetur, quoad potest, irreverentiam, quam indigne suscipiens sacramento ejusque auctori infert. 3°. Lex charitatis obligat, non cooperari ad peccatum proximi.

Dixi : *per se loquendo ;* excipi enim debet a regula, si peccator occultus petat sacramentum publice ; tunc enim præceptum non infamandi proximum præponderat, cum peccator occultus jus ad famam retineat, qua ob delictum occultum nemo spoliari debet.

Nec obstat jus oppositum, quod habet Christus, ne indigna susceptione sacramenti inhonoretur ipse ; nam juri huic ex casu dato Christus censetur

cedere gravissimis de causis, proinde nolle, ut iis in circumstantiis infametur peccator; sicuti Christus huic cedit juri, ne violetur sigillum confessionis; et sicut Christus ipse facto proprio cessit, Judæ in cœna ultima præbendo Eucharistiam, quem scientia privata certo sciebat esse furem et proditorem. Ratio igitur a priori ipsa Christi voluntas, quæ inde merito colligitur 1°. ex ejus facto proprio: 2°. quia censendus est ita instituisse sacramenta, eorumque ordinasse ministrationem, ut per ipsam non turbetur pax Ecclesiæ, oriantur scandala, homines avertantur a sacramentorum usu et ministerio; hæc vero sequerentur plane, si minister peccatori occulto sacramentum, dum hoc publice petit, negare deberet; vel enim minister occultum indignum repellens, teneretur eo casu probare indignitatem, vel non. Si primum; hoc sæpissime non posset; itaque ipse incommodis gravissimis esset expositus, quod faceret, ut ministerium redderetur summe odiosum, ideoque illud plerique subire refugerent. Si alterum; susceptio odiosa fieret, quod minister ea ratione, pro libitu, vel passione posset quemvis repellere, et infamare innocentem.

165. *Si dicas* 1°. Præceptum non ministrandi sacramentum indigno est naturale et negativum; ergo obligat semper pro semper.

R. 1°. *N.* esse pure negativum; sed resolvitur in affirmativum; scilicet prudenter et fideliter sacramenta dispensandi.

R. 2°. *Perm. Ant. D. Cons.* Ergo pro semper obligat; et pro omnibus circumstantiis *N.* positis simul circumstantiis necessariis *C.* Inter has autem Christus esse voluit, ut absit scandali periculum et infamia. Sic etiam præceptum non occidendi non obligat in circumstantiis, quibus id necesse foret ad conservandam vitam, quam alter injuste invaderet.

166. *Si dicas* 2°. Posset salvari non tantum fama proximi, sed etiam reverentia sacramenti, et insuper caveri scandalum, si administratio sacramenti simularetur, velut si daretur hostia non consecrata.

R. 1°. Simulata sacramenti administratio illicita est juxta prop. 29. ab Innocentio XI. damnatam, ex qua damnatione certum est, non licere hic simulationem formalem, ac proprie dictam (ut si minister ex intentione decipiendi adstantes poneret actionem sacramentalem sine intentione sacramenti), sed nec materialem, saltem quando adest aliqua vitiosa circumstantia, velut si administratio sacramenti exigatur in contemptum religionis; vel si fiat cum scandalo; hæc enim intrinsece mala sunt.

R. 2°. In nullis circumstantiis dari posse hostiam non consecratam; etsi enim non sit proprie simulatio circa administrationem sacramenti, quod ibi non est, et cujus nulla pars ponitur; vitiosa tamen accedit circumstantia, eo quod hostia non consecrata exponatur adorationi tum adstantium, tum præcipue illius, qui cum externa saltem reverentia eam suscipiet, proindeque idololatriam externam saltem committeret, quorum utrumque intrincece malum est; sicut intrinsece malum est, si quis etiam metu mortis adactus a tyranno, thus idolo adoleat, quamvis interne intendat solum se odore pascere, quia scilicet cultum externum idolo exhibet.

167. *Si dicas* 3°. At ex duobus malis minus eligendum est: atqui minus

est malum infamari peccatorem occultum, quam inhonorari sacramentum; ergo. *Prob. min.* Virtus enim religionis erga sacramentum ejusque auctorem virtuti justitiæ, aut charitatis erga proximum præponderat præsertim in Ecclesiæ ministro, ceu dispensatore publico mysteriorum Dei; ergo.

R. *N. min. Ad prob. D. A.* Virtus religionis per se loquendo præponderat *C.* in positis circumstantiis *N.* Etsi enim ipsi peccatori expediat suæ potius famæ jacturam pati, quam committere sacrilegium suscipiendo indigne sacramentum; ipsi tamen ministro magis expedit permittere dispensando sacrilegium, quod suscipiens facile vitare posset, si vellet, quam infamare eumdem ob rationes concl.; quod in his circumstantiis Christus jure suo cedat, nolitque, ut suo potius honori consulatur, ac reverentiæ sacramenti.

ARTICULUS V.

UTRUM IN MINISTRO AD SACRAMENTI VALOREM ALIQUA NECESSARIA SIT INTENTIO?

168. *Præmitto.* Intentio hic est actus voluntatis efficaciter tendentis in objectum aliquod vel habendum vel ponendum ceu finem, hic vero pro voluntate deliberata faciendi sacramentum sumitur. Dico : *deliberata;* voluntas enim nihil imperat, non exit in actum, nisi dirigente intellectu, sive sine cognitione prævia. Hinc in amente, dormiente, ebrio nulla datur intentio. Nullam requiri intentionem faciendi sacramentum, vel quod facit Ecclesia, Lutherus docuit L. de Captiv. Babyl. *Non enim,* ait ibid., *in conferentis tantum, quantum in suscipientis fide vel usu sita virtus baptismi, sicut legitur de quodam mimo per jocum baptizato.* Luthero igitur solus ritus sacramentalis etiam mimice, irrisorie, sicut histriones et mimi sæpe in theatris faciunt fingentes aliorum personas, externe tantum representatus, vel ab amente, ebrio exercitus jam verum sacramentum est.

Conatus quidem Calvinus est in Antidoto Conc. Trid. Sess. 7. Can. 11., item Kemnitius in Exam. Conc. ejusd., tum alii recentiores Calvini discipuli sic emollire Lutheri dogma, ut quidem jocum et irrisionem externam ac manifestam obesse velint sacramenti valori; secus tamen internam et latentem; valereque sacramentum, etsi omnis desit interne animus faciendi, quod facit Ecclesia. Cum enim eorum capitale dogma sit, sacramenta non justificare quemquam virtute sua, sed quatenus repræsentando promissiones divinas excitante in suscipiente fidem, hinc a quocumque, quomodocumque, serio, illusorie ab ebrio, amente ministrentur sacramenta, seclusa quavis intentione faciendi, quod facit Ecclesia, semper tamen, inquiunt, signa sunt, quibus in nobis excitetur fides.

169. *Dico.* Ad valorem sacramenti necessaria est in ministro intentio perficiendi sacramentum; sive faciendi, quod facit Ecclesia.

Est de fide catholica; Trid. Sess. 7. Can. 11. ita definiente : *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.* Quod idem jam ante Conc. Florent. declaraverat in Decr. Eugenii : *Omnia* (Sacramenta) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma,*

et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Ac Conc. Const. Sess. ult. in Constitut. Martini V. jubet (Labb. t. 12. p. 269.), ut suspectus de hæresi Wicleffi interrogetur, utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet et vere conferat alia sacramenta? Quibus dictæ intentionis necessitas supponitur. Nihilominus dogma catholicum et Ecclesiæ definitio ulterius

Prob. I. Ex S. Scriptura. Christus sacramenta instituens eorum ministros constituit dispensatores, 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* : Item Joan. 20. *Quorum remiseretis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt,* Apostolos constituit judices, iisque sacramentorum potestatem tradidit; sed minister, dispensator principis negotium hujus prudenter agere debet ex rationis præscripto; nemo enim mimos, histriones, stultos eligit ministros, aut hos vult illorum more suum gerere negotium : item potestas faciendi, vel non faciendi non est, nisi in iis rebus, quæ ex deliberatione agunt.

Prob. II. Rationibus theologicis : 1°. Ministratio sacramentorum actus moralis est; ergo humano modo, h. e. ex consilio et intentione, debet peragi; vel secus cur homines instituisset Christus sacramentorum ministros, nisi voluisset, ut hominum, non brutorum more agerent. 2°. Si quid ex se indifferens, ac referri ad plura potest, si debeat effici, necesse est, ut per aliquid determinetur ad unum; sed actiones sacramentales ex se adhuc indifferentes sunt, possuntque ad plura alia referri; sic ablutio in baptismo potest exerceri ut naturalis plane, ut est ablutiva, sanativa corporis, item ut sacra; nec dici potest, ablutionem determinari ad sacramentalem per verba : *Ego te baptizo,* etc.; nam et hæc verba indifferentia sunt ad significandam ablutionem tam naturalem corporis, quam sacramentalem; et res igitur et verba per intentionem ministri, cum aliud nihil supersit, determinari debent. 3°. Ministri sunt instrumenta Christi, non qualiacumque, sed animata, ac rationalia, quæ et seipsa movent, quod ex deliberatione et intentione fieri debet.

Prob. III. Ex absurdis sententiæ contrariæ. Sequeretur enim 1°. quod mater vel ancilla baptizaret infantem, quem in balneo lavat a sordibus sub invocatione SS. Trinitatis, qua felix et fausta sit infanti ablutio corporis. 2°. Quod sacerdos ad mensam verba consecrationis ex Scriptura sacra legens, consecraret omnem in mensa præsentem panem. 3°. Quod rebaptizaret, qui in theatro ageret personam Sylvestri Pontificis Constantinum M., aut quicumque alius a Sylvestro fuerit, baptizantis : quæ sane quam ridicula, tam absurda sunt.

170. *Obj. I.* Ex SS. Patribus : 1°. S. Aug. L. 7. de Bapt. contr. Donat: c. 53. dubitat, utrum approbandus esset baptismus, qui totus ludicre, mimice, joculariter tum ex parte ministri tum suscipientis perageretur; aitque, ea de re exspectandum divinum judicium per alicujus revelationis oraculum; ergo tum temporis nondum credebatur necessaria intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

2°. Tract. 5. in Joan. n. 18. idem S. Doctor, *Non timeo,* inquit, *adulterum, non ebrium, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur:*

Hic est, qui baptizat : atqui ebrius intentionis capax non est; ergo non judicabat Aug. necessariam esse in ministro intentionem.

3°. Rursus Tract. 80. in Joan. n. 3. plus non exigit ad valorem sacramenti, quam res et verba : *Accedit,* inquit, *verbum ad elementum, et fit sacramentum;* sine cujusquam mentione intentionis.

4°. Eadem mens S. Chrys. est hom. 86. in Joan. n. 4. (opp. t. 8. p. 518. E.) ubi, *neque angelus,* ait, *neque archangelus quidquam in his, quæ a Deo data sunt, efficiunt; sed Pater et Filius et Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos et linguam et manus præbet; neque enim justum est, propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi;* ergo præter linguam, qua verba profert sacerdos, et manus, quibus materiam applicat, nihil ex parte ejusdem ad veritatem sacramenti requiritur.

5°. Innocentius IV. q. 9. de Bapt. *Non est necesse,* inquit, *quod baptizans sciat quid sit Ecclesia quæ baptizat... nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia : imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia... quia formam servat, nihilominus baptizatus est;* ergo.

Ad 1um. R. 1°. Immerito Aug. dubitantem hic adversarii objiciunt; cum enim in re suæ privatæ personæ nondum satis perspecta non auderet definire quidquam sine prævio judicio Ecclesiæ, hocque expectandum potius censeret, cui acquiesceret, ab ipso Aug. convincuntur adversarii pertinaciæ, quod, cum iterato Ecclesiæ judicio in Conc. Florent. et Trid. res decisa sit, ipsi tamen se nolint submittere.

R. 2°. Ex eo, quod Aug. dubitaverit, id solum sequitur, suæ personæ privatæ id non satis perspectum fuisse, non autem Ecclesiæ. Neque hoc novum in quibusdam aliis etiam materiis nondum judicio Ecclesiæ authentico eliquatis hæsitasse particulares. Sed

R. 3°. Adhuc incertum est, in quo dubius hæserit Aug., an dubitarit, num valeat Baptismus mere ludicre collatus sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia? an vero dubitarit, utrum mimice, ludicre baptizans possit habere simul intentionem faciendi, quod facit Ecclesia? sicut hanc intentionem dicitur habuisse Athanasius puerili lusu baptizans. Mimi enim, etsi pleraque simulate gerant, subinde tamen etiam lusu ipso quædam serio intendunt, velut recreare simul semet, quando convivium exhibent. Atque quoad hoc proinde dici Aug. potest, quod judicium aliquod suo majus et certius, scilicet Ecclesiæ judicarit exspectandum.

Ad 2um. R. In Aug. non legi *ebrius,* sed *ebriosus,* sicque corrigi debet, monente Glossa, Gratianus, qui Dist. IV. de Consecr. Can. *Baptismus,* posuerat *ebrius;* sed et in emendatis Decreti editionibus nunc legitur *ebriosus.* Ebriosus autem eum significat, non qui actu ebrius est, sed qui habet consuetudinem se inebriandi, quæ non impedit, quominus quis habere intentionem possit, quando non est ebrius actu.

Ad 3um. R. *N. A.* quod non probat subjecta sententia; ea enim S. Pater id solum intendit, elementum solum vel aquam non sufficere; sed præter hanc requiri verba evangelica : quo loquendi modo proinde non excludit actionem deliberatam et intentionem.

Ad 4um. R. Explico cum *D.* Sacerdos præbet linguam et manum sed humano modo, qua homo cum deliberatione et intentione *C.* more brutorum *N.* Vult eo loco ostendere improbitatem ministri, non tollere aut mi-

nuere efficaciam sacramenti, quæ a Deo solo est. Comparat etiam ibid. sacerdotem impium cum Balaami asina; sed quo ostendat amplius idem, scilicet sacramentorum vim a Deo esse, non ab hominibus, quin idcirco homines excludat a ministerio; comparat enim ibid. etiam sacerdotes ministris principum; uti vero ab his gesta in amentia, somno, etc., nullius sunt momenti, ita sacramenta collata taliter a sacerdotibus.

Ad 5um. R. 1°. Opera Innocentii IV. edita fuerunt Lugduni, cum nondum esset summus Pontifex; unde quæcumque ejus sit sententia, ipso fatente Serri, qui a nobis Art. seq. dissentit, Doctoris privati auctoritatem minime excedit. Sed

R. 2°. *D.* postrema verba, in quibus vis ponitur : *Si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia*: per hæc excludendo solum necessitatem intentionis ad effectum sacramenti *C.* excludendo necessitatem intentionis internæ faciendi id, quod in Ecclesia fieri solet *N.* Cæcus et nimium præoccupatus præjudiciis, necesse est, sit, qui aliter verba Innocentii IV. exponit; immediate enim subdit : *Dummodo baptizare intendat*, h. e. dummodo intendat ministrare ritum in Ecclesia usitatum; ergo exigit intentionem veram internam conferendi baptismum ut sacramentum, quod sufficit, ut satisfiat Conciliis; dum enim dicunt requiri intentionem *faciendi, quod facit Ecclesia,* per hæc, quæ solum exempli gratia posita sunt, nihil aliud exigunt, quam intentionem faciendi sacramentum; ponendi hunc ritum ut sacrum in Ecclesia, quæ idem sonant. Data responsio adhuc manifestior ex iis fit, quæ paulo ante præmittit Innocentius; ait vero : *Ad hoc, ut aliquis baptizatus sit, necessarium est, ut baptizans intendat baptizare, non tantum balneare vel lavare carnes; nec tamen videtur necesse quoad effectum Baptismi, quod sciat quid sit Baptismus,* scilicet quod ibi infundatur gratia, etc.; ergo per hæc, quæ deinde subdit : *Non est necesse, quod baptizans sciat quid sit Ecclesia... nec quod gerat in mente facere, quod facit Ecclesia, imo si contrarium gereret in mente,* etc., intentionem internam conferendi baptismum ut rem sacram, usitatam in Ecclesia non excludit, sed solum necessitatem intentionis conferendi effectum baptismi, quæ intentio, ut dicetur Art. seq., utique necessaria non est. Objectio hæc et responsio Artic. quoque subsequenti servit.

171. *Obj. II.* Ex historia Ecclesiastica 1°. S. Alexander episcopus Alexandrinus ratum habuit baptismum, quem jocose et ludendo contulerat S. Athanasius pueris, cum ipse adhuc puer esset; idque factum anno primo episcopatus Alexandri, ut refert Ruffinus L. 1. Hist. cap. 14., Sozomenus L. 2. cap. 17., Nicephorus L. 8. cap. 15.

2°. S. Genesius circa annum 286. mimice in theatro coram Diocletiano religionis Christianæ repræsentans mysteria, repente conversus ab altero mimo baptizatus fuit; qui baptismus deinde iteratus non fuit; ergo validus habitus fuit.

3°. Ludentibus ad littus maris pueris, baptizatus ab iisdem puer Hebræus fuerat, quem baptismum, ut refert Nicephorus L. 3. cap. ult. ratum episcopus Constantinop. habuit.

4°. Ut ex S. Augustino colligitur epist. ad Alip. 67. nunc 217. quidam Architheater, Dioscorus nomine, in theatro religionis nostræ mysteria nu-

gaciter et contemptim ludendo exhibens, Baptismum receperat, qui probatus fuit; ergo.

Ad 1um. R. Permissa veritate historiæ, S. Athanasius serio facere intenderat, quod fieri viderat per episcopum, licet id in lusu fieret; pueri enim subinde suis in ludis imitantur serio, quæ a majoribus fieri conspexerunt, eamque mentem, seu intentionem in Athanasio S. Alexander deprehenderat ex eo, quod non promiscue infideles, vel Judæos, sed solos catechumenos, horum prius per varias interrogationes explorata mente baptizasset.

Dixi : *permissa veritate historiæ* ; hæc enim sublestæ admodum, ac dubiæ plane fidei est, 1°. quia Ruffinus, qui primus illam retulit, eam ex incerta solum fama se hausisse dicit, *ferunt*, inquit. Cæteri laudati historici vero eam ex Ruffino acceptam modo plurimum variante describunt. Socrates ait, Alexandrum forte prætereuntem littus maris ibi Athanasium sic conspexisse ludentem; Sozomenus, dum convivas exspectabat; Niceph. dum in loco sublimiori esset. 2°. Prorsus non concordat cum chronologia; nam juxta Hieronymi quidem chronicon plane non subsistit; juxta hoc S. Alexander fuit ordinatus Alexandriæ episcopus an. 321. at an. 325. S. Athanasius jam diaconus interfuit Concilio Nicæno; hocque finito et an. 326. Alexandro mortuo ei in sede successit Athanasius; ergo anno primo episcopatus Alexandri Athanasius, non adhuc puer, sed 22. annorum fuerat, qua ætate Athanasius jam doctrinæ et sanctitatis fama ubique clarus erat. Quod si vero chronologiam Pagii in Crit. Baron. observemus, Alexander renunciatus fuit Alexandriæ episcopus an. 313.: sed omnium consensu constat, S. Athanas. successisse in sede Alexandro an. 326.; ergo necesse est, tunc fuisse annor. ad minus 30.; juxta sacros Canones enim permissum non fuerat quemquam ante 30. ætatis annos ordinare episcopum; igitur an. 313. primo episcopatus Alexandri, jam Athanasius fuisset annor. 17. nec proinde puer et impubes, ut aiunt laudati historici.

Nec dicat quis, teste Ammonio epist. ad Theophilum Alexandrinum, nonnullos nimiam Athanasio juventutem objecisse quando in sedem Alexandrinam subvectus fuit; ergo tunc non fuerat annor. 30., sed circiter an. 26.; ergo anno primo episcopatus Alexandri fuerat impubes circiter an. 13. Nam

R. Ammonius ait hoc fecisse paucos, eosque improbos et factiosos, ut fieri solet ab invidis; proinde citra veritatem; sane si ita contra Canones facta fuisset Athanasii in Patriarchalem sedem promotio, Ariani, jurati hostes S. Athanasii, id huic objicere non omisissent, utpote qui, ut S. Præsulem sede sua dejicerent, criminationibus falsis, ubi ubi poterant, in Conciliis, in aula imperatoria nitebantur opprimere. At tamen nemo eorum unquam hoc Athanasio objecerat.

Ad 2um. R. Data veritate historiæ, Genesius in theatro repente conversus vel baptizatus fuit baptismo sanguinis, quando Christianam religionem palam professus e theatro a Diocletiano fuit martyrio affectus; vel, quod videtur probabilius, fuit postea baptizatus a sacerdote paulo post conversionem suam, postquam descendisset a theatro. Dum igitur Martyrologium Romanum subitam Genesii conversionem, baptismum, martyrium simul refert, non ideo vult dicere, contigisse ea simul et semel in theatro;

sed tria hæc conjungit, quod se invicem non longo intermedio tempore secuta sint; quo vero tempore? Martyrologium silet.

Dixi iterum : *data veritate historiæ*; nam et hæc multis videtur fabula 1°. quia veterum nemo aliquid de hoc facto retulit; sed hoc primus Ado sexcentis post annis, nescitur quo ex fonte, protulit. 2°. Quia idem scriptor ait, Genesium baptizatum fuisse a sacerdote christiano in theatrum evocato; sed non videtur verosimile, sacerdotem christianum mimi rogatu conscendisse theatrum, ibique sacra christiana ludentibus se miscuisse : quin eodem gladio, quo Genesius, a præsente Diocletiano jussus fuisset interfici; at nihil de eo extat ullibi. Diversis circumstantiis factum hoc enarrant alii, ut hæc ipsa dissonantia non parum imminuat fidem historiæ.

Ad 3um. R. Ex ipso Nicephoro constat, pueros illos baptizando hebræum puerum, reipsa intendisse facere, quod fieri solet in Ecclesia, quamvis recreatio ex lusu fuerit finis extrinsecus; omnia enim, ait Nicephorus, fuisse rite in ejus baptismo observata, ipsumque puerum non invitum fuisse; quin baptizantes pueros deduxisse baptizatum in Ecclesiam ad percipiendum communionis signum; ac cum vidisset episcopus rem fuisse serio gestam, præcepisse, ut cætera, quæ deessent, complerentur.

Ad 4um. R. 1°. Mendose legi *Architheater*, id est, comœdorum princeps; sed legendum esse *Archiater*, id est princeps medicorum, ut habent editiones pleræque recentiores operum S. Aug. Sed

R. 2°. Quicumque fuerit, sive Architheater, sive Archiater baptizatus fuit, non mimice et jocularitер, sed, postquam diu lusisset, et probrose habuisset christiana sacra, serio tandem conversus, in ipsa solemnitate Paschali ritu consueto baptizatus fuit, ut refert idem Aug. ibid.

172. *Obj. III.* Ex ratione 1°. Signa quæcumque, sive sacra, sive profana, et quomodocumque prolata, sive serio, sive mimice, semper significant, ut patet in voce e. g. homo; ergo idem de sacramentis est, quæ sunt essentialiter signa.

2°. Verbum Dei concionatorium absque ulla prolatum intentione, imo ex joco, semper est efficax; ergo et sacramentale. Et vero concionator etiam minister est dispensator verbi, sicut minister sacramenti est dispensator mysteriorum Dei.

3°. Minister principis vel reipublicæ suum implet officium sola litterarum principis exhibitione, aut sola denuntiatione voluntatis ejusdem, sive id faciat serio, sive joco; ergo et minister Christi quoad sacramenta.

4°. Minister sacramentorum est instrumentum Christi : atqui instrumenti intentio non est necessaria ad opus conficiendum, quod causa principalis intendit; sic enim obligat lex promulgata per præconem, sive hic intentionem habeat obligandi, vel non.

Ad 1um R. *D. A.* Signa mere speculativa semper significant *C.* signa, quæ sunt simul practica, qualia sacramenta sunt *N.* Speculativa, ut sunt voces et similia, vim significandi habent sibi inditam sine intuitu vel respectu ad modum, quo proferuntur; sic vox *homo* significat animal rationale, sive joco sive serio prolata. At signa practica, quæ simul efficere debent, quod significant, nihil efficiunt, nisi debito modo applicentur; ut vero sacramenta debito modo applicentur, proferri a ministro debent

nomine Christi, potestate a Christo concessa, humano modo, quod sine intentione fieri nequit.

Ad 2um. R. *C. A. N. Cons. Disparitas* ex modo dictis sequitur : verbum concionale signum est mere speculativum, sicut vox *homo* in præc. ; at verbum sacramentale non est signum speculativum tantum, sed insuper practicum ex institutione Christi, qui ad consequendum effectum, hoc voluit poni humano modo nomine suo, adeoque cum deliberatione et intentione, nisi velit quis, etiam psittacum agere posse sacramenti ministrum.

Ad 3um. R. *D. A.* Minister principis, qui est præcise nuntius, ac quasi tabellarius sic implet officium suum *C.* minister cum potestate faciendi aliquid vel non *N.* Sed talis est e. g. judex, prætor, etc. Sed hic deliberate agere debet cum intentione; quis enim edicto prætoris ebrii, aut mimice agentis instar histrionis in theatro, judicat deberi obedientiam ?

Ad 4um. R. *D. A.* Est instrumentum Christi exanime *N.* animatum *C. D.* etiam *min.* Intentio instrumenti exanimis non est necessaria ; aut etiam animati, si effectus a causa principali determinatus, et instrumentum animatum merus executor sit, ut præco in promulgatione legis *C.* aliter *N. min.* Minister sacramentorum non est merus executor, sicut præco, sed dispensator mysteriorum Dei, cum potestate faciendi, vel non; ergo juxta rationem conclus. prudenter, deliberate debet dispensare et agere. Objectiones hæ ad Art. sequentem quoque trahi possunt, sicut ex hoc variæ ad præsentem.

ARTICULUS VI.

QUÆ INTENTIO EX PARTE MINISTRI REQUIRATUR ET SUFFICIAT AD VALOREM SACRAMENTI ?

173. *Præmitto.* Quæ Art. præc. diximus, iis perlubenter, ut debent, omnes subscribunt orthodoxi Theologi; sed non levis inter eos circa intentionem internam quæstio remanet nunc expendenda. Causam quæstioni dedit definitio Ecclesiæ, præter materiam et formam ad valorem sacramenti in ministro exigentis intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Cum vero plura in eo, quod facit Ecclesia, occurrant, velut 1°. externus ritus spectatus præcise secundum se ac materialiter; 2°. ritus ille, quatenus hunc exercet Ecclesia ut sacrum et religiosum, adhuc abstrahendo, sitne revera talis, necne ; 3°. ut in se reipsa sacer et sacramentum est ; 4°. ut est productivus gratiæ : inde sententiarum diversitas et opinionum conflictus, ac quæritur, quodnam ex his quatuor intendere debeat minister, ut valeat sacramentum ?

Sunt, qui sufficere autumant primum, si videlicet intendat minister ritum solum externum peragere, etsi interne non intendat facere, quod facit Ecclesia, aut etiam contrarium intendat; irrideat in animo, quod facit Ecclesia ; ac ipsum ritum simulate perficiat, modo simulatio maneat occulta, interna. Hanc intentionem vocant *externam,* non quidem ratione principii, nam etiam a voluntate, quæ est facultas animi, oritur, sed ratione objecti, quia ad solam actionem externam, vel ritum materialiter spectatum terminatur. Circa hujus intentionis sufficientiam præcipue diffi-

cultas et controversia est. Eam sufficere adhuc post Trid., cui nomine summi Pontificis Theologus interfuerat, Catharinus docuit in opusculo de necessitate intentionis Romæ edito an. 1592. Catharino a quibusdam accensetur eruditissimus Salmeron S. J., pariter Pauli III. in Trid. Theologus; ast immerito; cum, si attente legatur, non omnem intentionem internam seriam excludat a necessitate sacramenti; sed eam solum, qua ritus sacramentalis ut productivus gratiæ intenditur. Catharini sententiam ex recentioribus amplexi sunt Vincentius Contenson, Hyacinthus Serry; item Juenin, Farvacque ac quidam alii cum hac limitatione, quod tunc solum sufficiat, si minister togatus sacramentum ministret, inque loco sacro, servatis cæteris Ecclesiæ ritibus, quod a circumstantiis his extrinsecis ritum externum, de se indifferentem, sufficienter ad esse ritus sacramentalis determinari putent.

Cæteris vero omnibus sola ea externa intentio videtur insufficiens, exiguntque internam; divisi tamen rursum inter se; aliis nimirum volentibus sufficere, si minister intendat ritum externum mente seria ut sacrum et religiosum in Ecclesia Dei, quæcumque illa sit, quæ communissima hodie opinio est; aliis plus postulantibus, ut intendat hunc ritum ut sacrum in Ecclesia Romana; aliis demum exigentibus, ut ritum etiam insuper intendat ut productivum gratiæ.

174. *Dico I.* Non est necessarium ad valorem sacramenti, ut minister intendat explicite conferre sacramenti effectum sive gratiam; nec ut sic intendat efficere rem in se absolute sacram seu sacramentum; nec ut intendat facere, quod facit Ecclesia Romana; sed horum intentio implicita sufficit, contenta in hac generali explicita faciendi id, quod facit vera Ecclesia, vel quod novit ut sacrum fieri in Ecclesia.

Prob. 1ª. *p.* 1°. Ex communi sensu et praxi Ecclesiæ, ratum habentis baptismum collatum debita cum materia et forma a pagano, Judæo, hæretico, qui tamen effectum nullum salutarem intendunt, utpote quem vel ignorant, vel negant, vel etiam irrident. 2°. Ex definitione Nicolai I. in resp. ad Consulta Bulgarorum resp. 104. relato Can. *A quodam.* Dist. IV. de Consecr. Et ratio est; quia sacramenta sunt causæ necessariæ, quæ vim suam producendi effectum a Deo habent; ergo, si validum sit sacramentum, nec sit obex gratiæ in suscipiente, producit effectum ex se, etsi minister de eo non cogitat. His ex rationibus conclusio quoad hanc partem hodie indubitata est; sicut neque quoad partes cæteras est hodie vix amplius disputatio. Nihilominus

Prob. 2ª. *p.* Rursum ex praxi Ecclesiæ, quæ pariter ratum habet baptismum collatum ab atheo, pagano, Judæo, qui tamen non intendunt rem in se absolute sacram et sacramentum efficere, cum potius hunc ritum ut superstitiosum habeant, ut inquit D. Th. in 4. dist. 6. q. 1ª. a. 3. quæstiunc. 2.

Prob. 3ª. *p.* Quia et Ecclesia validum habuit olim baptismum Donatistarum, qui tamen Ecclesiam veram penes se Donatistas solos esse aiebant, et Romanam defecisse; hodieque ratum habet baptisma Lutheranorum et Calvinistarum, etsi Ecclesiam Romanam esse Ecclesiam veram pernegent.

Prob. 4ª. *p.* Hæc sequitur per se; nam aliqua intentio interna seria necessaria est, ut mox dicetur; præcedentes vero non requiruntur necessario;

ergo saltem hæc generalis explicita, in qua prædictæ singulæ inclusæ continentur; nam cum Ecclesia Romana sit vera Dei Ecclesia, hæcque conferat verum sacramentum sui productivum effectus; igitur qui generaliter vult facere, quod facit Ecclesia Dei, hoc ipso vult facere, quod Ecclesia Romana, conferre effectum; quia voluntas hæc generalis corrigit particularem, qua negatur veram Ecclesiam esse Romanam. Ut vero habeatur hæc generalis explicita intentio, satis est, quod advertat et velit facere, quod fit ab Ecclesia.

175. *Dico II.* Ad valorem sacramenti sola intentio externa non sufficit; sed seria interna necessaria est.

Prob I. Ex S. Scriptura. Juxta hanc, locis Artic. præc. cit., sacramentorum ministri sunt dispensatores mysteriorum Dei; ergo ministrare ea debent Christi nomine; dispensator enim et minister fidelis debet id velle facere, quod vult is, cujus minister est: sed nullo vero ac proprio sensu potest dici nomine Christi agere, qui in animo non vult, quod Christus instituit; huic etiam contrarium vult; vel usque adeo interne mimus est, irridens quod Christus instituit et voluit.

Respondent, hos ritus non dependere ab intentione ministri, ut sacri et sacramentales sint; sed hoc eos habere a Christo; ac ministros solum præscriptum externum opus peragere; quo facto erit sacramentum, sive minister velit sive nolit; sicuti, dum quis ignem admovet stupæ, ignis comburet, sive applicans ignem hoc velit, sive nolit. At, quod tantorum virorum bona venia dixero, utrumque parum theologice dicitur. Nam Christus quidem hos ritus instituit, ut possint esse sacramentales, si eo scilicet determinentur a ministro; non vero sic instituit, ut, quomodocumque hic ponatur ritus, sit sacramentum; alioquin ancilla lavans serio a sordibus corpus infantis sub invocatione SS. Trinitatis conficiet sacramentum baptismi; aut sacerdos serio externe proferens verba consecrationis: *Hoc est corpus meum*, in mente suum sacerdotis corpus intelligens, vere consecrabit præsentem panem. Nimirum ritus illi, cum de se indifferentes sint, ad esse naturale vel sacramentale, ad profanum vel sacrum, ut ablutio externa corporis cum verbis, ad esse sacramentale potius, quam naturale et profanum, aliunde necesse est determinentur, scilicet a ministro; aliud enim non superest; nam a circumstantiis eum non determinari posse ad esse sacramentale dicetur infra. Minus vero ad rem facit paritas de igne; hic enim a natura sua combustivus est determinate; nec est ad comburendum indifferens, sed habita materia disposita comburit: at ritus illi externi non sunt determinate sacramentales, sed etiam naturales et profani esse possunt; ergo ad unum determinari debent aliunde: præterea, si valet hæc paritas, quid respondebunt adversarii, si quis ex Lutheri schola sic contra ipsosmet arguat: ignis mimice admotus stupæ, hanc comburit; ergo ritus sacramenti mimice peractus erit sacramentum.

Prob. II. Ex Concilius. Laudata Art. præc. Florent. et Trid. requirunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: sed qui in animo tantum statuit, externe duntaxat fingere ac simulare, quod facit Ecclesia, non potest dici habere intentionem faciendi, sed duntaxat id simulandi, quod facit Ecclesia; ergo non habet intentionem eam, quam ceu necessariam exigit Ecclesia; quia hæc intentionem faciendi, non simulandi exigit.

At dices : exterius serio ritum Ecclesiæ perficit. Verum hoc, sed perficit pure materialiter ; Ecclesia vero ritum externum non prout mere materialiter, sed ut rem sacram et religiosam ; quod in supposito facto minister non intendit facere, sed simulare solum et fingere. Sic vero quæ differentia erit histrionem inter et talem ministrum ? Numquid et nistrio ritum externum materialiter ponit in theatro ? Alia igitur inter hunc et ministrum talem non erit differentia, quam quod histrio sit irrisor apertus et simulator manifestus, alter occultus et latens ; cujus simulatio, quamdiu latuerit, ratum haberi debebit in foro ecclesiastico sacramentum ; si cognita fuerit et detecta simulatio, ipso e. g. fatente reo, quid tunc censendum respondebunt adversarii de sacramento ? Haud dubie : viderit episcopus.

Prob. III. Ex Auctoritate Alexandri VIII. summi Pontif. anno 1690. 7. Decembr. damnantis hanc propositionem ordine 28. *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi servat ; intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia* ; infero : ergo non sufficit illa intentio externa supra descripta ; verba enim hujus propositionis prorsus sunt eadem ipsa, quæ adversariorum. Supponit autem indubie propositio damnata, ministrum, qui serio ritum externum baptismi servat ; alias enim gratis conficta, ait recte Tournely, et novo fulmine in vanum protrita foret ; cum nullus orthodoxus sit post Trid., qui doceat valere baptismum joco etiam externo et irrisione patenti datum ; idemque jam in Luthero damnaverat S. Tridentina Synodus. Sensus igitur genuinus est damnatæ propositionis : valere baptismum datum a ministro, qui ritum externum formamque baptizandi serio servat, intus tamen statuit non facere, quod facit Ecclesia ; sed illud simulare solum et fingere. Gratis vero ait P. Serry et abs vero, damnatam esse propositionem in sensu Lutheri, cujus dogma quidam Theologi Belgæ renovabant ; nullus enim talis Theologus catholicus, sive Belga sive alius post Trid., qui ita docuisset, assignari potest. Quin contrarium Doctores Belgæ tum viventes testantur ; inter quos eximius Henno ita enuntiat : *Dicta propositio desumpta ex Thesi cujusdam Doctoris mihi cogniti et familiaris, qui præcise adversariorum* (Juenini, etc.) *sententiam sustinebat* ; Tr. de Sacram. Disp. VI. quæst. 11. art. 2. Idem testabatur Henricus a S. Ignatio pariter Belga, L. 1. de Sacram. c. 9. sub finem. Sed nec moris est in Ecclesia, ut, quoties quis apostata renovat aliquam ex damnatis Lutheri propositionibus, toties illis renovetur Romæ condemnatio. Et vero quis alias esset condemnandi finis ?

Sed, *inquiunt*, post damnationem propositionis Theologi plures insignes, Juenin, Genettus, Alexander Natalis Catharini sententiam tuiti sunt, ipsaque Summa Alexandrina edita Romæ jussu Benedicti XIII. Quin hæc sententia sæpe Romæ publice propugnata fuit. Verum

R. His plerisque speciose relatis nihil deesse præter veritatem, si Jueninum excepero. Verum Jueninus se contra vaticanum fulmen inter alia hoc se clypeo tuetur, quod nullum decretum transalpinum robur habeat in Galliis, nisi immediate ab ipso emanarit Pontifice, ideoque hoc Inquisitionis decretum Gallos non stringere. At quis eo clypeo secure suum pectus ex aliis armare velit ; tum quod privilegio istiusmodi, cum de ejus authentia certo non constet, Galli alii non fidant ; tum quod falsum sit, decretum hoc non immediate emanasse a S. Pontifice, ut in tenore decreti constat : *Coram*

Sanctissimo Domino nostro Alexandro, etc. In Genetto nihil tale legere est. Natalis, postquam multa disseruisset de Catharini sententia, hoc solum ait, quod si casus occurrat, in hac ambiguitate consulendum esse episcopum. Summa Alexandrina solum ait, non requiri intentionem producendi effectum sacramenti. Denique hanc sententiam unquam fuisse postea progugnatam Romæ negat P. Gaudius Ord. PP. Prædic. apud Billuartium, Serrium quii sta dixerat impugnans. Nec etiam aliunde Serriani asserti haberi authentica fides potest.

Prob. IV. Ratione. Falsum est fundamentum adversariorum : scilicet hoc ipso, quod externe serio ponatur materia et forma, haberi sacramentum; nam ponuntur solum juxta ipsos materialiter, sic vero adhuc indifferentia sunt ad esse sacramentale ; neque enim verba sola materialiter prolata dici possunt determinare materiam, ut sacramentalis sit ; nam et ipsa verba sic prolata adhuc indifferentia sunt, ut sint forma sacramentalis, ut dictum de matre lavante parvulum sub invocatione Trinitatis, in prob. 1ª.; nimirum verba solum materialiter prolata sunt, forma solum materialiter, non formaliter ; determinari igitur et materia et verba ad esse sacramentale debent a ministri intentione. Hinc et nulla est paritas de aliis compositis artificialibus, quæ hic conglomerant adversarii, velut ignis admotus stupæ comburit, etiamsi nolit admovens; sigillum impressum ceræ hanc sigillat, nolit velit sigillans ; quia et similia, quando tantum ponuntur materialiter, non jam sunt indifferentia amplius, cum a natura ad unum determinata sint ; secus est de ritu sacramentorum, qui, ut ablutio in baptismo cum verbis solum materialiter exercitus, nondum est determinatus ad esse sacramentale. Et adde : eodem modo his exemplis uti poterit pro suo dogmate Lutheranus, velut de igne dictum est in prob. 1ª.

176. *Obj. I.* Ex praxi et auctoritate Ecclesiæ. 1°. Ecclesia, etsi semper diligenter invigilaret, utrum ministraretur baptismus, præsertim hæreticorum circa mysterium Trinitatis errantium ; nunquam tamen inquisivit, utrum adhibita fuisset interna intentio ; ergo judicabat hanc non esse necessariam ; vel quid aliud causæ afferri poterit.

2°. Ecclesia approbavit baptismum collatum ab atheis, paganis, Judæis, et alia sacramenta collata ab hæreticis : sed merito poterat dubitari, utrum illi intentionem internam habuerint; ergo.

3°. Baptismus collatus a Ludovico Gaufredo parocho Massiliensi fuit habitus ratus, nec iteratus judicio Sorbonæ aliorumque magni nominis Theologorum, etsi ille morti jam proximus testatus esset, se quidem servasse in baptizando externum ritum; at interne retractasse totum, quod externe agebat ; imo se, quos baptizabat, infantes devovisse diabolo. Pariter, etsi Petrus Lavardinus episcopus Cenomanensis in mortis circumstantiis testatus esset, se nunquam habuisse intentionem ordinandi, factæ tamen ab eo ordinationes non iteratæ, sed approbatæ sunt.

4°. Episcopi ante ordinationes protestantur, quod nolint ordinare excommunicatos, non habentes titulum; et tamen valent illorum ordines ; ad quid enim ab iisdem suspenderentur in jure canonico ? ergo.

Ad 1ᵘᵐ. R. 1°. Etiam non inquisivit, utrum in consuetis circumstantiis

fuerit collatus. Quæ retorsio in pluribus aliis argumentis recentiorum Catharini sectatorum non prætermittenda.

R. 2°. *N. Cons.* Sed ideo non inquisivit, quia nemo deferebatur ob intentionem omissam; quia de internis Ecclesia judicare non solet; quia, nisi contrarium evidenter appareat, semper adesse præsumitur intentio ministri generalis faciendi, quod in Ecclesia, cum facile sit hanc intentionem habere.

Ad 2um. R. 1°. Retorquendo ut ante.

R. 2°. *N. min.* Posito enim rite sacramenti ritu, hæc generalis intentio jure præsumitur. Idem respondere debent adversarii in sua sententia, dum dicunt, necessariam saltem esse intentionem interiorem, si sacramentum non conferatur in consuetis circumstantiis.

Ad 3um. R. Utrumque factum falsum esse, quia nullo sufficienti fundamento, nullo scriptore ac teste idoneo asseritur, ut tale ostendit P. Gaudius in Dissertat. contra Serrium. Primo Gaufredum illum ne quidem parochum fuisse ex libro parochiali cognitum fuit ecclesiæ S. Mariæ ab aquis fluentibus; cujus ecclesiæ aiunt adversarii eum extitisse parochum; sed simplicem beneficiarium fuisse, facta inquisitione, compertum est; hominem improbum quidem, at qui inter alia crimina hoc nunquam confessus fuit; de hac enim confessione tam notabili nihil refert Auctor tragicarum historiarum, et si altero post Gaufredi mortem anno singula, quæ ipse confessus fuerat, conscripserit, sed et de hac confessione prorsus silent acta judicialia ea de causa inspecta, cum tamen cæteras ejus confessiones singulas exhibeant. Quod Petr. Lavardinum attinet, ne quidem ex nobili illa familia aliquem sub nomine Petri Cenomanensium episcopum fuisse ostendit laudatus Gaudius; uti pariter hanc fabulam quidem divulgatam fuisse in populum, ac continuo, ut fit, Dissertationes pro sufficientia intentionis externæ et contra fuisse editas; sed hoc quid evincit? Nondum prodierat tunc damnata ab Alexandrino VIII. propositio : *Valet Baptismus,* etc. Et quid demum pauci privati, Theologorum omnium et Ecclesiæ sensui officiunt?

Ad 4um. R. Si intentio illa generalis episcoporum non ordinandi excommunicatos, carentes legitimo titulo perseveraret in singulorum ordinationibus, reipsa tales ordinarentur invalide. At vero quia ante examen instituunt, et nullo post examen tali reperto, volunt ordinare singulos sine conditione aliqua, ideo etiam illi ordinantur valide, qui tali impedimento laborant, etsi in pœnam ipso jure ab exercitio suscepti ordinis suspensi sint.

177. *Obj. II.* Ex SS. Patribus. 1°. S. Aug. L. 3. contra Crescon. c. 8. *Qua mente*, ait, *operetur* (Minister), *qua laboret intentione, non curent;* ergo.

2°. Idem S. Pater L. 7. contra Donatist. c. 53. n. 101. aperte supponit eos verum habere baptismum, qui fallaciter datum acceperunt, modo præscriptus ritus observatus fuerit; nam ait : *Si enim nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa Catholica* (Ecclesia), *utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant; cur extra intersit, non video; quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est.*

3°. Doctor Angelicus variis in locis præivisse, et favisse Catharino videtur,

velut in 4. dist. 6. q. 1. a. 2., ubi inquit, quod in illis sacramentis, quæ consistunt in actione ministri, non requiratur intentio mentalis, sed sufficiat intentio expressa per verba formæ. Et hic q. 64. a. 8., quod sufficiat intentio Ecclesiæ, quæ significatur per formam.

Ad 1um. R. Explico S. Patrem cum *D.* Hic S. Pater per intentionem intelligit actum voluntatis in ministro conficiendi sacramentum *N.* ministri probitatem, præsertim fidem *C.* Nulla enim erat Aug. disputatio cum Donatistis, qualis Cresconius erat, de intentione, ut hæc actus voluntatis est conficiendi sacramentum, sed unice de ministri probitate et fide, an hæc in ministro qualitas ad confectionem sacramenti necessaria sit. Affirmabat Cresconius dicens : *Sicut qui plantat et rigat, nonnisi fidelis colonus et diligens adhibetur, sic,* etc. At respondit S. Aug. *Quasi vero quod infidelis colonus plantaverit, propter ejus infidelitatem non germinet vis seminis... Qua mente operetur, qua intentione laboret, non curent*; ergo intentionem hic sumit improprie pro ministri fide vel probitate; secus ejus responsio ad objectionem Cresconii fuisset plane impertinens.

Ad 2um. R. Explico cum *D.* Supponit baptismum validum fallaciter datum fallacia intentionis *N.* fallacia fidei *C.* Per fallacem hic eum intelligit, qui, cum habeat de veritate et virtute sacramentorum rectam fidem; hanc tamen conferendo sacramentum simulat, quasi crederet, ipsum sacramentum verum esse et productivum gratiæ; hæc vero simulatio non obstat, quominus generalem habere intentionem possit faciendi, quod fit in Ecclesia. Ratio responsionis est 1°. quia de hac simulatione fidei tantum erat Augustinum inter et Donatistas disputatio; nulla vero unquam de intentione. 2°. Quia id palam facit totus contextus et Augustini argumentatio; hinc fallaciam hic diserte opponit fidei : *an plus*, ait, *distet inter credentem in mimo, et irridentem in Ecclesia* : item opponit fallaces *veracibus*, sed per hos cœtum credentium intelligit subdens : *ubi autem neque societas ulla esset ita credentium ; neque ille, qui acciperet, ita crederet,* etc. Quin toto in cap. cit. et libro nihil prorsus reperire est, unde colligi posset, S. Aug. de intentione loqui.

Nec obstat, quod S. Pater fallaces esse dicat in ipsa Ecclesia catholica; e contra veraces dari in hæresi : *quid sit sceleratius in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi, vel schismate sine fallacia?* in Ecclesia catholica vero non sint fallaces fallacia fidei, sicut nec in hæresi veraces veritate fidei. Nam

R. *D.* Dicit esse fallaces in Ecclesia catholica interne *C.* externe, et quoad corpus Ecclesiæ externum *N.* Pariter dicit esse veraces in hæresi fide, non supernaturali, sed solum humana; licet enim, qui in uno hæreticus est, totum amittat supernaturalem habitum fidei, ut nullum aliud fidei mysterium fide supernaturali possit credere; potest tamen mysteria alia fide humana et naturali credere, et hac fide naturali esse naturaliter verax. Sic quoque possunt esse in Ecclesia catholica hæretici occulti, interne tales, qui quidem reipsa de Ecclesia non sunt, sed sunt tamen adhuc de Ecclesiæ corpore apparenter, et quia hæresin externe non produnt, et cum Ecclesia externam unitatem servant, sunt in unitate catholica adhuc, sed tantum externe et apparenter, non interne et vere.

Ad 3um. R. Equidem juxta multos S. Thom. videtur propendere in senten-

tiam Catharini; at e contra plures alii illustres S. Thomæ vindices eum ab hac opinione purgant; et merito, cum citati textus, si comparentur cum aliis Doctoris ejusdem, exponi adhuc posse videantur, scilicet quod S. Doctor non requirat intentionem explicitam et expressam conficiendi sacramentum, sed sufficere implicitam et virtualem, quod quis velit facere id, quod fit in Ecclesia, vel quod facit minister Ecclesiæ; vel quod neget formalem actualem esse necessariam. Et vero ead. q. 64. a. 8. ad. 1. diserte pronuntiat, requiri intentionem ministri tanquam instrumenti animati, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus et Ecclesia. Similia habet a. 10. Et in 4. dist. 11. q. 2. a. 2. quæstiunc, 3. ad 1. intentionem, quæ ordinatur ad perfectionem sacramenti, esse essentialem sacramento. Hac vel simili responsione uti debent adversarii ipsi, dum saltem intentionem internam exigunt, si sacramentum conferatur ex consuetis circumstantiis.

178. *Obj. III.* Ex Ratione. 1°. Si ritus externus exerceatur serio externe in consuetis circumstantiis, ut si minister togatus sit ad conferendum sacramentum, si conferatur in templo externa reverentia, etc.; per has circumstantias determinatur ritus, ut sacramentalis sit; ergo non requiritur intentio interna, quæ illum determinet.

2°. Lutherani et Calvinistæ non intendunt facere, quod facit vera Ecclesia, scilicet Romana, et tamen baptizant valide; ergo.

3°. Si sacramentum dependeret ab intentione ministri, hoc foret incertum, et homo non haberet certitudinem, sitne e. g. baptizatus, necne; ergo non est præsumendum, quod Christus necessitatem intentionis exegerit; sicut eadem de causa non requisivit probitatem ministri, et fidem.

4°. In ministro non requiritur aliud, quam ut intendat facere, quod facit Ecclesia: sed qui serio ritum externum peragit, intendit facere, quod facit Ecclesia; quidquid deinde intus in animo intendat.

5°. Ex sententia nostra sequeretur 1., quod salus hominis, vis meritorum Christi dependeat a placito ministri. 2. quod innocentes plecterentur ob ministrorum malitiam; e. g. infans baptizatus sine ministri intentione interna periret: sed hæc admitti non possunt; ergo.

Ad 1um. R. *N. Ant.*, quod gratis dicitur, cum nullum habeat fundamentum nec in Scriptura, nec Conciliis, nec Patribus, nec summis Pontificibus; sed primum inventum fuit Antonii de Dominis, archiepiscopi Spalatensis apostatæ L. 5. de Rep. Eccles. c. 12. Sed contrarium ex Conciliis evincitur, quæ ad veritatem sacramenti tria exigunt: materiam, formam, intentionem ministri; circumstantiæ vero illæ loci, et similes nullum ex his tribus sunt. Sed et generalis illa damnatio propos. 28. ab Alex. VIII. *Valet baptismus,* etc. pro omni casu intentionem internam exigit; deinde æque in templo, quam extra potest poni ritus materialiter; unde autem illa vis templi, ut opus de se non sacrum faciat sacrum? Certe multa alia indifferentia exercentur in templis, quæ a sanctitate loci nunquam ad esse sacra determinantur.

Ad 2um. R. *D. Ant.* Non intendunt hoc intentione particulari, vel explicita *C.* non generali et implicita *N.* Quippe intendunt facere, quod Christus instituit; consequenter cum nihil aliud faciat Ecclesia Romana, quam quod

Christus instituit; dum intendunt primum, intendunt hoc ipso et alterum. Neque illæ intentiones sibi oppositæ sunt, ut se ipsas destruant; non enim dicunt: *volo facere, quod Christus instituit*; et: *nolo facere, quod facit Ecclesia Romana, etsi non erret*; alias revera intentiones illæ utpote implicite contradictoriæ destruerent semet; sed credendo solum Ecclesiam Romanam non esse veram, aut non agere secundum Christi institutionem, præcise volunt facere, quod Christus instituit.

Ad 3um. R. *D. Ant.* Hoc foret incertum physice, homo non haberet certitudinem *physicam C.* foret incertum moraliter, homo non haberet certitudinem *moralem N.* Interea sufficiens facillime haberi potest, et sine gravissimo detrimento ipsius ministri non potest omitti; ut proinde sufficiens certitudo de valore sacramenti habeatur hoc ipso, quod omnia rite ponantur. Sic etiam sumus certi moraliter, quod minister debitam formam et materiam adhibuerit. Unde argumentum in his retorqueri potest. E contra si sacramenti valor a ministri probitate dependeret, omnia plena essent anxietatibus, cum facilius accidat, ministrum in statu gratiæ non esse, isque emergente necessitate repentina reparari subinde ante non potest, et per se reparatur difficilius, quam habeatur intentio; hinc merito Christus a probitate ministri sua pendere sacramenta noluit.

Ad 4um. R. 1°. Quando minister sacramentum confert privatim extra circumstantias sine interna intentione, etiam ritum externum operatur serio; et tamen juxta adversarios nondum intendit facere, quod facit Ecclesia.

R. 2°. *D. min.* Qui intendit ritum externum solum materialiter *N.* sic enim a naturali et profano nondum differt: qui intendit illum ut sacrum in Ecclesia, ut institutum a Christo *C.*

Ad 5um. R. *D. illat.* 1^{am}. Sequeretur, quod salus hominis, vis meritorum Christi absolute sumpta pendeant a ministri placito *N.* ut habenda per sacramenta *C.* Sic etiam pendet a placito ministri quoad applicationem materiæ et formæ.

Ad 2^{am}. *illat. N. min.* Hoc enim respectu Dei injustum non est; hic enim omnia sic pro salute hominum disposuit, ut simul naturalem cursum operationis causarum secundarum reliquerit; unde si ab his aliquando illa impediantur media, id Deo imputari nequit. Et numquid idem dicendum, si minister malitiose materiam, vel formam sua malitia corrumpat, vel non est ordinatus? Deinde si suscipiens vel adhuc in peccato originali est, ut infans; vel in actuali, ut subin adultus; damnatur tunc homo ob culpam propriam, cujus ministri malitia est tantum occasio, et quasi causa per accidens.

ARTICULUS VII.

QUALIS INTERNA INTENTIO AD VERITATEM SACRAMENTI SIT, VEL NON SIT SUFFICIENS?

179. *Præmitto.* Intentio interna, de qua Art. præced. actum (quæ etiam expressa et formalis dicitur) subdividitur passim in actualem, virtualem et habitualem, ceu in species suas proprias, quibus duæ aliæ addi solent,

interpretativa et indirecta. *Actualis* est ipse actus voluntatis actualiter physice, et secundum se ipsum existens in ministro, dum is conficit sacramentum, bene advertens, quid agat, et expresse volens id agere. *Virtualis*, quæ est intentio etiam actualis præterita quidem, et non amplius in se ipsa existens, sed existens in aliqua virtute post se relicta, per quam tamen in opus influit, quod idcirco etiam de præsenti fieri ex illa intentione dicitur; velut postquam explicitam intentionem habuisti consecrandi, si vi hujus intentionis abluas manus, te induas sacerdotalibus vestibus, pergas ad altare, peragas reliqua, ac tandem pronunties verba consecrationis; etsi tunc intentionem actualem non habeas; habes tamen virtualem, quia actiones illæ omnes ab illa prima intentione profluunt. *Habitualis* : hæc aliud non est, quam ipsa intentio actualis præterita, quam quis aliquando habuit, et non retractavit; censetur enim permanere habitualiter, quamdiu non retractatur. *Interpretativa*; quando quis actu intentionem nec habet, nec habuit; ita tamen est dispositus, ut actu intentionem eliceret, si de objecto tali ei incideret cogitatio. *Indirecta*; qua quis vult aliquid in causa, vel in alio necessario connexo; nempe vult causam, ex qua prævidet secuturum effectum, ut cum quis se inebriat, sciens se ebrium jurare. Quæritur nunc, quænam ex his sufficiens sit.

180. *Dico I.* Ad valorem sacramenti nec intentio interpretativa, nec pure habitualis, nec indirecta sufficiens est. Est apud Theologos assertio communis.

Prob. 1ª. *p.* Quia juxta Concilia laudata Art. præc. ad valorem sacramenti talis requiritur intentio, quæ influat in actionem sacramentalem, ut hæc peragatur humano modo Christi nomine, ac saltem implicite intendatur id, quod Christus instituit, vel facit Ecclesia : sed talis non est intentio interpretativa; hæc enim cum non sit, nec fuerit, sed solum fuisset, si ejus incidisset cogitatio, reipsa est non ens, cujus nulla qualitas est, nulla passio, nulla actio; proinde nullo modo in actionem sacramentalem potest influere, nec ritum externum determinare, ut sacramentalis sit.

Prob. 2ª. *p.* Quia cum intentio mere habitualis ne quidem in sui virtute maneat, etiam neque in se, quia non existit physice; nec in sui virtute potest in actionem influere, ut hæc exerceatur humano modo, auctoritate et nomine Christi. Deinde intentio ministri ideo ad valorem sacramenti requiritur, ut per eam externa actio de se ad plura indifferens determinetur ad esse actionis sacramentalis; sed hoc præstare nequit intentio habitualis, utpote quæ nec physice, nec in virtute existit. Præterea hæc intentio potest esse in ebrio, dormiente et amente; ergo sufficeret hæc, si ebrius proferret verba consecrationis ad mensam, consecraret valide; sed hoc absolute falsum est.

Prob. 3ª. *p.* Quia nec intentio indirecta facit, ut actio sacramentalis in se procedat modo humano ac rationali a ministro; et ut per se intendatur id, quod Christus instituit; qui enim crebro experimento edoctus scit, se in ebrietate e. g. proferre verba consecrationis supra panem, ac nihilominus se inebriat, sicque consecrationem indirecte in causa vult, scilicet in ebrietate, non intendit formaliter ac per se consecrationem, sed mere materialiter; cum ea verborum prolatio sit potius motivum neglectum, quam alliciens ad

ebrietatem ; nec fiat ab homine ebrio modo humano ac rationali, ut patet; ergo. Imo etsi quis etiam directe prius eam prolationem intenderet; hæc tamen locutio et actio externa postea in ebrietate posita non procedit a rationis compote, nec est signum interioris animi præsentis ; unde nec est humana, nec æstimatur aliter, quam si ea verba a pica vel psittaco prolata essent; ergo sufficere hæc intentio non potest.

181. *Dico II.* Intentio actualis sufficientissima est, et optima; non tamen absolute necessaria; sed etiam intentio virtualis omnino sufficiens est. Est omnium Theologorum communis sententia.

Ratio 1ᵃᵒ. *p.* est, quia non datur intentio melior, nec institutioni Christi, et Conciliis conformior, quam actualis; tum quod sacramenta per se sint dignissima, ut administrentur animo, quantum fieri potest, intento.

Ratio 2ᵃᵉ. *p.* est, quod absolute ejus necessitas excedat prope vires et potestatem hominis ex natura sua ad distractiones proclivis, sic, ut pauci ab iis diutius immunes sint, et multis prope sit impossibile. Accedit, quod nimis anxia et difficilis, atque ideo odiosa foret sacramentorum confectio; sed verosimile nec est, nec credibile, voluisse Christum, ut eorum confectio tam ardua esset, tamque anxia, imo et odiosa ministris suis, cum ea res faceret, ut plurimi sacrum ministerium refugerent; ergo.

Ratio 3ᵃᵉ. *p.* est, tum quia Christus sacramenta administranda commisit homini humano ac rationabili modo; sed homo cum intentione tantum virtuali, sive perseverante in aliquo sui effectu maxima etiam negotia peragit; tum quia intentio eadem per aliquam sui relictam virtutem influit vere, saltem mediate in actum, eumque vere humanum et rationabilem reddit, ut patet in contractibus, orationibus, votis, et similibus, quæ vere libere, humanoque modo dicimur agere per intentionem solum virtualem, tametsi ipsa in actione nos esse distractos contingat.

182. *Dices* 1°. Doctor Angel. hic q. 64. a. 8. ad 3. videtur asserere, quod intentio *habitualis* sufficiat; ergo.

R. *N. Ant.* Per intentionem enim habitualem ibi intelligit virtualem; continuo enim subjungit : *Puta, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia; unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum;* sed hæc est ipsa intentio virtualis. Deinde teste Gonet, aliisque, in exemplaribus antiquis non legitur *habitualis*, sed *virtualis*, ut proinde vox habitualis recentioris typi vitio irrepserit.

183. *Dices* 2°. Sufficit intentio habitualis, imo interpretativa ad suscipiendam extremam unctionem; atque ad cætera sacramenta omnia recipienda fructuose sufficit intentio habitualis : item, qui semel voluntatem habuit non negandi fidem, vi hujus intentionis non retractatæ fit vere martyr, etiamsi occidatur in somno; ergo et hæc intentio in ministro sufficiens erit.

R. *C. Ant. N. Cons. Disparitas* est : suscipiens sacramenta se habet passive ut subjectum; non operatur nomine Christi; non determinat actionem externam de se indifferentem ad esse actionis sacramentalis. Pariter etiam martyr se passive tantum habet; ac deinde martyrium, ut est virtus, per-

ficitur formaliter per actum internum solum, et ab hoc denominat actionem externam. Contraria omnia in ministro sunt : hic se habet active ut causa efficiens, et quidem nomine Christi operans ; ad moraliter vero agendum requitur et advertentia major et libertas. Nec sacramentum actu interno solo perficitur, ut martyrium, qua virtus est.

184. *Dices* 3°. Ad applicandum sacrificium alteri intentio habitualis sufficit ; hoc enim hodie applicatum manet tale cras, etsi hoc cras non amplius de novo intendam ; ergo etiam.

R. *C. Ant. N. Cons. Disparitas* est, quia applicatio Missæ non est operativa ejusdem ; ergo necessarium non est, ut existat tunc ; quando fit sacrificium ; sed est quædam fructuum sacrificii donatio, facta in illud tempus, quo sacerdos Missam peraget ; donationes vero pleræque in diem, sive de rebus futuris subsistunt ; modo non retractentur amplius, et reipsa purificetur conditio. Sic valet donatio fructuum vindemiæ, messis pridem ante hoc tempus facta.

185. *Dices* 4°. Valide contrahitur matrimonium per procuratorem, etiamsi dum procurator contrahit, dormiat principalis. Item, valet contractus sub conditione de futuro, etsi tempore, quo impletur conditio, nihil de hujus impletione sciant ; ergo sufficit sola voluntas non retractata.

R. *C. Ant. N. Cons.* Nam *quoad* 1um. consensus manet virtualiter, et influit per voluntatem procuratoris, qui est quasi instrumentum vitale, quo alter contrahentium alteri suum consensum manifestat. *Quoad* 2um. quia sufficit, ut contrahentes habeant intentionem virtualem, quando contrahunt de præsenti conditionate, quia tunc ponunt matrimonium in ratione actionis sacramentalis, licet postea, dum purificatur conditio, ponatur in ratione absolute obligantis. Nimirum sicut in aliis contractibus sub conditione de futuro se habet, in quibus sufficit intentio virtualis pro tempore, quando primo contractus celebratur ; sic in matrimonio, quod naturam contractus retinuit, et sequitur.

186. *Dices* 5°. Actio sacramentalis sufficienter adhuc procedit ab intentione præterita, mediante negatione retractationis tanquam virtute et effectu ab ea relicto ; ergo sufficit, ut actio subsequens sit ministro agenti voluntaria. Et vero peccatum præteritum, quia non est retractatum, censetur adhuc voluntarium pro tempore peccatum commissum subsequente ; ergo et sic sacramentalis actio ob non retractatam intentionem præteritam agenti adhuc erit voluntaria, ac sufficienter libera.

R. *Quoad* 1um. *N. Ant.* Intentio enim præterita non retractata equidem sufficere potest, ut actus subsequens in sensu latiore sit agenti voluntarius, sive non oppositus inclinationi habituali voluntatis ; non tamen sufficit, ut sit voluntarius stricte, sive ordinatus ad finem, quem agens antecedenter intendit ; hæc autem intentio requiritur, ut valeat sacramentum. Deinde negatio retractationis nec est effectus intentionis præteritæ, cum eodem modo existeret, etsi intentio non præcessisset, nec est activa aut determinativa ministri ad ponendam actionem sacramentalem, quia de facto sæpe existit talis negatio, quin ponatur a ministro sacramentalis actio.

R. *Quoad* 2um. *Disparitas* est, quia, ut actio futura sit stricte voluntaria vi et respectu intentionis præteritæ, hæc in illam debet influere; quia alias non verificabitur, quod actio procedat ex intentione; hic autem influxus ex modo dictis per solam negationem retractationis non habetur; e contra ad hoc, ut actus præteritus censeatur adhuc voluntarius, sufficit, ut actus voluntatis aliquando ad actionem vere influxerit; jam enim habetur fundamentum hujus denominationis, quod actio præterita adhuc sit voluntaria latiore sensu; quia in æstimatione morali id, quod ultimo placuit, tamdiu censetur placere voluntati, quamdiu ab hac non retractatur.

187. *Dices* 6°. Etiam intentio virtualis non videtur sufficienter influere in actionem sacramentalem; ergo. *Prob. Ant.* Nam virtus illa relicta ab intentione actuali præterita vel est phantasia per illam excitata, aut appetitus sensitivus, vel non retractatio intentionis actualis præteritæ; aliud enim assignari non potest; sed neutrum potest debite in actionem influere: non primum, quia phantasia et appetitus sensitivus sunt etiam in dormiente, et ebrio; ergo hæc actionem dirigere non possunt, ut fiat humano modo: non alterum, ex ante dictis.

R. *N. Ant. et prob. M.* Sed intentio virtualis est actus voluntatis, licet remissus, præsupponens remissam aliquam cognitionem et advertentiam intellectus ad actionem sacramentalem; itaque actus hic voluntatis remissus est virtus ea relicta intentionis formalis præteritæ, sive est illud, ratione cujus prior intentio manet virtualiter. *Prob.* ex Philosophia, ad quam maxime hæc quæstio spectat: potentiæ hominis externæ indifferentes sunt ad hunc, vel illum diversum motum, ad hanc, vel illam actionem externam; ergo indigent aliquo determinativo, a quo ad hunc potius, quam illum motum, actionemque determinentur tanquam tum a dirigente, tum determinante, quod esse non potest aliud, quam potentia cognoscitiva, et appetitiva; cognoscitiva quidem per actum aliquem, quo dirigatur potentia executrix et externa actio; appetitiva vero per actum aliquem imperantem, per quem illa actio imperetur; ergo semper requiritur actus tum potentiæ cognoscitivæ, sive intellectus dirigens, tum appetitivæ, sive voluntatis imperans, quotiescumque ponitur externa actio humano modo. *Prob. cons.* Si enim hi actus intellectus et voluntatis non admittantur, explicari non poterit, quomodo ab intentione præterita procedant actiones externæ, quæ sæpe et multæ, et perquam diversæ sunt, ut quomodo ab actu illo primo, sive intentione, qua sacerdos celebrare intendit, procedat, quod se conferat ad sacristiam, sacris se vestibus induat, recitet varias orationes, alias quidem ex præscripto sono altiore, alias submisse; exerceat ceremonias tam diversas, licet etiam non raro distractus; ergo dicti actus necessario admitti debent; non enim in has actiones prior intentio influere immediate potest, cum in se non existat amplius, nec appareat, quomodo per imaginationem solam, et imperium appetitus sensitivi influat.

Ex his patet 1°. intentionem virtualem per distractiones regulariter non tolli, quia cum his communiter manet actus ejusmodi tenuis et remissus; imperceptibilis; ac licet interveniente negotio aliquo, somnoque cesset virtualis intentio; si tamen post hæc homo se rursum convertat ad externum illud objectum, quod primo intenderat, facile redibit intentio excitata

tenuiter et imperceptibiliter a specie, quæ ab intentione formali relicta est; ut fere in eo accidit, qui e. g. peregrinatur Romam; post plures enim noctes interpositas recta iter continuat, etsi de urbe expresse non cogitet; ubi certum videtur, intervenire tenues ejusmodi actus voluntatis imperantes continuationem cœpti itineris; alias sisteret, vel diverteret alio; hinc si ex eo petatur, quo tendat? respondebit prompte: Romam.

2°. Hanc intentionem virtualem in se etiam actualem esse; licet non actualis formalis expressa. Intentio enim actualis dividi potest in formalem et expressam, sive actum voluntatis expressum; et in virtualem, sive actum remissum, tenuem, imperceptibilem, remanentem ex formali; sicque recte exponitur, quare actiones externæ sequentes dici possint humanæ liberæ, quod in aliis sententiis intelligi non potest.

Sed *inquies*: Hos actus non experimur in nobis. Item si hi actus maneant in ministro distracto; ergo et in dormiente, ac ebrio manere possunt.

R. *Ad* 1um. *D.* Hos actus non experimur in seipsis *C.* non etiam in effectu *N.* Sic qui ex habitu artificiose ludit cythara, vel loquitur latine, actu per utriusque artis regulas dirigitur; unde si forte erret, statim se reflectit, et corrigit, nec tamen prius advertebat, has regulas actu in intellectu existere, seque ab iis dirigi.

R. *Ad* 2um. *N. seq.* Lata et multiplex est disparitas; nam 1°. licet distractus magis perceptibiliter attendat ad objectum distrahens; simul tamen communiter ad objectum primo intentum imperceptibiliter attendit. 2°. Adhuc habet facultatem expeditam et liberam actiones sacramentales prosequendi, vel abrumpendi. 3°. Interrogatus expedite responderè potest, quid, cur agat. 4°. Actio adhuc procedit ab eo humano modo, non brutali: at contraria in ebrio et dormiente sunt, in quibus nihil intellectus, nihil voluntas operatur, sed sola phantasia cum appetitu sensitivo dominatur.

ARTICULUS VIII.

UTRUM INTENTIO MINISTRI ABSOLUTA ESSE DEBEAT, VEL AN ETIAM ALIQUANDO CONDITIONATA SUFFICIAT?

188. *Præmitto.* Divisione alia intentio in absolutam et conditionatam dividitur. *Absoluta* est, quæ ex modo suo tendendi fertur in objectum sine ulla limitatione et restrictione. *Conditionata,* quæ in illud cum restrictione aliqua fertur.

Conditiones vero aliæ sunt sacramento intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. *Intrinsecæ* sunt illa omnia, quæ pertinent ad valorem sacramenti sive ex parte ministri, sive ex parte suscipientis. Hæ semper subintelliguntur, etsi non exprimantur, ut, ego te baptizo, si es homo; ego te absolvo, si habes dolorem. Unde et regulariter exprimi non debent, etsi aliquando juxta de causa exprimendæ sint, ut cum prudenter dubitatur, an hic et nunc adsint; veluti, an moribundus vel puer sit capax sacramenti. *Extrinsecæ* sunt, sine quibus potest sacramentum valide confici. Ac de his potissimum movetur quæstio.

Sed porro conditio extrinseca potest esse de præterito, de præsenti, de

futuro. *De præterito,* ut si dicas : ego te absolvo, si restituisti. *De præsenti :* si habes propositum restituendi. *De futuro :* si restitues. Ubi tamen observa, hanc postremam posse sumi dupliciter : 1°. ut æquivaleat huic : absolvo te, si de facto verum sit, te cras restituturum ; vel si Deus sciat, quod cras restituturus sis : 2°. ut huic æquivaleat ; absolvo te ea lege, ut nunc remissionem peccatorum non obtineas, sed die crastina, si tunc restitutionem feceris ; atque hæc secunda intentio, non prior, est proprie loquendo sub conditione de futuro. Demum conditio de futuro esse potest vel de futuro necessario, vel de libero, vel contingenti quocumque.

Satis vero convenit, peccare ministrum, adhibendo sine sufficiente causa intentionem conditionem expressam ; nam si apponeretur conditio inexistens ex natura rei, adderetur otiose ; si extrinseca omnino impertinens, committeretur sæpe gravis irreverentia, ac subinde sacramentum periculo nullitatis exponeretur. Pariter certum est apud Theologos valere sacramentum collatum sub conditione de præsenti, vel præterito, si ea a parte rei sit vere posita, et nota ; quia tunc intentio ex suo tendendi modo conditionata transit in absolutam, quæ vero valida est. Hinc valet baptismus et pœnitentia sub his formulis : *si non es baptizatus, ego te baptizo : si vivis, ego te absolvo :* posito, quod infans baptizatus non fuerit, aut pœnitens vivat. Una igitur quæstio de intentione conditionata sub conditione de futuro contingenti, et quocumque.

189. *Dico.* Non sufficit ad valorem sacramenti intentio stricte conditionata, scilicet sub conditione de futuro, uno excepto matrimonio. Est communissima Doctorum.

Prob. Si valeret sacramentum tali sub conditione ministratum ; ergo vel tunc, quando forma applicatur materiæ, vel quando purificatur conditio ; sed neutrum dici potest : non 1um. quia non valet hic et nunc sacramentum, si desit intentio illud hic et nunc conferendi ; sed qui vult e. g. absolvere sub conditione de futuro, non intendit hic et nunc absolvere, sed intentionem suam usque ad tempus aliud futurum suspendit. Non 2um. quia rursus non potest dari sacramentum sine materia et forma : sed quando purificatur conditio, jam desierunt materia et forma ; ergo.

Dixi : *excepto matrimonio ;* de hoc enim, cum retinuerit naturam contractus, videtur aliter sentiendum ; ac de eo vide in Tract. de Matrim. cap. 3. art. 2. Quod vero modo dictum de conditione de futuro, non pauci auctores putant, de conditione extranea impertinenti, ignota, quæ nihil facit ad dignam sacramenti administrationem, ut *baptizo te, si Papa dormit ; si es prædestinatus,* esse intelligendum ; eo quod et talis videatur non absolute velle sacramentum, sed suspendere, non pro natura et necessitate sacramenti, sed pro sua libertate ac libidine contra ordinem a Christo probabiliter institutum. Proinde, quia variant auctorum sententiæ, sacramentum ita collatum, attenta sacramenti natura, esset sub conditione iterandum.

190. *Dices* 1°. Confectio sacramenti valida subest ministri arbitrio ; ergo hic æque poterit sacramentum conficere sub conditione de futuro, quam de præsenti, vel præterito.

R. *D. Ant.* Subest ministri arbitrio quoad positionem ; h. e. potest nullum

conficere sacramentum omittendo aliquod essentiale *C.* subest ministri arbitrio quoad suspensionem valoris, h. e. potest etiam facere, ut, quando omnia essentialia sunt rite adhibita, nondum tamen tunc habeatur ratio sacramenti *N.*

191. *Dices* 2°. Potest quis valide absolvi a censuris, hac conditione, ut intra certos dies e. g. ablata restituat, satisfaciat Ecclesiæ; ergo etiam sub simili conditione de futuro absolvi a peccatis.

R. *C. Ant. N. Cons.* Absolutio a censuris vim omnem immediate habet a voluntate humana; unde nec ad eam requiruntur verba, nisi ut innotescat absolventis intentio : at absolutio sacramentalis a sola voluntate Christi est, et consistit in verbis ab eo institutis, quorum, si rite applicentur, efficaciam proinde suspendere nullus minister potest.

192. *Dices* 3°. Sententia, vel absolutio ministri in sacramento pœnitentiæ se habet ut sententia alterius judicis : sed hujus sententia subsistere potest cum conditione de futuro; ergo.

R. *D. M.* Se habet ut sententia alterius judicis quoad aliqua, quia scilicet pœnitentiæ minister exercet officium judicis *C.* quoad omnia *N.* Differt vero utraque a se invicem sententia, quod Christus ad sacramentum simul concurrere voluerit materiam, formam et intentionem; sed tria hæc juxta rationem Conclus. non possunt simul concurrere, si habeatur intentio suspensiva usque ad eventum conditionis futuræ; quia dum hæc impletur, non habetur materia et forma, quæ transierunt. Nihil tale ad sententiam judicis alterius requiritur.

193. *Dices* 4°. In sacramento reviviscente etiam sæpe diu post actionem sacramentalem positam, ponitur gratia; igitur sic quoque poni poterit serius vi intentionis suspensivæ sub conditione de futuro.

R. *C. A. N. Cons.* Lata est *disparitas* : in sacramento reviviscente hoc ab initio erat validum, habens essentialia omnia ad rationem sacramenti; sed tantum initio ponebatur obex gratiæ : hic vero in præsenti casu poneretur obex ipsi sacramento; intentio enim ministri ad valorem sacramenti essentiale requisitum est; sed juxta rationem Conclus. hæc non habetur, dum ponitur actio; postea vero, dum purificata est conditio, non amplius datur materia et forma; ergo nunquam potest haberi verum sacramentum.

194. *Dices* 5°. Valebit saltem sacramentum sub conditione de futuro necessaria, quæ certo implebitur; ergo. *Prob. Ant.* Quia talis conditio habetur pro absoluta; *qui enim sub conditione stipulatur, quæ omni modo extitura est, pure videtur stipulari.* L. 9. ff. de Nov. et Desp.; ergo et valebit sacramentum.

R. *D. Ant.* Si per illam conditionem sensum intendat potius absolutum : e. g. *quam certum nunc est, cras solem oriturum, tam vere te baptizo; Permitto* : si sensum intendat suspensivum *N.* Tunc enim tam parum valebit, quam parum valet sacramentum sub conditione de futuro contingente ex ratione eadem.

CAPUT III.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

195. Subjecti nomine hic ille venit, qui est suscipiens sacramenti, vel certe ejus suscipiendi capax est; estque solus homo viator; nam *omnis pontifex pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum,* ait Apost. ad Hebr. 5. 1. Et vero nec angelis, cum incorporei sint, signa sensibilia gratiæ applicari possunt; nec creaturis ratione carentibus, cum sint incapaces gratiæ; nec hominibus mortuis; quia, cum in termino sint, proficere in gratia non possunt, nec proinde percipere sacramentorum fructum. Non tamen homo quilibet cujuslibet sacramenti subjectum est; non baptizatus enim nullum suscipere potest, cum Baptismus cæterorum janua sit; nec femina capax est Ordinis; nec religiosus, nec constitutus in majori ordine in Ecclesia latina, Matrimonii; nec homo sanus Extremæ Unctionis. De subjecto igitur hic tantum sequentia expendenda remanent. 1°. Quid requiratur ex parte subjecti, ut sacramentum recipiat valide? 2°. Quid, ut recipiat licite et fructuose?

ARTICULUS I.

QUID REQUIRATUR EX PARTE SUBJECTI, UT SACRAMENTUM RECIPIAT VALIDE?

196. *Dico I.* In adultis ad suscipiendum sacramentum valide requiritur, et sufficit positiva aliqua voluntas et intentio illud suscipiendi; nec sufficit sola negatio voluntatis contrariæ, excepto sacramento Eucharistiæ et Pœnitentiæ.

Prob. Ex Conciliis, Carthagin. III. Can. 34. (Labb. t. 2. p. 1172.), Araus. I. Can. 12. (ibid. 1205.) expresse declarantibus, ut baptismus non conferatur adultis, qui usum loquelæ amiserunt; nisi constet ex testibus, eos ante voluisse baptizari; quod vero laudata Concilia de baptismo docent, id utique a fortiori tenendum est de sacramentis aliis, utpote minus necessariis, quam sit baptismus. Idem Rituale Romanum vetat, auctoritate Pauli V. editum. Accedit Ecclesiæ praxis. Ratio vero a priori est Christi sic ordinantis voluntas, nobis per totius Ecclesiæ usum intimata; cui addi potest ratio altera, fundata tamen in priori; quia sacramenti susceptio est initiatio quædam et consecratio; seu religionis professio, quæ sine motu voluntatis fieri nequit.

Dixi 1°. *In adultis;* in parvulis enim nihil tale requiritur, ut constat ex Traditione Apostolica, juxta quam baptizantur infantes in fide Ecclesiæ, ut S. Aug. ait serm. 294. (alias 14. de verb. Apost.) c. 18. *Absit, ut ego dicam non credentes parvulos:* ac ante (c. 11.) dixerat: *Credit in altero* (scilicet Ecclesia), *qui peccavit in altero.*

Dixi 2°. *Excepto sacramento Eucharistiæ et Pœnitentiæ:* cum enim Eucha-

ristia jam ante susceptionem confecta sit, manet verum sacramentum, etsi invito obtruderetur. Pœnitentiæ vero, quia actus pœnitentis contritio, confessio pars materialis sunt; hæc ex parte pœnitentis insuper requiruntur ad valorem.

197. *Dico II.* Hæc tamen intentio sive voluntas ad validam sacramenti susceptionem requisita non est necessario actualis, vel virtualis; sed sufficit habitualis, quæ fundatur in voluntate aliqua priori non retractata, ratione cujus susceptio sacramenti moraliter adhuc censeatur voluntaria. Est communis cum S. Th. hic q. 68. a. 8. Et patet ex laudatis ante Conciliis, quæ volunt baptizari moribundum usu rationis destitutum; modo constet de voluntate ejus præterita.

Quin ad sacramentum extremæ unctionis sola etiam intentio interpretativa videtur sufficere; ita enim ex ipsa praxi Ecclesiæ videtur colligi, quæ in moribundis usu sensuum destitutis præsumit voluntatem saltem generalem, ut sibi applicentur omnia salutis remedia: nec requirit testimonium voluntatis præteritæ de suscipiendo hoc sacramento, maxime, si aliunde constet, infirmum esse bene dispositum. Cæterum si ægrotus sui compos sit, æque ab eo declaratio aliqua voluntatis ad suscipiendum hoc sacramentum exigitur.

198. *Obj. I. contr. Concl.* 1am. Ex Conciliis. 1°. Concilium Florent. et Trid. ad valorem sacramenti tantum requirunt materiam, formam et intentionem ministri; ergo non requiritur intentio suscipientis.

2°. Concilium Tolet. IV. non solum non improbavit, sed etiam laudavit factum Sisibuti Hispaniarum regis, qui Judæos ad susceptionem baptismi coegerat; ac Can. 57. de Judæis his decernit: *Qui fidem Christianam vi vel necessitate susceperant, tenere cogantur.* Atqui in his Judæis non erat voluntas vel intentio suscipiendi baptismum, utpote ad quem fuere metu compulsi.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Quia Concilia eo loco tantum explicant, quid requiratur absolute et universaliter in omnibus sacramentis; intentio autem suscipientis non requiritur essentialiter ad omne sacramentum, ut in parvulorum baptismo et confirmatione patet.

Ad 2um. R. *N. min.* Sed erant inviti tantum secundum quid, non simpliciter; quia metus, quo erant compulsi, non tollit voluntarium simpliciter, ut aliunde constat. Patres vero Toletani zelum quidem laudaverant regis, non factum ipsum, sed hoc improbarunt, idque fieri deinceps vetuerunt Can. cit. eod.: *de Judæis præcipit S. Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre.*

199. *Obj. II.* Ex Patribus et summis Pontificibus. 1°. S. Aug. Tr. 26. in Joan. n. 2. *Intrare*, inquit, *quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens*; ergo. Idem refert L. 4. Confess. c. 4. n. 8. amicum suum Nebridium, cum diu usu sensuum destitutus jacuisset, fuisse nescientem baptizatum; qui baptismus iteratus non fuit.

2°. Ex mente Doctoris Angelici in 4. Dist. 6. q. 1. a. 2. quæstiunc. 3. in adultis sufficit sola voluntatis contrariæ negatio; ait enim hos percipere

sacramenta, *nisi contraria voluntas habitu insit*; ergo in his non est necessaria intentio positiva.

3°. Innocentius III. cap. *Majores* de Bapt. dicens: *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenerit obsistentem*; ergo sufficit se mere passive habere. Sic usque adeo Adrian. I. epist. 8. Saxones (scilicet a Carolo M. devictos, et ad suscipiendum baptismum compulsos) ait vere fuisse baptizatos, etsi foris duntaxat, non in animo consenserint. Quod confirmat Glossa in can. *Solet*, et cap. *Majores* de Bapt. dicens, validum esse baptismum ab eo susceptum, qui corde dissentit, modo dicat ore, se consentire.

Ad 1um. R. S. Patrem hæc non de sacramento quolibet, sed Eucharistia, enuntiat; verum hanc supra excepimus. Vel si etiam permittatur, eum de baptismo hæc dixisse, commode adhuc explicari posset de infantibus, quatenus non habent actum voluntatis proprium, quo consentiant; quin etiam quoad adultos, quando sunt inviti tantum secundum quid, ac proinde nolentes secundum quid. Amicus vero Augustini baptismum petierat antea; colligitur inde, quod postea intelligens, teste Aug. ibid., se baptizatum esse, summopere sit lætatus. Nimirum non solebat unquam Ecclesia conferre baptismum eum non flagitantibus; sed contra potius, ac subinde satis diu differre eumdem petentibus in priore ævo, usque dum eorum virtutem ac constantiam probe tentasset. Inde igitur illa lætitia in amico Augustini quod ea occasione ad baptismi gratiam citius pervenisset.

Ad 2um. R. S. Doctorem iis verbis solum necessitatem intentionis actualis et virtualis voluisse excludere; quod eodem loco simul enuntiet in adultis requiri intentionem.

Ad 3um. R. Palam est, Innoc. per voluntatem contrariam intelligere eam, qua voluntas prior suscipiendi sacramenti positive retractata fuit; constat inde, quod cap. eod. asserat, dormientes et amentes tunc solum recipere characterem, *si prius catechumeni extitissent*, i. e. petiissent baptismum catechumenorum more. Adriani epistolæ perquam dubiæ Criticis fidei sunt, qui plures eidem abnegant. Deinde explicari potest de consensu spontaneo, quod tali non consenserint, quem scilicet tollit metus; quo tamen non obstante consenserunt voluntarie simpliciter; etsi enim metum patiens nollet objectum, si metus abesset, et sic aliquo modo in illud feratur invitus; ex altera tamen parte vult evitare malum, quod intentatur, et vult ipso illud objectum seu medium evitandi intentatum malum. Glossæ commento hic non detinemur, quam hoc loco pridem expungi jussit Gregorius XIII.

200. *Obj. III.* Ex histor. Eccl. 1°. Constat, plures fuisse coactos ad suscipiendum baptismum, eumque suscepisse invitos, qui tamen judicatus fuit validus; ergo. *Prob. Ant.* Sic teste S. Greg. Turonensi L. 6. Hist. Franc. cap. 17. multi Judæi an. 570. coacti sunt ad baptismum. Idem cum Judæis Massiliensibus factum esse refert S. Greg. M. L. 1. epist. 47. (al. 45.); idem fecit Dagobertus I. rex Galliæ circa idem fere tempus, et alii.

2°. Plures inviti et reluctantes fuerunt ordinati, valuitque ordinatio; ergo; *Prob. Ant.* Sic Macedonius Eremicola a Flaviano Antiocheno episcopo, etiam ignarus, quid secum ageretur, fuit ordinatus presbyter, ut narrat Theodoret. in Philotheo cap. 23. Paulinianus S. Hieronymi frater ordinatus

fuit invitus a S. Epiphanio, ut hic ipse refert ad Joan. Hierosolymit., inter Hieronymianas olim 60. nunc 51. n. 1. *Ignorantem eum, et nullam penitus habentem suspicionem per multos diaconos apprehendi jussimus, et teneri os ejus, ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi; et primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, et compellentes, ut ministraret.* Sic et Bassianus flagris a Memnone Ephesino episcopo compulsus fuit, ut pateretur se ordinari Evazorum episcopum; ut narrat Bassianus ipse epist. ad Valentinum et Marcian. Imperat.

Ad 1um. R. *D.* Constat plures fuisse coactos, coactione perimente et excludente omne voluntarium *N.* secus *C.* Nimirum sicut supra de motu dictum est.

Ad 2um. R. Eadem est responsio. Macedonii vero ordinatio probabilius nulla fuit; ignorabat enim vere, quid secum ageretur, quod inde constat, eo quod cum peracto ordinationis ritu intellexisset, quod eum ordinasset episcopus, ira commotus, baculo quo uti solebat senex in episcopum et adstantes involans, eos templo expulit. Paulinianus vero et Bassianus reluctati sunt ab initio ex humilitate potius; ac quidem prior postea acquievit; alter tandem flagris licet longis extorsum consensum dedit; ad hunc enim extorquendum adhibitæ sunt plagæ. Unde de similibus sacrum ministerium ex humilitate et reverentia declinantibus, tali modo eos tandem ad dandum consensum inductos fuisse ait S. Aug. epist. ad Donat. 204. (al. 173. n. 2.) *Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Videtur proinde medium hoc dictasse Ecclesiæ necessitas, ne, cum multi ex humilitate et tremore tam sublimis status, Ecclesiæ manerent orbæ, et destitutæ dignis pastoribus.

201. *Obj. IV.* Ex ratione cum Vanroy. 1°. Potest religiosus absolute invitus ad superioratum promoveri; civis ad consulatum, quando utilitas vel necessitas communis ordinis, patriæ, id exigit; ergo etiam catholicus invitus promoveri potest ad sacros ordines, si id poscat bonum Ecclesiæ. 2°. Non requiritur consensus in parvulis; ergo neque in adultis; *Prob. Cons.* Quia, quod est necessarium ad essentiam sacramenti, vel semper debet esse tale, vel nunquam.

Ad 1um. R. *C. A. N. Cons. Disparitas* petitur 1°. ex voluntate Christi sic instituentis nobis communi sensu et praxi Ecclesiæ intimata. 2°. Promotio religiosi ad superioratum, civis ad consulatum tantum denominatio extrinseca est, nihil in subjecto ponens intrinsece, estque duntaxat deputatio hominis ad ministerium et opus externum; ad actiones vero externas ponendas homo hominem cogere potest; e contra ordinatio sacramentalis operatur in anima ipsa gratiam, characterem, potestatem intrinsece; ad hæc vero recipienda Ecclesia a Christo non accepit potestatem cogendi voluntatem hominis. Unde argumentum evincit tantummodo hoc, quod exigente necessitate Ecclesiæ, possit ea deputare invitum ad ministerium sacrum, isque etiam admittere tunc teneatur, sic, ut peccet eo casu non admittendo; nihilominus si admittere absolute nolit, efficietur omnino nihil.

Ad 2um. R. *C. A. N. Cons. Disparitas* est, quod adulti sint capaces consensus proprii, secus parvuli; hinc consensus parentum, vel Ecclesiæ suffi-

cit. Ita traditio et praxis Ecclesiæ semper habuit, ut verbis planis declarat S. Aug. L. 4. de Bapt. c. 24. : *Cum alii pro eis (parvulis) respondent..... valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Prob.* etiam *D.* Quod est necessarium per modum alicujus partis essentialis vel intrinsece constituentis *C.* tantum per modum dispositionis ex parte suscipientis *subd.* ubi est eadem ratio subjecti, ut si subjectum sit capax hujus dispositionis *C.* hinc in omnibus adultis semper hæc dispositio necessaria est : si est diversa subjecti ratio, hocque dispositionis capax non sit *N.* Tales vero sunt parvuli, quos Christus, a cujus libera voluntate omnis pendebat sacramentorum institutio, ab ea lege exemptos voluit.

202. *Dico II.* Non tamen in suscipiente fides requiritur ad valorem sacramenti, excepto sacramento Pœnitentiæ.

Patet iterum ex praxi et sensu totius Ecclesiæ, quæ semper ratum habuit, quod sub legitima forma in hæresi receperat hæreticus. Dixi : *excepto sacramento Pœnitentiæ;* quia hujus materia est actus pœnitentis, nimirum dolor, qui sine fide haberi non potest.

Nec obstat, quod dicat S. Ambros. L. 1. de Spir. sancto c. 3. n. 42. sine fide Trinitatis vacuum esse sacramentum; ac S. Optatus Milevit. L. 5. de schim. Donatist. advers. Parmen. c. 4. necessariam esse fidem suscipientis, sicut fidem SS. Trinitatis; ambo enim loquuntur de sacramenti fructu, ad cujus consecutionem necessaria est fides, sicut Trinitatis invocatio, inque hoc loco paritatem ponunt; non etiam, quod æque requiratur ad substantiam sacramenti; *vacuum* enim sacramentum, quo nomine S. Ambros. utitur, proprie illud dicitur, quod effectum non confert; S. Optatus vero, cum de sacramenti valore loquitur, ac quidem baptismi cit. loc. ait : sine invocatione Trinitatis *res non potest geri;* non vero sic de fide loquitur respectu substantiæ baptismi; et vero S. Pater loc. cit. baptisma hæreticorum et in hæresi susceptum satis declarat valere.

ARTICULUS II.

QUID REQUIRATUR EX PARTE SUBJECTI, UT SUSCIPIAT SACRAMENTUM FRUCTUOSE?

203. *Præmitto.* Solum de effectu primario, qui est gratia sanctificans, quæstio instituitur; ad consequendum enim secundarium, qui in baptismo, confirmatione, et ordine est character, alia haud opus dispositione est, quam quæ ad valorem requiritur. Deinde solos adultos spectat quæstio, usu rationis pollentes, in parvulis enim et perpetuo amentibus cum nulla requiratur dispositio ad sacramenti valorem, quia incapaces sunt eliciendi vel ponendi cujusdam actus dispositivi, ex ratione eadem nulla dispositio ad percipiendum sacramenti fructum necessaria est.

Præterea certum est 1°., quod in adultis omnibus ad recipiendam sacramenti gratiam requiratur dispositio aliqua, cum Trid. Sess. 7. Can. 6. et 7. doceat sacramenta non nisi rite suscipientibus et obicem non ponentibus

gratiam conferre. 2°. Quod dispositio hæc importet pium aliquem motum voluntatis in Deum; cum ex adultis nemo admittatur in amicitiam Dei, nisi hanc libere amplectatur. 3°. Quod pia illa voluntatis motio esse supernaturalis debeat, cum juxta definitionem Concilii Araus. Can. 7. et Milevit. Can. 4. nihil ad salutem pertinens cogitare possimus, vel agere, sicut oportet, sine gratia. Sed et Trid. Sess. 6. Can. 3. anathema dicit ei, qui dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.

204. *Dico I.* Ut sacramentum Baptismi conferat gratiam adulto qui præter peccatum originale habet peccatum mortale personale, præter actus fidei et spei necessario etiam requiritur actus doloris, qui tamen non est necessario contritio perfecta. Ita cum S. Th. hic q. 68. a. 4. Theologi communiter.

Prob. I. Ex Scriptura. Hæc imprimis requirit in adulto fidem supernaturalem, Marc. ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; et ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Deinde detestationem vitæ veteris, Act. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*; et insuper propositum inchoandi vitam novam, Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.*

Prob. II. Ex Conc. Trid., quod Sess. 6. cap. 6. hos actus claris verbis ceu dispositionem necessariam prærequirit in adultis.

Quod vero non requiratur necessario contritio perfecta ante baptismum, ratio est, quia hoc sacramentum, uti et pœnitentia, per se et directe sunt instituta ad delenda peccata mortalia; ergo non supponunt eorum remissionem; igitur nec contritionem perfectam, per quam ea semper et infallibiliter remittuntur.

Dixi: *requiri dolorem in eo, qui præter originale habet mortale personale*; qui enim solum originale habet, non tenetur de eo dolorem formalem elicere; eo quod non sit commissum voluntate propria; proinde nec voluntate propria necessario retractandum; unde eo casu actus fidei et spei sufficiunt.

205. *Dico II.* Ut obtineatur effectus sacramenti Pœnitentiæ, in peccatore requiritur 1°. dolor supernaturalis de omni peccato mortali commisso cum proposito non peccandi de cætero; 2°. integra peccatorum gravium confessio, saltem in voto. Rursum communis cum D. Th. 3. p. q. 68. cit. a. 6.

Constat ex Trid. Sess. 6. cap. 14. ac Sess. 14. cap. 4. et 5. Ac ratio est; quia, in hac providentia nullum peccatum mortale sine ejus retractatione et confessione saltem in voto remittitur. Deinde dolor, propositum et confessio hujus sacramenti partes essentiales sunt; ergo nequidem valide, multo minus fructuose sine his actibus suscipitur.

206. *Dico III.* Sacramenta vivorum per sè ad fructuosam sui receptionem in suscipiente statum gratiæ prærequirunt: secus sacramenta mortuorum.

Prob. 1ª. *p.* Quia sacramenta vivorum ideo sic dicta, quod, ex institutione sua primaria, supponant in subjecto vitam spiritualem animæ, quæ per gratiam habetur; igitur hanc in subjecto supponunt præexistere. Hinc, ut

digne et fructuose recipiatur ab eo, qui conscientiam peccati gravis habet, comparari ante debet status gratiæ, ac quidem ab eo, qui Eucharistiam recepturus est, comparari determinate per præviam confessionem debet, si haberi possit copia confessarii, statuente ita Trid. Sess. 13. cap. 7. juxta illud Apostoli : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat;* in defectu tamen confessarii, casu quo recipienda esset Eucharistia, velut a sacerdote, cui celebrandum incumbit, contritio perfecta sufficeret. Pro reliquis vivorum sacramentis etsi idem non æque Trid. statuerit, ac proinde vere probabilis sit Theologorum sententia, ad hæc fructuose suscipienda sufficere, si homo peccati sibi conscius contritionem perfectam eliciat, cum et hæc vim justificandi habeat; suadenda tamen in praxi potius confessio est, ceu medium facilius securiusque statum gratiæ reparandi.

Prob. 2ª. *p.* Quia, cum sacramenta mortuorum instituta sint ad gratiam, vitam spiritualem conferendam, evidens fit, hanc iis non necessario præsupponi.

Dixi ante : *ut digne suscipiantur ab eo, qui conscientiam peccati habet;* nam in justo non requiritur dispositio alia quoad sacramenta vivorum, quam debita intentio, saltem habitualis ea suscipiendi; ut dictum Art. præc.

DE SACRAMENTIS TRIBUS PRIORIBUS

DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA.

---

1. In sacramentorum numero loco priore in Theologia Baptismus, Confirmatio et Eucharistia pertractanda veniunt, ordine Ecclesiæ usitato, quæ in Concilio Florentino et Tridentino isto ea loco reposuit. Nec deest convenientia, quam a vita corporali desumptam reddit Doctor Angelicus in 3ª. p. q. 65. quacum illa spiritualis quamdam conformitatem habet. In corporali vero vita, quæ ad perfectionem ipsius hominis pertinent, ordine naturæ præcedunt ea, quæ spectant ad perfectionem multitudinis; unum enim prius est quam multitudo: porro inter ea ipsa, quæ ad perfectionem personæ propriæ attinent, rursus priora sunt illa, quæ per se ad perfectionem hominis ordinantur, hoc est, quibus suæ perfectionem aliquam vitæ acquirit, quam quæ ad hanc ordinantur per accidens, velut removendo impedimenta vitæ, ægritudines et similia: ita in spirituali vita, quæ sacramentorum principalis finis est, et ad cujus perfectionem aliquam, ceu finem proprium, quodlibet sacramentum ordinatum est, inter sacramenta illa præcedunt reliquis, quibus homo in hac spirituali vita respectu sui, et per se perficitur. Ac quoniam in vita corporali homo quoad se, ac per se perficitur tripliciter, 1°. quidem generatione, qua homo esse et vivere incipit, hujus loco in altera spirituali Baptismus est, spiritualis regenerationis sacramentum, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto,* et ad Tit. 3. *Per lavacrum regenerationis.* 2°. Augmento, quo natus homo ad quantitatem perfectam, virtutemque perducitur; ejus loco in spirituali vita Confirmatio est, in qua datur Spiritus sanctus ad robur, cum, observante S. Augustino, ideo baptizatis jam tum Apostolis dictum sit, Luc. ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* 3°. Nutritione, qua in homine vita et virtus conservatur; hujus vices in vita spirituali Eucharistia subit, juxta illud Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Item ibid. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* etc. Pœnitentia vero et Extrema Unctio ad perfectionem spiritualem hominis ordinantur quasi per accidens, Pœnitentia ad restituendam, si vitium passa sit, animæ sanitatem; Extrema Unctio ad sanationis, quam inchoat Pœnitentia, consummationem; unde et tribus prioribus ordine considerationis posteriora sunt. Ordo tandem ac Matrimonium quæ ad perfectionem ordinantur multitudinis, tunc et loco ultimo veniunt. Tria igitur prima sacramenta complectemur Dissertationibus totidem, ac quidem aget 1ª. *De Baptismo*; 2ª. *De Confirmatione*; 3ª. *De augustissima Eucharistia.*

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

2. Baptismi nomen sensu litterali immersionem, tinctionem sonat, quippe a verbo græco βάπτω, vel βαπτίζω, id est, *mergo, tingo* derivatum; ac primo huic, maximeque necessario sacramento applicatum, quod, qui olim baptizabantur, toti aquis immergi, ac tingi solerent. In Scripturis divinis tamen non raro in sensu figurato ac metaphorico sumitur. Sic Christus passionis suæ præscius, ac multitudinis dolorum, hos baptismum dixit, Luc. 12. v. 50. *Baptismo habeo baptizari*. Sic designaturus idem Apostolis abundantiam gratiæ, qua essent a Spiritu sancto replendi, eadem est voce usus, Act. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*; ob similitudinem videlicet et analogiam quamdam, quam illæ similesque res cum baptismo litteraliter sumpto habent. At usu Ecclesiæ, inque sacramentali foro baptismus lotionem illam sacram præcise denotat, qua dum quis abluitur corpore, ut abluatur interne in anima, ac regeneretur ad vitam spiritualem animæ, fiatque Christianus; ac passim dicitur *baptismus fluminis*, *sacramentum baptismi*. Inque hac acceptione sola hic de baptismo disseremus sequentibus capitibus I. de essentia, institutione, materia ac forma baptismi. II. De necessitate ejusdem, ministro et subjecto, præmissa ante de hoc sacramento summa doctrinæ Catholicæ ex Conciliis Florent. et Trid.

Decretum Concilii Florentini sub Eugenio IV. an. 1439. ad instructionem Armenorum.

3. Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum cœlorum introire. Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis: nec refert, frigida sit, an calida. Forma autem est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Non tamen negamus, quin et per verba illa: baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: vel, baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacer-

dos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis; omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.

Canones Concilii Tridentini Sess. VII. de Baptismo, 3. Mart. an. 1547. sub Paulo III.

I.

Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de sacramento baptismi doctrinam; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi baptismo; anathema sit.

X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, solâ recordatione et fide suscepti baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, vere et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

XIII.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.

XIV.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

CAPUT I.

DE ESSENTIA BAPTISMI, INSTITUTIONE, MATERIA AC FORMA.

4. Appellatione ac descriptione varia sacramentum baptismi tum Scriptura S. tum SS. Patres expresserunt. 1°. A materia dicitur *lavacrum aquæ*, ad Ephes. 5. 26. *sacramentum aquæ*, a TERTULLIANO L. de Bapt. c. 1. 2°. Ab effectibus, *lavacrum regenerationis et renovationis*, ad Tit. 3. 5., quia spiritualem homini vitam primo affert; *illuminatio*, ad Hebr. 6. 4., quia fides, cujus sacramentum est, illuminat intellectum. Eaque appellatio SS. Patribus Græcis perquam familiaris fuit; unde S. CYRILLUS Hierosolymitanus Catecheses suas de Baptismo, *Catecheses illuminatorum*, hoc est baptizatorum, nuncupavit. Item: *sigillum, signaculum* ob characterem, quem imprimit, ac quia per baptismum homo cœtui fidelium aggregatur. *Sacramentum fidei* a Concilio TRID. Sess. VI. cap. VII, quia in hoc sacramento homo solemnem professionem fidei vel per seipsum, si adultus sit, vel per susceptores levantes, si sit infans, emittit. *Sepultura hominis cum Christo in mortem*, ad Rom. 6. 4. quia ut Christus mortuus resurrexit ad vitam novam ac gloriosam, ita homo in baptismo ad spiritualem vitam. 3°. A forma, *sacramentum Trinitatis*, quia sub expressa Trinitatis invocatione perficitur. At nos, retento nunc communi in Ecclesia *baptismi* vocabulo, in quæstionibus sequentibus illum penitius consideratum imus.

ARTICULUS I.

QUID SIT BAPTISMUS? QUANDO A CHRISTO INSTITUTUS?

5. *Dico 1.* Sacramentum baptismi spectatum physice recte definitur: *Ablutio corporis sub præscripta verborum forma.* Sumptum metaphysice vero: *Sacramentum regenerationis*, sive institutum ad fidelium regenerationem spiritualem.

Prior definitio admittitur quoad rem ab omnibus. Altera quoque leges rectæ definitionis servat: sacramentum enim locum tenet generis proximi; regeneratio vero differentiæ; illam enim solus baptismus inter sacramenta significat, et efficit: etsi enim etiam pœnitentiæ sacramentum hominem spiritualiter vivificet; id tamen facit potius per modum resuscitationis, cum sacramentum hoc supponat, hominem jam fuisse in Christo genitum; baptismus vero, quia ex primaria institutione sua primam spiritualem vitam confert, per quam homo a statu peccati transfertur ad statum adoptionis filiorum Dei, inde regenerationis nomen obtinet. Utroque modo autem, physice ac metaphysice, sumptus baptismus brevibus definitur: *Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ.* Ubi essentiam metaphysicam exprimit sacramentum ut genus, et vis regenerativa ut dif-

ferentia ; essentiam vero physicam adsignificat lavacrum aquæ ut materia, et verbum vitæ, hoc est expressa S. Trinitatis invocatio, ut forma.

6. *Si dicas* : Igitur non differunt baptismus Christi et baptismus Joannis. *Prob.* Nam in utroque reperitur idem signum, idem auctor, eadem significatio; ergo et idem sacramentum. *Prob. Ant. per part.* 1°. Est idem signum; nimirum aqua ad ablutionem data : *Ego baptizavi vos aqua;* Marc. 1. 2°. Idem auctor juxta ipsiusmet Joannis Baptistæ verba : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit;* Joan. 1. 3°. Eadem significatio ; nam de Joanne baptizante dicitur : *Erat prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum;* Luc. 3. sicut nimirum de baptismo Christi dicitur : *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum;* Act. 2. ; ergo uterque baptismus peccata remittebat.

7. *Observa* : Jam olim Petilianus Donatista, apud S. Aug. L. 2. contr. litteras Petiliani, c. 32. unum esse docuit Joannis et Christi baptisma, in quo tamen tres essent gradus : aquam, dicebat, Joannes præbuit : Christus Spiritum sanctum contulit : Paracletus vero ignem detulit e cœlis; sed hæc tria unum idemque sacramentum constituunt. At Petiliani errorem ibid. n. 75. sic confutat Augustinus : *Si ergo aqua Joannis ad eumdem* (baptismum) *pertinet cujus unitas commendatur, non debuerunt baptizari, jubente Paulo apostolo, quos compererat baptizatos a Joanne : jam enim habebant aquam ad eumdem, sicut dicis, baptismum pertinentem : restabat ut Spiritum sanctum et ignem acciperent, quia defuerant Joanni, ut compleretur baptismus tribus, ut asseris, gradibus consecratus.* Petilianum postea secutus est Calvinus cum suis, Lutheranisque. E Catholicis vero alii, ut Durandus, baptismum Joannis pro vero habuerunt sacramento, sed Legis veteris, proin distincto a Christi baptismate. Alii, ut S. Bonavent., S. Th. in. 4. Dist. 2. eum inter utramque Legem quasi medium putarunt. Alii demum, ut S. Th., re melius perpensa, in Summa 3ª. p. q. 38. a. 1. ad 1. *Baptismum Joannis non fuisse per se sacramentum, sed quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi* asserunt. His positis,

R. *N. illat. et supp.* fuisse sacramentum Joannis baptisma. Nam 1°. non fuit sacramentum Legis veteris, quæ usque ad Christi mortem tenuit, post quam cœpit esse mortua, quia de ratione veri sacramenti est, ut sit ritus stabilis ac permanens; at Joannis baptisma brevi admodum tempore substitit, nimirum *quantum,* ut S. Aug. ait L. 5. de Bapt. c. 9., *satis esset ad parandam viam Domino.* 2°. Nec erat sacramentum Legis novæ, tum ex ratione data; tum quia de hujus essentia est, esse institutum a Christo : at baptismus Joannis non fuit institutus a Christo speciali ea ratione, quæ ad sacramentum novæ Legis requiritur; sed ab ipso Joanne, licet ex speciali inspiratione S. Spiritus, ad parandam hoc modo per pœnitentiam viam Domino; unde in Scriptura nunquam dicitur baptismus simpliciter, sed semper cum addito *Joannis.*

Præterea multiplex alia inter utrumque baptismum intercedit differentia. 1°. Ille Joannis characterem non impressit; cum baptizati ab eodem rebaptizari debuerint, Actor. 19. secus ac se res cum baptismo Christi habet. Deinde si unus idemque baptismus esset, cur Paulus baptizatos a Joanne

rebaptizari jussit *in nomine Domini Jesu?* 2°. Differunt effectu; baptismum enim Joannis nullam produxisse gratiam, ipsemet testatur Joannes, Matth. 3., Marc. 1., Luc. 3., se Messiam non esse ex eo probans, quod Messiæ baptismus Spiritum sanctum collaturus esset, ipse vero nudum exhibeat ministerium aqua: *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.* 3°. Joannes non baptizabat forma, qua Christi confertur baptismus; item adultos tantum pœnitentiæ capaces tingebat. Unde merito S. Trid. Synodus Sess. VII. Can. 1. damnat Lutheranos ac Calvinistas, propter quos hic canon fuit positus: *Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi; anathema sit.*

Ad prob. R. Equidem signum, sive aqua in utroque baptismo communis est; sed non cætera, ex dictis; unde patet responsio ad *prob.* 1am. et 2am.

Ad prob. 3am. R. *N.* quoad significationem; hæc enim in sacramentis Christi practica est respectu gratiæ: at talis significatio non erat in Joannis baptismate; hæc enim Luc. 3. *in remissionem peccatorum*, non cum hac voce *baptismum*, sed cum altera *pœnitentiæ* conjungi debent; ac sensus est: prædicans baptismum pœnitentiæ, quæ pœnitentia in remissionem peccatorum est, seu ad hanc obtinendam disponit. Nec proinde inter textum Luc. 3. et alterum Act. 19. est paritas; hic enim baptismus Christi dicitur simpliciter *in remissionem peccatorum;* ibi vero: *baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, hoc est ad pœnitentiam excitans, qua remittuntur peccata: indeque baptismus Joannis ab Aug. dicitur *remissio peccatorum in spe.* de Bapt. contr. Donat. L. 5. n. 10.

Eodem sensu quidam Patres intelligendi sunt, ut S. Basil., dum L. 1. de Bapt. c. 2. n. 5. in baptismo Joannis peccata, quæ quis confessus esset, ait remissa fuisse, nimirum per pœnitentiam. Dum vero S. Aug. inquit L. 5. de Bapt. c. 10. nolle se pugnaciter agere cum illis, qui dimissa in baptismo Joannis esse peccata contendunt; non ea hoc sensu dixit, ac si supponeret, vere probabilem esse eorum sententiam, qui hoc contenderent; sed veluti, ut dicimus, *permisso* hoc, *non concesso*, quasi diceret: etsi permittamus Donatistis peccata per baptismum Joannis remissa fuisse, quid hoc eorum causam juvat? Ideone, quia baptizati baptismo Joannis rebaptizari debuerunt, sequitur, etiam baptizatos baptismo Christi ab hæreticis rebaptizandos esse? Sinceram hanc esse Aug. mentem, inde patet, quod loco cit. totus in eo sit, ut ostendat, iterari debuisse Joannis baptisma, eo quod peccatum non deleret, nisi *in spe.*

8. *Dico II.* Christus baptismum ante passionem suam instituit.

Prob. I. Christus saltem per discipulos suos jam ante suam passionem baptizavit, ut constat ex Joan. 3. 22. *Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Ac Joan. 4. 1. et 2. *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus).* Atqui non baptizavit Joannis baptismate; quia baptismus Christi semper præfertur baptismo Joannis, quod prior Spiritum sanctum conferret ac remissionem peccatorum, non ille Joannis, ipso id Præcursore testante: *Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit; quem vos nescitis... hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Joan. 1.

Neve dici possit, baptismum Christi ante passionem non fuisse sacramentalem, obstat, quod Act. 19. baptizati a Joanne rebaptizati fuerint, nunquam vero, qui a discipulis Christi baptizati fuerant ante ejusdem passionem; ergo baptismus hic sacramentalis fuit. Deinde in hoc baptismo aderant omnia ad sacramentum novæ Legis requisita : 1°. ritus externus, ut per se patet; 2°. institutio Christi; hujus enim jussu et missione baptizabant discipuli; 3°. collatio gratiæ; conferebat enim Spiritum sanctum. Joan. 1. cit.

9. *Prob. II.* Apostoli jam ante Christi mortem alia a Christo receperunt sacramenta, ut Eucharistiam in ultima cœna, item tunc Ordinem, juxta Trid. Sess. 26. c. 1.; ergo necesse est, sacramentum baptismi ante perceperint. *Quomodo,* inquit S. Aug. epist. 163. (al. 44. c. 5. n. 13.) *poterant Eucharistiam accipere* (Apostoli) *nondum baptizati?* Et vero semper in Ecclesia baptismus sacramentorum cæterorum fuit habitus janua. Unde idem S. Pater epist. 108. (al. 265. n. 4.) ad Seleucianum ait, quod, etsi non habeatur in Scripturis, credi tamen oporteat, Christum per se ipsum baptizasse Apostolos. Nicephor. autem L. 2. Hist. cap. 3. ex Evodii Antiocheni Apostolorum ea in sede successoris quadam epistola refert, quod Christus ipse tantummodo baptizarit Petrum; Petrus Andream et filios Zebedæi; ii deinceps reliquos; septuaginta autem illos Petrus et Joannes.

10. Neque dixerit quispiam, Apostolos ex dispensatione Christi accepisse Eucharistiam et Ordinem ante sacramentum baptismi : vel, etsi Apostoli verum baptismi sacramentum acceperint a Christo, eo quod ab hoc ordinandi essent in ultima cœna, ac Eucharistiam percepturi; non ideo tamen sequi, quod Baptismum eumdem etiam contulerint Judæis aliis; sed satisfit Scripturæ sacræ dicendo, quod missi a Christo discipuli baptizarint baptismo Joannis.

Nam primum gratis omnino sine ullo fundamento tam in Scriptura quam Traditione asseritur. Præterea obstat allata auctoritas. Demum minime conveniebat, Principes et Pastores Ecclesiæ alia in hanc ingredi janua, quam postea oves : at semper baptismus et sacramentorum et Ecclesiæ janua fuit.

Alterum inde corruit 1°. quod ex dictis, baptizati a Joanne, vel ejus baptismate, rebaptizari debuerint, Act. 19.; nullus vero eorum, qui a Christi discipulis baptizatus fuerat, dicente Aug. Tr. 5. in Joan. n. 18. *Dedit Judas* (Baptismum) *et non baptizatum est post Judam : dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem : quia si datus a Juda baptismus sit, Christi erat.* 2°. Quia Joan. 3. 25. orta fuit discipulos Joannis inter et Judæos quæstio, quænam purificatio, an illa Christi, an altera Joannis esset melior? Item conquesti dicuntur ibid. Joannis discipuli, quod plures ad baptismum Christi quam Joannis accederent; ergo discipuli Christi non Joannis baptismum conferebant, sed Christi, et quo ipsi fuerant baptizati; alias enim et quæstio illa et querela cessassent. 3°. Ob dicta in prob. 1ª.

11. *Dico III.* Quo tempore Christus instituerit baptismum, controversum est : Probabilius tamen 1°. Christus non instituit baptismum antequam

ipse baptizaretur a Joanne; nec 2°. quando ab eodem baptizabatur in Jordane; nec 3°. in colloquio cum Nicodemo; sed 4°. quando ipse Apostolos et discipulos ad prædicandum et baptizandum misit.

Prob. 1ª. *p.* quæ est communis omnium : quia antequam baptizaretur Christus, nec prædicaverat Evangelium, nec condiderat legem aliquam, nec assumpserat Apostolos, quos de baptismo instrueret.

Prob. 2ª. *p.* Si Christus tunc instituisset baptismum, ergo vel actu exercito, vel signato : neutrum vero dici potest.

Non 1ᵘᵐ. quia baptismus, quem tunc recepit Christus, non erat baptismus Christi, sed baptismus Joannis. Quod si dicas Christum tunc instituisse baptismum, non hunc a Joanne recipiendo, sed hunc ipsum Baptistam baptizando, uti sentire videtur S. Hieron. in cap. 3. Matth. in illa verba, *sine modo*, dicens : *Pulchre dixit, sine modo, ut ostenderet Christum in aqua, Joannem a Christo in Spiritu baptizandum*; et S. Maximus homil. 1. de Epiphan. Verum hæc *in Spiritu baptizandum* plus non evincunt, quam augmentum gratiæ conferendum Joanni a Christo, quo sensu et Apostolis prædixerat Christus, eos baptizandos esse Spiritu sancto. Et vero Matth. 3. ubi accurate tota illa describitur ceremonia, nec verbo insinuatur, baptizatum tunc a Christo Joannem fuisse.

Non 2ᵘᵐ. quia 1°. sacramenti alicujus institutio actus est legislatoris; sacramenta enim pars legis sunt, sicut vetera Legis veteris, ita et nova, Legis novæ; sed Christus, cum baptismum susciperet a Joanne, non legislatoris personam, sed potius pœnitentis gessit, qui aliena jam peccata incipiebat abluere.

Novi, ab adversariis reponi, Christum etiam in cruce et pœnitentis personam sustinuisse, et legislatoris, verbis illis : *Consummatum est*, abrogando Legem veterem, et suam condendo novam; verum nec in cruce formaliter, inque actu signato instituit Legem novam, nec sic abrogavit Legem veterem; cum hæc etiam post mortem Christi non esset continuo mortifera et illicita, sed adhuc perduraret Hierosolymis saltem usque ad Pentecosten, imo juxta communiorem, usque ad sufficientem Legis novæ promulgationem, ipsis Apostolis varia adhuc legalia post Christi mortem observantibus, ut dictum alibi Tr. de Legib. Sed Christus formaliter legislator fuit, cum suam Legem prædicaret, quæ ad summum confirmata dici potest morte Christi, sicut testamentum, quod formaliter jam conditum supponitur morte testatoris. Illa vero : *Consummatum est*, perperam dicuntur formalis Legis antiquæ abrogatio; sed ad litteram intelligi de iis debent, quæ prænuntiata erant de Christo, ut pateretur, juxta illud Luc. 18. 31. *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*

2°. Quia ex tota Christi baptizati historia ad summum evinci potest institutio quædam baptismi inchoata, exemplaris, non vero formalis, ut solutione objectionum patebit; ergo.

Prob. 3ª. *p.* Quia non est verosimile, nec erat conveniens, sacramentum adeo omnibus necessarium instituere voluisse Christum in conclavi velut in angulo, cujus rei nulli adessent testes, nisi unica persona privata, quæ insuper non debebat esse illius institutionis præco. Deinde ideo dici posset tunc institutum baptismi sacramentum, quia Christus dixit Nicodemo : *Nisi quis*

renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, etc. Joan. 3. Aliud enim afferri non potest; sed verba illa etsi summam baptismi a Christo instituendi necessitatem evincant, non tamen formalem ejusdem institutionem; sicut nec illa Eucharistiæ Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.*

Prob. 4ª. p. Ea ex dictis sequitur; cum aliud tempus non appareat. Præterea habetur hic practica baptismi declaratio, et intimatio cum præscriptione materiæ et formæ, quæ sola est formalis baptismi institutio; cum enim Christus discipulos ad baptizandum mitteret, necessario debebat eos de baptismi sui materia et forma instruere.

12. *Obj. 1. contr. Concl.* 2ªm. 1°. Baptismus Christi suam ab ejus passione efficaciam habuit; ergo illius institutio hanc non præcessit. *Conf.* Et vero ante passionem *nondum Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Joan. 7. 39.; ergo baptismus, per quem datur Spiritus sanctus sive gratia, nondum fuerat ante glorificationem Christi, sive resurrectionem institutus.

2°. Christus non nisi post resurrectionem legitur, Apostolis dedisse potestatem baptizandi, scilicet Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,* etc. Et hæc mens S. Leonis est epist. 16. ad episcopos Siciliæ cap. 3. dum inquit : *Christus, postquam resurrexit a mortuis, Discipulis suis... et formam et potestatem tradidit baptizandi*; ergo.

3°. S. Chrysostomus homil. 28. (al. 29.) in Joan. n. 1. et Theophylactus in cap. 3. Joan. aperte docent, baptismum quo discipuli Christi baptizabant, non remisisse peccata, et fuisse in aqua tantum sine Spiritu; nec ullam inter baptismum discipulorum Christi et Joannis faciunt differentiam. Idem Tertullianus senserat de Bapt. c. 11. Ac S. Optatus Milevit. Lib. 5. contra Parmen. c. 5. inquiens : *Nemo tinctus fuerat in Trinitate; nemo adhuc noverat Christum; nemo audierat esse Spiritum sanctum. At ubi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptismatis Filius Dei, et dedit viam, qua iretur ad regnum cœlorum; etiam tunc præcepit dicens : ite, docete,* etc.; ergo.

4°. Juxta S. Aug. Tr. 15. in Joan. aliosque communiter, sacramenta Ecclesiæ de latere Christi in cruce profluxerunt; ergo.

5°. Baptismus aperit baptizato cœlum : atqui ante passionem Christi nemini patebat cœlum; ergo et ante hanc nemo baptismo Christi baptizatus fuit.

13. R. *Ad* 1ªm. R. 1°. Si quid valeret hoc argumentum, probaret, nequidem Eucharistiam institutam fuisse ante Christi passionem.

R. 2°. In forma *D. A.* Baptismus efficaciam suam habet a passione Christi vel prævisa, vel actu peracta *C.* necessario actu peracta *N.* Passio Christi est causa moralis et meritoria; ut vero causa moralis et meritoria operetur, non est necesse, ut existat actu, sed sufficit, quod aliquando extitura et prævisa sit. Sic in Lege veteri, ob extitura merita Christi dabatur gratia. Quanto magis igitur Christus ipse jam existens, quique jam passionem acceptaverat, ac aliquo modo inchoaverat, multa pro salute nostra operando, poterat vim justificandi baptismo a se instituto annectere?

Ad Conf. R. *D. A.* Spiritus sanctus nondum erat datus visibiliter, sicut in die Pentecostes *C.* nondum invisibiliter *N.* Sic enim jam fuerat datus Apostolis, sic Magdalenæ, sic paralytico, sic latroni in cruce.

Ad 2um. R. *D. A.* Christus non nisi post resurrectionem legitur dedisse Apostolis baptizandi potestatem universalem respectu omnium gentium *C.* particularem, respectu Judæorum *N.* Hanc particularem dederat Joan. 3.; quia vero Christus Evangelium suum omni creaturæ prædicari voluit, potestatem baptizandi tandem Matth. ult. ad gentes omnes extendit. Dici etiam potest, quod Christus Matth. ult. datæ potestati baptizandi addiderit præceptum speciale 1°. pro Apostolis, ut hi baptizare tenerentur omnes, qui baptismum peterent; 2°. pro populis, ut hi tenerentur baptismum recipere post sufficientem promulgationem Evangelii.

Ad S. Leonem R. Explico cum *D.* Inquit tunc formam baptizandi essentialem esse traditam *N.* accidentalem, hoc est, ritum, ordinem, quo ministrandus esset baptismus, primo nempe prædicandum esse gentibus, eas instruendas, ac deinde baptizandas *C.* Per *formam* hic S. Leo modum et ordinem ministrandi baptismi intelligit; minime vero partem illam sacramentorum constitutivam, quæ in verbis consistit, atque a Scholasticis, phrasi e schola Peripatetica ad sacra Theologiæ lyræa translata, *forma* dicitur; methodus enim explicandi sacramentorum partes per materiam et formam ante Theologiæ Scholasticæ initia prorsus incognita fuit, etiam integro post seculo, quam Philosophia Peripatetica invaluisset. Unde nec primi Scholasticæ Theologiæ Patres, Hugo Victorin., Magister sententiarum Petrus Lombardus illa methodo usi sunt; ac si quando materiæ vocabulo utantur, non hanc sumunt in ordine ad formam sensu scholæ, sed quidquid est sensibile in sacramentis, ea voce comprehendunt. Sed, qui primus ita sacramenta exposuit, fuit Guillielmus Antissiodor. in summa Theol. an. 1215., quem deinde secuti cæteri, ipsum Conc. Flor. in Decret. ac postea Trident. Sess. 14. cap. 3. observante cum aliis Dominico Soto in 4. Dist. 1. q. 1. et 6. ubi inquit, *fidei esse Catholicæ, sacramenta constare rebus et verbis, quod sine manifesta hæresi negari non posset; quod vero res materiæ, verba formæ nomine denotentur, ex usu Theologorum invaluisse, a quo recedere jam non licet, cum sit totius Ecclesiæ praxi consecratus.* Quod si igitur Scriptores veteres ejusmodi utantur phrasi, *forma baptismatis*, ut Patres Concilii Milevitani anno 402., totum intelligunt baptismi ritum, modum, ordinem, prout scilicet *forma* etiam sensu vulgari pro figura, modo, accipitur.

Sed et revera S. Leonem cit. non hoc indicare voluisse, ut quibusdam videtur, baptismum post resurrectionem institutum fuisse, ipse ibid. declarat cap. 6. dicens: *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis.* Si vero in morte, quomodo post resurrectionem? Conciliari igitur secum ipso Leo debet, dicique, baptismum quidem ante passionem institutum fuisse; ejus pretium per sanguinem, unde suam vim haberet, declaratum in cruce; post resurrectionem totum baptismi, etiam gentibus conferendi, ritum præscriptum fuisse.

Ad 3um. R. In quæstionibus meri facti, qualis est præsens, quæ Patres in diversas traxerunt sententias, iis esse adhærendum, qui rem exactius pon-

derarunt, et solidioribus nituntur fundamentis, ut in præsenti S. Aug. locis cit. in Concl., tum Tr. 13. et 15. in Joan. hanc materiam ex professo ad S. Scripturæ sensum propius pertractans: S. Cyrillus Lib. 2. in Joan. (opp. t. 4. p. 156. 157. 175.), Hugo a S. Victore aliique. Et vero tantum S. Chrys. et Theophylacti fundamentum est illud Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* At constat ex dictis, textum loqui de plenitudine Spiritus sancti dati visibiliter in Pentecoste; omnes enim Sancti habebant Spiritum sanctum etiam ante Christi mortem. Atque hæc responsio ad S. Chrysost. Theophylact. Tertullian. accommodata est. Quoad S. Optatum sensus est, quod ante legem particularem baptizandi Judæos nemo fuerit in Trinitate tinctus; postea vero Matth. ult. datam fuisse legem universalem gentes omnes baptizandi. Et vero ipse L. 5. de schism. Donatist. c. 3. ex his Christi verbis in ultima cœna: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet,* Apostolos jam ante fuisse baptizatos Christi baptismate infert.

Ad 4um. R. 1°. probari nimium; nec Eucharistiam ante institutam fuisse.

R. 2°. *D.* Sacramenta fluxerunt e latere Christi, hoc est, suam inde institutionem acceperunt *N.* perfectionem, quatenus tunc consummata fuit causa eorum meritoria *C.*

Ad 5um. R. *D. M.* Aperit cœlum, hoc est, baptizatum dignum reddit cœlesti gloria, ad hanc ei jus conferens *C.* ut etiam tunc baptizati, si morerentur ante Christum, ante hunc ad eam admitti deberent *N.* Etsi baptizati ante Christum mortui haberent jus ad cœlum, ut in hoc recipi deberent; non tamen conveniebat, ut in illud reciperentur antequam Caput sive Christus in illud ascenderet.

14. *Obj. II. cont. Concl.* 3^{am}. 1°. Tunc sacramentum dicitur institui, quando ritui externo confertur vis producendi gratiam: atqui hoc quoad baptismum factum fuit, quando Christus baptizabatur in Jordane. *Min. prob.* ex SS. Patribus: nam, ait S. August. serm. 36. de Temp. (al. in app. serm. 135. n. 4.), *Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit.* Juxta S. Ambrosium Lib. 2. in Luc. n. 83. *Baptizatus est Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent.* Juxta S. Hieron. adversus Luciferian. n. 6. Christus *in lavacro suo universas aquas mundavit.* Juxta S. Maximum homil. 7. de Epiph. (opp. p. 65.): *Quod autem baptizatus est Agnus Dei, regenerantis baptismi salutare nobis munus est dedicatum.*

2°. In baptismo Christi fuit designata forma, et insinuatus effectus: prior, quia tunc tota manifestata est Trinitas; Pater, cujus tunc vox audita est; Filius, qui in persona aderat; Spiritus sanctus in specie columbæ apparens; effectus, dum cœli aperti sunt; ergo.

Ad 1um. R. *N. min. Ad huj. prob. N. Cons.* quia hæc consecratio, sanctificatio, de sanctitate formaliter tunc aquis collata nequit intelligi, cum vis sanctificandi non sit formaliter in aqua nisi per expressam Trinitatis invocationem; hinc sanctificatio illa erat mera deputatio aquæ ad hoc, quod ordinaturus erat Christus; sed deputare aliquid, ut sit sacramenti insti-

tuendi materia, nondum est formalis sacramenti institutio. Nec plus ex Patrum sententiis evinci potest.

Ad 2um. R. *D. A.* Fuit tunc designata forma quomodocumque, exemplariter : item sic insinuatus effectus *C.* formaliter *N.* Aliud est manifestari Trinitatem; aliud declarare practice et simul præcipere, ut aliquid fiat cum expressa trium personarum invocatione, quod est formam designare formaliter; at hoc Christus non fecit. Hinc illa Christi baptizati historia quædam imago tantum et exemplar fuit baptismi instituendi.

Si *dicas* : Juxta S. Ambros. Lib. 1. de Sacram. cap. 5. n. 15. Christus etiam formam designavit formaliter; inquit enim S. Pater descendisse Spiritum sanctum, cum Christus *formam* baptismatis daret.

R. *D.* Formam, id est, figuram, exemplar baptismi *C.* formam, prout nunc sumi consuevit a schola in ordine ad materiam *N.* Valde perperam hic sensus tribueretur S. Ambrosio juxta superius dicta.

A quo tempore obligare baptismus cœperit, inde pendet, quod Tract. de Legib. dicitur de obligatione Legis evangelicæ.

ARTICULUS II.

DE MATERIA REMOTA BAPTISMI.

15. *Præmitto.* Duplicem in sacramentis oportere materiam distingui, remotam unam, alteram proximam, jam supra (Tract. de Sacram. in gen. Dissert. 2a. c. 1. a. 1. n. 103.) observavimus. Unde hic primum de baptismi materia remota, quæ ordine ac consideratione prior est, movetur quæstio; circa quam duplex hæreticorum error notandus venit.

1o. Eorum, qui aquam in baptismo penitus rejecerunt, etsi hunc alias non negarent, ut Caiani juxta Tertullian. L. de Bapt. c. 1., Manichæi, teste S. Aug. Hær. 46., Seleuciani et Hermiani, teste eodem Hær. 59. quibus Paulicianos accensent alii, uti et Waldenses Ebrardus c. 6. operis contra eosd. De Paulicianis tamen non æque certum est.

2o. Aliorum, qui quidem aquam retinendam putarunt in baptismo, sic tamen, ut in necessitate, deficiente aqua, quovis in liquore conferri posset, velut Lutherus in colloquiis symposiacis c. 17., Beza epist. 2 ad Tillium; aliique posterioris ævi Novatorum, teste Palavicino L. 9. Histor. Conc. Trid. c. 7. ubi inter propositiones varias ex recentioribus Lutheranis et Calvinistis excerptas hanc de baptismo refert : *Aqua vera et naturalis non est de necessitate baptismi;* ac propterea verba illa Christi : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, ad metaphoram detorquenda sunt; quam damnavit Tridentinum Sess. 7. Can. 2. Et vero Calvinus L. 4. Instit. c. 15. per aquam nihil aliud quam Christi sanguinem vult intelligi, propter mundandi et abluendi similitudinem; quem secuti Calvinistarum alii. Aliter tamen nunc passim censent Protestantes.

16. *Dico I.* Materia remota baptismi, eaque necessaria absolute, sola aqua naturalis seu elementaris est. Est de fide catholica juxta Trident. Sess. 7. Can. 2.

Prob. I. Ex Scriptura : Joan. 3. 5. Christus aiebat ipse Nicodemo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Apostolus vero ad Ephes. 5. 26. quomodo Ecclesia, immaculata Christi Sponsa, sanctificetur ab eo, ostensurus, inquit, *ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ac ne quis aquam hic figurate sumi existimet, ipsa continua praxis obstat; nam Act. 8. a Philippo in fide instructus Eunuchus reginæ Candacis aiebat : *Ecce aqua; quid prohibet me baptizari?* Et Act. 10. 47. ait Petrus : *Numquid aquam quis prohibere potest, ut baptizentur hi.* At quæ hic figurata aqua?

Prob. II. Ex consensu Patrum unanimi et praxi Ecclesiæ. Sic S. Justinus M. Apol. 1ª. n. 61. de iis, qui ad religionem Christianam conversi, inquit : *Deinde eo adducuntur a nobis, ubi est aqua... Nam in nomine cunctarum rerum Parentis, et Domini Dei et Servatoris nostri Jesu Christi et Spiritus sancti in aqua tunc lavantur.* Tertull. L. de baptismo his orditur verbis : *Felix sacramentum aquæ nostræ.* Ac, plerisque aliis in re aperta prætermissis, S. Aug. Tr. 15. in Joan. n. 4. *Tolle*, inquit, *aquam, et non est baptismus.* Sed et Ecclesia semper eos suo sinu expulit, accensuitque hæreticis, qui aliter sentirent, ut vel ex relatis iis initio hujus articuli patet. Accedit responsum Greg. IX. ad Archiepiscopum Nidrosiensem in Norwegia, ubi pro aqua in baptismo adhibebant cervisiam : *Cum secundum doctrinam Evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in cervisia baptizantur.*

Ut proinde merito Conc. Flor. in Decr. doceat : *Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis;* ac Trid. Sess. 7. Can. 2. jure damnet oppositum asserentes.

Ratio a priori sola et tota est Christi instituentis voluntas; cujus varias congruentias affert Doctor Angelicus hic q. 66. a. 3., ac post hunc Theologi, desumptas a proprietatibus aquæ.

Quidquid igitur veræ usualis aquæ nomine inter homines venit, materia baptismi est, sive marina sit, sive fluviatilis, sive fontana, sive putei, sive paludis; sive limpida sit, sive turbida; salsa, sive dulcis; frigida, sive calida; colorata, sive non; pluvialis vel alia. Nec refert, quod ex nive aut grandine resolutis sit. Dico : *resolutis;* grando enim, nix, glacies, nebula non resoluta, ut nomine aquæ non veniunt nec per se abluunt, ita materia baptismi esse non possunt. E contra vero quidquid usualis aquæ rationem non participat, esse nequit baptismi materia, ut vinum, lac, oleum, saliva, sudor, lacrymæ, cervisia, lixiviæ perfectæ, succi ex pomis, pyris, cerasis expressi; nec si aquæ naturali aliud misceatur heterogeneum, ut hominum esse aqua usualis desinat. In dubio autem, utrum liquor aquæ naturalis, vel usualis naturam habeat, eo extra necessitatem uti nunquam licet, sed in necessitate tantum. De quibus pluribus Theologia Moralis pertractat.

Sed et illud præterea curandum, ut, qui baptizant, dum possunt, aqua benedicta utantur, non equidem, quod hoc de necessitate sacramenti sit; sed quia decentius fit, juxtaque Ecclesiæ praxin. Ac quidem in baptismo solemni aqua esse debet, juxta morem Ecclesiæ, chrismate permixta, eodemque anno in pervigilio Paschæ vel Pentecostes benedicta, ex præscripto Ecclesiæ.

17. *Obj. I.* Fundamentum dogmatis catholici est illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*; sed hoc infirmum est, quia in hoc textu aqua non litteraliter, sed metaphorice debet accipi, scilicet pro Spiritu sancto interius animam abluente; quod

Prob. 1°. Quia sicut in cit. textu dicimur renasci ex Spiritu, sic per aquam: sed Spiritus non habet rationem materiæ baptismi; ergo æque parum aqua.

2°. Christus cit. loc. reprehendit Nicodemum, quod ignoraret, hominem ex aqua renasci posse: sed si de vera aqua locutus fuisset Christus, immerito reprehendisset Nicodemum; cum enim renascentia hominis ex aqua dependeret a Christi voluntate libera, Nicodemus scire non poterat, aquam ad renascentiam hominis esse necessariam.

3°. Sicuti cit. loc. dixit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*; ita Matth. 3. dicitur de Christo: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto et igne*; ergo sicut hic non intelligitur verus ignis; sic nec in priore loco aqua vera; sed utrobique intelligitur Spiritus. Unde et S. Chrysostomus homil. 31. in Joan. (al. 32. n. 4.) ait, Spiritus sancti gratiam in Scriptura modo ignem, modo aquam appellari.

4°. S. Joannes Baptista Matth. 3. ipse suum baptisma per hoc distinguit a baptismate Christi, quod ipse in aqua, Christus vero in Spiritu sancto baptizaret; ergo supponit renascentiam hominis fieri per gratiam Spiritus sancti intus operantis; ut proinde hæc: *ex aqua et Spiritu* idem sonent, ac per Spiritum interne instar aquæ mundantem et abluentem.

R. 1°. *N.* eo solo textu niti Catholicos, sed et aliis in Concl. relatis, qui ad sensum metaphoricum deflecti non possunt, tum praxi et traditione Ecclesiæ perpetua.

R. 2°. *N. min.* ejusque rationem.

Ad prob. 1am. R. *N. A.* Spiritus non potest esse alicujus materia sacramenti; potest vero aqua; ergo ab uno ad alterum non tenet paritas. Proin juxta subjectam materiam per Spiritum sanctum indicatur causa efficiens spiritualis renascentiæ; per aquam vero materia, sive aqua naturalis, cum nihil sit, quod suadeat aut cogat alio in sensu aquam accipere; ipsaque semper ita intellexerit Ecclesia ab Apostolorum ævo, adeo ut nec Pelagiani hic ad commentum aquæ metaphoricæ sint ausi recurrere.

Ad 2am. R. *N. min.* Reprehenditur enim Nicodemus, quod, cum Christus clare non de regeneratione carnali, sed spirituali loqueretur, utpote de renascentia ex aqua et *Spiritu sancto*, cujus omnes homines capaces sunt, ipse tamen, licet in lege peritus, *magister in Israel*, Christi dicta de renascentia carnali acciperet. Deinde scire, utpote legis Doctor, debuerat, quod prædixerat Ezechiel cap. 36. terram, id est, homines per aquam renovandos esse: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab inquinamentis vestris*, etc. Demum cum Judæi ipsi neophytos suos baptizarent adhibitis purificationibus variis, itaque renovatos haberent pro hominibus novis; quin ipsi Judæi variis se baptismatibus purificarent; debuerat facile advertere, posse a Deo per aquam homines regenerari spiritualiter.

Ad 3am. R. 1°. *N. A.* Nullus enim unquam, si Hermianos et Seleucianos hæreticos exceperis, credidit, ignem verum de necessitate baptismi esse;

e contra constat, Christum ejusque discipulos, horumque exemplo Ecclesiam semper baptizasse in aqua : igitur recte Joan. 3. aqua vera materiæ in baptismo tenere locum dicitur ; ignis vero Matth. 3. sumi symbolice, vel metaphorice ad significanda dona Spiritus sancti ; sed et falsum, a S. Chrysost. dici in loco controverso aquam et Spiritum pro eodem sumi, sive aquam pro Spiritu.

R. 2°. Negari potest conseq.; cum et alii Patres, ut S. Damascenus L. 4. Orthod. fid. c. 9., ignem litterali accipiant sensu, velintque S. Præcursorem alludere ad linguas igneas, quæ in Pentecoste supra Apostolorum capita dispertitæ visæ sunt.

Ad 4am. R. *D*. Distinguit suum baptisma per hoc, quod suum baptisma conferat in aqua, vel ratione materiæ, quasi baptismus Christi non haberet aquam pro materia *N*. uterque enim erat in aqua, ut vel ipsa discipulorum Joannis orta contentio evincit : ratione effectus, quod Joannes baptizaret in aqua tantum sine collatione gratiæ Spiritus sancti, quam conferebat baptismus Christi *C*.

18. *Obj. II.* 1°. Siricius Papa sec. IV. exeunte, item Stephan. II. sec. VIII. cum in Gallia versaretur, approbarunt baptisma in vino collatum, ut quidem de Stephano videre est apud Sirmondum t. 2. Concil. Galliæ, et Labbæum t. 6. Conc. p. 1652.

2°. Moschus in Prato spirit. cap. 176. initio sec. VII., tum Nicephor. L. 3. cap. 37. referunt Judæum, deficiente aqua, in necessitate baptizatum fuisse arena, subitoque a morbo, a quo fuerat correptus, convaluisse; ergo valuerat hic baptismus, utpote miraculo comprobatus.

3°. In baptismo significatur ablutio interior ; sed et alii liquores specie ab aqua distincti illam significare possunt ; ergo et hi esse baptismi materia poterunt.

Ad 1um. R. *N. Ass.* Utrumque rescriptum supposititium, vel certo adulteratum fuit 1°. quia nullum tale responsum datum ab his Pontificibus in Archiviis Romanis, nec aliqua collectione Canonum unquam reperiri potuit; 2°. tres duntaxat manuscripti codices hæc responsa referunt, sed sibi contradicendo ; duo illa soli Stephano II., unus soli Siricio attribuit; nec in ipsa ratione historica consentiunt ; 3°. quia nulli est verisimile summos illos Pontifices ignorasse traditionem tam communem, quæ nec infimos clericos laicosque latebat. Hinc et nota marginalis t. 6. Conc. Labb. monet, hæc, quæ in responso Steph. de infantibus vino baptizatis extant : *Infantes sic permaneant in baptismo*, esse glossema a librario quodam temere intrusum.

Ad 2um. R. 1°. Permissa veritate historiæ, *N. Cons.* Gratia enim restitutæ sanitatis dari a Deo illi Judæo potuit intuitu baptismi *flaminis*, vel ob hujus bonam fidem. Et vero refert Moschus, eum ardentissimum habuisse baptismi desiderium; et ob hoc fuisse sanitati redditum. Deinde si vera est historia, inde potius probatur dogma catholicum ; nam, ut cit. auctor subdit, postquam eumdem Ascalonem ad Dionys. episcopum duxissent : *Visum est B. Dionysio mittere fratrem illum ad Jordanem ibique baptizari*. Nicephor. vero ait, Dionys. Alexandriæ episcopo cum Ecclesia *visum est, aqua insuper ad eum modum initiatum juxta Ecclesiæ traditionem abluendum esse*.

St. Albert's College Library

Dixi : *Permissa veritate*; nam historia hæc saltem dubiæ fidei est; Cedrenus enim eam sub Antonino Pio contigisse ait; Niceph. sub Aurelio; Moschus scribit, hunc Judæum ductum fuisse ad Dionys. Ascalonis episcopum; Niceph. ad Dionys. Alexandriæ.

Ad 3um. R. *N. min.* 1°. Quia non omnes liquores ad abluendum apti sunt; saltem non ita perfecte mundant et abluunt, ut aqua, cum ex aliorum liquorum usu remaneat quædam adhuc infectio, odor, etc. 2°. Non habentur tanta copia, tam facile. Ac demum materia sacramenti non tantum ex analogia qualicumque cum effectu spirituali judicatur, sed principaliter exigit institutionem divinam ad suum effectum producendum.

ARTICULUS III.

DE MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

19. *Præmitto*, Ablutionem in baptismo esse hujus materiam, nemo ambigit; universim enim materiæ proximæ nomine ea intelligitur actio, qua materia remota applicatur; hæc vero actio in baptismo, ablutio sive baptizatio est juxta illud Matth. ult. *baptizantes eos*. Sed cum externa illa corporis ablutio modis possit tribus peragi, 1°. *immersione* in aquam; 2°. *aspersione* aquæ; 3°. *affusione;* hinc quæritur : quænam ex his ablutio necessaria sit necessitate sacramenti ? Deinde cum ablutio una pluribusque vicibus fieri possit, utrum pariter necessaria sit trina vel immersio, vel aspersio, vel affusio; aut utrum una tantum ? Ubi ante observandum

20. I. Immersionem trinam primis XII seculis perquam usitatam fuisse in Ecclesia, constat ex S. Justino Apol. 1a. n. 51., S. Basil. L. de Spir. S. cap. 27., Tertull. L. de Cor. mil. c. 3., S. Ambros. L. 2. de Sacram. cap. 6. n. 19., S. Greg. L. 1. epist. 43. ad Leandrum (opp. t. 2. p. 532. B.), antiquissimis Græcorum Euchologiis ac Latinorum Ritualibus, tum Alcuino, Amalario, Walafrido Strabone, et quotquot ferme de divinis officiis scripserunt. Quin S. Thomas seculi XIII (obiit enim an. 1274.) 3. p. q. 66. a. 7. *tutius esse*, inquit, *baptizari per modum immersionis, quia hoc habet usus communior.* Utebantur hoc ritu passim veteres, ut exprimerent imitationem mortis Christi ac triduanæ ejus sepulturæ, ut S. Leo M. epist. ad episcopos Siciliæ ait, ac Trinitatem personarum, ut Tertul. L. contr. Praxeam cap. 26. inquit : *Non semel, sed ter ad singula nomina, in personas singulas tingimur.* Ac quo magis repræsentarent spiritualem regenerationem internam, sordiumque sive peccatorum depositionem, baptizandus depositis omnibus vestibus immergebatur, sic ut salutaris aqua supra caput coiret. A quo ritu soli ex hæreticis recesserunt postea Eunomiani, Arianæ hæresis monstrosus partus, qui baptizandos inverso capite immergebant usque ad pectus pedibus in sublime extantibus; ut refert Theodoretus Hæretic. Fabul. L. 4. c. 3. (opp. t. 2. p. 236. 237.), et ante ipsum Epiphanius Hær. 76. (opp. t. 1. p. 992. C.): ideo vero a cæteris corporis partibus prohibebant aquam, quod illas malas, execrandas dicerent.

21. II. Ab hoc tamen baptizandi ritu per immersionem duplex erat casus exceptus. *Primus*, si ægroti in extremo vitæ periculo baptismum expeterent; tunc enim decumbentibus in lecto conferebatur aspersione vel affusione, dictusque inde *Baptismus clinicorum*, de cujus valore cum dubitaret Magnus episcopus, ac S. Cyprianum consuleret, hic respondit valere, epist. 76. n. 13. et seqq. Ac valuisse vere judicio Ecclesiæ hunc baptismum, inde constat, quod baptizati clinici, si convaluissent, nunquam rebaptizati sint. Nec refert, quod postea ad ordines non admitterentur juxta varios canones; hanc enim legem plures condiderant Ecclesiæ, non quod invalidum putarent hunc baptismum, sed in pœnam gravis negligentiæ, quod baptismum usque eo distulissent; tum, ut proposita hac pœna deterrerentur alii a nimis morosa ac culpabili dilatione sacramenti tam necessarii. *Secundus*, si sufficiens ad immersionem aquæ copia ob necessitatem et circumstantias temporis haberi non posset, velut si baptizandus esset martyr in carcere; vel hic baptizare vellet alium, ut de S. Laurentio ejus martyrii Acta perhibent. Quin haud dubie sic Paulus in carcere Act. 19. *custodem carceris cum omni domo sua baptizavit.*

22. III. Ritus immersionis *trinæ* postea initio seculi VII. Arianorum occasione nonnihil immutatus fuit in Hispania; cum enim Ariani Trinitatem dividerent, tres distinctas asserendo naturas, et ad hoc suum dogma exprimendum ter baptizandos immergerent; quin ex immersione trina, usitata etiam Catholicis, hos impugnandi occasionem sumerent, hi ad indivisam in Trinitate unitatem ac personarum consubstantialitatem significandam una cœperunt immersione uti; approbante S. Greg. M. L. 1. epist. 43., postquam ea de re consultus fuisset a Leandro Hispalensi episcopo, ut innuit Conc. Tolet. IV. an. 633. cap. 6. ac refertur Dist. 4. Can. 80. 85. *de Consecr.* In aliis tamen Ecclesiis ritus immersionis trinæ perstitit usque ad sec. XIII. velut ex S. Th. discimus ante cit.: *Communiter*, inquit, *observatur in baptismo trina immersio, et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans.*

23. IV. A seculo XIV. autem in tota ferme latina Ecclesia, abrogato immersionis ritu, alter per affusionem invaluit, hanc plerisque ritualibus Libris, qui ab eo tempore editi, præscribentibus. Dico: *ferme*, quia hic illic immersio adhuc saltem permissa, et aliquo in usu fuit, ut constat ex Rituali Romano Pauli V., Actis Ecclesiæ Mediolanensis, et Synodo Benevent. an. 1693. sub Cardinali Ursini postea summo Pontifice sub nomine Benedicti XIII. qui ipse ante Pontificatum parvulos baptizans eos immergebat. Ritum hunc affusionis nunc in Ecclesia latina receptum huic, soluto Conc. Flor., graviter exprobravit Marcus Ephesinus, aliique schismatici Græci hodie, asserentes, trinam immersionem esse de necessitate sacramenti, ideoque gravem in errorem incidisse Ecclesiam latinam: at immerito, ut nunc ex dicendis patebit.

24. *Dico I.* Ritus immersionis non est necessarius necessitate sacramenti; sed valet baptismus collatus sive per immersionem, sive per affusionem, sive per aspersionem.

Prob. contra Græcos. 1°. Ezechielis 36. baptismum prænuntians Propheta

inquit : *Effundam super vos aquam mundam*, quod passim de baptismo Patres accipiunt.

2°. Baptismum clinicorum validum censuit S. Cypr. juxta num. 21., Conc. Antissiod. an. 578., Matiscon. II. an. 585. Can. 3. aliaque; nec usquam rebaptizari jubentur clinici, nequidem a Patribus, qui rebaptizantes dicti ; ergo judicabant omnes immersionem non esse de necessitate sacramenti; alias rebaptizari debuissent ; nec illorum baptismus potuisset haberi validus; sicut quia naturalis aqua est de necessitate sacramenti, si quis in quocumque vitæ periculo, deficiente aqua, baptizatus esset vino, similique liquore, qui specie ab aqua differt, nullum est sacramentum, itaque baptizati rebaptizari debent.

3°. Valuit baptismus, nec uno unquam contradicente in Ecclesia, qui conferebatur in carcere sola affusione aquæ, ut quando S. Laurentius aqua ex urna effusa baptizavit Romanum, aut Paulus Act. 19. custodem carceris cum suis, cujus baptismi plura exempla ex genuinis Actis Sanctorum refert Martenius; sed quod est de necessitate sacramenti, nulla de causa omitti potest ; vel secus sacramentum erit nullum. Huc refer factum S. Petri Apostoli, dum Act. 2. et 3. una vice tria, alia quinque hominum millia baptizavit; non enim est verisimile (quidquid sit, an absolute fieri potuerit), singulos immersione baptizatos fuisse.

4°. Quocumque modo applicetur baptizando aqua, manet sacramenti substantia, analogia et signum ablutionis internæ, quod solum requisivit Christus; plus enim neque ex Scriptura, neque Traditione potest colligi, quam necessariam esse ablutionem corporis in aqua, ablutio autem hæc non tantum immersione, sed etiam affusione, aspersione , fieri potest.

25. *Dico II.* Nec est de necessitate sacramenti trina sive immersio, sive affusio, sive aspersio ; sed unica sufficit.

Prob. I. Ex praxi Ecclesiæ Hispanicæ juxta num. 22. approbata a S. Greg. epist. cit. in qua hæc habet : *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari.* Porro, inquit ibid. S. Pater, sicut per immersionem trinam significatur triduana sepultura Christi ; ita per unam unitas mortis, ac resurrectionis ob emersionem pariter unam.

Prob. II. Ratione ; quia de necessitate baptismi est ablutio per aquam, modus vero ablutionis se huc habet tantum per accidens juxta dicta Concl. præc. ; ergo multo magis quod vel ter, vel semel fiat ablutio.

26. *Obj. I. contr. Concl.* 1am. 1°. Teste Eusebio. L. 6. Hist. cap. 43., Cornelius Papa cum Synodo Romana dubitavit de valore baptismi dati per effusionem Novatiano in lecto decumbenti ; ait enim epist. ad Fabianum Antiochenum apud Euseb. cit. *In ipso quo jacebat lectulo profusus baptismum suscepit, si tamen hujusmodi baptismum suscepisse dicendus.* Deinde declarat, non debuisse eumdem ad ordines suscipi , quod licitum non sit, quemquam eorum, qui in lectulo, urgente vi morbi, sicut Novat., perfusi fuissent, in clerum assumi. 2°. S. Cypr. dum respondet Magno juxta num. 21. cuique permittit libertatem sentiendi et faciendi, quid velit, ac si quis nullum judicaret baptismum clinici, hunc rebaptizandi.

27. *Ad* 1um. R. N. dubitasse Pontificem de talis baptismi valore; alias de rebaptizando Novat. actum fuisset, de quo tamen nequidem ulla quæstio mota fuit, sed dubitabat de effectu ejusdem et fructu, eo quod Novat. gravi justaque tum ob improbitatem laboraret suspicione, an recta fide intentioneque baptismum suscepisset; tum quod post baptismum contra morem Ecclesiæ suscipere noluisset confirmationis et Eucharistiæ sacramenta. Quod vero tales arcerentur ab ordinibus, causa fuit tum, quam supra dedimus num. 21., tum quod non sufficienter instructi mysteriis fidei essent, ut ea nec aliis debite possent tradere, ac sacerdotii obire munera, quod in articulo mortis baptizari volentes, non tam motu proprio, quam mortis metu videantur baptismum admisisse juxta illam S. Aug. sententiam : *Pœnitentia sera raro vera.* Atque his de causis Cornel. improbasse Novat. ordinationem, constat ex Cornelii epist. ad Fabian. cit. apud Euseb. cit. loc. Unde nullo fundamento, nec idoneo teste, sed contra auctoritatem cit. ait Theologus Salisburgensis in Theol. t. 10. num. 39. hoc an. 1769. edita, ideo ita baptizatos fuisse ab ordinibus prohibitos, quod baptismum non ex motivo amoris, sed solo metu gehennæ crederentur suscipere, ex quo anticipato, ait, posse colligi, quid Patres illi senserint, de modernorum Theologorum sat frequenti sententia, qui attritionem ex pœnarum metu conceptam ad sacramentum pœnitentiæ sufficere docent. Nec verbulum enim de hac causa excludendi ab ordinibus clinicos fit vel apud Cornel., vel apud Euseb., vel ullibi mentio. Et vero semper suspecta visa est Patribus pœnitentia ad articulum mortis dilata universim, ex quocumque tunc motivo concepta, eo quod actus sive ex motivo amoris, sive virtutis inferioris semper tunc sit suspectus, sitne serius et efficax, vel potius metu mortis extortus, non serius, nec efficax.

28. *Ad* 2um. R. S. Cypr. epist. cit. distincte hunc baptismum judicat validum : nec ipse ideo unquam rebaptizavit clinicos. Alterum pro modestia sua addidit, quod res nunc nondum esset judicio solemni Ecclesiæ decisa ; unde aliter judicantes damnare ipse non audebat. Sicut nimirum in controversia de baptismo hæreticorum, essetne validus ; licet ipse teneret negativam sententiam, ac rebaptizaret baptizatos ab hæreticis ; aliis tamen aliter judicantibus et sentiendi et agendi relictam libertatem voluit, quin damnare præsumeret episcopos, qui stabant pro ejus valore baptismi.

29. *Obj. II. contr. Concl.* 2am. 1°. Complures SS. Patres trinam immersionem dicunt esse Traditionis Apostolicæ. *Prob. Ant.* Tertul. de cor. militis c. 3. *Solius*, inquit, *traditionis titulo... aquam adituri... sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus : de hinc ter mergitamur.* S. Basilius de Spiritu sancto c. 27. n. 66. *Alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione Apostolorum... Jam ter immergi hominem, unde haustum? Reliqua autem quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare satanæ et angelis ejus, ex qua scriptura habemus?* Hieron. Dial. contr. Lucifer. n. 8. *Multa quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare.*

2°. Pelag. II. summ. Pontif. epist. ad Gaudentium relatus Can. *Multi*

Dist. 4. de Consecr. immersionem trinam *ab ipso*, ait, *Christo tradente nos admoneri, in nomine Trinitatis trina etiam immersione sanctum baptisma unicuique tribuere.* Ac S. Chrysost. hom. de Fide (opp. t. 9. p. 855. E.), *Dominus*, inquit, *in tribus mersionibus corporis unum baptisma discipulis suis tradidit*; ergo est juris divini præceptivi.

3°. In Conc. Constantinop. I. Can. 7. (Labb. t. 2. p. 952.), rebaptizari jubentur Eunomiani, qui mersione unica baptizabantur. Item Can. 49. inter sic dictos Apostolicos jubetur deponi presbyter, qui baptizaverit aliter, quam per immersionem trinam.

4°. Baptizari significat mergi; ergo cum Christus nos baptizari præceperit, simulque voluerit exprimi in baptismo trinitatem personarum, ter in baptismo mergi debemus.

30. *Ad* 1um. R. *D.* Traditionis apostolicæ et divinæ simul *N.* latius dictæ, sive disciplinæ ab ipsis Apostolis usurpatæ *C.* Traditiones sunt apostolico-divinæ, quas Apostoli a Christo acceptas nobis tradiderunt, quarum proinde Apostoli non auctores, sed tantum promulgatores fuerunt. De tali loquitur Apostolus 1. Cor. 7. 10. *Præcipio non ego, sed Dominus.* Aliæ apostolico-humanæ, dum ipsi Apostoli quædam ordinarunt, feceruntve, velut dum ait ibid. v. 12. *Cæteris ego dico, non Dominus.* Item : *Cætera, cum venero, disponam.* Ita et S. Aug. epist. 118. ad Januar. (al. 54. n. 8.), Eucharistiam non esse dandam nisi jejunis, probat ex traditione apostolica; sed hæc juris tantum humani est. De hac traditione loquuntur Patres, dum immersionem trinam docent esse traditionis apostolicæ.

31. *Ad* 2um. R. *N. Cons.* 1°. Quia neque omnia, quæ Christus fecit, etiam in sacramentorum administratione, præcepti ideo divini sunt; sic lotio pedum in ultima cœna facta a Christo, antequam Eucharistiam celebraret, non ideo ex præcepto, vel de necessitate hujus sacramenti est. Eodem modo se habet trina immersio. 2°. Quia nec Pelag., nec Chrysost. hoc intendunt, trinam immersionem esse ratione sui præceptam, sed quod Christus præceperit baptizari in nomine et cum expressione Trinitatis; quod deinde addunt de trina immersione, non nisi per congruentiam addunt; ac si dicant : ex præcepto debemus baptizari in nomine Trinitatis; convenit igitur nos ter in baptismo mergi. Ratio sic exponendi in specie Pelag. est, quod in epist. ad Gaudentium reprobet baptisma Bonosianorum, qui formam vitiabant, cum non in nomine Trinitatis, sed tantum *in mortem Christi* baptizarent, contendentes hoc esse præceptum Evangelicum; hinc inferebant, oportere igitur baptizandos mergi semel, quia Christus tantum semel est mortuus; *baptizabant enim*, ait ibid. S. Pater apud Ivonem in Decr. pag. 24. *solummodo in mortem Christi.* Sed ait S. Pater *ex præcepto evangelico nos admoneri*, baptizari *in nomine Trinitatis*; unde infert velut ex opposito per congruentiam, debere nos non mersione una, sicut Bonosiani faciebant propter unitatem mortis Christi, sed trina baptizari ob tres personasut; adeo hæc : *evangelicum præceptum* ad formam baptismi, non ad mersionem trinam pertineant. Patet amplius inde, quia pro ratione sui responsi hæc præcise Christi verba subdit : *baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; vultque Bonosianos per solam pœni-

tentiam reconciliari Ecclesiæ, si modo in nomine Trinitatis fuerint baptizati, nihil memorando, an etiam trina mersione.

32. *Ad* 3um. R. *D.* Jubentur rebaptizari ob mersionem unam *N.* ob formam vitiatam *C.* Baptizabant enim Eunomiani non in nomine Trinitatis, sed in mortem Christi : *Non enim*, sunt verba Canonis, *dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed : euntes... baptizantes eos in nomine Patris,* etc.

Ad Can. vero 49. Apostol. R. Ideo talem pœnam statutam fuisse, quod presbyteri privati non sit, ritum aliquem novum sua auctoritate contra communem Ecclesiæ, qualis erat trina immersio ; invehere.

33. *Ad* 4um. R. Equidem verbum *baptizare* juxta græcum idem esse, ac *mergere, tingere,* ideoque huic sacramento *baptismi* nomen datum esse, quod communiter per immersionem conferretur ; nihilominus vox eadem *baptizare, baptismus* in hebræo, græco et latino, ac S. Scripturæ phrasi etiam frequenter quamvis ablutionem significat, ut dum in ea fit mentio baptismatis calicum, urceorum, lectorum, Marc. 7. sic et Luc. 11. Pharisæus, qui invitaverat Christum, cogitabat intra se de Christo : *Quare non esset baptizatus ante prandium,* id est, non lavisset manus. Trinitatem vero exprimi Christus non per materiam, sed formam voluit, Matth. ult.

ARTICULUS IV.

DE FORMA BAPTISMI. QUÆ VERBA IN HAC ESSENTIALIA SINT? ET UTRUM NECESSARIA SIT DISTINCTA PERSONARUM SS. TRINITATIS EXPRESSIO?

34. *Præmitto I.* Tametsi quoad materiam baptismi hæretici plerique, si forte Seleucianos et Hermianos exceperis, convenerint cum Catholicis ; quoad formam tamen baptismi complures aberrabant, eam quoad substantiam depravando. Tales fuerunt

1°. *Gnostici,* teste S. Irenæo L. 1. cap. 22. et Euseb. L. 4. Hist. Eccl. cap. 11. baptizantes *in nomine Patris ignoti universorum, in veritate matre omnium, in eo, qui in Jesum descendit, in unione et redemptione et communione virtutum.* Hos *Priscillianistæ,* scilicet Gnosticorum lues, secuti. Item *Marcosiani* eadem utebantur forma, teste Euseb. Hist. L. 4. c. 11.

2°. *Montanistæ,* sic a Montano dicti, item Cataphryges, quod in Phrygia suos conventus haberent, qui baptizabant *in nomine Patris et Filii et Montani et Priscillæ,* quæ scilicet insignis vatis inter eos loco habebatur, ut refert S. Basil. epist. Can. 1ª. ad Amphil. can 1. Unde eos redeuntes ad Ecclesiam rebaptizari jussit Laodicena Synodus an. 364. Can. 8. (Labb. t. 1. p. 1498.)

3°. *Sabelliani,* a Sabellio, qui suam circa SS. Trinitatem hæresin, in qua unam asserebant personam, in forma baptismi expresserant, quos proinde redeuntes ad Ecclesiam rebaptizari jussit an. 381. Conc. general. Constantinop. I. Can. 7.

4°. *Paulianistæ,* sic nuncupati a Paulo Samosateno, qui Christi negavit divinitatem ; item *Photiniani,* a Photino Pauli Samosateni discipulo et impii dogmatis hærede, non in expressa personarum distinctione baptizantes, quas

nec in ipso distinguebant Trinitatis mysterio, teste INNOCENT. I. summ. Pontif. epist. ad episc. Maced. c. 6. (Labb. t. 2. p. 1275. B.), *Paulianistas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizasse;* unde rebaptizari eos jussit Conc. gen. NIC. I. can. 19. Photinianos vero simul Conc. ARELAT. II. an. 452. Can. 16. et 17. (ibid. t. 4. p. 1013.), inquiens : *Photinianos, sive Paulianistas secundum Patrum statuta baptizari oportet.* Hinc, dum in Conc. LAODIC. an. 364. Photiniani non jubentur rebaptizari Can. 7., dicendum, vel eos tunc nondum in Sabellianam hæresin lapsos fuisse; vel, ut volunt alii, verba illa irrepsisse in canonem, ac corrigendam esse ejus lectionem.

5°. *Arianos* tempore Conc. gen. NIC. I. nondum depravasse formam, inde colligitur, quod hoc Concilium eos rebaptizari non præceperit, sed solos Paulianistas. Unde dum S. ATHANAS. orat. 2. contr. Arian. n. 42. et S. HIERON. Dial. contr. Luciferian. n. 9. aiunt, eos baptizasse in nomine Creatoris et creaturæ, intelligendi sunt, non de prolatione formæ, sed de Arianorum mente, quod Filium esse creaturam crederent : vel, quod loquantur de aliquibus post Conc. NIC. tempora ; nam postea Arianorum aliquos vere suam hæresin expressisse in forma, testatur THEOD. Lector Collectan. L. 2. et NICEPHORUS L. 13. cap. 3. Unde S. LEANDER Hispalensis episcopus eosdem rebaptizavit, ut constat ex supplemento GREG. TURON. ac Brunichil. Ariana Gothorum regina in Galliam adveniens, ut regi Sigeberto nuberet, rebaptizari debuit, teste AIMONIO Floriacensi L. 3. Hist. Francor. cap. 4.

6°. *Eunomiani,* ab Arianis oriundi, baptizantes *in mortem Christi,* quod idem de *Aetianis,* alia Arianorum secta refert THEODORET. Hæret. fabular. L. 4. cap. 3.; sed et Bonosianorum aliquos in mortem Christi baptizasse, ex PELAG. II. epist. ad Gaudent. colligitur. Insuper *Anomœi,* dicti Ariani rigidi, Filium simpliciter creaturam et Patri per omnia dissimilem constanter asserentes post Conc. NIC. I. in ipsa forma suam exprimebant hæresin, teste EPIPH. Hær. 76. (opp. t. 1. p. 992.), baptizantes sub hac forma : *In nomine Dei increati, et in nomine Filii creati, et in nomine Spiritus sanctificantis, et a creato Filio procreati.*

Demum his addi possunt ex antiquioribus hæreticis *Menander,* Simonis magi discipulus, suo volens nomine (nam Messiam se dicebat) baptismum conferri, teste TERTUL. L. de Præscript. cap. 46. ; *Elicesœi,* carminibus variis baptizantes, teste THEODORET. Hær. fab. L. 2. c. 7.

35. *Præmitto II.* Hanc Latinorum formam : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* legitimam et validam esse, nemo hodie, nec Protestantes, qui eadem utuntur, ambigit. Ac constat ex Conc. FLORENT. in Decr. union., TRID. Sess. 7. Can. 4., tum praxi totius occidentalis Ecclesiæ constanti.

Pariter istam Græcorum esse validam: *Baptizatur servus, vel serva N. Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* modo indubium est; approbante illam pariter Conc. FLOR. in Decr. idque definiente LEONE X. in Bulla *Accepimus nuper,* an. 1521. et CLEMENTE VII. Bulla *Provisionis nostræ,* an. 1526. Nec enim quoad substantiam ab altera Latinorum discrepat; unde nunquam latina Ecclesia rebaptizat Græcos. Dico, *modo;* olim enim de hujus valore formæ disputatum fuit inter Theologos, quod eorum quidam putarent, Græcos forma uti deprecatoria, *baptizetur* servus vel

servâ Christi. At constat ex Græcorum Euchologiis, editis ab Arcudio, rituum græcorum peritissimo, item P. Goar, Græcos non deprecative, sed enuntiative baptizare, utendo voce in Ritualibus præscripta, βαπτίζεσται *baptizatur*, non βαπτιζέσθω *baptizetur*; quin si hac, *baptizetur*, uterentur, sensum faceret juxta Græcos imperativum.

His igitur, velut extra controversiam positis, interim præmissis, solum quæritur 1°. utrum de essentia formæ sit, ut in ea exprimatur actio baptizantis, ac proinde verba hæc apud Latinos, *Ego te baptizo*, vel apud Græcos, *baptizatur* sint de essentia formæ. 2°. Utrum ad essentiam formæ, consequenter ad valorem baptismi requiratur distincta personarum SS. Trinitatis invocatio, sive expressio; vel an valeat, vel saltem aliquando valuerit baptismus in solo nomine Christi?

36. *Dico I.* Ad valorem sacramenti requiritur, ut in forma exprimatur actus baptismi; proinde non satis est dicere, *in nomine Patris*, etc. sed verba hæc, *te baptizo*, aut *baptizatur*, vel æquivalentia de essentia formæ sunt. Est certa nunc sententia contra antiquiores quosdam Theologos.

Prob. Ex Alexand. III., qui cap. *Si quis* 1. Extra. de Baptismo. *Si quis*, inquit, *puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen; et non dixerit; ego te baptizo, etc. puer non est baptizatus.* Equidem post decretalem hanc adhuc Theologorum aliqui sunt oppositum tuiti; at excusandi sunt, quod hanc decretalem ignorarent, quæ tempore Greg. IX. primum in collectione Raymundi circa medium sec. XIII. juris publici facta est. Responsum Alexandri confirmavit Concilium Flor. in Decr. et Alexander VIII. inter plures propositiones damnans hanc ordine 27. *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, prætermissis istis: Ego te baptizo.*

Adde perpetuam Ecclesiæ utriusque occidentalis et orientalis praxin, semper adhibentis verba actum baptismi exprimentia *baptizo*, vel *baptizatur*. Primus equidem verborum istorum formæ Latinis usitatæ, *te baptizo*, S. Greg. M. meminit sec. VI. in suo Sacramentario; verum meminit hujus formæ, non tanquam recenter a se primum inductæ, sed tanquam jam notæ et usitatæ in Ecclesia occidentali.

Rationem a priori reddit Doctor Angelicus 3. p. q. 66. a. 5. ad 2., quia cum ablutio hominis in aqua variis fieri de causis possit, oportet, ut in baptismo determinetur per verba formæ; sed per hæc præcise verba: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, nondum sufficienter illa ablutio determinatur, ut sacramentalis sit; quia in nomine Trinitatis pleræque actiones, etiam ablutio, sanitatis causa fieri potest; imo ut omnia hoc invocato nomine faciamus, nos hortatur Apostolus ad Coloss. 3.; ergo in forma actus baptismi debet exprimi.

37. *Dico II.* De essentia formæ est; proinde de necessitate sacramenti, distincta trium personarum SS. Trinitatis expressio, ut nec valeat, nec valuerit unquam aliis sub verbis, etiam Christi nomine, baptismus collatus. Est pariter communis et certa contra Magistrum Sententiarum et Cajet., in cujus tamen posterioribus editionibus doctrina hæc jussu S. Pii V. expuncta fuit.

Prob. Matth. ult. Christus ipse ritum baptizandi tradens Apostolis hanc

præscripsit formam dicens : *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* ; ergo hæc distincta personarum SS. Trinitatis expressio de essentia est baptismi.

Prob. Ant. Ex traditione constanti Ecclesiæ, quæ semper judicavit, hanc distinctam personarum divinarum expressionem, vi institutionis Christi Matth. ult. cit. esse de necessitate sacramenti, ut constat inde 1°. quod juxta num. 34. semper eos rebaptizari jusserit, qui aliter, quam sub hac expressa personarum divinarum invocatione baptizati erant. 2°. Ex SS. Patribus e quorum ordine sufficiant sequentes : TERTULL. Lib. de Bapt. cap. 13. inquiens : *Lex tinguendi imposita est, et forma* (ritus) *præscripta : Ite, docete nationes tinguentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Similia S. JUSTINUS M. habet Apol. 1ª. n. 61. personas divinas aliis tantum verbis, re vero idem significantibus, efferens. S. CYPRIAN. epist. ad Jubaian. ex proposito docet (c. 18), non valere baptismum in solo Christi nomine collatum, eo quod *Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate.* S. AMBROS. Lib. de Mysteriis cap. 4. n. 20. de catechumeno, *Nisi*, ait, *baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum.* S. CHRYSOST. hom. 20. in epist. n. 2. in illud, ad Ephes. 5. *mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*, inquit : *In verbo dixit ; quonam ? In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.* His adde S. HIERON. L. 4. Comment. in Matth. S. ATHANASAS orat. 4. contr. Arian. n. 21. aliosque apud SUAREZ et VASQUEZ.

Prob. Cons. Quia sacramenta nostra suam præcise ab institutione Christi habent virtutem; hinc fit, ut, si quid omittatur eorum quæ Christus instituit, nullum sit sacramentum.

Ratio vero a priori sola est institutio Christi, cui addi potest hæc altera congruentiæ, quod baptismus sit sacramentum fidei, et prima ad salutem janua; ideoque omnino fuerit conveniens, illum institui sub expressione SS. Trinitatis, utpote quæ præcipuum est fidei mysterium.

Exprimendæ igitur sunt personæ Trinitatis consuetis Patris, et Filii, et Spiritus sancti nominibus, vel, ut valeat saltem baptismus, æquivalentibus, aut synonymis tum quoad rem, tum quoad modum significandi ; Unde non valeret baptismus datus *in nomine Trinitatis ;* vel datus *in nomine Dei triunius ;* etsi enim verba hæc æquivalentia sint quoad substantiam ; non tamen sunt quoad modum significandi, cum personas singulas distincte non exprimant.

38. *Obj. I.* Valuit baptismus collatus sine expressa trium personarum invocatione ; ergo hæc non est de necessitate baptismi.

Prob. Ant. 1°. Ex Scriptura sacra ; nam in Christi nomine baptizasse leguntur Apostoli Actor. 2. 38. ubi inquit S. Petrus : *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Deinde Act. 8. 12. qui Philippo evangelizanti crediderant, *in nomine Jesu Christi baptizabantur.* Pariter Act. 10. 48. S. Petrus *jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Item Act. 19. 5. S. Paulus discipulos quosdam Ephesi eodem nomine baptizari jussit : *His auditis baptizati sunt in nomine Jesu ;* ergo.

Prob. 2°. Ex SS. Patribus. Ex his plures testari videntur valuisse, ac valere baptismum collatum in *solo* Christi nomine, velut 1. S. CYPRIAN. epist. 73.

ad Jubaianum c. 17. 18. scribens : Apostolos baptizasse Judæos in nomine Jesu ; Gentiles autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

2. S. Hilar. Lib. de Synod. n. 85. *Ne postremo*, inquit, *Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti jussi, tantum in nomine Jesu baptizaverunt.* Item S. Basilius Lib. 5. contra Eunom. cap. 3. (opp. t. 1. p. 299. c. 9.)

3. S. Ambros. Lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. n. 42. et 44. inquiens : *Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum... quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit; si Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum sanctum quo unctus est, designasti.*

4. S. Bernardus consultus ab Henrico Archidiacono Aurelianensi, ratusne baptismus esset periclitanti infanti sub hac forma datus : *Baptizo te in nomine Dei, et sanctæ et veræ crucis?* respondit epist. nunc 403. (opp. t. 1. p. 389. F. edit. Mabill.) affirmative, additque : *Ut enim taceam, quod in nomine Dei unam expressit substantiam Trinitatis, in eo ipso quod addidit, sanctæ et veræ crucis, manifeste commendavit Dominicam passionem.*

39. R. *N. Ant.* Ante responsionem ad probationem primam

Observa : existimasse plures Theologos quod Apostoli *solo* Christi invocato nomine ex dispensatione divina baptizarent ; inque hujus opinionis præsidium a quibusdam etiam advocari auctoritatem Doctoris Angelici. At allata Scripturæ loca cum commode explicari possint, illiusque dispensationis divinæ desit fundamentum solidum ; non apparet, cur ad hanc recurrere necesse sit, dicereque, valuisse aliquando formam baptismi aliam ab ea, quam Christus clare expressit Matth. ult. Sed et Doctor Angelicus, si attentius expendatur, non hoc asserit, sed potius loquitur in hypothesi, supposita videlicet veritate facti, quod non examinat ; ac si diceret : si verum est, quod Apostoli baptizarint in *solo* Jesu nomine, id ex divina dispensatione fecerunt. Unde

Ad prob. 1am. R. *D. Ant.* Apostoli leguntur baptizasse in Christi nomine ; hoc est, baptismo Christi, ritu a Christo præscripto, ad distinctionem baptismi Joannis *C.* in Christi nomine, id est, hoc nomine *solo* invocato, exclusis personis divinis aliis *N.* Nam Act. 19. cum Paulus Ephesi reperisset quosdam Christianos, ex iisque quæreret : *Si Spiritum sanctum accepistis credentes?* hique responderent : *Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus* ; Apostolus subintulit : *In quo ergo baptizati estis?* Quibus supponit, baptismum dari tunc solitum etiam invocato nomine Spiritus sancti ; quod si vero hujus invocato nomine conferretur baptismus, haud dubie etiam invocatis personis divinis aliis.

Nec dicas : Act. 8. 16. dicuntur Samaritani fuisse baptizati *tantum* in nomine Domini Jesu ; nam particula exclusiva *tantum* ibi baptismum afficit, prout sacramento confirmationis opponitur, ut sensus sit : erant tantum baptizati baptismo Christi ; sed nondum confirmati, sive nondum Spiritum sanctum acceperant impositione manus, hoc est, per sacramentum confirmationis. Unde v. seq. subditur : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.*

40. *Ad prob.* 2am. R. rursus *N. Ant.* Quod ex relatis SS. PP. non evincitur; nam

Ad S. Cyprian. R. Ab eo personas reliquas non excludi; addit enim ibid. *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*; ergo nec in baptismo Judæorum omittebantur personæ cæteræ; proinde dum Cypr. inquit, Judæos baptizatos in *nomine Jesu*, ejus sensus est, Apostolos in baptismo Judæorum loco vocis *Filii*, qua secunda persona alias denotatur, usos altera æquivalenti *Jesu Christi*; vel sub hac forma: *In nomine Patris, et Filii Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti*, quacumque de causa propter Judæos; sicque Cyprian. bene secum concordat.

41. Nec S. Hilar. invocationem personarum aliarum excludit. Nimirum affert ibid. Evangelii et Actuum Apostolorum textus, sibi quoad apparentiam circa formam baptismi repugnantes, et contendit, non ideo eliminandos esse, quod apparens antilogia possit perversum sensum ingerere; ac inde infert, nec ideo vocem ὁμοούσιος debere proscribi, quod in pravum sensum detorqueri possit; utrum vero Apostoli in *solo* baptizarint Christi nomine, hanc quæstionem ibi nequidem attingit. En textum integrum: *Pereant quoque, si videtur* (*quod non ego dixerim, sed responsionis necessitas*), *omnia illa et sancta Evangelia salutis humanæ, ne se invicem contraria dictorum opinionem compugnent: ne missurus Dominus Spiritum sanctum ipse de Spiritu sancto natus legatur: ne mortem gladio denuntiaturus usuris; emi gladium passurus indicat: ne ad inferos descensurus, in paradiso sit cum latrone: ne postremo Apostoli reperiantur in crimine*, etc. ut supra in Object. Unde S. Patris sensus est: etsi antilogia videatur esse Evangelium inter et Actus Apostolorum quoad baptismi formam; vera tamen antilogia non est; quia, etsi dicantur Apostoli in Christi baptizasse nomine, contra Christi sententiam Matth. ult.; non tamen dicitur, aut sequitur, quod baptizarint in hoc nomine *solo*.

42. S. Basilius vero adeo non judicavit, in *solo* Jesu nomine Apostolos baptizasse, ut in Lib. de Spir. S. capiti 12. titulum dederit: *Adversus eos, qui dicunt, sufficere baptisma tantum in nomine Domini.* In quo et data opera assertionem nostram probandam sumpsit, monens, *neminem in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris et Spiritus sancti in baptismatis commemoratione frequenter omittit.* Tum non valere baptisma unius solum expressione personæ declarat: *Videtur interdum et Spiritus tantum in baptismate fecisse mentionem Apostolus; omnes enim, inquit* (1. Cor. 12.) *in uno corpore et Spiritu baptizati sumus... At non ideo quis dixerit, perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est.* Lib. 13. igitur contra Eunom. cit. dum ait, Petrum hortatum Judæos, ut unusquisque *baptizetur in nomine Domini Jesu*, non ideo vult dicere, revera tunc Judæos baptizatos fuisse hoc solo invocato nomine, sed hæc verba Apostoli recitat, ut ostendat, ratum esse baptisma, quod in virtute et auctoritate Christi collatum; eo quod eadem sit trium personarum virtus et operatio, quod sibi sumpserat probandum, ut inde evinceret contra Eunomium, Spi-

ritum sanctum Deum esse, perinde ac Patrem, et Filium ejus Christum, quia et baptismus confertur in nomine Spiritus.

43. *Ad* S. Ambrosium R. eum cit. loc. non agere de baptismi forma, sed solum de fide baptizandi, docetque catechumenum percipere baptismi gratiam, si interrogatus in professione fidei, saltem unam nominet personam, modo cæteras non abneget; quia tunc, ait, *plenum est fidei sacramentum*: sed hæc suscipientem, non ministrum baptismi attinent; baptismus enim non a fide ministri, sed a suscipientibus dicebatur *sacramentum fidei*, qui ante baptismum interrogati faciebant professionem fidei. Etsi vero sic dicti rebaptizantes cum S. Cypriano, etiam in ministro fidem esse necessariam ad baptismi valorem contenderent; nunquam tamen ea opinio S. Ambrosii fuit.

44. *Ad* S. Bernardum R. 1°. S. Bernardi epistolam a multis in dubium vocari; 1. quia, observante Michaele Baio in opusc. de form. Bapt., et Horstio, est una ex triginta, quæ sunt posterius editæ, quæ pleræque sunt dubiæ. 2. Quia teste P. Mabillon, etsi ipse genuinam pronunciet, monet tamen in Præf. ad S. Bernardi opera, eam in paucis manuscriptis reperiri; nec in ullo alio, quam exemplari Sorbonico, eoque valde mutilo, a se repertam.

R. 2°. Dato, esse genuinam, S. Pater hoc non ut certum, sed, ut ipse re obiter ponderata putabat, tanquam probabile, salvo alio judicio meliore, asseruit; ait enim: *breviter vobis de proposita quæstione respondemus, sine præjudicio tamen sanius sapientis.*

45. *Obj. II.* Auctorit. SS. Pontific. 1° S. Stephanus I. decrevit contra rebaptizantes valere baptismum collatum in solo Christi nomine: item approbavit baptisma Marcionis, qui in solo hoc nomine baptizabat; ut colligitur ex epistola S. Cypriani 73. ad Jubaianum, n. 18.

2°. Nicolaus I. in responso ad consulta Bulgarorum cap. 104. de baptismo a quodam Judæo collato respondit (Labb. t. 8. p. 548. B. C.): *Hi profecto si in nomine sanctissimæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt* (*unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius*) *constat eos non esse denuo baptizandos.*

46. R. 1°. Ex epistola S. Cypr. non satis liquet, utrum Stephan. intelligat, vel alium; ait enim: *quidam dicunt*; qui vero illi sint, non explicat. En ejus verba loc. cit.: *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate?* Supra (n. 4.) dicit quidem, quod is, qui ad Jubaianum scripserat, etiam baptisma Marcionis, in solo Jesu Christi nomine baptizantis ratum habeat: *Prætereundum hunc locum non putavi, maxime cum in eadem epistola animadverterim, etiam Marcionis fieri mentionem, ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quod jam in nomine Jesu Christi baptizati videantur*; sed neque ex epistola Cypr. satis potest colligi, an Stephanus fuerit, qui hoc ad Jubaianum scripserat, an alius?

R. 2°. Dato, Stephanum Roman. Pontificem fuisse, qui ita ad Jubaianum scripsisset, S. Cyprianus illius mentem in æstu illo contentionis non attigit;

sed quod STEPHANUS scripserat de baptismo in nomine Christi collato, hoc est, ritu a Christo præscripto cum invocatione SS. Trinitatis, CYPRIANUS intellexit de baptismo collato, Christi *solo* invocato nomine, in quo falli potuit. Quod vero addit de baptismate Marcionis, hoc vel CYPRIANUS ex verbis STEPHANI ita tantum intulit; vel male rursum aut intellexit, aut exposuit; si enim STEPHANUS approbasset Marcionis baptisma, id fecisset in hypothesi et conditionate, si nimirum cum invocatione SS. Trinitatis baptizarent Marcionitæ, quo sensu idem aliquando asseruit S. AUG. L. 3. contra Donatist. Ratio horum est 1°. quia in decreto STEPHANI, quod ipse recitat CYPR. epist. ad Pompei. n. 1. hæc sola extant : *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Ubi plane nihil de baptismo in Christi collato nomine. 2°. STEPHAN. ita locutum fuisse de baptismo hæreticorum, qui tamen formam adhiberent evangelicam, ex epist. FIRMIL. ad CYPR. perspicitur, in qua (n. 9): *Illud quoque,* inquit, *absurdum, quod putant, quærendum non esse, quiquis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi poterit, invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti;* ergo ex mente FIRMILIANI STEPHANUS approbabat baptisma hæreticorum sub conditione, quod cum invocatione Trinitatis baptizarent; sique Pontifex approbasset baptismum datum *in Christi nomine,* id intelligi deberet de baptismo collato juxta ritum a Christo præscriptum, verbisque evangelicis.

47. *Ad* 2um. Communis est plurimorum responsio, NICOLAUM hæc non definiendo ex cathedra, et qua doctorem publicum; sed qua privatum asseruisse, exque privata sententia, eo quod de forma baptismi interrogatus non esset; sed tantum de ministro, utrum valeret baptismus collatus a Judæo, vel pagano? Proinde quod de forma in responso scripsit, ex privata addidit sententia; quo casu Rom. Pontifex non est infallibilis. At

Respondent alii, nec omnino absque fundamento, verba NICOLAI in objectione citata ad fidem suscipientis tantummodo pertinere, sicuti ante ad S. AMBROSII, num. 43. responsum est; non vero ad ministrum. Quippe duæ, inquiunt, distingui debent partes in responso Pontificis; prior est de fide baptizandi; altera de ministro; sed objecta verba ad baptizandi fidem solum referri debent :

1°. Quia S. Pontifex provocat ad Actus Apostolorum et S. AMBROSIUM; sed nec hic, nec illi de forma baptismi agunt. Ac S. AMBROSIUS quidem cit. loc. non de forma baptismi agere, sed de fide suscipientium, ex contextu nequit non patere illi, qui vel mediocri attentione S. Patrem legerit. Mirum vero, si nec S. Pontifex, nec alius eorum, quorum in expediendis responsis ad 106. consulta Bulgarorum utebatur opera, id vidisset.

2°. Idem NICOLAUS I. ab iisdem consultus Bulgaris, num essent rebaptizandi, qui a Græco quodam se presbyterum fingente fuerant baptizati, respondet præcise resp. 15. (Labb. t. 8. p. 523) : *Si in nomine summæ ac individuæ Trinitatis baptizati fuere, Christiani profecto sunt, et eos... iterato baptizare non convenit.* Ubi S. Pontifex certo de baptismi forma loquitur, quin addat aliquid horum : *vel tantum in nomine Christi;* ergo sola illa verba evangelica Matth. ult. : *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* censebat

Pontifex constituere baptismi formam; ac dum resp. 104. hæc addidit : *vel tantum in nomine Christi*, ea cum S. Ambros. ad suscipientium fidem retulit; vel secus, cur solius Trinitatis meminit resp. 15. si æque his verbis, *in nomine Christi*, judicasset, verum baptisma conferri posse?

3°. Quia in eod. resp. 104. de ministri qualitate agens verbis perspicuis significat, sibi æque ac Aug. non aliud probari baptisma, quam quod verbis evangelicis consecratum. *Jam satis*, inquit ex S. Aug., *ostendimus, ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina cœlestis insinuat.* Verba autem evangelica sunt illa notissima Matth. ult. *In nomine Patris*, etc. Non vero hæc : *In nomine Christi.* Quomodo igitur paucis ante lineis idem S. Pontifex de forma dixerit, ad hanc sufficere ista : *Vel in nomine Christi tantum?* Necesse igitur est, ut dicatur, in parte priore, S. Pontificem de suscipientis fide locutum esse; ac dum inquit : *A quodam Judæo* (quod nomen non Religionis, sed negotiationis hic est, ut ex ipso responso intelligitur) *nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis; et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, sicut sanctus exponit Ambros.) constat eos non esse denuo baptizandos*; sensus est : Hi profecto, si christiano more ac ritu abluti sunt, hoc est, si in baptismo interrogati se in Trinitatem credere confessi sint, vel tantum in Christum, sicut in Actis Apostolorum de Eunucho reginæ Candacis legimus, aliisque, unum enim idemque est juxta S. Ambros., rebaptizandi non sunt. Deinde vero post illa de ministro respondens docet ex Aug., ut ante, hujus errorem non baptismi valori *obesse*, quia baptismus non ministri fide, *sed verbis evangelicis consecratur*, sive forma in Evangelio præscripta Matth. ult.

Si dicas : Pontifex non fuerat interrogatus de fide suscipientis, sed ministri; ergo immerito explicatur de fide suscipientium; talis enim debet esse responsio, qualis est interrogatio.

R. *N. Cons.* Non raro enim interrogantis gratia plus dici in responso solet, quam præcise petitur. Et vero, juxta adversarios, etiam non fuerat interrogatus de forma, et tamen de hac juxta ipsos respondit. Nimirum cum Bulgari interrogassent de ministri fide, S. Pontifex in gentis illius recentissime ad fidem conversæ, nec adhucdum satis excultæ pleniorem instructionem præmittit ante de fide suscipientium, docens, quo christiano ritu debeat quis baptizari, nimirum ut ante baptizandus profiteatur, se credere in SS. Trinitatem, vel sufficere, si dicat, se credere in Christum, non negando scilicet personas reliquas, ac tum minister, quicumque sit, verbis evangelicis conferat baptismum; itaque baptizatos, ait, non esse rebaptizandos; esse vero, si baptismus evangelicis verbis non consecretur.

CAPUT II.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

48. Duplex a Theologis distinguitur necessitas, una *medii*, altera *præcepti* dicitur. Necessarium necessitate medii est, quod, independenter etiam ab omni præcepto, sic est necessarium, ut eo, etiam inculpabiliter, omisso nequeat obtineri salus. Necessarium necessitate præcepti est, quod citra peccatum, quo impeditur salus, omitti non potest voluntarie. In his tamen rebus, si omittantur, a peccato excusat tum præcepti ignorantia, tum rem præceptam ponendi impotentia. Circa baptismi necessitatem post Manichæos, Hermianos, aliosque, qui baptismum aquæ penitus rejecisse visi sunt, plurium aliorum variusque error fuit.

Pelagiani sec. V. negantes originale peccatum, ad hujus deletionem necessarium esse baptismum consequenter negabant; at pressi a S. Aug. illis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, baptismum dicebant non nisi ad consecutionem regni cœlorum esse necessarium.

Ex recentioribus hæreticis sec. XV. necessitatem baptismi inficiatus est Wicleffus, ut constat ex Sess. 15. Conc. Constant., Zwinglius L. de ver. et fals. relig., Bucerus. Calvinus vero L. 4 Instit. adultis quidem necessarium ex *præcepto* baptismum asserit, non tamen necessitate *medii*, neque ad deletionem originalis, præsertim respectu parvulorum parentum fidelium, quos ipso in matris utero sanctificari contendit. Demum e Calvinismo orti Sociniani, mala matre pejor proles, baptismum nihil aliud esse inquiunt, quam Christianæ professionis externum, nudum gratiæ signum; ejus proinde ritum esse liberum; nec Matth. ult. datum esse Apostolis baptizandi, sed gentes instruendi præceptum; vel, si quod ibi baptismi præceptum sit, hoc universale non esse; sed eos afficere solos, qui ex Paganismo aut Judaismo convertuntur; nequaquam vero ex christianis jam parentibus ortos.

E Catholicis Gerson, Cajet. parvulis, quibus applicari baptismus non potest, sufficere putarunt ad salutem votum baptismi a parentibus aliisque conceptum, et præsertim signo quodam externo applicatum parvulis, puta externa precatione, aut invocatione SS. Trinitatis. Sed, quod Cajet. attinet, opinionem hanc, ceu minus fidei consonam, in illius commentariis in D. Thomam Pius V. expungi jussit.

In præsenti proinde cap. hæc pertractanda sunt : 1°. An et quomodo baptismus sit omnibus omnino hominibus, etiam fidelium liberis necessarius? 2°. An baptismus *aqua* suppleri possit per baptismum *flaminis*? 3°. An et per baptismum *sanguinis*? 4°. An Deus ex lege aliqua ordinaria, vel saltem ex speciali clementia ob parentum vota, in parvulis, quibus conferri baptismus aquæ non potest, hujus defectum suppleat?

ARTICULUS I.

AN ET QUOMODO BAPTISMUS AQUÆ SIT HOMINIBUS SINGULIS, ETIAM FIDELIUM LIBERIS, NECESSARIUS AD SALUTEM?

49. *Dico I.* Secluso casu martyrii, baptismus aquæ est omnibus ad salutem necessarius necessitate medii, adultis quidem in re, vel in voto, si in re suscipi non possit; infantibus vero in re. Est de fide catholica.

Prob. I. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, quod est medium ita per se ordinatum ad salutem, ut eo, etiam inculpabiliter, omisso non possit obtineri salus: atqui ita baptismus ad salutem ordinatus est, ut baptismo, etiam inculpabiliter, omisso obtineri salus non possit; ergo. *Prob. min.* Ex Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quæ sententia Christi generalis est, æque parvulos quam adultos involvens, ac respectu singulorum importans necessitatem, ac proinde de sola necessitate præcepti nequit intelligi, utpote cujus insuper infantes, qui tamen eadem in lege involvuntur, incapaces sunt.

Calvini contra cit. textum exceptiones jam cum responsionibus præoccupatas vide in Tract. de Sacram. in genere, Diss. 1ª. cap. 2. num. 41.

50. *Prob. II.* Ex constanti, invariata traditione Ecclesiæ, quæ elucet 1°. ex Conciliis, 2°. ex SS. Patribus, 3°. ex praxi totius Ecclesiæ, usuque.

1°. Ex Concilius. Dogma catholicum jam pridem tradiderunt Carthaginense anno 416. et Milevitanum II. anno eod. contra Pelagianos primum apud S. Augustinum epist. 90. (al. 175.) nomine Concilii ad Innocentium I. missa, definit (n. 6.): *Quicumque negat parvulos per baptismum Christi a perditione liberari et salutem percipere sempiternam; anathema sit.* Alterum, ut constat ex epist. hujus Concilii ad eumdem summum Pontificem inter Augustinianas 32. (al. 176.) qua ab Innocentio *perniciosissimi erroris* expostulant damnationem, quo *omnino totum quod Christiani sumus nituntur evertere Pelagiani*; nempe, *non opitulari parvulis ad consequendam vitam æternam christianæ gratiæ sacramentum* (ib. n. 3). Et confirmatur ex Innocentii ad Patres Milevitanæ synodi epistola, in qua sic loquitur (Labb. t. 2. p. 1288. D.): *Illud vero quod eos* (Pelagianos) *vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est.* Ubi hæc: *perfatuum est*, Pelagianos attinet, quos damnaverant Milevitani Patres, ac quorum sententiam apud S. Augustin. cit. approbat Pontifex. Idem Braccar. III. definivit, tum Flor. in Decr. docet, ac Trid., de quo infra.

51. 2°. Ex SS. Patribus. S. Irenæus sec. III. infantes, docet, esse necessario baptizandos ut per eum regeniti pristinæ regenerationis sordes abluant: *Omnes*, ait L. 2. c. 22. n. 4. *venit per semetipsum salvare* (Christus): *omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros.* Et L. 5. c. 15. n. 3. *Quoniam in illa plasmatione, quæ secundum*

Adam fuit, in transgressione factus (est) *homo, indigebat lavacro regenerationis.* At hoc de simplici necessitate præcepti accipi nequit, cujus illi parvuli incapaces sunt; ergo medii necessitas hic significatur, S. Cyrill. Hierosolymitanus sec. IV. Cath. 3. n. 10. *Si quis*, ait, *non baptizatur, salutem non habet præter solos martyres, qui sine aqua regno cœlesti potiuntur.* S. Ambr. L. de Myster. cap. 4. n. 20. *Credit catechumenus.... sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum.* Et L. 2. de Abraham. cap. 11. n. 84. de necessitate baptismi loquens : *Utique*, inquit, *nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate*, quæ rursum necessitatem medii important. S. Aug. mens nemini esse dubia potest, qui ex baptismi necessitate contra Pelagianos peccatum originale constanter probat; ac præterea epist. 28. ad Hieron. (al. 166. n. 21.) hanc necessitatem medii ita diserte adstruit : *Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus* (Baptismi) *participatione de vita exeunt, hic profecto et contra Apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* Tum L. 3. de Anima et ejus origine cap. 9. *Noli credere, nec dicere, nec docere infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Plures Patrum sententias qui volet, apud Bellarm. comperiet et Suar.

3°. Accedit usus et praxis Ecclesiæ, utpote quæ semper, teste Aug. supra cit., fuit quam maxime sollicita, ne sine regenerationis lavacro infantes decederent; baptizandi facultatem in casu necessitatis etiam laicis, quin mulieribus indulget ; sine percepto Baptismo defunctos non credidit pertinere ad Ecclesiam, nec sepultura sacra donavit.

Hinc merito sacra Trid. Synodus docet Sess. 4. cap. 6. justificationem *post promulgatum Evangelium sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non posse* : ac Sess. 7. hunc Can. 5. opposuit Novatoribus : *Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

Dixi in Concl. *in re vel in voto.* Voti autem nomine hic non venit nudum et simplex suscipiendi baptismi desiderium, aut propositum; sed actus charitatis perfectæ, vel contritionis, includens voluntatem ponendi omnia ad salutem necessaria, sicque et præsertim suscipiendi baptismi; per talem vero actum suppleri posse in adultis baptismum, si suscipi in re non possit, dabit Art. seq.; sicut et baptismus in re, vel voto suppleri aliquando potest martyrio, ut constabit ex Art. 3. Unde et in Concl. dictum : *secluso casu martyrii.*

52. *Dico II.* Adultis baptismus insuper necessarius est necessitate præcepti.

Prob. Matth. ult. Christus obligat sub præcepto Apostolos ad baptizandas gentes : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. ergo et simul eo loco præcipitur gentibus, ut baptismum suscipiant; correlativa enim sunt: sicut, dum loco eodem præcipitur Apostolis, ut gentes doceant; simul gentibus præceptum datur, ut audiant.

Accedit ratio ; si enim baptismus sit ad salutem necessarius omnibus necessitate medii, hoc ipso sequitur, etiam necessarium esse necessitate præ-

cepti 1°. naturalis, cum quilibet ex præcepto naturali charitatis erga se ipsum teneatur adhibere media ad salutem necessaria, 2°. divini, cum omne id, quod ex ordinatione divina est medium ad salutem absolute necessarium, etiam hoc ipso, si est in potestate nostra, sit ex præcepto divino necessarium; cum nihil potuerit præcipi magis, quam illud, sine quo obtineri salus non potest, 3°. etiam ecclesiastici, quod ex traditione et constanti Ecclesiæ praxi intelligitur.

53. *Obj. I.* Ex Script. sacra : 1°. Sicut Joan. 3. ait Christus : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto,* ita Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* etc. atqui ex Joan. 6. non sequitur Eucharistiam necessariam esse necessitate medii ; ergo nec ex Joan. 3. ita necessarium baptismum esse.

2°. Filii parentum fidelium, teste Scriptura sacra, hoc ipso, quod nascantur e parentibus fidelibus, sancti sunt, et filii Dei ; ergo ad salutem baptismo non egent. *Prob. Ant.* Nam ad Rom. 4. et 11. item ad Gal. 3. dicuntur semen Abrahæ ; Deus vero Gen. 17, promisit Abrahæ, se Deum et ipsius, et ejus seminis futurum. Deinde 1. Cor. 7. 14. idem docet Apostolus : *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem ; et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem ; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt ;* ergo.

54. *Ad* 1um. R. *N. A.* Nam 1°. ipsis in propositionibus reperitur diversitas ; hæc enim : *nisi manducaveritis,* ut legenti patet, in persona secunda ad solos adultos diriguntur capaces præcepti ; alia vero : *nisi quis renatus fuerit,* etc. in persona tertia dicuntur indistincte de omnibus tam adultis, quam parvulis incapacibus præcepti. Deinde baptismus institutus est, ut sit regeneratio spiritualis ; regenerari vero ad spiritualem vitam est omnibus absolute necessarium ; Eucharistia vero instituta est, ut spiritualis cibus sit, quo vita spiritualis conservetur, ejusque vires reparentur, si eæ deperditæ sint ; sicut ad tuendam corporalem vitam, hujusque reparandas vires ordinatur corporalis cibus ; sed infantes, etsi sine corporali alimento servare vitam corporalem non possint, possunt tamen sine Eucharistia servare vitam spiritualem animæ, imo nec hanc nec ejus acceptas vires deperdere possunt, quia peccati omnis, quo solo illa deperditur, incapaces sunt ; ergo non est his Eucharistia necessaria. Demum illa Joan. 3. semper Ecclesia de necessitate medii, non illa Joan. 6. intellexit.

55. *Ad* 2um. R. *N. A. Ad prob.* 1^{am}. R. *D.* Dicuntur semen Abrahæ secundum carnem, sive ratione nativitatis corporalis *N.* secundum spiritum, vel ratione nativitatis spiritualis per baptismum *C.* Sic et Deus promisit se futurum Deum seminis Abrahæ, non præcise secundum carnem talis, sed spiritum, id est eorum, qui haberent fidem Abrahæ, quam, sicut olim per circumcisionem, sic nunc infantes habitualiter habent per baptismum. Responsio in ipso fundatur Apostolo ad Rom. 9. 6. dicente : *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii ; sed in Isaac vocabitur tibi semen : id est, non qui filii carnis, hi filii*

Dei; sed qui filii sunt promissionis. Sed filii promissionis sunt, qui habent fidem patris Abrahæ, ut idem docet Apostolus ad Rom. 4. v. 10. et seqq.

Ad prob. 2am. R. *D. Ant.* Sancti sunt sanctitate vera, sive spirituali interna *N.* civili, politica, sanctitatem sumendo pro legitimitate *C.* Varia dubia de matrimonio proposuerant Corinthii Apostolo, ut innuit hic v. 1. *de quibus autem scripsistis mihi.* Inter quæ illud erat, num valeret matrimonium fidelis cum infideli? Respondet Apostolus affirmative, probatque, quia filii non sunt spurii, sed sancti, sive legitimi. Unde non de munditia vera spirituali ac sanctitate interna, sed de civili sermo erat.

56. *Obj. II.* Ex auct. et histor. Eccles. 1°. Orientales et Africæ episcopi, qui olim cum S. Cypriano contendebant contra Stephanum Papam, nullum esse baptismum collatum ab hæreticis, controversiam hanc, juxta dicta Tract. de Sacram. in gen. Disp. 2. cap. 2. ad disciplinam pertinere putabant, ideoque aliis aliter sentientibus et libertatem sentiendi et agendi, sive non rebaptizandi relinquebant integram; quin et ipsimet rebaptizantes aliquando non rebaptizabant baptizatos ab hæreticis; ergo non censebant, necessarium ad salutem baptismum necessitate medii: secus enim, quia nullum judicabant baptismum hæreticorum, semper eos rebaptizare debuissent; nec potuissent relinquere libertatem aliis rebaptizandi tales, vel non.

2°. In veteri Ecclesia sæpe viros magnos per plures annos degisse in catechumenatu legimus. Sic Constantinus M., teste Eusebio in ejus vita cap. 62. ac S. Hieron. in chronico, primum in extremo vitæ tempore baptizatus fuit. S. Ambrosius, cum adhuc in catechumenatu esset, electus fuit in Mediolanensis Ecclesiæ episcopum. S. Martinus octo annos in catechunatu fuisse dicitur; ergo baptismus non credebatur, tantæ esse necessitatis.

3°. Pro catechumenis sine baptismo defunctis Ecclesia offerebat preces et sacrificia, ut ex S. Ambrosio in orat. funeb. de Valentiniano Imperatore n. 56. (opp. t. 2. part. 1a. p. 1189.) item ex Conc. Arelat. II. can. 12. ac Carthagin. IV. can. 79. colligitur; ergo censebat Ecclesia, tales salutem consequi posse. *Conf.* ex Innocentio III. qui consultus ab episcopo Cremonensi, quid sentiendum de quodam presbytero, qui ignorans se baptizatum non fuisse, sine baptismo obierat, respondit: *Quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, et Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum, et cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.* cap. *Apostolicam.* 2. de Presbyt. non baptiz. Ac responsum confirmat ex S. Augustino L. 8. de civ. dicente: *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit:* item S. Ambrosius ante cit. ac tandem pro presbytero illo offerri preces et hostias jubet.

4°. Si baptismus sit necessarius omnibus necessitate medii et præcepti simul adultis; ergo et beatissima Virgo, et Apostoli baptizari debuissent: atqui tamen hi baptizati non sunt; ita enim censet Tertullianus L. de Bapt. cap. 12.; ergo.

57. *Ad* 1um. R. 1°. Sicut illa S. Cypriani aliorumque rebaptizantium sententia de invaliditate baptismi ministrati ab hæreticis non obstat traditioni perpetuæ Ecclesiæ de talis valore baptismi, ita nec officeret eidem traditioni Ecclesiæ de baptismi necessitate, si ideo baptizatos ab hæreticis non

rebaptizassent aliquando, ac aliis rebaptizandi vel non libertatem reliquerint, quod ipsi crederent, baptismum non esse absolute necessarium; sicut enim in primo fallebantur, ita in altero falli poterant. Sed

R. 2°. *N. Cons.* Non ideo rebaptizantes controversiam de valore baptismi hæreticorum esse meræ disciplinæ sentiebant, quod putarent, baptismum non esse absolute necessarium; sed quoniam, cum controversia hæc nondum esset solemni quodam judicio Ecclesiæ decisa, posset quis, salva unitate Ecclesiæ, sentire et facere quid vellet. Vel dici potest, quod, etsi sententia sua privata judicarent, nullum esse baptisma hæreticorum, ideo aliquando non rebaptizarint baptizates ab hæreticis, quod in redeuntibus ad Ecclesiam putarent baptismum aquæ suppleri baptismo in voto.

58. *Ad* 2um. R. *N. Cons.* Quia alias poterant habere rationes differendi baptismi; nimirum ut se magis ad eumdem per pietatis ac pœnitentiæ opera præpararent, putantes, interea baptismi votum sufficere. Si nulla simili de causa baptismum distulerint, factum hoc non laude, sed potius reprehensione dignum fuisset. Unde et Patres alii hanc dilationem omnino improbant. S. Gregorius Nazianz. acri plane in dilatores baptismi oratione invehitur. S. Ambrosius, teste Baronio ad an. C. 377., de dilato baptismo postea doluit. Similia apud Patres alios legere est. Quin vetus Ecclesia clinicos, quod baptismum ad extremum usque distulissent; si postea convaluissent, a sacris ordinibus arcebant.

59. *Ad* 3um. R. 1°. *N.* Ullo solido fundamento probari posse existentiam hujus disciplinæ in Ecclesia. Ambrosius, fateor, preces et sacrificia pro anima Valentiniani priusquam baptismo initiaretur defuncti obtulit; sed hujus insoliti modi agendi hanc affert excusationem, quod Valentinianum regeneratum, et sanctificatum baptismate in voto suscepto existimavit, orat. cit. n. 51. Canones vero 12. Conc. Arelat. II. an. 452. (Labb. t. 4. p. 1012.) et 79. Conc. Carthaginensis IV. an. 398. (Labb. t. 2. p. 1206.) immerito prorsus nobis objiciuntur, non enim in iis de cathecumenis agitur, sed de pœnitentibus, qui improvisa morte prius rapti fuerant, quam solemni ritu Ecclesiæ reconciliarentur. De illis autem Conc. Braccarense II. an. 563. can. 17. (Labb. t.5, p. 841.) definivit, *catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, neque oblationis commemorationem, neque psallendi impendendum esse officium.*

R. 2°. *D. Cons.* Ergo Ecclesia censebat illos salvari posse sine baptismo etiam in voto *N.* sine baptismo in re *C.* Tales morte præventi antequam baptizarentur in re, ob perspectum suscipiendi baptismi desiderium, merito præsumebantur habuisse baptismum flaminis. Cæterum hoc permittebat Ecclesia pro catechumenis solum adultis, nunquam pro parvulis; sed hos sine baptismo defunctos, nec ut suos agnovit, nec Ecclesiastica donavit sepultura. Cur hoc? nisi quod baptismi flaminis incapaces essent. Dum ergo catechumenos adultos ut suos agnovit, suffragiis adjuvari posse credidit, ob eorum baptismum in voto factum est. Quanquam, observante Tournelio, si tales frivole distulissent baptismum, plures Ecclesiæ eis denegassent suffragia.

Ad Conf. Eadem est responsio. Rescripsit ita Innocentius, quod de tali presbytero non posset non judicari, habuisse illum baptismum flaminis.

Hoc etiam sensu intelligendus AUGUSTINUS est, eo casu baptismum, scilicet aquæ, *invisibiliter*, scilicet perbaptismum flaminis, suppleri.

60. *Ad* 4um. R. *N. min.* cum communiore SS. Patrum sententia, S. AUGUSTINI epist. 108. (al. 265. n. 4.), EVODII episcopi Antiocheni post S. Petrum Apostolum, teste NICEPHORO L. 2. cap. 3. EUTHYMII in cap. 3. Joan. v. 5. (t. 3. p. 94. edit. Matthæi Lips. 1792.), aliorumque et S. THOM. hic q. 38. a. 6. Quod TERTULLIANUM attinet, is solum id dubitanter asserit dicens: *Quia illis* (Apostolis) *vel primæ adlectionis* (hoc est, electionis a Christo in Apostolatum) *et exinde individuæ familiaritatis prærogativa compendium baptismi* (Christus) *conferre posset.*

61. *Obj. III.* Ex Ratione. 1°. Quod est necessarium necessitate medii, non potest suppleri: sed baptismus suppleri potest, ut dicetur Art. 2. et 3.; ergo.

2°. In baptismo excusare potest ignorantia invincibilis; qui enim nihil unquam de baptismo audivit, non peccat, si hunc non suscipiat; ergo non est necessarius necessitate medii; quod enim sic est necessarium, in eo etiam ignorantia excusare non potest.

3°. Hæc doctrina de necessitate baptismi adversari videtur tum misericordiæ divinæ, tum voluntati sinceræ salvandi omnes: primum; quia multi infantes sua absque culpa perirent: alterum; quia his non providisset de sufficienti salutis medio; ergo.

Ad 1um. R. *D. M.* Quod est necessarium necessitate medii summa, vel stricta; sive, ut aliis loqui placet, tanquam medium salutis internum, non potest suppleri per aliud *C.* quod est necessarium necessitate medii minus stricta, ut externum salutis medium *N.* Necessaria autem necessitate medii summa, vel stricta ad salutem sunt fides et gratia sanctificans, quia juxta præsentem Dei ordinationem requiruntur in re, nec in alio sui vicario haberi vel suppleri possunt: at baptismum Deus suppleri posse voluit per votum ipsius, et martyrium; unde hujus necessitas medii comparative ad priorem minus stricta est.

Ad 2um. R. *N. A.* Equidem talis qui præceptum de baptismo suscipiendo inculpate ignoraret, reus non esset violati mandati, nec idcirco damnaretur; sed quia nihilominus careret medio ad justificationem necessario. Hinc etiam *D. A.* Excusat in baptismo ignorantia, ut baptismus præceptum est *C.* ut est medium ad justificationem necessarium *N.*

Ad 3um. R. *N. A.* Et *quoad* 1um. *membrum* R. cum S. AUGUSTINO L. 2. de Don. persev. cap. 12. n. 30. tum S. PROSPERO L. 2. de Vocat. gent. cap. 20. occulta quidem Dei esse judicia, cur plures parvulos perire sinat; at tamen justissima: licet enim parvuli sine sua culpa non baptizentur, non tamen sine culpa sua pereunt, cum peccatum originale habeant; misericordiæ vero divinæ mensura non ab humano peti affectu debet, sed ex Scriptura sacra et Traditione: at hic utraque constanter ingerit illud: *Nisi quis renatus fuerit*, etc.

Quoad 2um. *membrum* R. *N. ejus rationem.* Instituendo enim baptismum pro omnibus, Deus etiam parvulis secundum eorum conditionem sufficientia providit salutis media; ne vero parvulorum quis præmoriatur ante baptismum, cursum causarum naturalium non tenetur miraculo quodam inter-

cipere etiam qua provisor generalis. Respondent etiam alii, auxilia sufficientia parvulis conferri in parentibus, quibus si recte uterentur, infantes eorum pervenirent ad baptismi medium. Hæc difficultas, quæ hujus nondum loci est, pertractari solet Tr. de Deo, ejusque voluntate salvandi omnes, tum Tr. de Grat.

ARTICULUS II.

AN BAPTISMUS AQUÆ SUPPLERI POSSIT PER BAPTISMUM FLAMINIS?

62. *Præmitto.* Frequens et usitata est non apud Theologos tantum, sed etiam SS. PP. GREG. NAZIANZ. orat. 39. in sancta Lumina, contr. Donatist. c. 21. 22. AUG. L. 4. de Bapt. n. 17. BERNARD. epist. 77. ad Hugonem Victorin. c. 2. (opp. t. 1. p. 627. et seqq.) aliosque baptismi divisio in baptismum aquæ, flaminis et sanguinis, etsi duo posteriores nec sacramenta sint, nec proprie et univoce, sed solum analogice baptismata, quatenus scilicet principalem baptismi effectum, gratiam remissivam peccatorum supplent. Proprie enim non nisi unus baptismus est, juxta illud ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* De baptismo aquæ quid sit, satis constat ex hucusque dictis. Baptismus *flaminis* dicitur perfecta cordis contritio, ac quilibet charitatis perfectæ actus continens saltem implicitum baptismi votum. Flaminis vero nomen traxisse a flamine, seu Spiritu sancto videtur, cujus est ad diligendum Deum, ad pœnitendum movere cor. Quæritur igitur modo, an et quatenus contritio perfecta, vel actus perfectæ charitatis suppleat baptismi vices?

63. *Dico.* Baptismus flaminis, sive perfecta in Deum charitas, perfectave contritio vices baptismi aquæ in adultis supplet, quoad effectum ejus principalem, gratiam peccatorum remissivam.

Prob. I. EX SCRIPTURA SACRA. Quia, post sancitam Joan. 3. necessitatem suscipiendi baptismi, Christus generaliter charitati, perfectæve contritioni adpromisit infallibiliter gratiam justificantem Joan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum*; ac v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*: sed, si ob perfectam charitatem, contritionemve infallibiliter conferatur gratia justificans, actus illi supplent baptismi vices, quoad hujus effectum principalem; nam gratia hæc ex natura sua remissiva peccatorum est; ergo.

64. *Prob. II.* EX CONC. TRID. quod doctrinam hanc textibus perspicuis ac repetitis inculcat: Sess. 6. cap. 4. declarans, *post Evangelium promulgatum translationem* (a statu veteris Adam ad statum gratiæ) *sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non posse sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit,* etc. Idem definit Sess. 7. de sacram. in gen. Can. 4. Ac Sess. 14. cap. 4. docet, *contritionem aliquando charitate perfectam esse contingere, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc* (pœnitentiæ) *sacramentum suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*: sed si ea vis contri-

tionis perfectæ sit, ut hominem peccatorem baptizatum reconciliet Deo, hoc est, justificet, ante perceptionem ipsius sacramenti pœnitentiæ in re, cur non et catechumenum justificet ante baptismum?

65. *Prob. III.* Ex Summis Pontificibus. Pius V. et Greg. XIII. damnarunt hanc inter propositiones Baii ordine 31. *Charitas perfecta, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, in catechumenis et pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Et hanc ordine 33. *Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in lavacro baptismi demum percipitur*; ergo. Sed et jam sec. XII. Innoc. III. consultus de Judæo, qui se ipsum baptizaverat, respondet cap. *Debitum* 4. de Bapt. et ejus effectu nullum equidem hunc baptismum fuisse, quod se ipsum, etsi morti proximus, baptizasset; *quamvis*, verba ejus sunt, *si talis continuo decessisset, ad patriam protinus evolasset, propter sacramenti fidem* (votum), *etsi non propter fidei sacramentum.*

66. *Prob. IV.* Ex SS. Patribus. Ambros. orat. funeb. in obitum Valentiniani n. 51. *Non habet ergo*, inquit, *gratiam* (regenerationis) *quam desideravit? Non habet, quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit.* Aug. L. 4. de Bapt. contr. Donatist. cap. 22. *Invenio*, inquit, *non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Similia habet S. Bernard. epist. 77. ad Hugonem de S. Victore, n. 8. aliique, quorum omnium est ratio, quod Deus ex misericordia singulari ob excellentiam actus perfectæ charitatis, hujusque intuitu voluerit esse infallibiliter conjunctam justificationis gratiam, ut ex *prob.* 1ª. patet. Hinc effectum hunc non producit actus ille ex opere operato, sacramentorum more, sed ex opere operantis, infallibiliter tamen, vi divinæ promissionis, et velut privilegii.

Dixi in Concl. *quoad effectum principalem*; quoad effectum enim secundarium, qui est pœnæ omnis peccato debitæ remissio, quod et suppleat baptismus flaminis baptismum aquæ, nullum habetur sive in Scriptura sive in Patribus asserendi fundamentum; quin contrarium sentire videntur, cum e Patribus plures cum solo baptismo flaminis defunctos adjuvari velint Ecclesiæ suffragiis, ut S. Ambros. Valentinianum.

67. *Obj. 1.* Ex Scriptura. 1°. Lex illa Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, universalis est; ergo.

2°. S. Paulus Act. 9. indubie charitatem ac contritionem perfectam habuerat, cum diceret: *Domine, quid me vis facere?* atqui tamen nondum justificationis gratiam obtinuerat, ut ex Act. 22. colligitur, ubi Ananias dicit ad eumdem: *Exurge, baptizare, et ablue peccata tua.*

3°. Cornelius Centurio quoque videtur perfectam habuisse charitatem in Deum Act. 10. nec tamen justificatus est antequam baptismum perciperet, ut sentire videtur S. Aug. L. 1. de divers. Quæst. ad Simplicianum q. 2. n. 2. ubi, *in quibusdam*, inquit, *tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso*

Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ... Fiunt inchoationes quædam fidei conceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est.

68. *Ad* 1um. R. *Explico* : Lex illa generalis est absolute pro omni casu *N.* alioquin nec baptismus sanguinis suppleret baptismum aquæ : limitata per aliam Christi legem *C.* Qui enim generaliter dixerat : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, idem postea generaliter edixit : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Itaque semper generalem illam Christi legem, *nisi quis renatus, etc.* intellexit Ecclesia de baptismo aquæ vel in re, vel in voto.

69. *Ad* 2um. R. *N. min.* Nec contrarium probant Ananiæ verba ; nam 1°. recte adhuc dicere poterat *baptizare;* quia obtenta etiam per contritionem justificationis gratia, nihilominus suscipiendi sacramenti obligatio manet. Deinde per baptismum debebat incorporari Ecclesiæ. 2°. *Abluere peccata;* tum quia Ananias ignorare poterat justificationem internam Pauli; tum quia contritio non est ex se æque deletiva omnis pœnæ, sicut baptismus; tum demum quia, dum de sacramento baptismi vel pœnitentiæ agitur, nec minister nec suscipiens præsumere justificationem ut certam debent, cum contritio justificativa nec adeo frequens, nec facilis sit.

70. *Ad* 3um. R. *C. M. N. min.* Nam v. 22. dicitur *justus;* etsi vero justificatus esset, baptizari tamen debuit; etenim, inquit S. Aug. L. 4. de Bapt. contra Donatist. cap. 21., *Cornelius, si etiam Spiritu sancto jam accepto, baptizari noluisset, contempti tanti sacramenti reus fieret.* In q. 2. igitur ad Simplic. cit. notat varios in Cornelio gradus justificationis, nascentis, proficientis, et adultæ. Initio quidem in Cornelio erant solum inchoationes fidei conceptionibus duntaxat adhuc similes; sed postea ad eam perfectionem venit, ut ante adhuc baptismum justificationis gratiam obtineret.

71. *Obj. II.* Ex SS. Patribus. 1°. S. Ambros. L. de Myster. cap. 4. n. 20. *Credit*, inquit, *catechumenus... sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum.* Similia habet L. 2. de Abraham c. 11. n. 84.

2°. S. Aug. variis in locis videtur sentire contrarium. Nam 1. Tr. 13. in Joan. n. 7. *Quantumcumque*, ait, *catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat : non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum.* 2. Tr. 4. in Joan. n. 13. rursus inquit de catechumeno : *Omnia peccata super illum sunt, et nisi venerit ad salutarem baptismum.... cum omni sua excellentia non potest intrare in regnum cœlorum.* 3. L. de Unit. Eccl. cap. 22. n. 62. *Utrumque necessarium est ad regnum Dei adipiscendum, et baptismus et justitia.* 4. L. 2. de peccator. meritis, cap. 26. *Sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in regnum cœlorum.* 5°. idem relatus Dist. 4. *de Consecr.* Can. 37. *Catechumenum*, dicit, *quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non credimus.*

3°. Explicitis verbis negat S. Greg. Naz. orat. 40. n. 23. ad vim baptismi obtinendam, ipsius desiderio teneri satis esse. Cui consentit S. Fulgent. epist. 12. ad Ferrand. Diac. c. 8. n. 19. et L. de Fide ad Petrum cap. 3. (opp.

p. 519.) ubi ita loquitur : *Absque sacramento baptismatis, præter eos, qui in Ecclesia catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundunt, nec regnum cœlorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam.*

72. *Ad* 1um. R. S. Ambros. in priori loco de iis loquitur catechumenis, qui de sua sibi justitia velut blandientes, sine causa baptismum differentes negligebant; sic vero rei fiebant contempti sacramenti, peccabantque. In altero loco ei de infantibus sermo est; sed his, secluso martyrio, absolute ad salutem necessarius est baptismus in re.

73. *Ad* 2um. R. *N. Assert. Ad* 1um. *textum* R. S. Aug. de iis solum loquitur, qui de sua justitia confisi contemnunt, vel negligunt baptismum tanquam sibi jam inutilem; adeoque vera contritione et charitate carebant ob defectum voti efficacis suscipiendi sacramentum, sine quo tamen contritio et charitas non justificant, ut constat ex Trid. cit. *prob.* 2a.; sed et insuper contempti sacramenti fiebant rei. Responsio ex ipso sumpta Aug. est; cit. enim loco Tr. 13. n. 6. ante objecta verba inquit : *Quare oportebat ut Dominus baptizaretur? Quia multi* (Catechumeni) *contempturi erant baptismum, eo quod jam majore gratia præditi viderentur, quam viderent alios fideles. Verbi gratia, jam continenter vivens catechumenus contemneret conjugatum, et diceret se meliorem quam ille sit fidelis. Ille catechumenus posset dicere in corde suo: Quid mihi opus est accipere baptismum, ut hoc habeam quod et iste, quo jam melior sum?* Sed superbus hujusmodi catechumenus, quantumlibet se proficere credat, revera *adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat*; nec de hujusmodi hic quæstio est.

Ad 2um. *textum* eadem est responsio.

Ad 3um. *textum Explico* cum *D.* Baptismus vel in re, vel in voto, et justitia *C.* baptismus præcise in re *subd.* ordinarie loquendo, extra casum necessitatis et impotentiæ *C.* pro hoc casu *N.* In casu vero necessitatis et impotentiæ sufficere juxta Aug. baptismum in voto, constat ex ejus relata ante sententia de Cornelio. Extra vero casum hunc necessarius est baptismus in re, non quod perfecta contritio et charitas non justificent ante baptismum, sed quia, dum percipi baptismus potest, tamen negligitur, vel contemnitur, hoc ipso peccatur, justitiaque amittitur. Eodem modo similes aliæ tum Aug., tum S. Bern. epist. 77. ad Hugonem Victorinum aliorumque Patrum sententiæ explicantur.

Ad 4um. *textum Explico* : Sanctificatio perfecta non valet catechumeno ad intrandum regnum cœlorum *N.* imperfecta *C.* De hac posteriore, qua catechumeni præparantur ad baptismum, ut manuum impositione, signo crucis, etc. S. Aug. sermo est, ex hac sanctificatione catechumeni probare volenti veritatem dicti illius Apostoli 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem* fidelem; sed hæc sanctificatio imperfecta est, ad veram non nisi dispositio.

Ad 5um. R. Erronee Gratian. Canonem hunc S. Aug. tribuit, sumptum ex L. de Dogmat. Ecclesiast. cap. 74. cujus non S. Aug., sed Gennadius Massiliensis auctor est, Semipelagianus, ac nullius proinde auctoritatis.

74. *Ad* 3um. R. Sunt, qui utrumque S. Patrem benigne interpretari conantur,

dicendo, eos de iis loqui, qui contritione perfecta carent, nec habent baptismum in voto. Non moror laudabiles conatus. Quidquid vero sit; permisso, quod ita senserint, alios opponimus illis Patres cum reverentia; tum maxime definitiones Ecclesiæ, quibus et potius, et necessario adhærendum est.

ARTICULUS III.

AN ET QUOMODO BAPTISMUS SANGUINIS, SIVE MARTYRIUM SUPPLEAT VICES BAPTISMI AQUÆ?

75. *Præmitto.* Martyrium, sive μαρτύριον ex vi nominis idem est, quod Latinis testimonium; unde martyres testes fidei sunt in Ecclesia. Martyrium vero baptismi sanguinis nomen tulit, quod communius et ordinarie fuso sanguine peragatur. Definitur vero martyrium: *Perpessio mortis, vel cruciatus lethalis pro Christi fide, aut virtute christianæ fidei.* Unde duo sunt de essentia martyrii: primum velut materiale, mors ipsa, vel cruciatus illativus mortis; alterum velut formale, mortis illius, vel cruciatus illatio ex odio fidei, vel propter opus aut virtutem christianæ fidei. Hinc et duæ in martyrio requiruntur personæ: 1°. Martyr, seu persona mortem, vel cruciatum naturaliter illativum mortis pro Christo patiens: 2°. Mortem vel cruciatum talem inferens, et persecutor dicitur; nemo enim martyr se ipsum occidendo fit; imo hoc nulla de causa licet, hocque graviter in Donatistis reprehendit S. Aug., et damnat Ecclesia.

Explicatur amplius definitio. Dicitur 1°. *perpessio mortis, vel cruciatus lethalis,* hoc est ejusmodi, qui de se causativus doloris, et naturalis illativus mortis est. Hinc stat martyrii gloria, quando a tortore ponitur causa inferens dolorosam mortem, etsi et dolorem et mortem per miraculum impediat Deus. Unde Ecclesia S. Joannem Evangelistam, item S. Theclam colit ceu veros martyres, licet prior ex ferventis olei dolio, altera ex cruciatibus lethalibus variis incolumis plane evaserit, ac tandem in ætate gravi morte non violenta, sed naturali obierit. E contra martyribus nondum accensentur, qui fervens solum pro Christo moriendi habent desiderium, aut cruciatum qualemcumque, non lethalem perpessi; nec qui peste infectis ex charitate serviendo contracta lue moriuntur, tametsi hoc genus mortis juxta SS. Patres parum distet a splendore martyrii.

2°. *Pro Christi fide,* quia, ut inquit S. Aug. serm. 2. in Ps. 34. n. 13. *Martyres non facit pœna, sed causa.* Et martyr vere esse Christianus debet, sive in nullo a recta fide dissentire pertinaciter. Unde hæreticus, etsi pro certo alias fidei articulo occumbat, haud tamen martyr est.

3°. *Vel virtutem christianæ fidei,* sive pertinentem ad doctrinam et religionem christianam: Hinc martyrum accensentur choro ab Ecclesia: S. Thomas Cantuariensis ob asserta Ecclesiæ jura: S. Joannes Nepomuc. ob servatum confessionis sacramentalis sigillum: variæ novi Testamenti virgines, mori eligentes potius, quam libidini cedere. Nec refert, a quo inferatur mors, vel cruciatus. Sic et judex necatus a catholico, quod a sententia justa decedere nollet, verus martyr est. Contra vero bonus latro cum Christo crucifixus verus martyr non est, quia nec propter fidem, nec veram virtutem passus.

Hinc S. Aug. dum eum vocat martyrem, vocem hanc in sensu improprio et latiore sumit.

Quæritur nunc, an martyrium suppleat vires baptismi aquæ 1°. in infantibus, 2°. in adultis, et in his 3°. sub qua dispositione?

76. *Dico I.* Martyrium supplet vices baptismi aquæ 1°. in infantibus, et 2°. in adultis, 3°. tam quoad remissionem omnis culpæ, quam pœnæ.

Prob. 1ª. *p.* de infantibus 1°. Matth. 10. generaliter affirmat Christus: *Qui confitetur me coram hominibus, confitebor et ego coram Patre meo... Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; ergo. Nec dicas: parvuli nequeunt confiteri Christum; nam etsi non ore confiteantur Christum, ex mente tamen Ecclesiæ confitentur opere, juxta illud ejusdem de infantibus ab Herode occisis: *qui non loquendo, sed moriendo Christum confessi sunt.* Deinde, etsi pars prior non spectaret ad parvulos; at eos tamen comprehendit promissio Christi altera æque generalis: *Qui perdiderit animam suam propter me.*

2°. Ex Traditione et mente Ecclesiæ, quæ elucet 1. hinc, quod infantes pro Christo ab Herode occisos colat ut martyres: nec dici potest, eos per circumcisionem jam fuisse justificatos antea; nam imprimis de singulis id non videtur credibile. Deinde nec, si hoc daretur, argumentum vim haberet, quia Ecclesia illos colit ut martyres, sive sanctos, sanctitate non ob circumcisionem, sed mortem pro Christo toleratam obtenta. 2. Ex consensu Patrum, qui citra distinctionem parvulos inter et adultos, hanc vim martyrio attribuunt, quorum textus nunc in *prob. p.* 2ªᵉ. accipe.

77. *Prob.* 2ª. *p.* 1°. Ex Scriptura. S. Matth. 10. ante cit., quæ Christi promissio repetitur Luc. 9., Marc. 8., item Joan. 12.

2°. Ex auctoritate SS. Patrum. E quibus Auctor Constitut. Apostol. L. 5. cap. 5. de martyrio, quod catechumenus subit loquens, *Cruciatus*, inquit, *quo est propter Deum affectus, erit illi verior baptismus.* Tertullian. L. de Bapt. cap. 16. *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus: Habeo, inquit, baptismo tingui, cum jam tinctus fuisset... Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit.* S. Aug. L. 13. de Civ. cap. 7. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Eadem energia loquuntur de martyrio S. Cyrill. Hierosolymit. Catech. 3. n. 10., S. Cypr. epist. 73. ad Jubaian. n. 21. ac de unit. Eccl. et passim alibi; tum alii Patres ne uno, quantum constat, contradicente. Amplius hæc pars constabit simul ex *prob. seq.*

78. *Prob.* 3ª. *p.* Ex Traditione et sensu constanti Ecclesiæ, præsertim de pœna; nam de culpa nemini dubium esse potest, ex jam dictis. Sensus vero ille Ecclesiæ inde elucet, tum quod pro nullo martyre oret, aut quævis offerat suffragia; quin orare pro martyribus, horum interpretetur injuriam, ut dicitur cap. *Cum Marthæ* §. 2. *de celebr. Miss.* sumpto ex S. Aug. Tr. 84. in Joan. *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Tum quod ipso ostendat facto, per martyrium majorem conferri gratiam, quam per ipsum bapti-

smum aquæ, dum martyres prosequitur honore singulari ut specialiter sanctos, illos etiam, qui recenter conversi pro Christo mortem obierunt; imo infantes pro Christo occisos, quod honoris genus nulli impendit, qui solo cum baptismo decessit. Ex quibus omnibus colligitur, martyrium conferre adultis gratiam supra eorum meritum, ac tam culpæ omnis, quam pœnæ deletivam.

79. *Dico II.* Martyrium supplet baptismum aquæ, quoad remissionem culpæ omnis et pœnæ quasi ex opere operato.

Prob. Martyrium, ex dictis, baptismum aquæ supplet in infantibus quoad omnem effectum : atqui sic hunc non supplet in illis ex opere operantis ; hujus enim incapaces sunt; ergo aliqua ratione ex opere operato. Deinde, etiam quoad adultos, martyrium confert gratiam supra meritum operantis; si quis enim gravissimorum criminum reus in odium fidei subito rapiatur ad mortem, plectatur capite, vel transfodiatur, et remissionem omnis culpæ et pœnæ consequitur ex dictis : sed pœna hæc non est satisfactio proportionata tot ex supposito sceleribus enormibus; nec videtur iis in circumstantiis, quibus adeo maturatur mors, tam intensa elici posse contritio, cui tanta respondeat gratia; ergo hoc casu operatur martyrium supra meritum operantis; proinde quasi ex opere operato, ut sentiunt Patres, dum negant, orandum esse pro martyre.

Dixi : *quasi ex opere operato,* hoc est, per modum operis operati, vel ex opere operato æquivalenter, sive, ut alii loqui malunt, ex benevolentia et privilegio singulari, quo Deus voluit, ut, qui propter Deum perdiderit animam, inveniat eam. Non vero ex opere operato sacramentorum more, sive formaliter ; hæc enim ex opere operato causant gratiam, quatenus continent Christi merita, suntque actiones Christi moraliter propriæ, cujus nomine fiunt, sicque ab eo institutæ ; non sic occisio fidelis in odium fidei.

80. *Dico III.* In adultis ad obtinendum martyrii effectum necessario debita requiritur dispositio. Ac quidem

1°. Consensus in martyrium, sive acceptatio mortis saltem *habitualiter* voluntaria ; quia vel spectatur martyrium, ut est actus virtutis, nimirum fortitudinis ; et sic certum est, acceptationem requiri internam, ut actus ille liber et honestus sit. Vel ut est medium vim velut ex opere operato justificandi habens; atque ita rursum necessaria est acceptatio in adultis, quos Deus, non nisi volentes, in amicitiam admittit; sicut et ex dictis Tr. de sacram. in gen. in sacramentorum susceptione voluntas eorum saltem habitualis ideo requiritur.

2°. Acceptatio mortis pro Christo ex motivo honesto, eoque supernaturali per fidem proposito procedere debet; esse enim actus virtutis supernaturalis debet, cum secus vi justificandi in adultis pollere non possit, juxta ea, quæ alibi in Theologia traduntur, et S. Hieronymum in cap. 5. ad Gal. v. 14. (opp. t. 7. p. 499.) *Si ita martyrium fecerimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias honorari ; si opinionem vulgi sectantes, intrepidi sanguinem fuderimus, et substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quam pœna debetur; et perfidiæ magis tormenta sunt, quam corona victoriæ.* Hinc quoque consequitur, hæreticum

non posse esse martyrem; cum enim fidem non habeat, actus supernaturalis eliciendi incapax est.

3°. Ut martyr non resistat, aut se, vi tyranno opposita, defendat; sed mors patienti, hoc est, non resistenti inferatur, ut Patres passim monent, ac Tertullianus notat L. 4. contra Marcionem cap. 39. *Nemo oves appellat eos qui in bello armati, et ipsi eadem feritate certantes cadunt : sed qui in sua proprietate, atque patientia dedentes potius semetipsos quam vindicantes, trucidantur.* Christus quippe, exemplar martyrum, *sicut ovis ad occisionem ductus est.* Isaiæ 53. 7. Unde Christiani milites, qui contra infideles fidei causa dimicantes cæsi bello cadunt, etsi plurimum mereantur, veri tamen martyres non sunt, ut tenent Theologi communissime contra S. Antonium; suffragante sensu Ecclesiæ, quæ, teste Baronio in notis ad Martyrolog., tales nunquam pro martyribus habuit, coluitve.

4°. In peccatore insuper necessaria est pœnitentia, quæ sit ad minus attritio. Ratio a paritate sacramenti baptismi et pœnitentiæ sumitur, quorum utrumque, ut effectum suum primarium, sive gratiam primam conferat ex opere operato, dolorem exigit de peccatis; ergo a fortiori dolor et retractatio peccatorum ad effectum martyrii requiritur; cum sacramenta illa sint media ad justificationem peccatoris per se instituta; martyrium vero ad modum specialis privilegii. Dixi : *ad minus attritio;* nam

81. *Dico IV.* Probabilius est per se, et speculative loquendo, baptismum sanguinis, sive martyrium vim justificandi adultos habere independenter ab actu charitatis, vel contritionis perfectæ, idque ex privilegio singulari ac velut ex opere operato. Ita Suar. de Baptism. Disput. 39. sect. 3ª. concl. 2ª. ac communius hodie Theologi contra alios, præsertim antiquiores.

Prob. I. Ex Scriptura sacra. Hæc, ut ex relatis *Concl.* 1. et 2. textibus constat, salutem hoc ipso promittit, quod quis vitam pro Christo ponat, citra mentionem charitatis, vel actus alterius; ergo.

Prob. II. Ex SS. Patribus qui pariter, ut ex eorum supra liquet sententiis, martyrium comparant baptismo fluminis, eamdemque illi vim attribuunt; ergo sicut baptismus fluminis sine actu charitatis delet culpam et pœnam omnem in adultis cætera dispositis, ita et martyrium. Deinde juxta Patres ipse baptismus sanguinis secundum se peccata abluit, deletque; at falsum hoc foret, si ad illum necessario prærequiratur contritio perfecta, vel charitas; sic enim non baptismus sanguinis, sed prævia perfecta contritio, aut charitas peccata remitteret.

Prob. III. Ratione. 1°. Quia, si martyrium non nisi dependenter ab actu charitatis justificaret, sequeretur, frustra distingui baptismum in baptismum fluminis, flaminis, et sanguinis, cum ea ratione baptismus flaminis cum altero sanguinis confunderetur, quod est tum contra Patres supra relatos, tum communem sensum fidelium; mors enim nihil, quod haberet rationem baptismi, actui charitatis superadderet; nec per martyrium delerentur peccata aliter, quam per quodvis opus aliud bonum ex charitate positum.

2°. De facto, infantibus in odium fidei occisis independenter a charitatis actu confertur gratia; ergo actus hic de essentia martyrii non est; cognita vero semel ejus vi, non est cur eadem martyrio negetur in adultis, ut in

his obicem non ponentibus omnis culpæ pœnæque deletivum sit: atqui hi vere attriti obicem nullum ponunt, uti neque in baptismo fluminis. Neque dicas: hoc argumento probari nimium, scilicet adultum peccatorem justificari per martyrium etiam sine attritione, cum sine hac justificentur infantes; nam argumento dato id solum contenditur, quod martyrium suppleat baptismum fluminis, ac sicut hic prodest infantibus sine ullo eorum actu, adultis vero sine contritione, licet non sine attritione, sic quoque martyrium.

82. *Obj. 1. cont. Concl.* 1am. 1°. TRIDENTINUM Sess. 6. cap. 4. docet, justificationem in lege nova non posse fieri sine lavacro regenerationis, aut ejus voto; ergo excludit martyrium.

2°. Infantes non sunt capaces martyrii; hoc enim est actus fortitudinis, qui consistere non potest sine rationis usu. Deinde mors pro Christo tolerata martyrii gloriam non meretur, nisi acceptata sit: sed acceptionis infantes incapaces sunt, utpote nondum valentes dare consensum.

3°. Ex paritate rationis allatæ pro infantibus sequeretur, eos etiam in matris utero occisos justificari: at hoc dicere videtur inconveniens; ergo.

Ad 1um. R. *D. A.* Ita docet spectatis mediis ordinariis a Christo institutis *C.* extraordinariis *N.* Deinde sacra Synodus eo loco contra hæreticos agit, asserentes, parvulos sola etiam parentum fide, sine baptismo in re salutem consequi.

Ad 2um. R. *Quoad* 1um. *membrum D. A.* Non sunt capaces martyrii, si hoc sumatur pro acceptatione interna mortis *C.* si pro morte ipsa ob Christum obita *N. Rationem additam* etiam *D.* Est actus fortitudinis vel realis, vel elicitus *C.* necessario elicitus *subd.* in adultis *C.* in infantibus *N.* Generaliter enim asseruit Christus: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* sed vere infantes hujusmodi perdunt realiter pro Christo animam; in adultis tamen hic, sicut et in baptismo, plus exigitur, quam parvulis.

Quoad 2um. *membrum N. M.* universaliter. In adultis quidem acceptatio hæc necessaria est; in parvulis, qui nullius actus liberi capaces sunt, sufficit, eos propter Christum occidi. *Unde,* verba sunt S. THOMÆ 2. 2. q. 124. a. 1. ad 1., *sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam; ita et in occisis propter Christum, meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii obtinendam.* Dici etiam potest parvulos profiteri pro Christo fidem, acceptando mortem non voluntate propria qua carent, sed voluntate aliena Ecclesiæ: sicut quoque, juxta S. AUGUSTINUM serm. 14. de verbis Apostoli (al. 294. c. 18. n. 17.) parvuli in baptismo credunt aliena fide Ecclesiæ: *Credit in altero, qui peccavit in altero.*

Ad 3um. R. *C. M. N. min.* Si *replices:* Hac ratione plus tribuitur baptismo sanguinis, quam ipsi lavacro aquæ, cum hoc infanti, nisi nato prodesse nequeat; ille vero eidem necdum nato prodesse possit; sed hoc absurdum est; ergo.

R. *N. min.* Cum enim martyrium mortem Christi non in figura solum exprimat, ut baptismus aquæ, sed in ipsa rei veritate, non mirum, si et ad plures extendi possit, et specialem eis aureolam promereri; quandoquidem, etsi nondum nati, vere perdunt suas pro Christo animas.

83. *Obj. II. cont. Concl.* 4am. S. Scriptura negat inesse vim martyrio justificandi citra actum charitatis; ergo. *Prob. Ant.* 1°. 1. ad Cor. 13. ait Apostolus : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam : charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; ergo. 2°. Joan. 15. Christus ipsemet inquit : *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; ergo necessario martyrium ex charitate procedere debet.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. 1°. ad litteram. Si charitatem non habuero, hoc est, actum virtutis illius theologicæ *N.* charitatem proximi *subd.* hæc, *non habuero*, sumendo negative *N.* contrarie, ut sensus sit : si proximum oderim, vel schismata et dissensiones foveam, nihil mihi proderit, quidquid pro Christo patiar *C.* Talibus enim, nisi hæc delicta pœnitentia, quæ saltem sit attritio, retractent, revera nihil proderit martyrium. Hæc expositio est ad mentem et scopum Apostoli, reprehendentis Corinthios ob dissensiones inter eosdem et schismata.

R. 2°. Permisso etiam gratis, sermonem eo loci de vera charitatê esse, explico cum *D.* Si charitatem præcise *actualem* non habuero *N.* alioquin enim si existens in gratia ex solius motivo religionis, vel etiam ex gehennæ metu se potius pateretur comburi vivum, quam idolo thus adoleret, hoc ipsum nihil prodesset, quod perspicue falsum est : charitatem vel actualem, vel *habitualem*, quamque vel supponat, vel saltem causet, posita etiam sola attritione, cum qua martyrium ex attrito facit contritum *C.* Posita requisita dispositione martyrium ipsum causat charitatem habitualem, unde hanc in martyre non præsupponit necessario. Quod si vero ex defectu dispositionis hanc charitatem habitualem nequidem causaret, tunc nec fides, nec contestatio fidei per mortem quidquam prodesset.

Ad prob. 2am. R. *N. Cons.* Non enim hoc loco Christus aut docet, aut supponit, martyrium ex essentia sua debere imperari a charitate; sed sensus juxta verba, ut jacent, est : inter actus externos nullus est, quo quis magis testetur suum erga alterum amorem, quam si pro eo vitam ponat. Ex quo non sequitur, quod acceptatio mortis in martyre imperari necessario a charitate debeat; etsi plerumque ex motivo dilectionis procedere soleat, præsertim si mors subeatur pro homine, quia respectu hominis non facile dabitur motivum aliud impellens ad actum tam difficilem; at respectu Dei, vel Christi impellere motiva alia possunt, puta Religionis et similia.

Si porro *dicas* : Christus Matth. 10. de martyrio loquens non obscure exigit, ut procedat ex charitatis imperio, cum dicat : *Qui perdiderit animam suam propter me*; illæ enim particulæ charitatem sonant.

R. *N. Ass.* et *rationem*; sed potius causalitatem illatæ mortis a tyranno, scilicet ex odio Christi et Evangelii, denotant, ut colligitur ex Marc. 8. 35. ubi additur : *et propter Evangelium*. Præterea verba illa Patres de parvulis æque ac adultis intelligunt; nec est ratio, cur ad hos solos restringantur. Igitur causam illatæ mortis significant; nempe ex odio Christi et Evangelii ex parte tyranni mortem inferentis; ex parte martyris vero, si adultus sit, intentionem, vel voluntatem confitendi ipsa morte Christum ejusque fidem.

84. *Obj. III.* Ex SS. Patribus. 1°. S. Cyprianus epist. 54. n. 4. *Nec quisquam dicat : qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab episcopo*

necessaria est, habituro gloriæ suæ pacem; ergo S. Pater censet, martyrium solum ad salutem non sufficere.

2°. S. Augustinus L. 3. de Bapt. contra Donatist. cap. 16. docet, martyrium sine charitate nec esse martyrium, nec prodesse.

3°. S. Thomas 3. p. q. 66. a. 12. ad 2. *Effusio,* inquit, *sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate : ex quo patet, quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, et non e converso*; ergo.

Ad 1um. R. *D. Cons.* S. Pater censet, non sufficere martyrium iis, qui baptismum negligentia gravi culpabilique omittebant *C.* aliis *N.* Qui baptismum recipere potest, cum tamen negligit martyrii quod sperat intuitu, peccat, gravissimam Christi legem velut contemnens, nullumque, nisi hanc ipsam negligentiam ante martyrium pœnitentia eluat, ex martyrio fructum consequitur. Sed aliud est de aliis, qui recipere ante martyrium baptismum nequeunt; eorum enim, ait Cyprian. ipse epist. 58., *peccata omnia passione purgantur.*

Ad 2um. R. *Explico* : Per charitatem hic intelligendo actum, quo Deus super omnia diligitur *N.* charitatem, qua quis conjungitur cum vera Christi Ecclesia *C.* Vult, martyrium non prodesse illis, qui se ab Ecclesia separant, ejus unitatem scindunt, ut hæretici et schismatici, quales erant Donatistæ, quos immerito ait provocare ad suos martyres, ut probent, penes se esse Ecclesiam, cum ipsi se ab Ecclesiæ separarint unitate, a qua scissi non possint esse martyres.

Ad 3um. R. *Explico* : Non habet rationem martyrii sine charitate prævia *N.* saltem concomitante, sive cum tali dispositione, ad quam sequatur gratia vel charitas causata a martyrio *C.* Nam, inquit idem, Quod l. 4. a. 12., posse reperiri martyrium sine charitatis imperio; et in 4. Dist. 4. q. 3. a. 3. *Baptismus sanguinis non habet hoc* (quod liberet ab omni culpa et pœna), *tantum ex opere operantis, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi.*

Cæterum, non obstantibus hucusque disputatis, in praxi tenetur peccator afficiendus martyrio, confiteri, si possit, aut saltem elicere contritionem perfectam, quantum potest, et ad minus existimatam; tum quia in articulo mortis tenetur homo ad actum dilectionis perfectæ ex præcepto charitatis erga Deum, tum ex præcepto charitatis erga se ipsum; cum sic quilibet obligetur pro mortis tempore ad salutis media, quæ habent securiora, ne secus se exponat salutis discrimini; si enim vera sit sententia negans, inesse vim justificandi martyrio sine charitate, non liberabit eum sententiæ affirmantis probabilitas, neque bona ipsius fides. Unde dictum in Concl. *loquendo per se, et speculative.*

ARTICULUS IV.

AN EX LEGE ALIQUA ORDINARIA, VEL CLEMENTIA ALIQUA SPECIALI SUPPLEAT DEUS DEFECTUM BAPTISMI IN PARVULIS OB PARENTUM VOTA, VEL FIDEM?

85. *Dico.* De facto, sive in præsenti providentia Deus nec ex lege aliqua ordinaria, nec ex peculiari clementia ob parentum vota, vel fidem, in parvulis supplere defectum baptismi, secluso martyrio, dici potest. Contra antiquiores quosdam Theologos,

Prob. I. Ex una enim parte et ex Scriptura sacra, et ex traditione certum est, Deum legem tulisse universalem, neminem, secluso martyrio, salvatum iri sine baptismo, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc.; ex altera vero parte nec ex Scriptura sacra nec traditione, nec auctoritate, nec ratione potest prudenter colligi, Deum sive ex lege aliqua ordinaria, sive clementia peculiari supplere in parvulis ob parentum fidem aut preces baptismi defectum; ergo nec asseri istud debet. Sicut generaliter in rebus, quæ a divino liberoque pendent arbitrio, nihil est sine positivo fundamento asserendum positive.

Nec dicas : Sententia illa Christi Joan. 3. utut generalis videtur, tamen restringi eam debere, aliunde tenemus, et patet ex dictis de baptismo flaminis et sanguinis; ergo et sic restringi potest per legem Dei, vel singularem clementiam salvandi ejusmodi parvulos; nam

R. Non tenet hæc consequentia; si quidem prioris restrictionis fundamentum Christus ipse suppeditat, qui legem tulit Joan. 3. ut constat ex Articulis præcedentibus, praxi sensuque Ecclesiæ; at fundamentum prorsus nullum pro restrictione altera usquam reperire est. Quin contrarium colligitur ex Patribus et Ecclesiæ praxi. Nam

86. *Prob. II.* S. Augustinus L. 2. contr. duas epist. Pelag. c. 6. n. 11. quod subinde piæ matris parvulus ad baptismum non perveniat, dum contra baptismi gratiam accipit proles immundissimæ matris, in occulta Dei judicia refundit : at frustra hoc, si ob piæ matris fidem, precesve baptismi defectum Deus suppleret. Idem S. Doctor L. 2. de Peccator. merit. et remiss. c. 27. n. 43. decretorie affirmat, *neminem in suo parente renasci potuisse non natum* : porro iterum id falsum esset, si ob parentum preces baptismi defectum suppleret Deus. S. Prosper Carmin. de ingrat. c. 29. absolute enunciat : *Sanctis genitoribus ortos nullo salvari studio potuisse suorum*; ergo nec parentum oratione, nec fide. Patres passim respectu parvulorum, secluso martyrio, strictissimam asserunt baptismi necessitatem, ut secus negent, eos salutem posse consequi; recole eorum sententias supra Art. 1. de necess. Bapt., præsertim illam S. Augustini L. 3. de anima et ejus origine cap. 9. Demum contrariæ opinioni repugnat praxis sensusque Ecclesiæ, adeo sollicitæ, ne parvuli priventur salutari lavacro baptismatis; hujus vero sollicitudinis simul causam reddit Augustin. epist. 28. (al. 166. n. 21.) *Propterea cum baptizandis parvulis festinatur, et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari non posse,* dum scilicet non instat martyrium, quod unum S. Pater excipit Art. præc.; ergo, Augustino teste, credidit Ecclesia non vivificari parvulos vel fide, vel votis parentum fidelium.

87. *Dices* 1°. Etiam Patres videntur sentire, fidem parentum nunc quoque in Lege nova prodesse parvulis; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. S. Augustinus epist. 23. (al. 98. n. 2.) ad Bonifacium, *ut possit,* inquit, *regenerari parvulus per officium voluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus.* 2°. S. Bernardus epist. 77. c. 2. n. 9. *Dignum est, et ad Dei spectat benignitatem, ut, quibus fidem ætas negat propriam, gratia prodesse concedat alienam.*

R. *D. A.* Patres videntur sentire fidem prodesse parvulis, ut per eam

justificentur absque baptismo *N.* in baptismo *C.* Quia fides parentum facit, ut hi parvulos suos ad baptismum *offerant consecrandos.* Deinde S. Aug. et S. Bernard. id solum volunt, in parvulis non requiri fidem actualem propriam, sicut in adultis; sed hanc ex benignitate Dei suppleri per fidem Ecclesiæ.

88. *Dices* 2°. In Lege naturæ et scripta poterant salvari parvuli per fidem parentum; ergo et multo magis salvari sic potuerunt in Lege nova; virtus enim fidei non est in hac imminuta.

R. *N. Cons.* Quod in Lege nova parvuli parentum fide justificari nequeant, non ex imminuta virtute fidei, sed inde est, quod nunc præcepto fidei additum sit præceptum baptismi, nullumque modo nisi vel per actus proprios, vel per sacramenti velit justificationis gratiam et salutem consequi. Sicut etsi præceptorum observatio sufficiat ad salutem seculari, religioso tamen necessaria simul et consiliorum evangelicorum observatio, non quia in hoc lex moralis est minoris efficaciæ, sed ratione obligationis additæ per professionem religiosam.

Si dicas: inde sequi, saltem in Lege gratiæ deteriorem factam esse conditionem parvulorum, quam fuisset olim in Lege naturæ et mosaica; in hac enim ad eorum salutem suffecit parentum fides, adjuncto quodam signo externo sensibili; nunc vero eorum salus uni baptismo adstringitur; ergo.

R. *N. illatum,* et *Prob. Cons.* Status enim alicujus, vel religionis major minorve felicitas æstimanda non est ex aliquorum duntaxat aut rei cujusdam in particulari commodo vel incommodo, sed quid communiter et universim sit magis expediens. At communiter ac respectu parvulorum universim baptismus nunc magis expediens est; 1°. Quia, licet in aliquibus casibus, sit difficilis, communiter tamen est omnibus facilis, ac religione christiana per mundum diffusa plures baptismum recipiunt; nec a fide et probitate ministri pendet; contra olim supernaturalis fides fuit rarior. 2°. Baptismi gratia longe uberior est, illico jus conferens ingrediendi cœlum statim, si quem mori post baptismum contingat. 3°. Demum multi etiam parvuli exspirare poterant, ante applicatum circumcisionis ritum, qui, ex præscripto legis, octavo a partu die debebat impendi parvulis, sicut nunc ante baptismum, qui tamen eo simul privilegio gaudet, ut statim a partu conferri possit. Sed et in lege naturæ nullum obiisse parvulum antequam ejus legis applicaretur remedium, credibile non est.

89. *Dices* 3°. Infans in utero matris per hujus salvatur martyrium; ergo et per hujus fidem salvari poterit. Deinde si peccatum alienum Adæ noceat infantibus ad horum damnationem, cur non et aliena fides, puta patris, iis prosit ad salutem?

Ad 1um. R. *N. A.* Sed salvatur per martyrium proprium.

Ad 2um. R. Peccatum non est infantibus alienum atque extrinsecum, sed cuilibet proprium, cujusvis nostrum voluntate in Adamo, humani generis capite, inclusa, in quo proin peccante peccaverunt omnes. At fides parentis infantibus in ordine ad justificationem non est propria, sed penitus extrinseca; nec ullo modo in rebus, quæ ordinis supernaturalis sunt, pater est

caput familiæ, vel filii. Cur vero Adamus sic fuerit caput humani generis; non vero pater in ordine sive ad peccatum sive ad gratiam sit caput morale filii, ratio tota voluntas divina est, nobis declarata per Scripturam sacram et Ecclesiam.

90. *Dices 4°.* Durum est dicere, omnes illos parvulos sine baptismo decedentes æternum damnari; ergo potius amplectenda est sententia contraria, utpote quæ magis clementiam Dei commendat.

R. Parvuli tales non damnantur injuste, utpote habentes culpam originalem; nec propterea præcise vero similis habenda sententia, quod commendare videatur divinam clementiam; alias argumento eodem contendere Calvinista posset, infantes salvari, quia a parentibus fidelibus nati. Nimirum sicut non est commendanda pietas, quæ non est secundum scientiam; ita nec doctrina quæ non est secundum Scripturas sacras, et Traditionem. Cæterum cum damnatio alias communiter geminam pœnam importare soleat, 1°. *pœnam damni,* hoc est, privationem visionis beatificæ, 2°. *pœnam sensus;* controvertunt Doctores etiamnum, qualis futura sit parvulorum sine baptismo decedentium damnatio? quisve eorum post hanc vitam status? Pro quo

Observa : In hoc omnes (uti ex modo dictis debent) concordes esse; parvulos sine baptismo decedentes ad visionem beatificam non admitti, sed excludi a cœlesti gloria, lege a Christo lata : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum.* Joan. 3. Quæ lex duas solum exceptiones patitur, quas ipse Legislator divinus fecit; baptismum flaminis et sanguinis; tertiam vero nec Scriptura novit, nec Traditio. Quoad reliquum vero horum parvulorum statum, opinionibus scinduntur et sententiis.

1°. Alii infantibus sine baptismo decedentibus beatitudinem aliquam naturalem, ut Pighius, Catharinus apud Bellarminum t. 4. L. 6. cap. 2. quibus accessit Cardinalis Sfondratus L. cui titulus : *Nodus prædestinationis dissolutus* part. 1. §. 1. num. 13. dicens : *parvulos, qui sine baptismo decedunt, cœlesti quidem regno, quasi paternæ culpæ reos, nec expiatos excludi; non tamen excludi naturalibus bonis; et a peccatis præservari, æternoque supplicio, quo si adolescerent puniendi essent,* etc. Contra quam sententiam graviter expostularunt quinque Galliæ præsules, datis idcirco ad Innocentium XII. anno 1697. 7. Calendas Martii litteris; quibus respondit Pontifex 6. Maii, ejusdem anni, se rem commisisse Theologorum examini, ut, quod justum esset, decernere valeret. At nullum a S. Sede, de quo constet, judicium emanavit. Quidquid sit de hac sententia, beatitudo saltem naturalis proprie sic dicta displicet plerisque Theologis cæteris, ac merito; sicut enim beatitudo supernaturalis stare nequit cum aversione habituali a Deo, ut auctore supernaturali; sic neque beatitudo naturalis cum aversione habituali a Deo, ut hic auctor naturæ est; hæc enim in libera conversione et amicabili, ac unione cum Deo ut auctore naturæ consistit : atqui ob peccatum originale parvuli a Deo, etiam ut auctore naturæ habitualiter aversi sunt; Adamus enim peccando a Deo non solum ut auctor supernaturalis est, sed quoque ut est auctor naturæ aversus fuit; siquidem omnis peccans, etiam contra Deum ut auctorem naturæ delinquit, cum lex naturalis præcipiat, parendum esse

superiori legitime præcipienti. *Subs.* sed qualis in Adamo actualis fuit aversio a Deo, talis est habitualis in infantibus nondum baptismo ablutis.

2°. Alii contra rigidiorem amplexi partem infantes ejusmodi non solum pœnæ damni, sed etiam sensus subjiciunt. Invaluit hæc opinio post Pelagii ortam hæresin, etiam variorum accessu Patrum, ut tanto amplius se opponerent nefario Pelagianorum dogmati, asserentium, nullum dari originale peccatum; proinde infantibus ad hoc delendum, vel remittendam iis aliquam pœnam, baptismum haud esse necessarium.

3°. Post sec. XII. vero postquam Magister SENTENTIARUM, S. THOMAS ac SCOTUS mitiorem propugnarunt sententiam, infantes sine baptismo defunctos, etsi pœnam damni sustineant, altera tamen sensus immunes esse, hæc ferme ubique in scholis primatum tenuit. Hanc, ne actum agamus, propugnatam vide Tr. de Peccat.

CAPUT III.

DE BAPTISMI MINISTRO, SUBJECTO, EFFECTIBUS.

Multiplicem contra errorem hic disputatio superest. Baptismi solemniter conferendi ministerium feminis etiam proprium fecisse Marcionitas, Pepuzianos, Collyridianos, S. EPIPHAN. refert hær. 42. (opp. t. 1. p. 305. B.), 49. (ibid. p. 418. C.) et 79. (ibid. p. 1058. B.), notatque TERTULL. L. de Bapt. cap. 17. Quam mulierum arrogantiam repressit Conc. CARTHAG. IV. Can. 100. Nec in necessitate baptizare debere laicos contendit CALVIN. L. 4. Institut. cap. 15. §. 20. Sed et antiquiores quosdam Patres, qui rebaptizantes dicti, eodem habuisse loco collatum a laico baptismum, quo datum ab hæretico, S. BASIL. refert epist. Canon. ad Amphiloch. can. 1. Pædo-Baptismum, sive illum parvulorum, ut Waldenses et Cathari olim, Anabaptistæ persequuntur. Quoad baptismi effectum quoque quædam est heterodoxos inter et Catholicos dissensio. De his igitur singulis, aliisque inter Theologos orthodoxos controversis nunc agendum est.

ARTICULUS I.

QUIS SIT MINISTER BAPTISMI?

91. *Præmitto.* Baptismi administratio una est solemnis et publica, olim quidem certis affixa temporibus Paschatis et Pentecostes; altera privata, quæ ad exigentiam necessitatis fieri quovis tempore et loco sine ceremoniis ecclesiasticis potest. Unde duplex baptismi minister est: unus *solemnitatis*, qui baptismum cum præscriptis in Ecclesia ceremoniis confert et ritibus; alter *necessitatis*, qui illum prætermissis ceremoniis in necessitate administrat. Minister solemnitatis rursum duplex est; *ordinarius*, qui est ex officio, sive

jure ordinationis suæ, et acceptæ auctoritatis docendi et baptizandi potestatem habet; *extraordinarius*, qui solum ex delegatione, ut facta ab episcopo, confert solemniter baptismum.

92. *Dico I.* Minister solemnitatis ordinarius et primus est episcopus; secundus post hunc et velut minus principalis omnis sacerdos; tertius diaconus, sed non nisi extraordinarius.

Prob. p. 1ª. Quia primario ad Apostolos, horumque successores episcopos dictum fuit a Christo: *Docete... baptizantes eos*; ergo. Deinde episcopi ceu principes in administratione baptismi non dependent ab alio; sed præcise jure suo et potestate utuntur ad baptizandum tam illicite, quam valide.

93. *Prob. p.* 2ª. Nam 1°. sunt etiam ordinarii; quia is quoque dici potest baptismi minister solemnitatis ordinarius, qui vi ordinationis suæ ad hoc redditur habilis: sed hoc accipit, quicumque consecratur presbyter; nam vi consecrationis suæ potestatem consequitur in corpus Christi verum, poniturque in eo statu, ut possit esse pastor animarum ordinarius; igitur consecratione sui eadem potestatem in corpus Christi mysticum obtinet necessariam tam ad regenerandum, quam ad ministranda sacramenta alia. Unde Flor. in Decr. loquens de ordinario baptismi ministro inquit: *Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

2°. Non æque tamen principales ac episcopi; non isthoc equidem sensu, quasi potestatem primum ab episcopo acciperent presbyteri tunc, quando ab episcopo ad baptizandum mittuntur, cum illam jure divino vi ordinationis habeant; sed quatenus in ministeriis sacris jure divino episcopi antecellunt presbyteris, hi illis tanquam Ecclesiæ rectoribus, ut poscit rectum Ecclesiæ regimen, etiam quoad usum suæ potestatis subordinantur. Hinc solemniter baptizandi officium olim sibi solis reservabant episcopi; nec, præsente episcopo, presbyter nisi jussus baptizabat. Unde et S. Ignatius M. epist. ad Smyrnenses c. 8. *Non licet sine episcopo aut baptizare, aut agapen facere.* Et Tertull. Lib. de Bapt. cap. 17. Baptismi *dandi habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est.* S. Hieronymus in Dial. contr. Lucifer. n. 9. *Inde venit, ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habeant baptizandi.*

94. *Prob. p.* 3ª. Quia, ut argumentatur Doctor Angelicus 3ª. p. q. 67. a. 2. in 0., potestas in corpus Christi mysticum derivatur ex potestate in corpus ejus verum: sed soli sacerdotes in verum Christi corpus potestatem accipiunt, non diaconi; ergo et hi potestatem non habent in Christi corpus mysticum. Unde *subs.* sed illius tantum est cooptare ex officio in corpus Christi mysticum per baptismum, qui in illud potestatem habet; ergo. Unde in diaconis munus baptizandi ex officio, nunquam agnovit Ecclesia; sed hoc ipsis semper prohibitum est, ut constat ex Epiphanio hær. 79. n. 4. *Neque diaconis*, inquit, *ullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur; sed hoc duntaxat, ut eorum quæ perficiuntur ministri sint.* Item ex S. Hieronymo cujus verba supra adduximus; Gelasio I. epist. 9. ad episcop. Lucaniæ c. 7. (Labb. t. 4. p. 1190.): *Diaconos quoque propriam constitui-*

mus servare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus : nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quæ primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant. Item ex Isidoro Hispal. de Ecclesiast. Offic. L. 2. c. 25. n. 9. *Constat,* inquit, *baptisma solis sacerdotibus esse tractandum, ejusque ministerium nec ipsis diaconibus explere est licitum absque episcopo, vel presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris cogat necessitas.* Et vero diaconi, ex etymo nominis, tantum *ministrare* est, ad altare scilicet sacerdoti, juxta Concil. Carthagin. IV. can. 4. ubi ait : *Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat : quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur ;* et Epiphanium hær. 79. n. 4. modo cit.

Posse vero diaconos ex delegatione episcopi, vel parochi baptizare solemniter, sicque eos extraordinarios baptismi ministros esse, indubii juris est, aitque Tertull. L. de Bapt. cap. 17. Hieron. Dial. adversus Luciferian. ac supponit relatus num. præc. Gelasius. Constat quoque Ecclesiæ veteris usu, quando dilatata sensim Ecclesia remotioribus a sede epicopali locis, diaconis sicut presbyteris facta potestas solemniter baptizandi, teste S. Hieron. cit. Habent igitur diaconi vi ordinationis suæ potestatem aliquam inchoatam, quæ compleatur per delegationem ministri ordinarii, episcopi, vel parochi, ut baptizare possint solemniter ; secus ac cæteri cleri omnes, laicique, quibus nunquam ex delegatione ministerium baptismi solemnis in Ecclesia permissum fuit.

95. *Si dicas :* Hierarchia sacra, juxta Conc. Trid. est instituta divinitus, constans ex episcopis, presbyteris et ministris; ad ministros vero certe diaconi pertinent; ergo hi jure divino etiam principantur : hierarchia enim est principatus sacer; ergo et jure divino diaconis ex officio competit ministerium baptismi æque ac presbyteris. Quin in ordinatione inquit ad diaconum episcopus : *Oportet diaconum prædicare, baptizare,* ut habet Pontificale Romanum.

R. *N. ult. Cons.* Principantur quidam etiam diaconi, at non eo sensu, quo presbyteri et episcopi, sed quatenus diaconi in ordinatione sua accipiunt jus ministrandi immediate episcopo, vel presbytero, sive ad Eucharistiæ confectionem, sive institutionem plebis prædicando, baptizando. Nimirum sicut civili in republica ii etiam dignitatem et nomen sortiuntur magistratus, licet inferioris, qui ex officio mandata principis executioni dant; ita diaconi obire etiam dicuntur functiones hierarchicas, dum ex delegatione vel mandato episcopi aut presbyteri jurisdictionem habentis prædicant, baptizant, ut Philipp. Act. 8. 3. ; nam, supposita delegatione, diaconi sacra ea munia etiam ex officio dicuntur peragere, quatenus soli diaconi ex ordinatione sua acceperunt jus, ut ea ipsis demandari possint. Hocque sensu intelligendum Pontificale Romanum : *Oportet diaconum prædicare, et baptizare,* scilicet supposita delegatione, cum inchoatam vi ordinis sui potestatem habeat.

96. *Dico II.* Minister necessitatis omnis homo viator est; 1°. laicus fidelis, 2°. et sive vir sive femina, 3°. hæreticus et schismaticus, 4°. imo infidelis

et Judæus; ut proin, adhibitis essentialibus, et valide et licite baptizare queant.

Prob. p. 1ª. Ex traditione constanti Ecclesiæ et praxi, quæ constat ex omnis ævi scriptorum ac Patrum testimoniis, e quibus sufficiant sequentes: Tertull. L. de Bapt. cap. 17. inquiens: *Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest;* quod de necessitatis casu intelligit, ut ex eod. L. et cap. evincitur, ubi in casu necessitatis de laico inquit: *Reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit.*

S. Hieron. Dial. adversus Luciferian. n. 9. *Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis* (baptizare); *ut enim accipit quis, ita et dare potest.*

S. Aug. L. 2. contr. epist. Parmeniani c. 13. n. 29. *Etsi laicus aliquis pereunti dederit* (Baptismum) *necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidicit, nescio, an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum.* Nec obest illa disjunctiva, ut Calvinus putat, *nullum, aut veniale delictum;* nam et venialiter peccare possunt laici, non quod baptizent præcise in necessitate; sed ob non adhibitam omnem diligentiam in inquirendo, vel accersendo presbytero; hac vero adhibita, nec venialiter delinquent.

His adde Conc. Eliberit. cap. 38. (Labb. t. 1. p. 974.) declarans, *posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum.* et Lateran. IV. cap. *Firmiter,* definiens: *Sacramentum baptismi... a quocumque rite collatum proficere ad salutem.* Item Apostolos adhuc laicos baptizasse; Paulum ab Anania (qui probabilissime adhuc laicus fuit) baptizatum; tum quæ adhuc dicentur.

97. *Prob. p.* 2ª. 1°. Ex ipsis illis Patrum sententiis ante relatis, quibus indistincte docent, recte baptizare laicos in necessitate, *a quolibet cuilibet baptismum dari posse;* igitur, cum feminas (quæ tamen in Scriptura æque ac traditione hominum, item etiam alias laicorum nomine veniunt) nusquam excludant, eas pariter comprehendisse censendi sunt. Qua antiqua certaque in Ecclesia traditione nixus Urban. II. respondit Vitali presbytero an. 1094. c. *Super quibus,* Causa 30. q. 4. *Videtur nobis ex sententia respondendum, ut et baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* Et Conc. Flor. in Decr. ad Armenos: *In causa autem necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest.*

2°. Ex ratione. Possunt feminæ id, quod nulla ipsis lege interdictum est: sed baptizare in necessitatis casu nulla ipsis est lege interdictum; non enim lege divina, nam talis assignari nequit; non lege ecclesiastica, cum ex hac pateat contrarium; non lege naturali, nihil enim intrinsece mali detegi potest in eo, si mulier baptizet in necessitate; sicut nec malum erat, cum Sephora filium suum ipsa circumcideret.

98. *Prob. p.* 3ª. 1°. Quoad valorem talis baptismi, extra usque adeo necessitatem collati, omnibus iis argumentis, quibus in Tractatu de Sacram. in

genere Diss. 2ª. cap. 2. art. 2. contra rebaptizantes probatum, ad valorem sacramenti non requiri fidem in ministro.

2°. Quodsi vero hi extra necessitatem etiam baptizent valide, cur non simul licite, dum necessitas urget? Deinde neque hi in generalibus Patrum sententiis quoad administrationem baptismi licitam pro necessitatis casu excluduntur.

99. *Prob. p.* 4ª. Rursum traditione Ecclesiæ, baptismum hunc nunquam iterantis, sed potius approbantis; eum et hunc baptismum nunquam excipiant Patres; quin etiam diserte comprobent, velut S. Isidor. Can. *Romanus*, de Consecr. Dist. 4. docens: *Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat.* Et Nicol. I. in Resp. ad Bulgaros c. 104. (Labb. t. 8. p. 548.) baptismum sive a *Judæo*, sive a *Pagano*, rite si collatus fuerit, approbat. Sed quid pluribus opus? cum sponte sua fateatur Calvin. L. 4. Institut. cap. 15. sibi traditionem adversari.

Ratio omnium a priori voluntas Christi est, ita instituentis, quæ nobis ex traditione, tum praxi ac definitionibus Ecclesiæ elucescit. Congrua hujus voluntatis ratio assignatur a D. Thom. 3ª. p. q. 67. a. 3. summa hujus sacramenti necessitas; sine quo, extra martyrii casum, parvuli aliter absolute salvari nequeunt, nec adulti ordinarie pœnæ omnis remissionem consequi. Ad Dei namque misericordiam, qui omnes fieri salvos vult, pertinere videtur, ut in iis, quæ de salutis necessitate sunt, homo facile habeat medium; proinde sicut idcirco voluit, ut hujus sacramenti materia esset communis aqua, quæ scilicet facilius haberi potest; ita quoque, ut minister esset homo quicumque viator.

100. *Obj. I. contr.* 1ªm. *part.* Concl. 2ªe. 1°. Nusquam in Scriptura sacra refertur, baptizasse laicos; ergo.

2°. Christus, sacramentorum auctor, iis duntaxat potestatem dedit baptizandi, ad quos dicebat Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos:* sed ad Apostolos tantum id dicebat, horumque successores presbyteros; non ad alios, præsertim laicos; ergo.

3°. S. Basil. epist. 88. Can. 1ª. ad Amphilochium Can. 1. (opp. t. 3. p. 270. B.) rejiciens hæreticorum baptismum, inquit, ab his baptizatos esse rebaptizandos, *velut a laicis baptizatos;* ergo baptisma laicorum supponit esse nullum.

4°. S. Aug. epist. 228. n. 8. conqueritur adversus pastores, quod, cum sæviret persecutio Vandalica, ipsi a gregibus fugerent; ait, eos male facere; exponit tristem gregis statum, cum, sacerdote absente, non sit qui eum fonte baptismatis abluat, aut reconciliet pœnitentia: atqui id saltem frustra de baptismate diceret, si tunc laicis baptizandi potestas competiisset.

5°. S. Hieron. Dial. advers. Luciferian. n. 11. tanquam certum supponit, baptismum a laicis datum esse nullum; ex hoc enim ceu fundamento evincit contra Luciferianos, qui negabant Arianos habere veros sacerdotes, ipsos etiam ex paritate rationis rejicere debere Arianorum baptisma, quod tamen in illis Luciferiani admittebant; vel pariter admittere et habere ratas Arianorum ordinationes.

6°. S. Greg. L. 1. epist. 33. hortatur Romanum tum temporis Italiæ Exarchum, ut remittat Blandum, episcopum Hortensem, quem detinebat

Ravennæ, quod ea ratione infantes moriantur sine baptismo. Idem fecit Clerus Edessenus, epist. ad Photium et Eustathium, ut legitur Act. 10. Conc. Chalcedon. (Labb. t. 4. p. 668.) rogans ut remittatur Ibas hujus civitatis episcopus, *Festivitate salutifera sancti diei paschalis imminente, in qua et propter catechismos, et propter eos qui digni sunt sancto baptismate, opus est ejus præsentia.*

7°. Moschus *Prati Spir.* c. 17. refert laicos Judæo in itinere baptismum efflagitanti respondisse : *Nobis non licet hoc facere; seculares enim sumus.*

101. *Ad* 1um. R. 1°. *N. Ant.* Nam Apostoli adhuc laici baptizasse leguntur Joan. 3.

R. 2°. Permisso gratis *Ant. N. Cons.* Sufficit, quod constet ex traditione; sicut baptismus parvulorum, quem admittunt adversarii, tametsi non extet in Scriptura expressus.

Ad 2um. R. *D. M.* Iis solis potestatem dedit baptizandi *solemniter,* sive hos solos instituit ministros solemnitatis *C.* necessitatis *N.* Sic *D. min.* et *N. Cons.* Et vero sequeretur alias, neque diaconos ullo modo baptizare posse, reclamante Scriptura Act. 8., ubi Philippus diaconus baptizasse legitur. Constat item Apostolos ante baptizasse, quam essent sacerdotes. Hinc Matth. ult. equidem non dixit ad laicos, ut baptizarent; sed tamen jam ante id viris laicis Christus mandaverat. Igitur, sicut non obstante illo Matth. ult. potest vir laicus, imo femina docere, instruere privatim, sic et baptizare.

Ad 3um. R. Errorem hunc rebaptizantibus, quibus Basilius adhæsit, communem fuisse, nullum pariter esse baptismum a laico collatum et hæretico; imo erat hoc eorum ratiocinium : non valet baptismus datus a laico : sed hæretici sacerdotes sunt laici; ergo. At Ecclesia, reprobando postea eorum dogma de nullitate hæreticorum baptismi, de quo tota erat disputatio, simul dogmatis illius fundamentum reprobavit.

Ad 4um. R. *N. min.* Sed ex solo etiam baptismi capite jure reprehendit S. Pater fugitivos pastores; tum quia in pastorum absentia non poterat baptismus solitis ritibus dari, quod satis jam mali erat; tum quia Aug. ætate magna erat catechumenorum adultorum copia, quos ad baptismi sacramentum instruere et præparare pastoris erat; timendum vero ob pastorum absentiam, ne illorum plures aut dilaberentur, aut sine baptismo decederent, aut rejicerentur ex scrupulo ab aliis, quos dignos censuisset pastor. Cæterum S. Augustini in cit. epist. hoc universim consilium fuit, movere fugitivos, ut ad greges redeant. Hinc miseriam gregis a suo deserti pastore exaggerat, utpote in quo alii petant salutis monita, alii baptismum, reconciliationem alii, ecclesiasticam pro morientibus sepulturam, quibus omnibus solatiis grex suo destitutus pastore careat. Non vero hoc intendebat, sicut solius sacerdotis est administrare pœnitentiam, ita baptismum.

Ad 5um. R. *N. Ant.* Sed S. Pater non ex suo, sed Luciferianorum principio eos ipsos impugnat, argumento, ut dicimus, ad hominem, nimirum : vos Luciferiani non admittitis baptisma laicorum, et tamen admittitis Arianorum baptisma; ergo ex principio vestro ipso Arianorum sacerdotes non sunt laici; ergo vel eorum simul admittatis ordinationes oportet, vel simul rejiciatis baptisma. Unde hic non negat S. Doctor laicis absolute baptizandi potestatem.

Ad 6um. R. 1°. Probatur hoc argumento nimium, scilicet ne quidem sacerdotibus, quorum multi et in Edessena et Hortensi erant Ecclesia, fas esse baptizare.

R. 2°. Utrumque factum propterea, quod tunc temporis episcopi sibi reservassent munus baptizandi solemniter, ac quidem in festo Paschatis et Pentecostes. Quoniam vero parentes cupiebant parvulos suos baptizari solemniter; ideoque horum baptisma differebant, factum est, ut subinde ante baptismum morerentur. Hinc et propter periculum hoc, aucto postea fidelium numero, merito disciplina hæc sublata fuit.

Ad 7um. R. Laicos istos ita locutos fuisse ex ignorantia; quorum proinde responsio nullius momenti est.

102. *Obj. II. contra part.* 2am. de feminis 1°. Antiqui Patres plerique feminas a quovis ministerio sacro, in specie baptismi absolute excludunt. Sic Tertull. L. de Bapt. cap. 17. in eas invehitur : *Petulantia mulieris, quæ usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet? nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ* (Quintillam intelligit), *ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat.* S. Epiph. hær. 79. n. 3. ut feminas a baptismi ministerio contra Collyridianos repellat, inquit : *Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariæ, illud in novo Testamento committi... debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio, sinuque suo regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique Filium exciperet... verum longe aliter Deo est visum : ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta.*

2°. Conc. Carthag. IV. ann. 398. Can. 100. (Labb. t. 2. p. 1207.) ita statuit : *Mulier baptizare non præsumat.* Addidit quidem Gratian. : *nisi cogente necessitate;* sed hæc ipso in textu non habentur.

Ad 1um. R. *D.* Excludunt feminas a ministerio sacro, exercendo publice, solemniter, in Ecclesia *C.* ab omni functione sacra, quæ privatim, in necessitate fieret *N.* Excluduntur feminæ a ministerio baptismi, sicut a functione docendi, nimirum, ut ait Apostolus, *in Ecclesia,* hoc est, solemni publica. Feminis vero etiam prohibitum esse, ne quempiam privatim in rebus ad salutem pertinentibus instruant, nemo hactenus credidit. Et vero Act. 18. Aquila et Priscilla uxor ejus, Judæo cuidam, Apollo nomine, *diligentius exposuerunt viam Domini.*

Tertullianus in eas solas invehitur feminas, quæ baptizandi publice, citra necessitatis casum, more sacerdotum, sibi jus et munus arrogabant. Has quippe ubique persequitur, uti L. de Præscript. cap. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, forsitan et tingere;* ita nimirum sacerdotii munia mulieres apud Marcionitas, Cataphrygas et Pepuzianos, qui, testibus S. Epiph. hær. 42. et 49. ac Aug., L. de hæres. cap. 27. dabant *tantum mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorarentur.* Idem mulieribus apud Collyridianos concessum; quas proin S. Epiph. hær. 79. perstringit, ut probant ipsa ejus verba quæ in objectione citantur.

Ad 2um. R. Equidem verba illa : *nisi cogente necessitate,* ipsi non insunt Canoni; subintelligi tamen debent, quia Canon ille solum prohibet feminis administrationem baptismi solemnem et publicam *in conventibus,* sive Eccle-

sia; ut colligitur ex Can. præc. 99., in quo contra easdem decernitur : *Mulier quamvis docta in conventu docere non præsumat*; sicut igitur hoc Canone prohibetur solum mulieribus, ne publice doceant, ita in Can. 100. ne sic baptizent.

103. *Obj. III. contr. part.* 4am. 1°. S. Greg. III. ep. ad Bonif. relatus Can. *Quos a paganis* 52. de Consecr. Dist. 4. jubet, ut baptizatos a paganis rebaptizet. Item Can. 59. *Si quis per ignorantiam,* caus. 1ª. q. 1. baptizati a non baptizato denuo rebaptizandi dicuntur; ergo.

2°. Tertul. L. de Bapt. cap. 17. supponit infidelem baptizare non posse; probans enim quare fidelis possit, rationem dat, quia, *quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest;* ergo supponit, infidelem, qui baptismum non accepit, eum quoque dare non posse. Sic et S. Hieron. contr. Luciferian. n. 9. rationem reddens quare laicus fidelis baptizare possit, *ut enim,* inquit, *accipit quis et dare potest.* Demum Patres qui pro valore baptismi contra rebaptizantes et Donatistas stabant, passim sic arguebant : baptismum, quem acceperunt, non amiserunt; ergo neque jus illum conferendi : atqui hisce supponunt, eos, qui non baptizati, etiam dare baptismum non posse; ergo.

3°. S. Aug. quoque, ut constat ex ejus L. 7. de Bapt. contr. Donatist. cap. 53. dubius hæsit de valore baptismi, quem paganus dedit. Quin S. Hieron. Dial. contr. Luciferian. n. 12. diserte negat, Christianum quemdam fieri posse ab eo, qui Christianus non est. Ac Conc. Eliberit. Can. 38. statuit in casu necessitatis baptizare posse fidelem, *qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus*; ergo negat, id paganum tunc posse.

104. R. *Ad* 1um. *quoad* Can. 52. R. Gregorius III. loquitur de iis, qui in nomine SS. Trinitatis baptizati non fuerant; ideo expresse præcipit, ut hos baptizet *in nomine Trinitatis. Quoad* Can. 59.

R. *D.* Sic ibi dicitur assertive *N.* per modum vel objectionis, vel quæstionis, vel falsæ opinionis propositæ *C.* Ita observat Corr. Rom. et constat ex parte Canonis altera : *Sed Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit, qui baptizet,* quæ opponuntur prioribus, et vim formamque resolutionis ac decisionis habent.

105. *Ad* 2um. R. *N. assert.* Tertulliani enim textus, *quod ex æquo accipitur,* etc. sensus est, quod *ex æquo,* sive indiscriminatim accipitur ab omnibus, ita quoque ex æquo ab omnibus sine discrimine dari potest in necessitate. Constat responsio ex ratione, quam immediate subdit, ac supra in Concl. retulimus : *æque Dei census ab omnibus exerceri potest.*

S. Hieronymus vero rationem illam non ceu universalem, ac unicam dedit, quare baptizare laicus fidelis possit; sed tum, quia hæc magis evincit et fortius, quod fidelis præcise, etsi laicus, dare baptismum queat; tum quia tam S. Pater quam Tertullianus, e quo id exscripserat, loquebantur de fidelibus laicis, cum exemplum baptismi (utpote rarissimum) a pagano dati non occurreret. Ea igitur ratione, quam dant pro fidelibus ceu fortiorem, non

negant, posse paganum baptizare ex ratione alia. Sic si diceres : sacerdos hic tenetur hunc moribundum absolvere, quia ejus pastor est; ratio hæc equidem fortius probaret quare moribundum absolvere debeat; non tamen universaliter et unice; nam etsi ejus pastor non esset, adhuc posset, quia teneretur ex ratione alia, eumdem absolvere; quæ proinde non negatur, per causalem illam; quia pastor ejus est.

Ad argumentum ex aliis Patribus eductum R. *N. min.* Nam Patres sic arguebant velut ad hominem ex rebaptizantium proprio principio, quin tamen hoc Patres admitterent. Nimirum solemne erat rebaptizantium principium, *nemo dat, quod non habet*; ex quo subsumebant : sed Hæretici non habent baptismum; ergo. Sed Patres ex eodem principio, non tanquam suo, sed rebaptizantium subsumebant e contrario : sed hæretici non amiserunt baptismum, quem acceperant in Ecclesia; ergo neque jus illum conferendi. Sic vero sæpe alias ex adversariæ sententiæ principiis ac suppositis eam confutare nitimur, quin idcirco principia hæc et supposita approbemus.

Cæterum principium hoc : *nemo dat, quod non habet,* verum est, si neque actu habeat, neque virtute; infidelis vero etsi actu baptismum non habeat; habet tamen virtute, quatenus Deus eo ceu instrumento, uti potest ad conficiendum baptismi sacramentum.

106. *Ad* 3um. R. Augustinus pro modestia sua noluit rem velut decidere, quod nihil adhucdum definivisset Ecclesia; dubium tamen in hac quæstione non hæsisse constat ex ejus verbis Lib. et cap. in object. cit.; ibi enim sub num. 102. ita loquitur : *Si quis forte me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem : si eo modo affectus essem, quo eram cum ista dictarem; nequaquam dubitarem habere eos baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illum verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione, et cum aliqua fide accepissent*; ergo privata sua sententia judicabat hunc baptismum esse validum.

S. Hieron. autem ibi non sumit Christianum pro eo, qui baptizatus est; sed qui Christianam fidem veram et Catholicam habet. Patet ex his, quæ addit : *accedens ad Arianos in qua fide baptizatus est?* nimirum in Arianorum fide. Unde inferebat, non esse Christianum verum, qui habet fidem non Catholicam, sed Arianam; hocque rem novam ait, ut quis sit Christianus verus, et tamen Arianus fide.

Concilii demum Eliberitani sensus est : in necessitatis casu, dum plures adsunt laici, qui baptizare morientem catechumenum possunt, eum esse eligendum, qui sit fidelis, nec inter pœnitentes sit, nec bigamus. Quibus non negat, si nullus adesset fidelis, quod baptizare non possit alius; sicut neque negat, posse baptizare pœnitentem, si alius non pœnitens non adesset. Cæterum etiam in casu necessitatis ex æquitate non solum, sed etiam præcepto, si plures concurrant, unus præit ministrum alterum; sic omnes præit parochus, si adsit; postque hunc sacerdos alius. In ministrando baptismate talis igitur servandus est ministrorum ordo : 1°. parochus, 2°. sacerdos alius, 3°. diaconus, 4°. subdiaconus, 5°. clericus minor, 6°. laicus fidelis, 7°. fe-

mina, 8°. fidelis a censuris liber præit censura impeditum, excommunicatum, infidelem; nisi forte ordinem hunc intervertere jubeat, v. g. unius, qui alias jure potior esset, in baptizando imperitia.

ARTICULUS II.

QUODNAM BAPTISMI SUBJECTUM SIT?

Controversia hic omnis ad infantes recidit, utrum hi baptismi capaces sint, postquam nati sunt? illeque his non valide solum, sed etiam licite detur, imo ille his dari debeat? Adultum enim quemcumque in statu viæ, sive vir sit, sive mulier, esse baptismi capacem, nemo ambigit, cum mandatum Christi Matth. ult. neminem excipiat : *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Dixi quoque : *postquam nati* : nam si ita adhucdum sint matris clausi utero, ut aqua perfundi non possint, etsi jam vivant, æque certum est, baptismi incapaces esse; quia ablutionis externæ, sine qua utpote materia baptismi proxima ille consistere non potest, incapaces sunt.

107. *Dico.* Infantes non modo capaces baptismi sunt, sed et eos baptizari expedit, ac necesse est.

Prob. 1ª. *p. I.* Ex Scriptura sacra. Joan. 3. 5. generalem Christus legem dedit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde sic arguitur : qui regni cœlorum sunt capaces, ii quoque capaces sunt baptismi, sine quo ad regnum cœlorum pervenire non possunt : atqui infantes regni cœlorum capaces sunt, et ad hoc absque baptismo pervenire non possunt; ergo. *Min. quoad membr.* 1um. *probatur* ex Matth. 19. 14. *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.* Idem legitur Marc. 10., Luc. 18. *Quoad membr.* 2um. ex textu cit. Joan. 3. qua lege infantes non eximuntur, ut dictum cap. 2. de baptismi necessitate.

Neque dicant Anabaptistæ, in citatis textibus sermonem esse de pueris, non ætate, sed humilitate et innocentia ac qui jam rationis compotes; dicuntur enim *venire*; nam a Luca c. 18. v. 15. dicuntur βρέφη, βρέφος vero infantem tenellum, in cunis, vel lactentem significat; deinde a Luca dicuntur ibid. allati, vel adportati προσέφερον. Igitur *venire* apud Matth. significat, venire quomodocumque sive per se ipsum sine adjumento, vel cum hoc et viribus alienis.

2°. In lege veteri infantes ex præcepto circumcidi debebant; ergo et in Lege nova recte baptizantur. *Prob. Cons.* Quia baptismus successit in Lege nova circumcisioni juxta Apostolum ad Coloss. 2. 11. et 12. ubi circumcisio non manufacta dicitur. Item quia utriusque idem est finis, aggregatio in Ecclesiam, religionem, originalis peccati deletio; etsi hanc non causaret circumcisio, ut baptismus.

108. *Prob. II.* Ex Traditione perpetua, quæ elucet 1°. ex SS. Patribus e quibus, quos magno numero refert Bellarmin., Vasquez aliique, sufficiant sequentes : S. Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. 7. §. 11. inquiens : *divini*

nostri duces (Apostoli) *probaverunt infantes recipi ad baptismum.* Auctor Constit. Apostolic. cap. 15. *Baptizate vestros pueros.* IRENÆUS L. 2. c. 22. n. 4. supra cit. (de Bapt. c. 2. a. 1. n. 15.) ORIGENES in cap. 6. Epist. ad Rom. v. 6. (opp. t. 4. part 1ª. p. 565. A.) : *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare.* S. CYPRIANUS epist. ad Fidum 59. n. 5. *A baptismo atque a gratia..... prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.* S. AUGUSTINUS serm. 10. de verb. Apost. (al. serm. 176. n. 2.) : *Hoc* (baptisma infantium) *Ecclesia semper habuit, semper tenuit; hoc a majorum fide percepit; hoc usque in finem perseveranter custodit.* Cf. ejusdem S. Doctoris epist. 28. ad Hieronymum (al. 166. n. 21.) in hujusce Tractat. c. 2. a. 1. citat. sub n. 51.

2°. EX CONCILIIS, quæ baptizandos esse infantes constanter docent, et præcipiunt. Sic Conc. CARTHAGINENSE anno 253. teste S CYPRIANO (epist. 59. ad Fidum n. 2.), reprobat opinionem Fidi episcopi, volentis, parvulos saltem ante octavum a partu diem baptizari non debere. MILEVITANUM anno 416. cui S. AUGUSTINUS intererat, Can. 2. (Labb. t. 2. p. 1538. C.), anathema dicit illi, *quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat.* Similiter GERUNDENSE anno 517. Can. 5. (Labb. t. 4. 1568. C.), BRACARENSE II. anno 578. Can. 7. (ibid. t. 5. p. 898. A.), VIENNENSE œcumenicum anno 1311. in Clementina unica de summa Trinit. et fide catholica §. 2. plurimaque alia usque ad novissimum generale TRIDENTINUM, quod rem definit solemniter Sess. 7. Can. 13. simul adversariæ partis reprobans fundamentum; tum Can. 14. opinionem Erasmi volentis, parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, num ratum baptismum habeant, et quod patrini eorum nomine sunt polliciti; eosque, si negent, suo esse relinquendos arbitrio.

109. *Prob. III.* EX RATIONE Theologica. 1°. Infantes beatitudinis capaces sunt; tum quia Deus voluntate sincera salvos fieri omnes homines vult, ad quos utique etiam pertinent infantes; tum quia, ex dictis supra, talium esse regnum cœlorum asseruit : sed extra Ecclesiam nemini via ad salutem patet; in hanc vero non nisi per baptismum intratur; ergo.

2°. Si infantes baptismi incapaces sint; ergo vel quia Deus eos baptizari prohibuit; vel quia impedimentum est ex parte sacramenti, vel ministri, vel subjecti, scilicet infantis, vel demum Ecclesiæ, quæ per baptismum acquirit in baptizatos jus; cum tamen nemo nisi propria voluntate, si liber natus est, subjici alteri debeat. Sed nullum ex his obstat : 1. non prohibitio divina; talis enim nulla extat; sed potius contrarium ex Scriptura et traditione colligitur, ut ante dictum. 2. Non sacramentum, quod, quantum est de se, ex opere operato producit effectum. 3. Non minister; is enim materiam et formam eodem modo applicat parvulo, quo adulto. 4. Non subjectum; nam quod in adultis requiratur dispositio, est partim ob peccata eorum actualia; sicut enim per hæc se actualiter a Deo averterunt, ita et actualiter se ad eumdem debent convertere : partim quod Deus se creaturis, et harum naturæ atque exigentiæ accommodet, cum causis necessariis agens necessario,

cum liberis libere; hinc adultos, ratione ac arbitrio libero pollentes, sine horum consensu in amicitiam suam non recipit; sed parvuli et peccatorum actualium, et actualis consensus incapaces sunt; proinde sicut habitualiter solum aversi a Deo sunt; ita, citra dispositionem actualem, ad Deum *habitualiter* converti possunt. 5. Non demum obligatio, et subjectio, quæ ex baptismo respectu Ecclesiæ contrahitur; nam ad hanc contrahendam per se tamen obligarentur, cum ad rationis sufficientem usum pervenirent; quia præceptum fidei generale est, et eo mediante se omnes tenentur Ecclesiæ submittere.

110. *Prob.* 2ª. *p. I.* Hæc sequitur ex necessitate baptismi, quæ respectu parvulorum summa est; cum, secluso martyrio, non habeant aliud salutis, cujus tamen capaces sunt, medium.

Prob. II. Ex baptismi effectibus, qui sunt peccati originalis deletio, cooptatio in Ecclesiam, utque membrum sit corporis mystici ipsius Christi.

Prob. III. Quia expedit hominem statim a puero assuefieri Christianæ legi; sic enim huic adhærebit firmius.

Prob. IV. Quia baptismi dilatio causam præbet liberius vivendi.

111. *Prob.* 3ª. *p.* Quia id exigit saltem universalis consuetudo Ecclesiæ, quæ vim legis obtinuit; cujus signum est, quod, si quis fidelium contra hanc agere consuetudinem vellet, certo futurus esset scandalo. Deinde plurima id decreta sanciunt Synodorum particularium, quæ usu recepit tota Ecclesia. Unde colliges, peccare parentes graviter, qui suorum baptisma infantium diutius differunt.

Dixi : *saltem consuetudo Ecclesiæ*, sive jus ecclesiasticum; quia secluso periculo infantis, non videtur esse obligatio legis naturalis, aut divinæ, cum nullum sit sufficiens talis obligationis fundamentum; eaque in primitiva Ecclesia videatur fuisse incognita, cum pii etiam parentes suarum baptisma prolium distulerint. Equidem improbatum id fuit a pluribus; at non ideo præcise, quod violaretur lex naturalis, vel divina; sed tum ideo, quod ab aliis id fine ex malo fieret; tum, si a probis, ex bono etiam fine differretur baptismus, ob rationes num. præc. allatas.

112. *Obj. I.* Ex Script. sacra : 1°. In Scriptura sacra nec mandatum, nec exemplum reperire est baptismi infantium; ergo.

2°. Juxta præsentem Christi legem baptismus conferri debet iis, qui prius instructi sunt; ut dicitur Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos:* sed parvuli incapaces instructionis sunt; ergo et baptismi.

3°. Baptizandus debet credere, juxta illud Marc. ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ad Hebr. 10. *Sine fide impossibile est placere Deo :* sed infantes fidei incapaces sunt; ergo et baptismi.

4°. Baptismum præire debet in suscipiente pœnitentia, Act. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.*

5°. Christus ipse baptismum suum ad ætatis annum trigesimum distulit; ergo.

Ad 1ᵘᵐ. R. *T. A. N. Cons.* Sufficit quod Pædo-baptismus constet ex tradi-

tione indubia. Viderint hic protestantes, qui traditionem respuunt, quid Anabaptistis respondeant.

Ad 2um. 3um. et 4um. R. Omnes hos textus spectare adultos talium actuum capaces; nam Matth. et Marc. ult. mittuntur Apostoli ad gentiles convertendos, quos primo necessum erat doceri et instrui. Act. 2. ita ad adultos dixit Petrus, quos oratione sua permoverat ad fidem Christi; qui proinde dicebant : *quid faciemus viri fratres?* Quibus dein respondit Petrus, ut supra in Object. At tales actus, quorum incapaces sunt infantes, ut ipsi eos per se eliciant, ab his non exiguntur. Sic circumcidebantur etiam infantes olim sine instructione, sine aliis propriis actibus; secus adulti. Deinde infantes ponunt consensum voluntate actuali aliena, credunt fide actuali aliena, ut inquit S. Aug. serm. 14. cap. 18. de verb. Apost. (al. serm. 294. n. 17.) *Absit, ut ego dicam non credentes infantes;* quæ non dixit de fide actuali propria infantium, ut inepte Lutherus putavit, inde contendens, infantes miraculose habere fidem actualem propriam; nam immediate ante inquit S. Pater: *jam superius disputavi; credit in altero, qui peccavit in altero.* Et vero congruum est, ut, qui alterius voluntate peccatum contraxerant, sic etiam per voluntatem alienam haberent remedium, ut rursum Aug. serm. eod. *Per verba aliena salvatur, quia per factum alienum vulneratur.*

Ad 5um. R. Latissimum discrimen est; Christus (qui tamen baptismum Joannis solum suscepit) baptismo, ac sanctificatione non indigebat, sicut egent homines. Deinde Christus tamen infans circumcidi voluit; cur ergo Anabaptistæ hoc exemplum non magis respiciunt, cum circumcisio fuerit nostri figura baptismi?

113. *Obj. II.* Ab Auctoritate : 1°. Tertullian. de Bapt. cap. 18. vult differendum esse baptismum parvulis, usque dum rationis usu polleant: *Etiam ætate cunctatio baptismi utilior est : præcipue tamen circa parvulos... Ait quidem Dominus : Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt : veniant, dum discunt; dum, quo veniant, docentur : fiant Christiani, cum Christum nosse potuerunt. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?*

2°. Etiam S. Gregorius Nazianzen. or. 40. n. 28. de Bapt. censuit, secluso mortis periculo, differendum baptisma parvulis, usque ad triennium saltem ætatis, quia sic fieret, *ut quidam audire, et respondere possint;* et S. Hieronym. in c. 28. Matth. v. 19. *Non potest*, inquit, *fieri, ut corpus baptismi recipiat sacramentum; nisi ante anima fidei receperit veritatem.*

3°. Conc. Neocæsareense Can. 6. (Labb. t. 1. p. 1482) statuit fœtum in utero matris baptizandum non esse, *quod proprium cujusque institutum ac propositum in confessione ostendatur;* ergo propriæ voluntatis actus in baptizando exigit.

Ad 1um. Singularem illam Tertulliani et nonnullorum fuisse opinionem, expedire, ut infantibus differatur baptismus usque ad rationis usum, ob periculum profanandi baptismi, ne, vigente adhuc paganismo, adolescentiores facti pervertantur. Sed 1°. hæc ratio jam cessat. 2°. Huic paucorum consuetudini restitere plerique alii, quorum proinde potius habenda ratio; neque enim, juxta vulgatam receptamque regulam criticæ, in rebus con-

troversis attendi debet, quid unus alterque præter aut etiam contra omnes senserit. Deinde falsa est TERTULLIANI ratio, ut jacet; etsi enim infantes peccata actualia non habeant, ideo tamen innocentes non sunt, cum habeant originale.

Ad 2um. Eadem est ad S. GREGORIUM responsio, quem in hoc deseruere Patres alii. S. HIERON. vero de infidelibus ac quidem adultis eo loco loquitur; parvuli enim proprie infideles non sunt, sed solum negative.

Ad 3um. R. Concilium solummodo docet, parvulum in matris utero salvari non posse, 1°. non baptismo matris, quia hic non est proprius fœtui; 2°. nec fide matris, quia fides matris etiam non est communis infanti in utero, sed est illi propria, qui confitetur. Ratio sumitur ex præcedentibus; nam præmittitur immediate ante: *neque enim ea, quæ parit, cum fœtu, qui paritur, ea in re habet aliquid commune.*

114. *Obj. III.* Ex Ratione. 1°. Infantes per baptismum multas contrahunt obligationes: sed iniquum est, tam grave jugum imponere non consentientibus.

2°. Baptismus est totius professio fidei: sed hæc infantibus nondum convenire potest; quia alias etiam infantes possent dici fideles.

3°. Ergo etiam baptizari possent infantes adhuc existentes in matris utero, velut si mater fœtum perfecte organizatum et animatum eniti nequit, cum non sit potior ratio pro infantibus aliis, quam pro his: sed sequela videtur non admittenda; quia, cum hi nondum nati sint, etiam renasci non possunt.

Ad 1um. R. *N. min.* 1°. Quia jugum Christi non grave, sed suave et leve est; 2°. quia adulti facti per se ex obligatione gravi, sub æternæ damnationis pœna fidem ac legem Christi tenerentur amplecti. Hinc infantibus, dum baptizantur, magna potius confertur gratia; ac per baptismum facti Ecclesiæ subditi ad servandam christianam legem compelli possunt. Et vero si in veteri Lege nulla fieret infantibus per circumcisionem injuria; minus talis irrogari illis per baptismum dici potest in Lege nova.

Ad 2um. R. 1°. Talis professio etiam erat olim circumcisio.

R. 2°. *N. min.* Fidem enim profitentur tum ipso facto, tum voluntate et fide aliena. Recte etiam fideles dicuntur, tum ob fidem habitualem, quæ in baptismo ipsis infunditur; tum ob fidem actualem alienam, ut supra observatum ex AUGUSTINO.

Ad 3um. R. 1°. Si infans in utero perfundi aqua non possit; certum est, ex dictis initio, nec baptizari posse; quia huic baptismus applicari non potest: secus est de infante uterum egresso. Si vero aqua attingi possit, dividuntur sententiæ.

Prima negat præcipue ex ratione allata, eo quod, cum nondum natus sit, neque renasci possit. Affirmat *altera*, si fœtus animatus sit; eo quod jam aliquo modo dici *natus* possit, cum sit homo; et sicut hoc jam sufficit, ut contrahendi originalis peccati capax sit, imo illud contrahat; sic quoque jam sufficienter natus dici potest, ut remedii contra originale instituti, nimirum baptismi capax sit possitque renasci. Et vero infantem in utero proprio aliquo sensu dici natum posse, ex Matth. 1. colligitur, ubi de Christo ante partum dicitur: *Quod in ea natum est.* Ob hujus igitur sententiæ, si non

majorem, certe parem probabilitatem, cujus est prima, ac quia sacramenta ad salutem instituta sunt.

R. 2°. Si prudenter timeatur, infantem decessurum esse antequam prodeat ex utero, esse baptizandum sub conditione; sub qua rursum baptizandus erit, si, periculo superato, prodeat foras. Responsio est Benedicti XIV. sum. Pontif. de Synod. Diœces. L. 5. cap. 5. ubi primo monet episcopos, ne in suis Synodis quidpiam hac in re, sub judice pendente, decidant: ad parochos vero, ait, pertinere, instruere obstetrices, ut, cum casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum, ac de vita periclitantem sub conditione, ut dictum, baptizent; sub qua deinde in lucem editus baptizetur rursus.

ARTICULUS III.

AN PUERI JUDÆORUM, ALIORUMQUE INFIDELIUM LICITE BAPTIZENTUR NON CONSENTIENTIBUS PARENTIBUS?

115. *Præmitto.* In hac quæstione plerisque Theologis certa esse sequentia: 1°. Contra Durandum talem baptismum validum esse, cum, si præscripta in materia et forma conferatur, nullum essentiale baptismi desit; ut enim S. Augustinus epist. 23. (al. 98. n. 2.) ad Bonifacium ait: *Non... scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate... sed nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.*

2°. Licite ejusmodi proles baptizari, si in proximo mortis discrimine sint; sicque habet praxis Missionariorum apud Indos, ac fecisse leguntur viri sancti, ut S. Franciscus Xaverius epist. ad Franciscum Henricum.

3°. Etiam licite tales baptizari, si alteruter saltem parentum consentiat; et quidem si pater, aut eo defuncto avus ob jus potestatis patriæ; si sola mater; ob favorem fidei, cap. *ex litteris* 2. de convers. infid.: ubi quidem loquitur Pontifex de patria potestate, cum pater christianus offert filium aquis lustralibus discrepante matre hebræa: statuit tamen suæ sententiæ *in favore fidei* fundamentum; favor autem fidei in utroque casu valere jure debet.

4°. Pariter id certum est de mancipiorum, vel servorum stricte talium prolibus; sunt enim sicut res in dominio principis; ut si princeps Christianus parentes bello captos in servitutem redegerit.

5°. Licitum esse puerorum illorum baptismum, si rationis usu præditi baptismum petant, invitis licet parentibus; quia, quantum ad religionem, sui juris sunt. Vel si ita a parentibus abstracti sint infantes, ut nulla sit spes ad eosdem reditus.

6°. Etiam multi idem sentiunt de hæreticorum liberis; cum enim illi per baptismum facti sint Ecclesiæ subditi, ab hac compelli possunt ad servandas leges tum divinas, tum ecclesiasticas. Vix tamen hoc in Germania procedet quoad Protestantes, ob suspensam in pace Westphalica jurisdictionem ecclesiasticam saltem in subditos status acatholici, et indultam religionis libertatem; cum neque sine gravibus incommodis, publicisque dissensionibus id fieri possit, ac de cætero baptizent valide. Demum certum est, proles parentum infidelium, qui nequidem civiliter Christiano prin-

cipi sunt subditi, illicite baptizari contra voluntatem parentum; tum quod, si proles in parentum potestate permaneant, sacramentum exponatur certo profanationis periculo; si vero abstrahantur vi, lædatur jus naturale parentum.

Tantum igitur procedit quæstio de liberis Judæorum et infidelium Christiano principi solum subditorum civiliter, an baptizari possint licite invitis parentibus, extra casus ante exceptos? Affirmat inclyta Scoti schola; negat altera divi Thomæ cum reliquis, duce doctore Angelico.

116. *Dico.* Illicitus est talis baptismus. Est sententia communior apud Theologos et Canonistas, quos magno numero recenset Santorius Cardin. in Rituali Sacram. pag. 209. et quæ teste Cardin. Albizi, de inconstantia in fide cap. 11., prævaluit in tribunalibus; ac sæpius decisa Romæ, confirmataque, ut dicetur infra, a Benedicto XIV. S. P.

Prob. I. Ex sensu praxique Ecclesiæ, quæ nunquam id practicare voluit; quod est argumentum doctoris Angelici Quodlib. 2. a. 7. : *Dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper in omnibus est æmulanda, quia et ipsa doctrina doctorum Catholicorum ab Ecclesia auctoritatem habet; unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur: quamvis fuerint multi Catholici principes potentissimi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab iis impetrare, si hoc esset consonum rationi.*

117. *Prob. II.* Auctoritate sacræ Congregationis Cardinalium Conc. Tridentini, quæ consulta a Missionariis Sinarum decretum edidit, approbatum ab Innocentio X., quo prohibentur baptizari tales infantes sine parentum consensu, apud Amort. in Diction. Select. Cas. Ac cum Avenione baptizata fuisset filia Judæi cujusdam, eo ignaro, eadem Congregatio promulgari jussit a concionatoribus, eum, qui posthac talia tentaret, non solum peccati mortalis reum esse; sed etiam subjacere pœnæ arbitrariæ a superioribus infligendæ, ut refert Ludovic. Bancelius Tom. 1. Moral. v. *infidelitas.*

Has vero aliasque declarationes S. Officii recensens etiam Benedictus XIV. S. P. consultus ab Archiepiscopo Tarsensi Vices gerente, de novo approbat, confirmatque in Epistola pastorali ad eumdem Archiepiscopum anno 1747. die 28. Febr. quæque extat in Tom. 2. Bullarii; qua inquit: *In præfatis quibusdam Resolutionibus innuitur, eum, qui Hebræorum filios sine consensu parentum baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, pœna mulctandum esse; baptismum autem uno teste probari. Nihil aliud restat, quam prædictarum resolutionum judicium confirmare, et quidquid in iisdem continetur, nostra quoque sententia stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam, rectamque, non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus est, et ea quicumque facit, quæ Ecclesia fieri vetat, pro judicis prudentia mulctari debet,* etc.

118. *Prob. III.* Ratione. 1°. Infantes baptizati, parentibus infidelibus in-

vitis, vel in horum relinquentur potestate, vel abstrahentur ab istis; sed neutrum licet: non primum; quia sacramentum certo exponeretur periculo profanationis ob periculum indubium perversionis et apostasiæ: non secundum; quia læderetur jus naturale parentum; jure enim naturali liberi, quam diu rationis usu non fruuntur, sub potestate et cura parentum sunt, sicut cæteræ eorum res.

Si dicas cum D. Collet: etsi res fortunæ sint in parentum infidelium dominio, ob earum tamen abusum tollere illas potest princeps secularis, cui civiliter parentes subjecti sunt; ergo et sic tollere potest eorum proles, dum erga has abutentes potestate sua, illas deferre ad baptismum nolunt.

R. *N. Cons.* Quia secularis potestas se solum extendit ad naturalia et temporalia; nec hujus est, judicare illos, qui contra præceptum supernaturale agunt. Nec inde inferas: ergo saltem Ecclesia has proles auferre poterit; nam neque ad Ecclesiam de his, qui foris, h. e. non baptizati sunt, spectat judicare, 1. ad Cor. 5.

2°. Si liceat baptizare proles invitis parentibus infidelibus; ergo ob præceptum de baptismo suscipiendo: sed hoc non; quia Deus condendo legem fidei et baptismi, jus naturale ideo non voluit sublatum; ergo jus naturale parentum circa infantes suos salvum manet. *Prob. A.* 1. Deus utriusque juris divini et naturalis auctor est; 2. quia gratia, ut dicitur, passim apud Theologos non destruit naturam, sed perficit; 3. quia per legem baptismi non derogavit juri naturali, alias, quod v. g. habet adultus circa actus suos liberos, atque hinc ad baptismum cogi non potest; 4. id demum ex usu Ecclesiæ optime addiscimus, quæ, ut supra ex S. Thoma observatum, nunquam egit apud Imperatores, etsi dilatandæ religionis Christianæ studiosissimos, ut vel infideles cogerent ad deferendos ad baptismum liberos, vel hi baptizentur iis nolentibus.

119. *Obj. I.* Ex S. Script. 1°. Ecclesia Matth. cap. ult. accepit jus et potestatem universalissimam baptizandi quoscumque; ergo et infantes infidelium.

2°. Luc. 14. dominus præcipit servo: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea,* ubi sub nomine domini et domus significatur Deus et Ecclesia; ergo ad baptismum, quo intratur in Ecclesiam, procurandum suis infantibus compelli possunt infideles.

3°. 1. Machab. 2. Mathathias et ejus socii *circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel.* Ergo et baptizari possunt infidelium pueri.

Ad 1um. R. *D.* Accepit potestatem baptizandi quoscumque, servato tamen ordine justitiæ, ac juris naturalis, h. e. non cogendo per vim, sed alliciendo doctrina et prædicatione, persuadendo parentibus, ut in baptismum suorum liberorum consentiant *C.* hinc in textu præmittitur *docete:* cogendo per vim, turbato ac læso juris naturalis ordine *N.* Argumentum probat, etiam adultos invitos ad baptismum cogi posse.

Ad 2um. R. 1°. Ergo adulti inviti ad baptismum adigi possunt vi; quia textus, ut ex parabola constat, adultos respicit. Hinc

R. 2°. *D. Compelle* per vim et violentiam *N.* persuasione, prædicationis efficacia *C.* Hoc solo modo Christus gentes duci in Ecclesiam voluit Matth. ult. *Docete omnes gentes.*

Ad 3um. R. 1°. Recte explicari potest de pueris Judæorum nondum circumcisis, quos scilicet circumcidere neglexerant antea parentes ex metu gentium, vel ob turbas belli.

R. 2°. Dato, fuisse etiam pueros infidelium, poterant eos circumcidere velut bello captos. At sic etiam licet baptizare hujusmodi proles.

120. *Obj. II.* Ex histor. Eccles. Etiam principes religiosi compulisse leguntur vi Judæos et infideles ad baptismum; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. Sisebutus Hispaniarum rex, teste Baron. ad an. C. 614., coegit ad baptismum Judæos; propterea laudatus in Conc. Tolet. IV.

2°. Juxta Francorum Annales Carol. M. coegit ad baptismum Saxones, ideo etiam ab Adrian. I. commendatus. Sic Chilpericus, teste Gregorio Turon. Lib. 6. Histor. Francor., Judæos baptizari jussit; et Dagobertus S. Amando episcopo Trajectensi præcepit, ut Gandavenses ad baptismum cogeret.

3°. S. Congregatio Officii et Pontifex concessit Duci Mantuæ, anno 1699. ut quasdam proles a parentibus Judæis abstractas curaret baptismo ablui. Idem Augustæ Taurinorum factum fuit ex Decr. ejusd. Congr. ut refert Sessa. cap. 51.

R. Principes etiam religiosi compulere aliquando ad baptismum Judæos et infideles ex bono quidem fidei zelo; at non secundum scientiam tali. Unde

Ad prob. 1am. Patres Toletani zelum regis, non factum laudarunt; simulque vetuerunt, id deinceps ne fiat, Can. 57. (Labb. t. 5. p. 1719. B.): *De Judæis præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre.* Statuerunt quidem etiam, ut Judæi, *qui fidem Christianam vi, vel necessitate susceperant, tenere cogantur;* quia, licet positive invitus animo non baptizetur valide; metu tamen pœnæ baptizari volens vere baptizatur, cum metus non tollat voluntarium simpliciter. Deinde ex actu externo, quo quis baptismum suscipit, animus suscipiendi internus præsumitur in foro Ecclesiæ. Hinc Synodus voluit, potuitque eos urgere ad servandam fidem.

Ad prob. 2am. R. Carolus M. non vi, sed *benignitate, veræ salutis consilio,* teste Alcuino, qui familiaris Imperatori erat, epist. 1a., adeoque persuasione ad baptismum et Christiana sacra perduxit; at postea rebelles et apostatas armis devictos religione et fide suscepta stare merito coegit. Chilperici factum, ut refert, sic et improbat Gregorius. Demum Dagoberti mandatum non executus fuit Amandus, sed Gandavenses prædicatione perduxit ad fidem, Histor. Vitæ apud Surium 1. Febr.

Ad prob. 3am. Hebræus pater Duci Mantuæ id promiserat, se et liberos baptizandos offerens; Taurinensis quoque suam filiam obtulerat, jamque a matre Hebræa abstractam Christianæ nutrici lactandam dederat; sed cum utrumque patrem Hebræum postea facti pœniteret, censuit S. Congr. tum ob promissionem datam et acceptatam avellendos utriusque Judæi infantes ac baptizandos, ac penes Christianos esse educandos; tum ideo hoc prudenter statutum est, ait in laudata epist. Pastor. Benedictus XIV. Papa, ne parentes Hebræi, quibuscum summa æquitate apud Christianos agitur, eo impudentiæ deveniant, ut et nos et Ecclesiam audeant irridere.

121. *Obj. III.* Ex ratione. 1°. Potestas principum est potestatis divinæ vicaria ; ergo.

2°. Princeps Christianus habet jurisdictionem in subditos suos tam infideles, quam fideles et hæreticos ; ergo sicut hos cogere potest, ut infantes ad baptismum deferant, ita et priores.

3°. Cuilibet jure naturæ competit jus et potestas defendendi innocentem : atqui infantes sunt in hac materia innocentes, iisque infertur injuria gravissima a parentibus illorum impedientibus baptisma. Sic si parentes vellent occidere infantes suos, vel eos ad furta, blasphemias instruerent, juste eos princeps illis abstraheret ; ergo multo magis abstrahere poterit, si eos deferre ad baptismum nolint, cum hac ratione parentes sint causa spiritualis suarum prolium mortis, quæ corporali altera est longe gravior.

4°. Parentes nullum habent jus impediendi suarum prolium baptismum ; ergo his invitis baptizari possunt.

5°. Jus naturale obligat ad amplectendam religionem veram ad procuranda necessaria salutis media; ergo parentes, dum impediunt suorum infantium baptismum, agunt contra jus naturale; ergo cogi possunt a principe, ut eos ad baptismum offerant ; quia princeps potest ea omnia removere, quæ juri naturali adversantur.

6°. Parentes ejusmodi abutuntur potestate patria; item potestas patria est creatura juris civilis : sed hoc summus princeps non ita obligatur, ut illud immutare non possit ; ergo.

Ad 1um. R. Potestas principum est vicaria divinæ ; sed quoad ea tantum, quæ sunt ordinis naturalis, et bonum temporale Reipublicæ attinent. Quod si quandoque præceperint servari leges supernaturales, id fecerunt ceu advocati implorati ab Ecclesia, vel ex hujus voluntate expressa, vel præsumpta, circaque eos, in quos Ecclesia acquisiverat jus, ut hæreticos ; vel si etiam circa infideles, Judæos ; salvo tamen horum jure naturali.

Si ais : Potestas parentum circa filios se extendit etiam ad supernaturalia ; ergo et illa principis.

R. Nec parentum potestatem eo se extendere, ut liberos jam adultos ad susceptionem baptismi adigant ; possunt autem infantes offerre ad baptismum, quia tunc non habent moraliter aliam voluntatem, quam parentum. Quod non convenit principi respectu subditorum infidelium, non tantum adultorum, sed etiam parvulorum ; nisi hi utroque parente orbati sint ; tunc enim potest, imo debet procurare iis baptismum ; invitis etiam tutoribus infidelibus ; quia horum potestas non est a jure naturæ, sed civili, cui princeps derogare potest ; præsertim cum aliquo modo omnium pupillorum sibi subditorum universalis et eminentialis tutor sit. Quod tamen hic principi convenit, ad privatum extendi non debet ; unde si pupillus tutorem infidelem habeat, quia juxta leges loco patris est, nequit privatus baptizare pupillum tutore invito, ut notat epist. laudata Benedictus XIV.

Ad 2um. R. *N. Cons.* Subditi enim fideles et hæretici, etsi quoad supernaturalia non subsint jurisdictioni principis ; subsunt tamen Ecclesiæ, quæ principibus dat potestatem eos cogendi. Secus de infidelibus est, qui quoad supernaturalia nec jurisdictioni principis, nec Ecclesiæ subsunt.

Ad 3um. R. *D.* Cuilibet competit hæc potestas, si injuria inferatur innocenti contra justitiam naturalem, sive in iis, quæ jure naturæ debentur *C.*

si contra legem supernaturalem, ac in iis, in quibus supponitur fides *N.* Exempla allata sunt directe contra jus naturæ, et bonum commune Reipublicæ cujus conservatio ad principem pertinet. In casu vero nostro parentes agunt contra jus supernaturale tantum, quod habent eorum proles ad spiritualem animæ vitam per baptismum obtinendam; quam injuriam impedire, etsi mors spiritualis gravior corporali sit, nec est potestatis civilis, nec ecclesiasticæ.

Ad 4um. R. *N. Cons.* Etsi enim non habeant jus impediendi baptismum prolium, ac impediendo agant contra jus supernaturale; habent tamen jus, ne sibi subducantur proles, quod sequi deberet baptismum, ob profanationis et perversionis periculum.

Ad 5um. R. Jus naturæ sic obligat omnes indistincte *N.* supposita sufficienti prædicatione et cognitione *subd.* obligat tunc directe et immediate *N.* mediate et indirecte *C.* In tantum scilicet tunc lex naturalis obligat, in quantum dictat, esse obtemperandum legibus superiorum. Sed hoc non est proprie jure naturæ obligari; sic non dicitur quis jure naturæ obligari ad jejunium, etsi jus naturæ, supposito præcepto Ecclesiæ, dictet, esse obediendum superiori legitime præcipienti. Et vero sequeretur alias posse æque cogi a principe infideles adultos; quin is ex paritate rationis se ingerere posset causis spiritualibus et supernaturalibus plerisque.

Ad 6um. R. 1°. Etiam sic jure suo abutuntur adulti.

R. 2°. *D.* Abutuntur suo jure contra jus naturale aliquod *N.* contra supernaturale, divinum *C.* Hinc peccant quidem contra hoc, vel formaliter supposita sufficienti cognitione obligationis suæ, vel materialiter, si invincibiliter adhuc obligationem ignorent; quia tamen potestate sua non abutuntur, contra legem naturalem, vel humanam, etiam a potestate humana cogi non possunt. Deinde potestas patria est creatura juris civilis, si spectetur secundum latitudinem, extensionem et formam, quam in Romano jure accepit; non vero si spectetur secundum jus, quod parentes suos in infantes habent, ut eorum curam gerant, ut sibi non subducantur; ad hoc enim jus a natura habent.

ARTICULUS IV.

QUINAM BAPTISMI EFFECTUS SINT? QUÆ PROPRIETATES?

122. *Præmitto.* Baptismi effectus alios longe a Catholicis statuerunt jam olim hæretici. Hominem vere baptizatum peccare amplius non posse Jovinianus asseruit, quem ex parte secutus est Calvinus in Antidoto Conc. Trid. docens, baptismo tanquam Dei chirographo certum reddi baptizatum de perpetua adoptionis gratia: ac Lutherus L. de captiv. Babyl. cap. de Bapt. His Novatores posteriores addunt sequentes: 1°. Quod baptismus revocatus in memoriam deleat peccata post ipsum admissa; quod refellitur in Tr. de Pœnit.: 2°. Quod liberet hominem ab observantia legum humanarum; imo legis divinæ, hoc sensu, quod baptizato transgressio divinæ legis, quæ sit equidem peccatum, non tamen ad peccatum imputetur, si modo fidem habeat.

At nemo non videt, tum quam pestilens ea doctrina sit, quæ pudendis quibusque, maximeque enormibus flagitiis viam planet, lateque portas

aperiat, tum quam directe adversetur Scripturæ sacræ, quæ, non obstante baptismo, ipsaque fide, timendum monet, ad Rom. 11. 10. *Fide stas; noli altum sapere, sed time:* damnationem minatur sceleribus, non præcise defectui fidei, 1. ad Cor. 6. 9. *Nolite errare; neque fornicarii, neque fures, etc., regnum Dei possidebunt.* Ut proinde dogmata tam absona merito condemnarit Trident. Sess. 7. can. 6. 7. 8. 9. 10. Ac quoniam ea occurrunt in Theologia alibi, ulteriori eorum confutatione abstinemus.

123. *Dico I.* Veri effectus baptismi sequentes sunt:

I. Secluso obice, tollit peccatum omne, originale et actuale. Constat 1°. ex Scriptura sacra: Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quod vaticinium de baptismo semper intellexit Ecclesia. Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Act. 22. *Baptizare, et ablue peccata tua.* Ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*

2°. Ex SS. Patribus: Tertullianus de Bapt. c. 1. *Felix*, ait, *sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.* Et c. 7. *Baptismi carnalis actus* (est), *quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur.* Clemens Alexandr.: *Multis modis vocatur hoc opus* (Baptismus), *gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus: gratia autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur: illuminatio, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur...: perfectum autem dicimus, cui nihil deest; quid enim ei desit qui Deum novit? Est enim revera absurdum, Dei vocari gratiam, quæ non sit perfecta et undequaque plena. Qui est autem perfectus, perfecta utique largietur.* Pædagog. L. 1. (opp. p. 93. A.). Origenes in Genes. hom. 13. n. 4. (opp. t. 2. p. 97. A.): *Si delinquas, ipse tibi conscribis peccati chirographum. Sed vide quia cum semel accessisti ad crucem Christi, et ad gratiam baptismi, chirographum tuum cruci affixum, et in fonte baptismatis deletum est.* Cyprianus epist. 1. ad Donatum n. 4.: *Undæ genitalis auxilio, superioris ætatis labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit... Scis ipse profecto, et mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum.* S. Hilarius in Ps. 63. n. 11. *Quis non renasci in innocentiam volet, cum peccati remissionem sacramentum novæ civitatis indulgeat?* S. Zeno Veronensis L. 2. Tract. 42. *Salvete hodie, nati fratres in Christo, acceptæque indulgentiæ regale beneficium diligenter, fortiter ac fideliter custodite; etenim vester contractus omnis* (debitum scilicet culpæ et pœnæ) *ablatus est; securi gaudete; nihil jam seculo debetis.* S. Cyrillus Hierosol. catech. 3ª. n. 12. *Descendis in aquam ferens peccata; sed gratiæ invocatio animam obsignans non te permittit ab immani sorberi dracone. Qui mortuus in peccatis descendisti, ascendis vivificatus in justitia.* S. Basilius epist. 292. (al. 386.) ad Palladium: *Te proximum sibi Dominus per gratiam* (Baptismi) *effecit, removitque a peccato omni, et regnum cœlorum aperuit.* S. Gregorius Nazianz. orat. 40. n. 3. *Baptismus, carnis est abjectio, Spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis*

communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus, vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio. S. Ambrosius de mysteriis c. 3. n. 11. *Aqua est qua caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum. Sepelitur illic omne flagitium.* Hieronymus tandem et Augustinus infra citandi.

Idem constanter docuit Ecclesia definivitque Concil. Carthaginense IV. cap. 1. (Labb. t. 2. p. 1199. C.), Florentinum in Decreto, et Tridentinum Sess. 5. in Decreto de pecc. orig.

II. Pœnam omnem peccatis debitam remittit. Est de fide. Atque ita docet Tridentina Synodus Sess. 5. Decr. cit. n. 5. *Nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Præiverat Florentin. in Decr. inquiens: *Baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes antequam culpam aliquam admittant, statim ad regna cœlorum, et Dei visionem perveniunt.* Sed et Ecclesiæ veteris semper hic sensus fuit. Licet enim Ecclesia ante baptismum varia arduaque virtutis exercitia indiceret catechumenis, sive ut probarentur magis, sive ut melius dispositi uberiorem in sacramento gratiam perciperent; nunquam tamen iis pro peccatis ante baptismum commissis opera satisfactoria injunxit; nequidem tum, cum periculum esset, ne ob necessitatem præmature baptizati plura divinæ deberent justitiæ; hujus vero praxis nequit alia reddi ratio, nisi quod crederetur in Ecclesia per baptismum pœnam omnem divinæ alias debitam justitiæ tolli. Luculentius ille sensus Ecclesiæ liquet ex Patribus. Inter quos, præter Clementem Alex., Zenonem Veron. et Gregorium Naz. supra citatos, S. Augustinus L. 2. de peccat. merit. c. 28. n. 46. inquit: *Si continuo* (post Baptismum) *consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.* Ac S. Hieron. epist. 69. ad Oceanum n. 4. *Post indulgentiam* (Baptismi), *judicis non est metuenda severitas.*

III. Nobilissimus baptismi effectus est infusio gratiæ sanctificantis, ac donorum supernaturalium virtutumque infusio; docente Trid. Sess. 6. cap. 7. Justificationis, *quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum... causa... instrumentalis est sacramentum baptismi.* Ac constat 1°. ex Scriptura sacra, 1. ad Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis,* scilicet per baptismum. 2°. Ex Patribus, Clem. Alex., Cypr., Cyrill. Hieros., Greg. Naz. supr. citat. Hæc vero gratia sanctificans alios post se effectus simul trahit; hominem filium Dei adoptivum reddit, amicum Deo; jus ad cœlestem gloriam confert; de quibus uberius consule Tract. de Grat.

IV. Confertur homini jus ad specialia gratiæ actualis auxilia ad assequendum baptismi finem, implendam sponsionem in baptismo factam. De quo jam dictum Tract. de Sacram. in gen. ubi de grat. sacramentali; uti quoque de alio baptismi effectu, charactere. Demum per baptismum, baptizati incorporantur Ecclesiæ, ipsique Christo ceu membra, 1. ad Cor. 6. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Et ad Gal. 3. 27. *Quicumque baptizati estis, Christum induistis; omnes enim unum estis in Christo,* id

est, S. Chrysostomo interprete, *eamdem formam, eamdem figuram habetis omnes, in illum per similitudinem transformati.*

124. *Dico II.* Proprietates baptismi sunt sequentes :

1°. Necessitas ejusdem, de qua jam actum toto præcedenti capite.

2°. Unitas, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma,* unitate scilicet specifica ejusdem sacramenti, ita ut non sit aliud specie baptisma in hominibus diversis, sed ut verum baptisma sit, semper in omni baptismo eadem esse debet specie materia et forma; sed et

3°. Initerabilitas, sive unitas baptismi talis, ut semel valide homini collatus, iterari in eodem amplius non possit. Constat ex Scriptura sacra ad Hebr. 6. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Quæ verba de sacramento pœnitentiæ, utpote quod potest iterari sæpius, non possunt intelligi; ergo de baptismo debent accipi juxta S. Ambrosium, Chrysostomum, aliosque Patres, ut dicetur Tr. de sacram. Pœnitent. Et vero peccatum originale, ob quod præsertim baptismus a Christo institutus, non iteratur; character, quem baptismus imprimit, indelebilis est; mors Christi, quam significat, semel contigit. Ratio vero a priori, voluntas Christi sic instituentis est, intimata et tradita nobis tum per Scripturas sacras, tum per traditionem, qua constat, nunquam iteratum fuisse baptisma, quod semel valide collatum; tum per definitiones Ecclesiæ in CC. Lateran., Vienn., Florent. et Trid. Sess. 7. de Sacram. in genere. Can. 9. ac de Bapt. Can. 11. Unde etiam tam rebaptizatus, quam rebaptizans scienter de jure ecclesiastico fiunt irregulares; de jure civili plectuntur capite L. 2. c. *Ne sanctum baptisma iteretur.*

Dices. Sicut ab Apostolo dicitur baptisma unum; ita fides una: sed, eo non obstante, repeti potest fides; ergo et baptisma.

R. *D.* Sic dicitur una quoad actum *N.* quoad speciem, objectum, finem *C.* Fides est vita, vel rectius actus vitæ, qui non unus, sed numero multus esse potest; baptismus vero est generatio in fide; illa vero non nisi una est. Nec obstat, quod baptismus sit, et dicatur sacramentum fidei; nam sic dicitur, quia per baptismum in fide generamur; non quod per eum reparemur ad fidem: etsi igitur fides quoad actum sit iterabilis; non tamen sic baptismus.

Dixi in Concl. *Baptismus semel valide collatus;* hoc est, quando de ejus valore sufficienter constat; in dubio vero, an valide collatus sit, quando repeti sub conditione possit, ac debeat, Theologia Moralis respondet.

DISSERTATIO II.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Sacramentum hoc vario olim sub nomine insignitum in Ecclesia fuit. 1°. A materia sua remota, *unguenti mysterium* appellatur a S. Dionysio Areopagita L. de Eccles. Hier. cap. 4. part. 1ª.; *Sacramentum chrismatis* a S. Aug. L. 2. contra litteras Petiliani cap. 104.; *Chrisma sanctum, supercœleste*, a Laodiceni Conc. Patribus Can. 7. et 48.; *Chrisma salutis* a Leone M. serm. 4. de Nativ. Dom. c. 5. 2°. A materia proxima, *impositio manus* a S. Hieron. contr. Lucifer., a S. Aug. L. 3. de Bapt. contr. Donat. cap. 16.; ab Isidoro L. 2. de Offic. Eccles. cap. 27. Demum quia confirmatus, dum ungitur, cruce signatur in fronte, *sigillum Domini* a Cornelio Papa epist. ad Fabium Antiochenum (Labb. t. 1. p. 675. A.); *signaculum Dominicum, spirituale* a S. Cypriano epist. 73. ad Jubaianum, S. Ambrosio L. de Mysteriis. At ab effectu suo nunc in Ecclesia vulgato nomine *Confirmatio* nuncupatur. Agemus de hac per sequentia capita :

1°. De Existentia, Materia et Forma sacramenti Confirmationis.

2°. De Ministro ejusdem, Subjecto, Effectu, præmissa de sacramento hoc summa doctrinæ Catholicæ ex CC. Flor. et Trid.

Decretum Concilii Florentini de Confirmatione pro Armenis sub Eugenio IV. an. 1439.

Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto. Forma autem est : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ordinarius minister est episcopus. Et cum cæteras functiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre : quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat : *Cum enim audissent,* inquit, *Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse Confirma-

tionis sacramentum. Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus, *qui Judæis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia,* secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.

Canones Sacri Concilii Tridentini de Confirmatione Sess. VII. 3. Martii an. 1547. sub Paulo III.

I.

Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum : aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS EXISTENTIA, MATERIA ET FORMA.

Confirmatio sumpta metaphysice, est *verum novæ Legis sacramentum baptizatos corroborans ad profitendam constanter christianam fidem* : physice, est *unctio chrismatis sub præscripta verborum forma in fronte baptizati, qua huic ex institutione Christi confertur augmentum gratiæ, et robur spirituale* : sumpta physice simul et metaphysice recte definitur : *Sacramentum corroborationis in fide per manuum impositionem, et chrismatis inunctionem sub certa verborum forma*; quæ definitio utramque Confirmationis essentiam explicat adæquate, ut ex dicendis patebit. Confirmationem hanc ex sacramentorum numero expungunt Protestantes omnino omnes. Lutherus L. de captiv. Babyl. satis esse, inquit, pro ritu ecclesiastico, seu ceremonia sacramentali Confirmationem habere, similem cæteris ceremoniis, consecrandæ aquæ, aliarumque rerum. Calvinus blasphemiis eam ac conviciis, ubiubi

potest, persequitur, in Instit. cap. 19. §. 8. eam *oleum* vocans, *diaboli mendacio pollutum*. §. 13. *abortivam sacramenti larvam* : atque, ut alia id genus absurda non referam, in Antidoto Conc. Trid. Sess. 7. Can. 2. majore dicam imperitia, an impostura : *olei qui faciat mentionem, nemo est eœ veteribus*. Chemnitius, quantumvis alias nasutulus, *nihil*, ait in Exam. Trid., *se olfacere olei et balsami in Scripturis*; forte tum, cum hæc scriberet, non fuerit emunctæ naris.

ARTICULUS I.

UTRUM CONFIRMATIO SIT VERUM, AC PROPRIE DICTUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM ?

125. *Dico*. Confirmatio est verum, ac proprie dictum novæ Legis sacramentum. Est de fide catholica, ut constat ex Can. 1. Sess. 7. Conc. Trident.

Prob. I. Ex Scriptura sacra : Act. 8. v. 14. 15. baptizatis per Philippum diaconum Samaritanis, *cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem ; qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat ; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Et Act. 19. v. 6. *Cum imposuisset illis* (duodecim discipulis recens baptizatis) *manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.*

Ex quibus tale formatur argumentum : Ad verum ac proprie dictum sacramentum, etiam adversariorum consensu, requiruntur sequentia : 1°. signum sensibile ; 2°. collativum gratiæ ; 3°. divinitus institutum, ac quidem permanenter : atqui in impositione illa manuum, de qua in Actis Apostolorum cit. loc., habentur ea singula. *Maj.* est Calvini L. 4. Instit. cap. 19. §. 5., Lutheri L. de Captiv. de Bapt., quos sequuntur cæteri eorum Sectarii. *Min. prob.* Nam 1°. adest signum sensibile, ut patet, impositio manuum; 2°. collativum gratiæ ; nam per impositionem illam manuum dabatur Spiritus sanctus, cujus nomine principaliter gratia sanctificans intelligitur ; 3°. divinitus institutum ; nunquam enim Apostoli ita secure ac constanter imposuissent manus, ut daretur Spiritus sanctus, nisi mandatum Domini tenuissent; non enim Apostoli pollebant potestate instituendi signa infallibiliter collativa gratiæ ; sed hoc potestatis excellentiæ est, quæ Christo erat propria. Ac demum permanenter hoc signum fuisse institutum a Christo, ex traditione constat, illiusque signi ab ipso Apostolorum ævo ad nostrum continuato in Ecclesia usu.

126. *Prob. II.* Ex Traditione, quæ eruitur 1°. ex omnis ævi Patribus ac summis Pontificibus ; 2°. ex Conciliis.

I. Ex SS. Patribus ac Pontificibus. Ac quoniam adversarii excipiunt, Catholicos sacramentum Confirmationis probare ex veterum Patrum scriptis partim suppositititiis, partim dubiæ fidei ; ejusmodi ultro missis, etsi saltem Scriptorum antiquorum sint, eorum referam testimonia, quæ et probatæ sunt alias fidei, et genuina habentur ab adversariis ipsismet, excepto forsitan S. Dionysio Areopag. ; at cujus scripta de Eccles. Hier. in peculiari Dis-

sertatione vindicabimus. Igitur argumentum tale est : SS. Patres ac Pontifices Confirmationem distinguunt a Baptismi ceremoniis ; docent quod habeat vim conferendi Spiritum sanctum, sive gratiam, atque veris sacramentis annumerant ; ergo.

Prob. Ant. Seculo I. S. Dionysius Areopag. S. Pauli Apostoli discipulus L. de Eccl. Hier. cap. 2. part. 2ª. §. 7. postquam totum Baptismi ritum descripsisset, de jam baptizato ait : *Initiatum* (baptizatum) *veste alba induunt : rursus illum ad pontificem ducunt, qui divinitus sacrato oleo virum consignat. Pontifex ipsum Eucharistiæ participem efficit.* Et cap. 4. part. 3ª. §. 11. rationem reddens, cur post Baptismum inungatur baptizatus : *Ei*, inquit, *qui sanctissimo divinæ regenerationis sacro initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur.* Hic S. Doctor 1. illam unctionem distinguit a ceremoniis Baptismi ; quia dabatur post Baptismum, sicut Eucharistia ; quia erat reservata episcopo ; 2. illam sacramentis veris annumerat ; quia elargitur Spiritum sanctum, quod ceremoniis Baptismi non competit.

Seculo II. Tertullian. in L. de Bapt. cap. 7. et 8. *Exinde*, ait, *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione... In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit, quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritualis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum.* Hic clare Tertullian. sacramentum exprimit distinctum a Baptismo, hujusque ceremoniis ; hoc enim Baptismo comparat, ac opponit ; ac sicut Baptismo, ita illi tribuit vim producendi effectum spiritualem, sive gratiam, quod nonnisi solis veris sacramentis convenit. Quin nitide adæquatam exprimit hujus sacramenti materiam, unctionem et impositionem manus. Quod rursus facit L. de Resurr. carn. cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur :* en Baptismus. *Caro signatur, ut et anima muniatur ; caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur :* en Confirmatio ejusque materia adæquata. *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur :* en Eucharistia. Tria hæc sacramenta conjungit Tertul.. ut ante Dionys., quod juxta disciplinam Ecclesiæ veteris conferrentur simul, quando baptizabantur catechumeni.

Seculo III. S. Cornel. Papa epist. ad Fabian. apud Eusebium L. 6. cap. 35. et Labb. Conc. t. 1. (p. 675.) de Novato ait : *Eum, postquam a morbo liberatus fuit* (ob quem baptizatus in lecto fuerat), *reliqua non percepisse, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent ; neque ab episcopo consignatum fuisse. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum potuit accipere?* Sed hoc signaculum non erat Baptismi ceremonia, cum conferret Spiritum sanctum, deberetque a solo impendi episcopo. S. Cyprian. epist. 73. ad Jubaian. n. 9. scribens de impositione manus Petri et Joannis super Samaritanos a Philippo diacono baptizatos : *Quod nunc quoque*, ait, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.* Clariora hæc rursum sunt, quam ut expositione indigeant.

Seculo IV. S. Cyrill. Hierosolymitanus Catech. 21. n. 1. et 2. *Et vobis*, ait, *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod*

gerit imaginem illius, quo unctus est Christus; hoc autem est Spiritus sanctus. Vos vero uncti estis unguento, facti participes et consortes Christi. Paria fere S. Ambros. tradit L. de Myster. cap. 6.

Seculo V. Innocent. I. epist. ad Decentium cap. 3. (Labb. t. 2. p. 1246.): *De consignandis,* inquit, *vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere; nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris (seu extra episcopum, seu præsente episcopo baptizent) chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Quibus nihil apertius; nam 1°. hic clare docet Pontifex unctionem confirmatoriam distinctam esse ab altera baptismali; cum hæc fiat in vertice, et a simplici presbytero; prior vero fieri debeat in fronte, et a solo episcopo. 2°. Unctionem illam esse eamdem Innocentii tempore cum illa Apostolorum Act. 8. 3°. Per illam confirmatoriam unctionem conferri Spiritum sanctum; sed hoc ceremoniæ tantum ecclesiasticæ convenire non potest. S. Augustin. L. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. n. 239. *In hoc unguento,* inquit, *sacramentum chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Ergo æque ac hic sacramentum. Ac Tract. 3. in 1am. epist. Joannis n. 5. *Unctionem habetis a Sancto, ut ipsi vobis manifesti sitis. Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili.* Prætermitto id genus plures Augustini, aliorumque Patrum textus, ne æquo in iisdem referendis sim longior; qui vero plures volet, consulat Bellarmin. de sacram. Confirm. L. 2. c. 6.

II. Ex Conciliis. In Conc. Eliberitano, cujus epocham Scriptores vulgo ad initium IV. seculi referunt, Can. 38. (Labb. t. 1. p. 974.) statuunt Patres: *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut, si sic pervixerit, ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Hæc vero manus impositio est 1°. confirmatoria; tum quia Confirmatio passim vocatur Christianorum perfectio; tum quia impositio manus, quæ ab episcopo super neophytum fieri debet, est confirmatoria. 2°. Est verum sacramentum; quia per hanc confertur gratia sanctificans, sive perfectio.

In Conc. Laodiceno circa an. 363. Can. 48. (Labb. t. 1. p. 1524.) rursus decernunt Patres: *Oportet eos qui baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiæ accipere, et regni Christi participes inveniri.* En duæ sacri chrismatis proprietates; prima, quod suo modo necessarium et præceptum sit, juxta illud, *oportet;* altera, quod regni Christi participes efficiat: sed id dici non potest de ritu, nisi cui gratia certo annexa sit. Similia plurima in Conciliis aliis comperies apud Bellarmin. hic, velut in Arausicano an. 441. (Labb. t. 3. p. 1447. C.) Hispalensi II. an. 619. cap. 7. (Labb. t. 5. p. 1666.) aliisque.

Ex hisce singulis detegitur 1°. quam falso edixerit Calvin. in Antidot. Concilii Trid. Sess. 7. Can. 2. *Olei qui faciat mentionem, nemo est ex vete-*

ribus; imo nec ex media illa ætate, quæ jam multis vitiis abundabat. 2°. Inepte prorsus responderi ab adversariis, ritum illum unctionis, de quo testantur Patres, fuisse tantum ceremoniam ecclesiasticam ac sacramentalem, vel sacramentum sensu solum improprio et latiore dictum; ut ex reflexionibus liquet ad singulorum textus factis, nuncque patebit amplius ex solutione objectionum, quibus utramque conclusionis probationem ex S. Scriptura et traditione impetunt hæretici. Unde

127. *Obj. 1. contr. prob.* 1am. ex S. Scriptura. 1°. Illa impositio manus, qua usi leguntur Apostoli Act. 8. et 19, non erat sacramentum, sed quædam ceremonia, nimirum oblatio baptizatorum Deo; solebant enim per impositionem manus offerre Deo, quos baptizaverant, ait Calvinus.

2°. Vel certe ad summum erat privilegium singulare, vel mandatum datum præcise Apostolis, ut per impositionem manus gratias gratis datas conferrent fidelibus; ergo modo nos tali signo temerarie utimur. *Conf.* ab eventu; nam ad impositionem manus factam ab Apostolis sequebatur effectus: descendebat Spiritus sanctus sensibiliter; *prophetabant, loquebantur linguis;* etsi vero quis nunc centies imponat manus, nihil tale percipitur; ergo erat privilegium personale Apostolorum; nunc vero nonnisi vacua et inanis ceremonia.

3°. Spiritus sanctus, qui datus legitur in Actibus Apostolorum, erat tantum Spiritus signorum, sive gratiarum gratis datarum, ut miraculorum; non vero gratia sanctificans; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Ex Joelis 2., ubi hoc prædicitur: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri.* 2°. Marc. ult. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, etc.* 3°. Ab effectu; passim in Actis observatur, quod ii, in quos descendebat Spiritus sanctus, loquerentur linguis.

4°. Et simul confirmantur ante dicta. Samaritani acceperunt per impositionem manuum Petri et Joannis Spiritum, quo adhuc carebant: sed non carebant Spiritu sancto sumpto pro gratia sanctificante, utpote quem in Baptismo receperant; carebant autem Spiritu sancto sumpto pro gratiis gratis datis; ergo et hunc solum receperunt postea, ut vult S. Chrysost. homil. 18. in Acta Apost. n. 2. (opp. t. 9. p. 146. B.) ubi quærit: *quomodo Spiritum sanctum illi Samaritani a Philippo baptizati non receperant?* statimque respondet: *Spiritum acceperant remissionis; Spiritum autem signorum nondum receperant.*

5°. Adventus Spiritus sancti Act. 8. exprimitur voce græca ἐπιπεπτωκὼς, quæ derivatur ab επιπίπω, quod significat *supercado, irruo;* ergo descensus violentus exprimitur, spiritus prophetici, non sanctificantis, qui suavis et lenis est.

128. *Ad* 1um. R. *N. Assertum et rationem.* 1°. Quia inane hoc figmentum est, nullo nixum testimonio. 2°. Per illam impositionem manus dabatur Spiritus sanctus, Act. 8.; ergo non erat simplex oblatio. 3°. Quia offerre Deo baptizatum non est quid majus, quam baptizare, præsertim juxta Calvinum, qui in hac ceremonia nihil esse mysterii ait; ergo potuisset offerre is ipse, qui baptizaverat: sed hoc negat S. Scriptura; nam Act. 8. baptizaverat Philippus; at manus imponere non potuit, sed hujus causa mittun-

tur Petrus et Joannes. Act. 19. præsente Paulo duodecim baptizantur viri, nec dicitur a quo, quia baptizare poterat quivis alius; sed Paulus solus baptizatis manus imposuit.

129. *Ad* 2um. R. *N. Ant.* Nam 1°. etsi Dominus Apostolos alloqueretur, cum promitteret Spiritum sanctum; in eis tamen toti illum promisit Ecclesiæ. 2°. Quia hunc ritum adhibitum ab Apostolis constanter tenuit Ecclesia ad conferendum Spiritum sanctum, ut constat ex prob. 2a. Concl. ex S. Cypr. quod nunc quoque apud nos geritur. S. Aug. Lib. 15. de Trinit. c. 26. n. 46. *Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Sicuti ergo hæc Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem,* similiaque alia, etsi ad præsentes dicta Apostolos, non erant his solis propria, sed et posteris communia; ita et promissio Spiritus sancti; utrumque enim eadem nos docet Traditio. 3°. Causa promittendi et dandi Spiritum sanctum non minus locum habet in nobis, quam Apostolis; semper enim fideles, etiam post Apostolorum tempora, egebant virtute Spiritus sancti ad confitendam in persecutione et alias intrepide fidem. Igitur promissiones Christi factæ Apostolis de mittendo Spiritu sancto, ut Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,* similesque, etiam posteros attinent.

Ad Conf. R. *N. Cons.* Etsi enim nunc non ita conferatur amplius Spiritus sanctus visibiliter per dona exteriora gratis data, prophetiæ, linguarum, et similia; confertur tamen adhuc invisibiliter quoad invisibilem gratiam. Neque enim per Spiritum sanctum impositione manus datum fidelibus, hæc præcise exteriora dona intelligi debent, ut dicetur in seq. sed principaliter Spiritus sanctificans, per gratiam scilicet sanctificantem. Cur vero tunc per impositionem manus daretur Spiritus sanctus etiam visibiliter per dona illa exteriora, ratio est, quod initio Ecclesiæ ad plantandam ac nutriendam fidem ejusmodi miracula essent necessaria, observante Aug. L. 3. de Bapt. contr. Donat. c. 16. ubi, *Neque enim,* inquit, *temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei et Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exspectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari.* Unde sicut non sequitur : Initio Ecclesiæ, qui credebant, patrabant miracula, juxta illud Marc. ult. *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur : super ægros manus imponent, et bene habebunt,* etc. : sed iste fidei effectus nunc cessavit; ergo fides nunc inanis et otiosa est; quia adhuc habet effectum suum principalem, qui est vivificare, juxta illud ad Hebr. 10. *Justus autem meus ex fide vivit* : Ita nec impositio manus nunc otiosa est, licet dona illa exteriora cessent; quia adhuc habet effectum alterum principalem, qui est conferre Spiritum sanctum invisibiliter, sive gratiam sanctificantem.

130. *Ad* 3um. R. *N. A.* Nam 1°. dona illa gratis data non sunt, nec dicuntur in Scriptura *Spiritus sanctus* simpliciter et absolute; cum hæc esse possint in peccatoribus; in quibus tamen non est Spiritus sanctus simpliciter et

absolute; ergo non tantum dona illa gratis data; sed principaliter gratia sanctificans tanquam effectus illius impositionis manus *ordinarius*; dona vero illa ceu *extraordinarius* ad dilatandam fidem et Ecclesiam, ut dictum; quo satisfit probationibus Antec. 2°. Dona illa gratis data non dabantur semper, nec erant communia omnibus, ut patet ex 1. ad Cor. 12. *Numquid omnes prophetant? numquid omnes loquuntur linguis?* sed Spiritus sanctus per illam impositionem manus dabatur omnibus, ut clare colligitur ex Act. 8. et 19. Demum 3°. dabatur Spiritus sanctus quem promiserat Christus Joan. 14. *ut maneat vobiscum in æternum*; sed hic est Spiritus sanctificans, non dona illa gratis data, quia hæc pridem cessarunt.

131. *Ad* 4um. R. *C. M. D. min.* Non carebant gratia sanctificante simpliciter, scilicet *regenerativa* in Baptismo accepta *C.* non carebant gratia sanctificante quoad augmentum et perfectionem, sive qua *corroborativa* in fide *N.* Addo, argumentum hoc probare, nec Apostolos in Pentecoste accepisse ullam sanctificantem gratiam; nam pariter dicam : Apostoli tunc acceperunt Spiritum, quo adhuc carebant : atqui non carebant Spiritu sancto relative ad gratiam sanctificantem; hanc enim jam ante acceperant; ergo. Sed hoc aperte falsum est, repugnans promissioni Christi Luc. ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*; sed hæc *virtus ex alto* erat gratia interior corroborans Apostolos, ut ex eorum immutatione constitit, cum qui ante timidi et meticulosi se continerent domi, hoc Spiritu sancto interius imbuti prosilirent in publicum, ac, non obstantibus quibusvis minis et terroribus, libere prædicarent, et confiterentur Christum.

Ad S. Chrysostomum R. Eum sub Spiritu signorum non excludere, sed simul comprehendere Spiritum gratiæ corroborativæ; nam post verba objecta subdit (n. 3.) *Philippus unus ex septem discipulis erat... ideo baptizans, Spiritum sanctum non dabat; neque facultatem habebat; hoc enim donum solorum Apostolorum erat... Nam virtutem quidem septem illi discipuli acceperant faciendi signa; non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare. Unde et præcipuos, et non alios videmus hoc facere.* Igitur, Chrysostomi ætate, episcopi et non alii conferebant Spiritum sanctum per impositionem manus : atqui ea ætate non conferebant Spiritum signorum, quia hæc tunc desierant; igitur conferebant Spiritum sanctificacationis ad robur, sive corroborantem per gratiam. Proinde cum Spiritum sanctum nunc dicat conferri solis ab episcopis, ut olim ab Apostolis, liquet, Chrysostomum per *Spiritum signorum* non exclusisse Spiritum sanctificationis, sed hunc subintellexisse.

132. *Ad* 5um. R. Etiam significat *illabor;* hoc vero frequenter etiam descensum suavem significat, ut legere est apud Cicer. L. de finibus, ubi voluptatis suavitatem per illapsum exprimit : *nam*, inquit, *si ea voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus, et ad eos cum suavitate affluereet, et illaberetur.* S. Lucas igitur apposite usus est voce græca, quæ utrumque descensum exprimeret, violentum, Spiritui signorum proprium; et suavem, qui proprius Spiritui sanctificanti est. Sed et eadem voce græca utitur Lucas ad exprimendam gratiam sanctificantem Act. 11. v. 15. *Cum cœpissem loqui*, ait S. Petrus, *cecidit* (in græco : ἐπέπεσε) *Spiritus sanctus super eos;* sed

hic Spiritus sanctificans indicatur, ut colligitur ex sequentibus, præsertim v. 18. ubi refertur, quod fideles, qui mirabilem hujusmodi descensum Spiritus super gentiles a Petro audiverant, *glorificaverunt Deum dicentes : ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Igitur gratia per hunc sancti Spiritus descensum collata, non erat præcise gratis data, sed sanctificans, scilicet conversionis, et vivificans.

133. *Obj. II. Cont. prob.* 2am. ex Tradit. 1°. Ex primis Ecclesiæ Patribus et Scriptoribus plures silent de sacramento Confirmationis; alii vero de ea loquuntur ut ceremonia post Baptismum peragi solita, vel hujus appendice; ergo.

2°. Sacramentum Confirmationis juxta Catholicos iterari non potest: sed illa impositio manus post Baptismum, de qua loquuntur Patres laudati, poterat iterari; ergo non erat sacramentum Confirmationis. *Prob. min.* 1. Ex facto S. Stephani Papæ, qui redeuntibus ab hæresi imponebat rursum manus, etsi rebaptizare eos nollet; quod ei vitio vertit S. Cyprianus, eum inde impugnans, quod illis de novo imponeret manus, eos rebaptizare tamen nollet. 2. Ex S. Aug. L. 3. de Bapt. contr. Donatist. cap. 16. dicente : *Manus autem impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super homines.*

3°. Apostoli per manus impositionem non dabant Spiritum sanctum tanquam hujus effectum; sed illum tantum oratione sua impetrabant, ut ait S. Aug. L. 15. de Trinit. cap. 26. n. 46. *Orabant quippe, ut Spiritus sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*; ergo impositio illa manus non censebatur esse sacramentum; hoc enim effectum suum, juxta nos, ex opere operato producit.

134. *Ad* 1um. R. *Quoad membr.* 1um. *N. Cons.* Plures etiam nihil de Baptismo, nihil de Eucharistia scripserunt, ut Athenagoras, Tatianus, aliique; num ideo etiam hæc sacramenta non sunt? Nimirum sæpe non poscebat, ut de sacramentis vel singulis, vel quibusdam scriberent, ratio et scopus scribendi, aliæque causæ. Vide de hoc argumento jam dicta in Tract. de Sacram. in gener. num. 28.

Quoad membr. 2um. R. *N. Ass.* cujus falsitas constat ex laudatis Patrum sententiis, quibus impositionem hanc distinguunt a Baptismo : illi effectum singularem ab effectu Baptismi distinctum tribuunt : administrationem illius solis aiunt episcopis esse propriam. Dabatur quidem plerumque impositio hæc statim post Baptismum neophytis; at non ideo erat ceremonia ad Baptismum pertinens, sicut neque Eucharistia, licet illa juxta disciplinam Ecclesiæ veteris pariter post Baptismum neophytis daretur ab Episcopo. Dixi : *plerumque*; nam nec semper impositio illa manus continuo Baptismum sequebatur; cum semper Apostoli non essent præsentes, nec episcopi, ut de baptizatis a Philippo Samaritanis Act. 8. liquet.

135. *Ad* 2um. R. *N. min. Ad prob.* 1am. R. Impositio manus facta a S. Stephano redeuntibus ab hæresi erat *reconciliatoria*; non *confirmatoria*, nisi pro illis, qui forte nondum confirmati fuerant. S. Cyprianus vero inde quidem arguebat contra Stephanum, sed ex supposito erroneo, quod putaret,

impositionem illam manus esse confirmatoriam, etiam pro illis qui confirmati jam fuissent; in quo deceptus fuerat, ut nunc amplius patebit.

Ad prob. 2am. R. Etiam S. Aug. de impositione manus reconciliatoria loquitur, 1°. quia alias passim docet, Confirmationem fieri *chrismate*, ut constat ex locis in Concl. cit.; hic vero non modo nihil de chrismate memorat, sed clare declarat, se loqui de impositione manus sine chrismate, consignatione; alias non diceret: *Quid enim est aliud, nisi oratio?* Sic vero fieri solebat reconciliatio redeuntium ab hæresi ad Ecclesiam. 2°. Quia constanter alias, ac præsertim L. 2. contra lit. Petiliani cap. 104. docet, æque parum iterari Confirmationem, quam Baptismum posse; sed utrumque sacramentum *esse et in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, et regnum cœlorum non possessuris.* 3°. Quia, ut ipse fatetur Calvinus, et constat ex ipso contextu, S. Aug. loquitur eo loco de *reconciliatione hæreticorum*; sed quoad hos manus impositio reconciliatoria distincta fuit in Ecclesia præsertim Occidentali a confirmatoria, ut diserte testatur Vigilius Papa epist. 2. ad Eutherium c. 3. (Labb. t. 5. p. 312. E.), et S. Gregorius L. 11. epist. 67. (opp. t. 2. p. 1167.) Igitur consuetudo Ecclesiæ Occidentalis fuit, hæreticos recipere impositione manus ad pœnitentiam, quæ erat reconciliatoria tantum; nisi forte nondum fuissent confirmati, tunc primo sic reconciliabantur, ac postea, ut modo facimus cum Protestantibus, confirmabantur.

136. *Ad* 3um. R. *D. M.* Non dabant Spiritum sanctum visibiliter, quantum ad dona gratis data *C.* hæc enim erant effectus Confirmationis extraordinarius et accidentalis; quæ non dabant Apostoli, sed orabant, ut darentur a Deo, quod vult S. Augustinus: non dabant Spiritum sanctum invisibiliter, quantum ad gratiam sanctificantem *N.* Si enim et hunc non nisi orando contulissent Apostoli, non fuerat sane necessum, ut Petrus et Joannes ad Samaritanos mitterentur; æque enim pro his orare poterant Hierosolymis, quam in Samaria.

137. *Obj. III.* 1°. Ritus hic imponendi manus non habet in Scripturis sacris promissionem gratiæ; ergo. 2°. Confirmationem olim non fuisse annumeratam sacramentis, colligitur, quod Ecclesia græca, Æthiopes, Armeni, Arabes, aliique orientales Christiani illam non accenseant sacramentis. 3°. Doctores Catholici circa materiam illius, ministrum, adhuc dissentiunt. Nescitur etiam, ubi, quando institutum sit; ergo.

138. *Ad* 1um. R. *N. A.* Promissio gratiæ habetur 1°. Joan. 14. v. 16. item: 15. v. 26. ac 16. v. 7. Actor. 1. v. 5. 8. 2°. Hæc promissio Spiritus sancti ipso constat facto Apostolorum, per impositionem manus Spiritum sanctum omnibus baptizatis conferentium. 3°. Ex traditione, qua constat, Spiritum sanctum ab omni ævo traditum fuisse in Ecclesia per Confirmationis ritum.

139. *Ad* 2um. R. Omnia falsa sunt. Nam Ecclesia græca constanter Confirmationem sacramentis accensuit; ut constat 1°. ex S. Cyrillo cit. in Concl. ac Conc. Laodiceno ibid. 2°. Ex Conc. Florent., in quo nihil de hoc sacramento actum cum Græcis, circa quod cum Latinis consenserant semper, teste Greg. Protosyncello, qui Synodo interfuit, ac contra Marcum Ephe-

sinum in Apol. septem sacramenta defendit. 3. Ex Ritualibus Græcorum antiquissimis editis a P. Goar. 4°. Ex responso Jeremiæ Patriarchæ dato legatis Confessionis Augustanæ, ac variis Synodis, quibus et Lutherus et Calvinus, etiam quod hoc aliaque sacramenta negarent, damnati. De Æthiopibus id pariter falsum esse testatur Alvarez monachus in Itinerario Æthiop. Ac quidem de Armenis patet 1°. ex epist. Gregorii VII. ad Archiepiscopum Synnadensem an. 1080., ex epist. Benedicti XII. ad regem et Patriarcham Armenorum, ex Conc. Flor. ut ante. Pariter falsum est de cæteris Orientis populis.

140. *Ad* 3um. R. *N. Cons.* Numquid etiam Lutherani et Calvinistæ inter se de materia et forma Baptismi dissentiunt? Lutherus in Sympos. cap. 17. dubitat, annon in lacte et vino conferri possit : pro forma eidem sufficit, baptizare *in nomine Domini*; negant alii : ac tamen Baptismum sacramentum affirmant. Nimirum dum circa rei naturam solum est disputatio, non ideo rei negatur existentia, quin potius ea supponitur. Sic Philosophi dissentiunt quoad naturam, motum Solis; num ideo Sol ipse non existet? Sic Theologi, etsi quoad aliqua dissentiant, omnes tamen Confirmationem sacramentum credunt.

Par ratio est quoad Confirmationis institutionem. Numquid etiamnum, quando Baptismus institutus sit, controversum est, diversis diversa sentientibus? At sacramentum tamen est, manetque. Cæterum communius creditur, instituta fuisse Confirmatio post Christi resurrectionem, quo tempore usque ad ascensionem egit cum Apostolis *loquens de regno Dei.* Act. 1. De quo tempore ait S. Leo serm. 1. de Ascens. c. 2. *Magna in eis confirmata sacramenta, magna sunt revelata mysteria.*

ARTICULUS II.

QUÆ SIT SACRAMENTI CONFIRMATIONIS MATERIA?

141. Non hæreo hic in inquirenda Confirmationis materia remota; cum, quæ ea sit, hoc ipso pateat per se, si de materia proxima constiterit, quæ scilicet materiæ remotæ applicatio est. Duplex vero ritus externus, vel materia in hoc sacramento occurrit; 1°. impositio manus; 2°. chrismatio, vel unctio chrismatica in fronte. Præterea impositio manus duplex in sacramento hoc intervenit; *prima,* quæ a chrismatione sejuncta ac diversa est; dum episcopus, extensis supra confirmandos manibus, oratione præscripta Spiritum sanctum advocat. *Secunda,* quæ chrismationi conjuncta est, nec ab hac distinguitur, dum episcopus imposita capiti confirmandi manu, pollice frontem signat, ungitque dicens : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Hinc quænam ex his materia essentialis sit, sive necessaria necessitate sacramenti Confirmationis; magna est inter Theologos controversia, et opinionum conflictus.

Pro impositione manus prima post Petrum Aureolum Archiepiscopum Aquensem et Cardinalem, qui initio sec. XIV. floruit, stat Jacobus Sirmondus noster in utroque Anthirrhetico, Rigaltius in Not. ad epist. 59. Cypriani,

Saintebeuve Tr. de Confirm. camque opinionem veram videtur supponere Petavius noster L. 2. de Eccl. Hier. c. 6. Non excludit tamen omnino unctionem ea sententia, sed illam admittit tanquam ab Apostolis, vel Ecclesia institutam ad majorem significationem effectus sacramentalis, ac tanquam accidentalem ritum.

Sunt e contra, qui materiam Confirmationis essentialem adæquatam in sola chrismatione statuunt, ut Petrus de Alliaco, pluresque Theologorum alii, quibus et favet Honorius Augustodunensis.

Alii rursum materiam Confirmationis in utraque chrismatione et impositione manus constituunt; at rursum inter se divisi. Quidam non nisi disjunctive, hoc est, ut alterutra sufficiat, vel simul utraque, prout Ecclesia determinarit; aiunt enim Apostolos primum simplici manus impositione usos, cum Spiritus sanctus sub visibili specie ignis descenderet; eo quod internum hujus sacramenti effectum satis testaretur externus ille ignis, qui divinitus apparebat, ac satis determinabat impositionem manus; verum postea, cum formæ illæ visibiles cessarent, Apostolos chrismatione usos fuisse eaque determinasse impositionem manus, quæ ad effectus varios adhibebatur, ad significandum effectum hujus sacramenti sigularem; itaque Ecclesiæ relictum potestati esse, quam vellet pro ratione temporis, determinandi. Favet huic sententiæ Conc. Mogunt. an. 1549. cap. 18. (Labb. t. 14. p. 676.) Cæteri vero conjunctive, sic ut utraque simul hujus sacramenti materia sit. Quorum tamen iterum alii requirunt impositionem manuum primam, a chrismatione distinctam, cui oratio ceu forma deprecatoria respondet: alii impositionem manuum secundam, quæ chrismationi annectitur, sufficere aiunt; Pontifex enim, qui frontem chrismat, capiti manum simul imponit. Ita Bellarminus, pluresque Theologi.

142. *Dico I.* Materia essentialis Confirmationis est 1°. chrismatio; 2°. impositio manus; 3°. eaque chrismationi annexa; sic ut ex duabus his partialibus constituatur una adæquata materia.

Prob. pars 1ª. de chrismatione ex traditione PP. S. Dionysii, Tertull., S. Cyrilli Hierosolymitani aliorumque, quos referebam Art. præc. qui omnes mentionem faciunt chrismatis; quibus porro addi possunt Leo M. epist. 88. (al. in. app. epist. 2.) scribens, ad episcopos pertinere, chrismate baptizatorum frontem signare; et serm. de Nativ. 4. c. 6. Greg. M. in Sacramentario inquiens, neophytos confirmari, dum Pontifex tincto pollice in chrismate frontem signat. Accedunt etiam Concilia laudata Artic. eod. quorum plura recenset Bellarmin. ex eoque alii. Ac constans utriusque Ecclesiæ græcæ ac latinæ consensus, ut ex prioris quidem antiquissimis Euchologiis constat apud Goarium. Ut proinde hac traditione nixa Synodus Florent. recte edicat in Decr. materiam hujus sacramenti esse *chrisma confectum ex oleo.. et balsamo.* Ac Trid. Sess. 7. Can. 2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.* Quibus clare supponit, chrismationem esse hujus sacramenti materiam.

Nec dici potest, Patres et Concilia ante Florent. loqui de chrismatione tanquam ritu accidentali; nam ut ex recitatis eorum liquet sententiis,

chrismationi vim conferendi gratiam tribuunt, quod de ritu mere accidentali dici non potest.

2°. Quia plures Patres effectum unctionis vel chrismationis æquiparant descensui Spiritus sancti super Apostolos die Pentecostes, ut S. Aug. serm. 83. de diversis (al. 227.); item Apostolicæ manuum impositioni, ut Innoc. I. supr. cit. (n. 126.), Isidorus Hispalensis L. 2. Eccles. offic. c. 27. aliique.

3°. Quia chrismationem sive unctionem diserte appellant sacramentum, vocem *sacramenti* sumendo proprie, dum Baptismo illam et Eucharistiæ æquiparant. Ita S. Dionys. Areop. L. de Eccl. Hier. cap. 4. initio, ubi ait hoc unguentum esse sacramentum, quod Eucharistiæ affine est., Tertull. cit. Art. præc., S. Cyrill. Hierosol. catech. 21. n. 2. et 3., Pacianus serm. de Bapt. n. 6., S. Aug. Tr. 6. in 1. Joan. epist. n. 10. et contr. litteras Petilian. L. 2. c. 104. aliique. Ac tandem asserunt, æque parum iterari hanc unctionem posse, quam Baptismum. Ita S. Optatus de Schism. Donatist. L. 7. c. 4. (opp. p. 103.) cum cæteris: sed hæc ritui mere accidentali non competunt; ergo.

4°. Quia tota occidentalis Ecclesia agnoscit, hanc formam Confirmationi essentialem esse: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis*; ergo et chrismatio debet esse materia essentialis; huic enim ea forma respondet, ut apparet tum ex his verbis: *Signo te signo crucis*; crucis enim signum inter ungendum imprimitur; tum ex his sequentibus: *Confirmo te chrismate salutis.*

143. *Prob. pars* 2ª. de impositione manus. Hanc enim 1°. ipsi leguntur adhibuisse Apostoli ad conferendum Spiritum sanctum. Act. 8. et 19. juxta dicta Art. præc.

2°. De ejus ab Apostolorum ætate continuato in Ecclesia usu testantur Patres sec. II. Tertull. de Resurr. carnis cap. 8. chrismationi impositionem manus conjungens. Sec. III. S. Cyprianus epist. 73. ad Jubaian. Utriusque verba require Art. præc. Item Firmilianus epist. ad Cyprian. ubi n. 8. ait (de confirmatoria impositione manus), ad accipiendum Spiritum sanctum manum imponi. Sec. V. S. Hieron. Dial. adversus Luciferian. n. 9., S. Aug. L. 15. de Trinit. c. 26. n. 46. postquam dixisset, Apostolos imponendo manus dedisse Spiritum sanctum, subdit: *Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Atque ita porro S. Chrys. homil. 18. in Act. Apost. n. 3. Greg. M. L. 11. epist. 67. (opp. t. 2. p. 1167. B.), Eulogius Alexandrinus contr. Novatian. L. 2. apud Photium, Biblioth. cod. 280. (p. 1606.), cæterique per subsequentia ad nos usque secula tam Latini, quam Græci. Quibus addi possunt Concilia, Hispalense II. an. 619. c. 7. (Labb. t. 5. p. 1666.), Coloniense an. 1536. part. 7. c. 8. (Labb. t. 14. p. 533. A.) inquiens: *Omnes fideles... per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Cui consonat Conc. Rhemense an. 1583. in c. 9. (Labb. t. 15. p. 891. C.) de Confirmatione ita disserens: *Quamvis unusquisque per Baptismum catalogo fidelium sit adscriptus... tamen... nonnisi per impositionem manuum episcopi, plus roboris et gratiæ recipit.* Et Narbonense an. 1609. cap. 15. (Labb. ibid. p. 1587. E.) affirmans, *sanctorum Patrum institutionibus constare... post Baptismum in hoc sacramento, quo per impositionem manuum episcopi Spiritus sanctus dif-*

funditur in corda fidelium, robur atque fortitudinem dari; aliaque complura.

Neve rursum dici possit a secundæ sententiæ patronis, qui pro sola stant chrismatione, Patres ac Concilia loqui de impositione manus ceu ritu quodam accidentali, non materia essentiali partiali; obstat

1°. Quod Patres ac Concilia huic manus impositioni æque ac chrismationi vim conferendi Spiritum sanctum sive sanctificandi simpliciter ac absolute tribuant; ergo illis materia essentialis erat.

2°. Quia impositionem manus dicunt veri nominis sacramentum: accensent cæteris novæ Legis sacramentis: quoad vim causandi gratiam comparant Baptismo, Eucharistiæ, ut Tertullian. cit., S. Aug. tum L. 15. de Trinit. cit. tum Tract. 6. in 1. epist. Joan. ubi (n. 10.) ait 1. manus imponi baptizatis, *ut accipiant Spiritum sanctum*: 2. hanc manus impositionem habere rationem *sacramenti*, ac quidem veri; nam baptizatum qui hanc manus impositionem suscipit alloquens: *Vis nosse*, ait, *quia accepisti Spiritum, interroga cor tuum; ne forte sacramentum habeas, et virtutem sacramenti non habeas.* Ac præter Patres alios ac Concilia laudata, Parisin. VI. an. 829. L. 1. cap. 27. (Labb. t. 7. p. 1621.), Sarumense c. 13. (id. t. 11. part. 1ª. p. 251. A.), Moguntinum c. 17. (Labb. 14. p. 676.) etc.

144. *Prob. pars* 3ª. 1°. Ex Pontificali Romano, quod post extensionem manus primam cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus, etc.* præscribit, ut *Pontifex sedens super faldistorium, vel etiam, si multitudo confirmandorum exegerit, illis dispositis... Pontifex stans cum mitra illos confirmet genuflexos... Et Pontifex inquirit sigillatim de nomine cujuslibet confirmandi, etc.* E quibus infero: ergo antea, post impositionem manus primam, non erant confirmati; ac proinde impositio illa manus essentialis non est.

2°. Concilium Biturcense an. 1584. Tit. 20. de Confirm. sacram. Can. 3. (Labb. t. 15. p. 1088.), postea approbatum a Sixto V. nullam aliam in administratione hujus sacramenti præscribit formam præter istam: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, etc.* Hæc vero forma unctioni respondet, non primæ et prævia impositioni manus; ergo tantum impositio manus unctioni annexa est materia essentialis; quia generaliter in sacramentis forma materiam comitari debet.

Neque dicas: a Concilio non excludi idcirco formam aliam deprecatoriam, quæ primæ impositioni manus respondet; sicut dum Conc. Florent. in Decr. ad Armenos materiam Ordinis assignat traditionem instrumentorum, non ideo excludit impositionem manus. Nam Conc. Florentinum intendebat instruere Armenos in iis, in quibus ab Ecclesia latina differebant; at ab hac non differebant quoad impositionem manus, sed solum quoad traditionem instrumentorum; ideo hujus solum meminit Concilium in Decr. At nihil hujusmodi occurrit in Conc. Bitur.

3°. Hujus impositionis manus a chrismatione indistinctæ, tanquam essentialis meminerunt ex antiquis Scriptores plurimi. Sec. VII. Ven. Beda in Ps. 26. *Illa unctio, quæ per manus impositionem fit ab episcopo, vulgo Confirmatio dicitur.* Sec. VIII. Amalarius L. 1. de Officiis c. 27. *Ut ab episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est.* Sec. IX. Rabanus L. 1. de Instit. Cleric. cap. 28. ex S. Sylvestro refert, *ad solum episcopum pertinere, ut baptizatum per manus impositionem cum ipso*

chrismate consignet. Sec. eod. RATRAMNUS L. 4. cont. Græcor. opposita c. 7. *Donum Spiritus sancti tribuitur per impositionem manuum, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur ab episcopo.* Sec. XII. RUPERTUS Lib. 5. de div. Officiis cap. 16., HUGO VICTORIN. Lib. 1. de Sacram. Fidei cap. 10. aliique loquuntur.

4°. Non aliter sentit Ecclesia græca, quæ nullam impositionem aliam manus adhibet, præter eam, quæ est chrismationi annexa, ut constat tum ex eorum Eucholog is tam antiquis, quam recentibus a GOARIO editis; tum ex GREG. Thessalonicensi, et MICH. PALÆOLOGO, qui in professione fidei, quam an. 1274. ad GREG. X. misit, diserte ait : *Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt chrismando renatos.* Plura huc pertinentia argumenta ex iis colligere erit, quæ dicemus de forma hujus sacramenti.

Cæterum existimant plures, olim saltem ante sec. VI. impositionem manus ab unctione distinctam fuisse, quæ postea cum chrismatione in Ecclesia conjuncta fuerit, sicque actiones duas coaluisse in unam. Quod facere Ecclesia potuit, salva sacramenti substantia. Unde quidquid de eo sit, nihil nobis officit, qui de materia essentiali, qualis est hodie in Ecclesia, loquimur.

145. *Obj. I. contra chrismationem.* 1°. In Scriptura S. Act. 8. et 19. ubi de Confirmatione agitur, nulla fit chrismatis mentio, sed tantum impositionis manuum; ergo.

2°. SIRICIUS Papa epist. ad Himmerium an. 385. cap. 1. (Labb. t. 2. 1017.) *Quos* (Arianos) *nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus. Quod etiam totus Oriens Occidensque custodit;* ergo sola tunc impositio manus fuerat Confirmationis materia.

3°. S. BASILIUS M. L. de Spiritu sancto cap. 27. n. 60. *In nullo,* inquit, *libro scripto haberi chrisma.* Conc. vero MOGUNT. et BITURICENSE, ac S. THOMAS 3. p. q. 72. a. 2. ad 1. docent, ab Apostolis initio solam impositionem manus esse adhibitam. Quin liber Pontificalis DAMASI in vita Sylvestri Papæ (Labb. t. 1. p. 1408. E.) testatur chrisma institutum esse a SYLVESTRO. Auctor serm. de Chrism. inter opp. CYPRIAN. (edit. Paris. 1666. p. 335.), unctionem ex Testamento veteri relictam esse ait.

4°. Conc. ARAUSICAN. I. Can. 2. (Labb. t. 3. p. 1447.) docet, unctionem sacramento Confirmationis non esse necessariam ; ait enim : *Nullus ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate unquam debet progredi; quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione sacerdos* (hoc est episcopus) *commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est : non ut præjudicans quidquam; sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio ;* ergo in Confirmatione chrismatio frontalis non est necessaria.

5°. Materiæ, quæ sacramento essentialis est, sua debet congruere et correspondere forma ; sed satis diu obtinuit mos in Ecclesia Romana, ut in Confirmatione fideles ungerentur in fronte, quin tamen forma unctioni respondens proferretur ; nam in Sacramentario GREG. M. pontifex signat

frontem chrismate, quin aliquid legere esset de forma aliqua, quam signando adhiberet; ergo.

6°. Quoad unctionem varia Ecclesiæ disciplina fuit; nam 1. aliquando ante impositionem manus fuit adhibita; 2. a simplicibus exercita presbyteris in ipso Baptismi actu; nunc vero a solis peragitur episcopis; 3. Græcorum chrisma multum ab illo Latinorum differt; priores enim facile triginta aromatum species miscent. Sed materia essentialis debet esse eadem.

7°. Sæpe Patres aliis etiam ecclesiasticis ritibus effectum spiritualem tribuunt; nec tamen idcirco ritus illi inter sacramenta recensendi sunt. Ita quoque in confectione Eucharistiæ aquam miscendam esse vino, clamat traditio, nec tamen aqua materia essentialis est. Demum unctionis ritus, ait Chemnitius, a gentilibus athletis videtur mutuatus, ut non obscure innuit ipse S. Dionysius L. de Eccl. Hier. cap. 2.

146. *Ad* 1um. R. 1°. Etsi in Actibus Apostolorum non fiat chrismatis mentio, fit tamen in Scriptura alibi: 1. Joan. 2. *Sed vos unctionem habetis a Sancto*; quod de Confirmatione intelligit S. Aug. Tr. 3. in. 1. Joan. epist. n. 5.; sicut quoque hoc alterum ibid.: *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis*, idem Aug. loc. cit. n. 12. cum S. Cyrillo catech. 3. de Confirmatione accipit. 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos Deus... et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*; quod pariter de Confirmatione dictum intelligit S. Ambrosius L. de mysteriis cap. 7. Verum his suo valori permissis,

R. 2°. cum Bellarmino de Confirm. L. 2. c. 9. *D. A.* Nulla fit chrismatis mentio; sed tamen neque excluditur in citatis locis, quin potius simul subintelligitur *C.* et simul excluditur *N.* Apostolos, quando confirmabant, semper manus imponendo signasse chrismate, ac proinde Lucam ritum hunc brevitatis causa declarasse per manus impositionem, per hanc vero rem totam, etiam chrismationem designasse, probatur his rationibus.

1. Quia constat ex traditione utrumque ad Confirmationis ritum pertinere, et perinde esse, sive unum, sive alterum exprimatur; nam Patres, qui uno in loco dicunt, per impositionem manus dari Spiritum sanctum, iidem alio in loco dicunt, dari per unctionem; ac aliquando utrumque simul conjungunt. Sic Tertul. L. de Resurr. carn. c. 8. agens de Confirmatione, dicit, carnem ungi, signari, et manus impositione obumbrari; sed L. de Præscript. cap. 4. solum exprimit signari in fronte. Et L. 1. cont. Marcion. cap. 14. tantum exprimit unctionem; at L. de Bapt. c. 7. et 8. unctionem et manus impositionem. Sic S. Cyprian. epist. 70. n. 2. solius meminit unctionis; et epist. 74. n. 5. solius manus impositionis, etsi utrobique de re eadem disserat: at epist. 73. ad Jubaian. n. 9. et impositionis manus, et unctionis sub nomine *signaculi dominici*. Sic Conc. Arelatense I. Can. 8. (Labb. t. 1. p. 1428.) tantum nominat impositionem manus; ac tamen Arelat. II. paulo post celebratum, tractansque eamdem rem Can. 17. (Labb. t. 4. p. 1013.) utriusque, tam unctionis quam manus impositionis meminit. Plura id genus exempla afferri possent. Quid ergo mirum, si S. Lucas totum ritum vocabulo uno expresserit?

2. Quia S. Dyonysius Apostolis coævus expresse chrismatis meminit loc.

sup. cit.; ergo hoc viderat usurpatum ab Apostolis. Et cur non usurparint pariter Act. 8. et 19.

3. Quia Patres ut probent, unctionem chrismatis, per quam datur Spiritus sanctus, ad solos spectare episcopos, allegant verba Lucæ Act. 8. ut S. Cyprianus epist. 73. ad Jubaian. n. 9., Innocentius I. epist. ad Decent. Isidorus Hispalensis, Beda, Ordo Romanus, etc.; ergo aut Apostoli Act. 8. dum manus imponebant, simul ungebant chrismate; aut male argumentabantur Patres.

4. Brevitatis causa sæpius in Scripturis dici aliquid compendio, quo cætera eo pertinentia simul tamen debent intelligi, ex Scriptura constat. Sic ad Tit. 3. ait Paulus nos salvari per lavacrum regenerationis, quin quid dicat de verbo; et tamen sine dubio intellexit lavacrum cum verbo, ut ipse expressit alibi ad Ephes. 5. Sic Act. 8. Philippus baptizavit Eunuchum, postquam respondisset: *Credo;* et tamen notat recte Aug. L. de Fide et operib. cap. 9. Lucam per compendium rem attigisse; ac omnino credendum esse, de pluribus aliis Eunuchum interrogatum fuisse, pluresque adhibitas ceremonias: *In eo*, inquit, *quod ait* (S. Lucas), *baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda.* Et plura sunt hujusmodi, quæ longum foret recensere. Ob hæc

R. 3°. Cum aliis breviter: *T. A. N. Cons.* quia licet non exprimatur in Scriptura, constat tamen ex traditione.

147. *Ad* 2um. R. *N. Cons.* Non enim de impositione sicca, sed quæ annexam chrismationem habet, Siricius loquitur; nam de ea loquitur impositione, quam *totus Oriens, Occidensque* custodiebat: atqui nec hic, nec iste utebatur impositione sicca, quando Catholicorum conventui sociabantur hæretici; siquidem tribus ante annis, quam hæc scriberet Siricius, declaraverat Synodus generalis II. sive Constantinop. I. Can. 7. an. 385. (Labb. t. 2. p. 952. B.) qua ratione Ariani, Novatiani aliique hæretici extra Ecclesiam valide baptizati debeant ex antiqua consuetudine recipi; nimirum: *Dantes quidem libellos, et omnem hæresin anathematizantes... et signatos, sive unctos primum sancto chrismate... et eos signantes dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti.* Sed hoc Siricium latere non poterat; imo ad hoc provocat: *sicut est in Synodo constitutum;* ergo intelligit impositionem manus non nudam siccamque, sed conjunctam unctioni. Quo rursum confirmatur data ad 1um. responsio ex Bellarmino. Loqui vero Synodum generalem II. de impositione manus confirmatoria late probat P. Goar in Notis ad Officium S. Baptismatis n. 31. Morinus L. 9. de Pœnit. cap. 9. patetque vel ex his: *Signaculum doni Spiritus sancti*, quæ etiamnum apud Græcos forma est sacramenti Confirmationis. Sed

Dices: S. Greg. M. L. 11. ep. 67. inquit: *Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat;* ergo Gregorii ætate unctio non censebatur essentialis in Occidente.

R. *N. Cons.* Sed ratio hujus discriminis est, quod, ut Bellarm. vult, ætate Gregorii, qui an. 590. electus summus Pontifex fuit duobus integris post Siricium seculis, Ariani in Occidente confirmarentur chrismate; secus vero in Oriente; hinc in Occidente reversi ab hæresi recipiebantur sola impositione

manus reconciliatoria; in Oriente vero unctione chrismatis, veram iis conferendo Confirmationem. Deinde

R. Permisso, Greg. loqui de impositione manus confirmatoria in Occidente, hoc vocabulo non ideo excludit unctionem, sicut hæc neque excludit impositionem manus : neque opponit impositionem manus unctioni velut rem rei, materiam materiæ, sed solum nomen nomini; quatenus ritus, quo recipiebantur hæretici apud Occidentales sec. VI. Greg. ætate appellabatur impositio manus; apud Orientales unctio. Alterum dicere omnes debent, ne alias secum ipso pugnet Gregorius; chrismationem enim verbis disertis docet in Expositione cap. 1. Canticor. ad illa verba : *botrus Cypri,* ubi ait, chrisma, quo dona Spiritus sancti exprimuntur, confici ex balsamo et oleo cum pontificali benedictione.

148. *Ad* 3um. R. S. Basilius solum vult, chrismatis non fieri mentionem expressam in aliquo Scripturæ libro; ait tamen loc. cit. se habere hoc ex traditione : *Consecramus aquam Baptismatis; et oleum unctionis. Ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam porro olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit?* Quod Patres Moguntinos, et Bituricenses, tum S. Thomam attinet; erat hæc eorum opinio, quod Apostoli, cum Spiritus sanctus adhuc visibiliter descenderet, sola impositione manus usi sint, externo illo visibili igne satis effectum significante hujus sacramenti; at postea, cessantibus signis ac descensu visibili Spiritus sancti, adhibuerint chrisma. Unde non negant, ab Apostolis esse chrisma adhibitum. Cæterum cum hujus mutationis factæ ab Apostolis nullum extet fundamentum sive in Scriptura, sive in Patribus, plerique Theologi parum deferunt huic sententiæ, viæ magis tritæ aliorum Patrum insistentes. Damasus solum vult, Sylvestrum præcepisse chrismationem *verticalem,* quæ in Baptismo fit, ut presbyteri baptizati verticem chrismate tangerent : hæc vero chrismatio differt ab altera Confirmationis, quæ in fronte fit, et *frontalis* dicitur. Prior poterat fieri a simplice presbytero ordinarie; non vero frontalis, ut constat ex Patribus in Concl. Cæterum a Sylvestro non potuisse chrisma primum institui, evidens est ex Patribus Sylvestro longe antiquioribus. Demum serm. de Chrism. clare dicitur unctio hæc instituta divinitus, quanquam manasse dicatur ex Testamento veteri; quatenus scilicet in eo præfigurata fuit, sicut etiam aqua Baptismi in lustrationibus variis; sed hoc non obstat, quo minus esse possit materia sacramenti novæ Legis. Eodem modo explicandus est Tertull. L. de Bapt. cap. 7. dicens, unctionem desumptam esse ex veteri disciplina, scilicet veteris Legis.

149. *Ad* 4um. R. Etiamnum incertum esse, an Canon. cit. in object. debeat legi cum particula negante *non,* an sine hac? Legi cum hac particula debere, olim contendebat Sirmondus e Societate nostra, multa proferens exemplaria, quæ revera particulam illam negantem continebant. E contra sine hac particula esse Canonem legendum Petrus Aurelius, sive Abbas Sancyranus volebat, pariter complura exhibens exemplaria sine ea particula negante. Verum sive sumatur Canon, prout illum retulimus, cum particula *non,* sive sine hac, nihil officit. *Si hoc ultimum;* aperte nostræ favet sententiæ; sensus enim erit, quod chrismatio utraque, tam verticalis in Baptismo,

quam frontalis in Confirmatione sit necessaria, sed diverso modo; prior ceu ceremonia, si in Baptismo omissa fuisset, supplenda ex præcepto Ecclesiæ: altera ceu materia Confirmationis, sicque ut necessaria necessitate sacramenti. *Si vero primum*; sensus est : Si in Baptismo, quacumque ex causa vel necessitate, unctio verticalis fuerit prætermissa, episcopus, antequam hunc neophytum confirmet, moneatur, ut illam suppleat. Hæcque unctio verticalis non præjudicat frontali alteri et confirmatoriæ; quia etsi ex more et præcepto Ecclesiæ suppleri debeat, non tamen est de necessitate sacramenti; ideoque ait Canon : *Sed ut non necessaria habeatur repetita*, sive duplex *chrismatio*, scilicet necessaria necessitate ipsius sacramenti Confirmationis, quod subsistet, etsi verticalis non suppleatur, modo adhibeatur frontalis una.

150. *Ad* 5um. R. *N. min. Ad ejus prob. N. Cons.* Quia in Sacramentario Gregorii, uti et in quibusdam aliis solum describitur oratio præparatoria Confirmationis; non vero forma, quæ, utpote plerumque breves in sacramentis, antiquitus potius mandabantur memoriæ. Sic quoque antiquissimas Liturgias exhibet P. Mabillonius, in quibus nequidem forma consecrationis est. Ac plures Rituales libros profert P. Martene, scriptos ante nongentos annos, in quibus nulla de impositione manus fit mentio in Confirmatione. Imo in multis forma desideratur Baptismi. Ita quoque in hoc ipso Sacramentario Gregorii nulla fit mentio formæ absolutionis. Cæterum etsi in hoc Sacramentario expressa non extet correspondens chrismationi forma; est tamen in plurimis antiquissimis aliis, ut dicetur, ubi de forma hujus sacramenti agemus.

151. *Ad* 6um. R. Nulla saltem fuit mutatio quoad substantiam. Nam *quoad* 1um. *membr.* si sermo sit de unctione, quæ præmissa Baptismo fuit; hæc non erat confirmatoria, nec esse poterat : si de unctione in Confirmatione, ut factum fuisse aliquando quidam colligere se autumant ex cit. supra Tertull. L. de Resurr. carn. cap. 8., nihil officit; cum sive præiverit, sive post impositionem manus sit adhibita, sive cum hac conjuncta fuerit, sit tantum accidentalis diversitas. *Quoad* 2um. *membr.* hæc chrismatio Baptismatis fuit, non frontalis confirmatoria; cum nunquam sub ipso Baptismo, sed post hunc sit data Confirmatio. *Quoad* 3um. *membr.* etsi plures herbarum fragrantium species admisceant Græci, hæ tamen illis tantum accidentales sunt; sola vero olei et balsami mixtio ipsis essentialis est.

152. *Ad* 7um. R. *quoad* 1um. *membr.* Si quando Patres ritibus ecclesiasticis aliis tribuant spiritualem effectum, hunc iis ex opere operantis, non ex opere operato tribuunt. *Quoad* 2um. *membr. disparitas* est, quod constet ex Traditione, mixtionem aquæ esse tantum necessariam necessitate præcepti, non sacramenti, non ut materiam essentialem. At de chrismatione ceu Confirmationis materia loquuntur laudati Patres. Demum S. Dyonisius non Ethnicis aut Judæis ipsis, sed Apostolis, ut ex ejus verbis cit. in Concl. liquet, doctrinam chrismatis tribuit; quod vero de athletis ait, solum declarare vult hujus sacramenti effectum, qui est corroboratio; sicut enim athletæ ungebant se, ut fortiores et habiliores redderentur ad certamen cor-

porale, vincendosque æmulos; ita ungimur sacro chrismate, ut in certamine spirituali reddamur victores. Qua similitudine Patres passim utuntur.

153. *Obj. II. contra impositionem manus*, 1°. EUGENIUS IV. in Decr. Union. ad Armenos inquit (Labb. t. 13. p. 536.) : *Loco illius manus impositionis* (de qua Act. 8.) *datur in Ecclesia Confirmatio.* Similiter INNOCENT. III. cap. *Cum venisset,* de sacr. unct. *Per frontis*, ait, *chrismationem designatur manus impositio*; ergo abolita est in Ecclesia impositio manus a materia essentiali.

2°. Varii tum antiquiores, tum recentiores, atque inter hos S. THOMAS pro Confirmationis materia adstruunt chrismationem, sine mentione alicujus impositionis manus; ergo.

3°. Impositio manus in veteri Ecclesia statim post Baptismum fuit data catechumenis; ergo tantum ceremonia Baptismi erat, et hujus appendix.

4°. Ecclesia ratam habet Confirmationem Græcorum : atqui hæc apud Græcos sine impositione manus fit, ut constat ex horum Euchologiis; ergo.

5°. Juxta INNOCENT. IV. epist. 10. ad Ottonem Cardinalem c. 4. (Labb. t. 11. p. 613.) *Soli Apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur*; ergo nunc per chrismationem.

154. *Ad* 1um. R. *N. Cons.* Nec enim EUGENIUS, vel Conc. FLORENT., nec INNOCENT. III. hoc volunt dicere, chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non essent usi chrismate, et nos non uteremur impositione manus; sed idipsum nunc facere episcopos per chrismationem, quod faciebant Apostoli, quando dicebantur imponere manus. Igitur utriusque loci sensus est, non quod ritus distinctus ritui, res rei subrogata sit, sive quod chrismatio posita sit loco impositionis manus, hac exclusa; sed quod nomen nomini successerit, quodque ritus ille, qui olim impositio manus dictus, nunc dicatur Confirmatio. Ratio responsionis est 1°. quia non dicitur in citatis locis, quod *chrismatio* successerit impositioni manus; sed quod *Confirmatio*. 2°. Quia INNOC. III. id aperte indicat, dum post ea verba : *Per frontis chrismationem designatur manus impositio,* immediate addit : *quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* Unde et Conc. SENONENSE an. 1528. in decreto de sacram. Confirm. (Labb. t. 14. p. 452.) ait : *Tunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est sacramentum.*

Ad 2um. R. Eos loqui de chrismatione, impositione manus non exclusa, sed inclusa, et ab hac indistincta. Vide etiam dicta ad object. 1. supr. n. 146.

Ad 3um. R. *N. Cons.* Etiam antiquitus baptizatis adultis dabatur post Baptismum Eucharistia, an proinde Eucharistia appendix ceremonialis Baptismi fuit? Nimirum tria hæc sacramenta conferebantur neophytis simul, Baptismus, quocum fiebat impositio manus verticalis; deinde Confirmatio per impositionem manus frontalem conjunctam chrismationi; tum vero Eucharistia.

Ad 4um. R. 1°. Varios e Græcis Patribus meminisse solius impositionis manus; nemo tamen inde inferet, a Græcis chrismationem excludi.

R. 2°. *C. M. D. min.* Fit apud Græcos sine impositione manus distincta a chrismatione *C.* indistincta *N.* In ipsa chrismatione includitur impositio manus; per hanc enim fit chrismatio; alia vero impositio manus non est necessaria

Si dicas cum SIRMONDO : Ridiculum esse, chrismationem in fronte dicere impositionem manus, eo quod per manum fiat. Et vero alias unctio baptismalis etiam dici poterit impositio manus; imo unctio infirmorum.

R. *N. Assert.* Nam 1°. et in Scriptura sacra simile quid legimus Marc. 7. 33. ubi cum adduxissent ad Jesum surdum et mutum, *deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Et Jesus *misit digitos suos in auriculas ejus, etc.* Hoc ergo etiam erat manum imponere. 2°. Neque hoc ridiculum visum viris doctis, RUPERTO L. 5. de Divinis offic. c. 16. HUG. VICTORINO L. 2. de Sacram. p. 7. c. 3. dum referunt Decretum S. SYLVESTRI : Sylvester Papa constituit, *ut baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat propter occasionem transitus mortis, ne forte propter absentiam episcopi, et difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret.* En unctio illa verticalis, quia manu fiebat, dicitur impositio manus; neque hoc ridiculum videbatur S. SYLVESTRO. Non diffiteor tamen, unctionem utramque, baptismalem et infirmorum non æque communiter dici impositionem manus, ac unctio confirmatoria; cujus vero ratio est, quod nunquam impositio manus habita sit materia vel Baptismi vel Extremæ unctionis, sicut e contra Confirmationis, in qua impositio manus se unctioni frontis confert, in eamque quodammodo transit : quanquam etiam hic adhuc suo modo manus impositio distinguatur ab unctione, siquidem episcopi, dum pollice frontem ungendo tangunt, manum reliquam capiti imponunt.

Ad 5um. R. Eadem est responsio, quæ supra ad primum; repræsentare enim idem est, ac præsentem sistere; frontis autem chrismatio manus impositionem præsentem sistit, quia ipsam complectitur.

ARTICULUS III.

QUALIS CHRISMATIO SIT AD CONFIRMATIONEM, ET QUOMODO NECESSARIA?

155. *Præmitto.* Chrisma e græco fonte desumptum nomen est, idem importans, quod *unguentum* Latinis; oritur enim a χρίω, id est, *ungo.* Hinc in epist. INNOCENT. I. ad Decentium cap. 8. materia unctionis infirmorum, quæ purum oleum est, *oleum chrismatis* vocatur. Communi tamen usu Ecclesiæ per chrisma illud tantummodo unguentum designatur, quod ex oleo et balsamo confectum unctionibus in Baptismo et Confirmatione fieri solitis inservit. Per oleum vero simpliciter dictum illud intelligitur, quod ex olivis fit: quod enim ex nucibus, amygdalis aliisque rebus elicitur, non nisi ad prioris similitudinem oleum appellatur. Balsamum vero judaicum sit, sive indicum, perinde est. Soli quidem Palæstinæ concessa hæc arbuscula olim credebatur : in utrisque tamen Indiis etiam reperta est, ex quibus, quod exsudat, nostras in regiones defertur. Quin nostris etiam in terris quædam visuntur arbusculæ ex Indiis advectæ. Ac CLODOVEI tempore

magnam balsami copiam fuisse in Galliis, testatur Gregorius Turonensis L. 2. Histor. cap. 31. Quoad oleum facile inter Theologos convenit, ad substantiam et valorem Confirmationis requiri oleum olivarum. Utrum vero hoc necessario, necessitate sacramenti, misceri debeat balsamo? ingens est, salva fide, inter eosdem controversia. Dico: *de necessitate sacramenti*; nam de necessitate præcepti nemo est, qui ambigat; nec est ambigendi locus.

Pro *negativa parte* stant Doctores multi gravissimique, Cajetanus, Dominicus Soto, Estius, Valentia e Societate nostra 3. p. Disp. 5. q. 1. puncto 2. simul inquiens, hanc opinionem esse tam illustrium Doctorum auctoritate firmatam, ut contraria nequaquam communis dici possit, Vuitasse, Tournely, etc. Pro *affirmativa* sunt D. Thomas, Bonaventura, Scotus, aliique plurimi. Lubet utriusque partis intueri momenta, et quid ad ea responderi possit.

§. 1.

Momenta sententiæ negantis, cum adjunctis ad eadem responsis.

156. I. Opinio contraria nulli fere gravi, solidoque fundamento innititur, ut patebit ex eorumdem solutione.

II. Balsamum pretiosissimi liquoris genus est, cujus copiam Apostoli pauperes habere non poterant ad consignandos omnes fideles, præsertim cum legamus uno die tria millia, et alio quatuor millia hominum; et Philippo evangelizante totam Samaritanorum civitatem credidisse.

III. Balsamum non fuit in usu primis quinque seculis; ante enim Gregorii M. tempora nemo fuit, qui balsami oleo permixti meminisset.

IV. Tertullianus, Cyprianus, Optatus, Innocentius I., Augustin. aliique sacramentum hoc ejusque materiam *oleum* quidem appellant, nusquam *balsamum*.

V. Materia sacramentorum communis et obvia esse debet, ut aqua, panis, vinum, sed balsamum omnino rarum est; nunc quidem illud ex Indiis Occidentalibus affertur; sed antequam inde afferretur, magna erat balsami in Latinorum terris penuria.

VI. Innocent. III. cap. *Pastoralis* de Sacrament. non iterand. interrogatus: an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad Subdiaconatus ordinem assumptus; et utrum Confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus? respondet: *In talibus non esse aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum*: atqui si balsamum esset materia essentialis Confirmationis, non satis esset, illud solum adhiberi, sed debuisset et olei unctio, et forma, sicque totum sacramentum eo casu iterari; quia prætermissa materia essentiali nullum est sacramentum. Sed nec balsamum diu post adhibitum, potest cum oleo præterito componere unum: nec etiam balsamo forma pridem ante adhibita, potest dici moraliter præsens. Tandem eo modo ait ibidem Pontifex, supplendam esse tantum manus impositionem in eo, qui sine illa fuerat per errorem ad Subdiaconatum promotus, quo respondet, supplendam tantum esse unctionem balsami in illo, qui

sine hoc per errorem fuerat confirmatus: sed supplenda manus impositio, non de Subdiaconatus essentia erat; ergo nec unctio balsami de essentia Confirmationis.

Verum argumentis hisce singulis responderi potest a sententiæ affirmativæ patronis. Ac quidem

157. *Ad* 1um. Negando, opinionem affirmativam argumentis solidis non inniti; quin fortiora longe esse sua contendunt hujus patroni.

Ad 2um. Etsi Apostoli essent in particulari pauperes; sat divites tamen erant in communi ad emendum balsamum, cujus Palæstina tum temporis ferax fuit. Deinde quod Apostolorum paupertas præstare non poterat, abunde supplebat fidelium liberalitas.

Ad 3um. Negatur 1°. quinque prioribus seculis balsamum in usu non fuisse; nam illius implicite saltem meminit S. Dionysius, de quo §. seq. satis distincte vero S. Irenæus sec. II. L. 1. adversus Hæreses, cap. 21. n. 3. (opp. p. 96.), ubi referens varios modos, quibus Valentiniani et Gnostici imitabantur ritus Ecclesiæ, licet hos subin depravarent, ait, baptizatos ab iis inungi *opobalsamo*. Postea vero in Libris sequentibus refutans illorum hæreticorum errores, nusquam eos reprehendit, quod oleo et balsamo uterentur; sed quod balsamo solo, vel oleo aqua permixto. 2°. Dici potest Patres primorum seculorum meminisse balsami implicite sub nomine *chrismatis*, quæ vox ex usu Ecclesiæ unguentum ex oleo et balsamo significat. 3°. Negatur *Cons.* quia S. Gregorius sec. VI. aliique meminerunt balsami, non ut rei recens inductæ, sed antiquæ sibi a Majoribus traditæ.

Ad 4um. Etiam Patres meminerunt chrismatis, ut S. Cyrillus Hierosolym. Catech. 21. n. 1. imo et ex laudatis Patribus aliis in locis, Optatus, Innocent., August.: sed chrisma præter oleum complectitur balsamum ex S. Greg. M., Beda, Ordine Romano, Innoc. III. cap. *Cum venisset* de sacra Unct. et cap. *Pastoralis* cit. in argumento VI.

Ad 5um. Conceditur *Maj.* de sacramentis absolute necessariis, ut est Baptismus. Ad Confirmationem vero, cum hæc tantæ necessitatis non sit, sufficit, posse saltem aliunde haberi. Antequam vero afferretur balsamum ex Occidentalibus Indiis, poterat, quantum satis, haberi ex Palæstina et Arabia; cum valde modica balsami pars admisceri oleo soleat. Et vero Clodovei regis tempore, quo nondum ex Indiis transferebatur ad nos, magnam fuisse balsami copiam, Greg. Turonensis refert L. Histor. cap. 31.

Ad 6um. Sensus est, non esse iterandum solemniter et cum ceremoniis sacramentum, sed esse supplendum caute sive secreto, quod fuerat prætermissum. In Confirmatione vero prætermissum fuerat chrisma, quod sine balsamo non est; nec proinde vera fuerat forma; igitur id totum erat supplendum, sive conferendum denuo. Similiter in ordinatione subdiaconi prætermissa fuerat manuum impositio; ergo et hæc supplenda erat, non quidem ut materia, sicut in priori casu chrisma, sed ut ceremonia accidentalis juxta plerosque; nam responsio Pontificis, etsi sit generalis ad duas quæstiones simul, non tamen ideo aptari cuilibet eodem modo debet, sed juxta cujusvis substratam materiam, et exigentiam. Hæc responsio confirmatur solide ex cap. *Presbyter* eod. tit. ubi Greg. IX. de impositione manus omissa in ordinatione presbyteri et diaconi pariter inquit: *Non est aliqua-*

tenus iterandum; sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum; et tamen defectus impositionis manuum utramque ordinationem presbyteri et diaconi, cum juxta communissimam sit de ejus essentia, irritam efficit. Sicut ergo hic phrasis illa: *Non est aliquatenus iterandum, sed... caute supplendum, quod extitit prætermissum*, non obstat, quo minus illa ordinatio vere repetita credatur; ita nec in cap. *Pastoralis* cit. quo minus repetita existimetur Confirmatio. Ait vero Pontifex *non iterandum*; quia sacramentum, quod nullum fuit, iterari non potest.

§. II.

Momenta sententiæ affirmativæ cum responsis ad eadem a parte negante.

158. I. S. Dionys. initio cap. 4. de Eccles. Hier. clare innuit, unguentum istud, græce μύρον, quod ipse deinde asserit, *ut pluribus materiis suave olentibus* componi, ab Apostolis confectum et consecratum fuisse. S. Irenæus L. 1. adversus hæres. cap. 21. n. 3. de Gnosticis et Valentinianis ait, baptizatos ab illis inungi *balsamo*; quod faciebant ad imitationem Ecclesiæ.

II. Auctor operum Cardinalium, Serm. de unctione chrismatis ait (opp. S. Cypriani p. 335. edit. Paris. 1666.), mixti oleo balsami unctionem divinitus institutam esse. Floruit autem hic auctor saltem sec. VIII.

III. S. Greg. M. sec. VI. in Sacramentario suo, Greg. Turonensis eod. sec. L. 1. de gloria Martyrum c. 41. (opp. p. 768.) aliique Patres et Pontifices per sequentia secula, Ordo Romanus ante seculum IX. editus, Pontificalia ac Ritualia pleraque ad chrisma requirunt balsamum.

IV. Conc. Florent. in Decr. pro Armenis aperte inquit: *Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per episcopum benedicto.* Paria fere leges apud Innoc. III. cap. *Cum venisset* de sacra Unct. Sed quod habet rationem materiæ, de essentia ac necessitate sacramenti est. Neve dici possit, Decretum hoc datum fuisse Concilio jam dissoluto, post discessum Græcorum, antequam Armeni, pro quibus datum est, advenirent, ut quibusdam videtur; obstat, quod in Decreti initio dicatur: *Sacro approbante Florentino Concilio*; tum quod in fine addatur: *Datum Florentiæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata anno Domini 1439. decimo Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno nono.* Et vero Spondanus ad eumdem annum 1439. postquam retulisset laudata posteriora Decreti verba, Synodum non dissolutam fuisse, hisce testatur: *Inde perspicies, non una cum Græcorum discessu dissipatam esse, quod multi crediderunt, Synodum Florentinam, sed porro continuatam cum Patribus Latinis; nec vero hoc solum anno, verum etiam tribus sequentibus.* Ac Card. Pallavic Hist. Conc. Trid. L. 6. num. 12. refert, Legatos Concilii Trident. opposuisse Clodiensi episcopo: *falli eos, qui Florentinæ Synodi exitum an. 1439. tribuebant.. Revera tres insuper annos perstitisse Synodum illam Florentiæ.* Demum, etiamsi solius Eugenii IV. esset Decretum, num ideo hujus auctoritas, ac illa Innoc. III. plane nullius momenti est?

V. Forma hujus sacramenti est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis*: sed forma esset falsa, si oleum sine balsamo adhiberetur;

quandoquidem chrisma significat unguentum ex oleo et balsamo confectum juxta S. Greg. M., Bedam, Innoc. III. adeoque ex Ecclesiæ usu.

Sed ad hæc argumenta rursum respondent sententiæ negantis patroni.

159. *Ad* 1um. S. Dionys. ibi non explicat, quæ sint illæ materiæ; neque si balsami speciatim meminisset, inde sequeretur, illud Confirmationi essentiale esse; unde enim haberetur, balsamum potius, quam alias suaveolentes materias ad essentiam materiæ pertinere? S. Irenæus ait quidem ab hæreticis illis baptizatos inungi balsamo; non tamen ait, ipsos hoc facere ad imitationem Ecclesiæ; sed hoc per conjecturam dicitur. Et si postea eos reprehendat, quod balsamo solo utantur, sensus erit, quod confirment solum per materiam fragrantem, ut ante Dionysius, *sine oleo.*

160. *Ad* 2um. et 3um. Ex his tantum sequitur, balsamum requiri necessitate præcepti, vel ecclesiastici, ut putat pars negans communius; vel divini, ut volunt Scotus et Estius; non necessitate sacramenti: quomodo etiam Cyprian. epist. 63. ad Cæcilium n. 9. ait, aquam *ex institutione Christi* necessario miscendam vino in calice; et ipsa Florent. Synodus in Decr. docet, aquam ideo admisceri vino, *quoniam juxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum;* quod ad summum de solo præcepto debet accipi; cum omnibus indubitatum sit, etiam omissa aqua consistere substantiam sacramenti. Verum hæc opinio de necessitate vi præcepti divini paucos sectatores habet. Neque huic patrocinatur auctoritas Patrum circa aquam miscendam vino; cum hæc esset quorumdam opinio singularis, aquam ex ipsa institutione Christi esse partialem materiam Eucharistiæ, quam proinde ut probabilem solum videtur referre Conc. Florent. ad inculcandam Armenis necessitatem miscendæ vino aquæ.

161. *Ad* 4um. Permisso, Decretum hoc esse ipsius Concilii; aiunt, nomine balsami etiam alias fragrantes aromatum species intelligi posse, quæ bonum exhalantes odorem significare possunt *odorem bonæ famæ;* unde et Dionys. inquit, unguentum hoc esse *collectionem quamdam bene spirantium materiarum;* exprimi vero balsamum, quod hoc præ cæteris bene spirantibus materiis esset in Ecclesia Occidentali donatum usu ac receptum. Igitur Armenis Concilium praxin Romanæ Ecclesiæ proposuit, ac sapienter, cum ii erroris hac in parte pridem accusarentur; quosque volebat conformari omnino Romanis ritibus. Unde inferunt, ex Decreto non sequi, hanc in specie fragrantem materiam, *balsamum*, esse æque essentialem, ac oleum.

Conf. 1°. Quod non definiatur in Decr. balsamum esse ex institutione Christi materiam essentialem, constat hinc, quod alioquin Tridentini Patres, utut alibi solent, et catholici omnes Concilii verba tenuissent ut fidei regulam, nec ab ea quis vel minimum discessisset unquam, quin statim reclamasset Ecclesia; sicut in ejusmodi momenti rebus reclamare solet: sed tamen nec de balsamo quidquam statuerunt Tridentini Patres, nec aliquam definitionem hac in re crediderunt Theologi plurimi, qui post Eugenium Papam scripsere.

Conf. 2°. Constat plura in hoc Decreto dici circa sacramentorum materias

et formas, quæ tamen de eorum essentia non sunt, ut : aquam debere misceri vino, item formam consecrationis *esse verba Salvatoris*; nec tamen aqua est de necessitate sacramenti, nec omnia Salvatoris verba de essentia formæ sunt, velut ista : *Accipite, et manducate*; et quoad consecrationem calicis : *Accipite, et bibite ex eo omnes.*

Nec refert, quod de materia Confirmationis dicatur in Decreto : *Materia est chrisma confectum ex oleo... et balsamo*; e contra vero de materia Eucharistiæ non dicatur : *Materia est mixtum ex vino et aqua*; sed *materia est vinum de vite, cui aqua modicissima admisceri debet*; quia quoad propositionum substantiam non est diversitas; et quoad rem videtur esse idem, sive dicas : Materia est vinum de vite, cui miscenda est aqua; sive hoc mixtum ex utroque. Et vero revera aqua vino permixta in Christi sanguinem convertitur; quin in ipso Decreto paulo post dicitur : *utrumque permixtum* debere offerri.

Ad 5um. *Negant min.* Quia et apud Latinos et Græcos chrisma generatim nihil præter unctionem significat, sive hæc unctio fiat ex liquore simplici, puta oleo; sive mixto. Unde Innoc. I. epist. ad Decentium cap. 8. (Labb. t. 2. p. 1248. A.), materiam Extremæ Unctionis, quæ purum ac simplex oleum est, vocat *oleum chrismatis*. S. Aug. L. 17. de Civit. cap. 10. *Cum enim*, ait, *Christi ejus* (Dei) *dicerentur omnes reges illo mystico chrismate consecrati*. Ubi nomine *chrismatis* merum significatur oleum, quo inungebantur reges. Idem Tr. 33. in Joan. n. 3., montem Oliveti vocat *montem unguenti, montem chrismatis* : ac paulo post : χρίσμα *autem græce, latine unctio*. Tandem, prætermissis aliis, S. Justinus Martyr in Dial. cont. Tryphon. n. 86. *Omne*, inquit, *chrisma, sive olei, sive stactes, sive aliarum ex unguentorum compositione unctionum, Christi fuisse ostendimus*. Ubi duplex chrisma distinguit, unum simplex, quod est olei, vel stactes : alterum mixtum, quod ex unguentorum compositione. Quod vero postea ex usu Ecclesiæ cœperit vox chrisma adhiberi ad significandum mixtum unguentum ex oleo et balsamo, perlubenter conceditur; quia ad oleum insuper Ecclesia assumpsit balsamum in specie, materiam fragrantem nobilissimam.

Ex his Lector eam seligat, quæ sibi magis fundata videbitur opinio.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISMA NECESSARIO DEBEAT ESSE BENEDICTUM AB EPISCOPO? AN CHRISMATIO NECESSARIO FACIENDA IN FRONTE?

162. *Dico I.* Chrisma benedictum esse debet; et quidem jure saltem ordinario, ab Episcopo; idque necessario necessitate ad minus præcepti.

Prob. 1^{a}. *pars.* Ex SS. Patribus qui non nisi chrismatis benedicti mentionem faciunt. *Egressi de lavacro*, ait Tertull. L. de Bapt. c. 8. *perungimur benedicta unctione*. S. Cyprianus epist. 70. n. 2. *Baptizati unguntur oleo in altari sanctificato*. S. Cyrillus Hierosol. catech. 21. n. 3. *Cæterum vide ne nudum et vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam... sanctum istud unguentum non amplius... commune unguentum est, post invocationem; sed Christi charisma et Spiritus sancti*. S. Aug. Tr. 118. in Joan. n. 5. *Signum* (crucis)

nisi adhibeatur... sive ipsi aquæ ex qua regenerantur (credentes), *sive oleo quo chrismate unguntur... nihil eorum rite perficitur.* Similia habent passim Patres alii.

163. *Prob.* 2ª. *pars.* Ex Traditione non interrupta. S. Dionysius L. de Hier. Eccl. cap. 5. part. 1ª. §. 5. *Lex divina*, inquit, *hierarchicorum ordinum sanctificationem* (Ordinationem) *et unguenti divini consecrationem, sacramque altaris benedictionem perficientibus divinorum Pontificum virtutibus attribuit.*

Concilium II. Carthag. an. 390. Can. 3. (Labb. t. 2. p. 1160. B.) *Chrismatis confectio, et puellarum benedictio a presbyteris non fiant.* Idem in præcedentibus Conciliis statutum fuisse asserit in Can. eod. Numidius episcopus Maxulitanus, ut habet Holsteiniana editio : *Numidius episcopus Maxulitanus dixit :... memini præteritis Conciliis fuisse statutum, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non et puellarum consecratio a presbyteris non fiant.* Conc. Toletanum I. an. 400. Can. 20. (Labb. ibid. p. 1226.) *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi episcopum chrisma facere, et per diœcesin destinare.*

Idem docent summi Pontifices : Damasus epist. 5. (Labb. t. 2. p. 879. C.) declarat chorepiscopis non licere, *chrisma conficere.* Innocent. I. epist. ad Decentium c. 3. (Labb. ibid. p. 1246. C.) : *Presbyteris... chrismate baptizatos ungere licet; sed quod ab episcopo fuerit consecratum.* His addi possunt Gelasius I. epist. 9. ad episcopos Lucaniæ c. 6. (Labb. t. 4. p. 1189. E.), Greg. M. in 1. Canticor. aliique et Concilia plurima. Unde generale Florent. ait recte in Decreto : *Materia hujus sacramenti est chrisma confectum ex oleo... et balsamo... per episcopum benedicto;* ergo cum benedictio chrismatis constanter prohibeatur presbyteris, ea episcopis jure saltem ordinario sit propria, necesse est.

Hoc vero jus episcoporum probabilius divinum est; quia Dionys. cit. ait esse ex *lege divina.* Sic et Conc. Hispalense II. an. 619. Can. 7. (Labb. t. 5. p. 1666. B.) prohibens presbyteris confectionem chrismatis rationem addit : *Quia Pontificatus apicem non habent;* eamdem causam dat Conc. Wormatiense; sed discretio graduum episcopi et presbyteri ex jure divino est, ergo et benedictio chrismatis. Pariter Conc. Tolet. VIII. an. 653. 1°. ait, hoc divinaliter ordinatum esse, ut hæc chrismatis consecratio a nullo altero conferretur quam a solis pontificibus (Labb. t. 6. p. 406. A.); 2°. hanc chrismatis confectionem auferri non posse : tum, infert (ibid. B.) : episcopalis igitur benedictio, qua chrisma efficitur sacrum, fit *divina jussione, simulque apostolicæ traditionis auctoritate.*

164. Dixi tamen : *Jure saltem ordinario;* nam presbyteris ceu ministris extraordinariis committi posse facultatem conficiendi chrisma, permultis videtur probabilius : 1°. Quia contrarium non innititur fundamento solido; ideo enim negatur ab aliis, posse presbytero dari hanc facultatem, quod episcopis benedictio chrismatis competat jure divino, illamque constanter

presbyteris inhibeant Canones; sed neutra ratio efficax est: non *prima*; quia Confirmatio ipsa jure divino est episcopis propria; et tamen ex dispensatione committi potest presbytero; cur idem dici nequeat de chrismatis benedictione? Ita quoque jure divino ad episcopos pertinet, conferre minores ordines, consecrare ecclesias, et tamen utraque potestas concessa fuit a summo Pontifice abbatibus; et potestas consecrandi ecclesiam, principi abbati Campidonensi est data a Bened. XIV. SS. mem. Pontifice. Nimirum sufficit, episcopos jure divino esse ministros *ordinarios* chrismatis; sicut sunt Confirmationis. Non *altera*; quia iisdem fere canonibus prohibetur presbytero, et reservatur episcopo Confirmationis administratio, et benedictio chrismatis: atqui nihilominus Confirmationis administratio a S. Pontifice committi potest presbytero; ergo et alterum.

2°. Etsi in Decr. Conc. Florent. sub Eugen. IV. dicatur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, et rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum.* Idem tamen Pontifex Fabiano de Bahia ad Indos abeunti facultatem dedit, non solum chrismate consignandi fideles, sed etiam chrisma conficiendi, ut refert Wadingus in Annal. Ord. Minor. apud Bened. XIV. L. 7. de Synod. Diœces. cap. 8. Eamdem veniam dedisse summos Pontifices Africæ presbyteris, testatur Joannes Diaconus ad Senarium apud Mabillonium Musæi Italici tom. 1. part. 2. pag. 73.

Utrum vero facultas hæc concedi possit a summo Pontifice solo, an vero etiam ab episcopo? alia est quæstio. Non desunt, qui, spectato solo jure divino, etiam ab episcopo hanc facultatem simplici presbytero concedi posse, asserunt. At certum videtur plerisque, jus illud nunc unice saltem reservatum esse Pontifici summo, sicut quoque jus concedendi presbytero facultatem confirmandi.

165. *Prob.* 3ª. *pars*: Hæc enim saltem sequitur certo ex relatis Patrum et Conciliorum sententiis. Quin inde alii inferunt, benedictionem episcopi esse de essentia. Sed quoad hoc contradicunt Druin, Card. Gotti, Tournelius aliique plurimi; qui episcopos jure divino ministros chrismatis conficiendi solum *ordinarios* asserunt; 1°. quia ex laudatis Patribus et Conciliis major necessitas, quam præcepti non potest erui. 2°. Quia Patres loquuntur de benedictione chrismatis, quo modo de benedictione aquæ baptismalis, ut Aug. Tr. 118. in Joan. n. 5. Basilius M. L. de Spir. sancto cap. 27. n. 66. (app. t. 3. p. 55. A). 3°. Quod aliquando simplici presbytero legatur concessa potestas benedicendi chrisma.

166. *Dico II.* Unctio in fronte fieri debet; ac quidem ad modum crucis.

Prob. 1ª. *pars.* Ex perpetua traditione et praxi Ecclesiæ: Tertull. L. 3. cont. Marcion. c. 22. inde Confirmationem vocat *signaculum frontium.* Et L. de Præscr. c. 40. *Ipsas quoque,* ait, *res sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur* (diabolus). *Tingit et ipse quosdam... Signat in frontibus milites suos.* Conc. generale II. sive Constantinop. I. Can. 7. (Labb. t. 2. p. 952. B.), frontem sancto chrismate ungendam ait. Cyrill. Hierosol. catech. 21. n. 3. *Chrismate Christi frons, et alii sensus tui symbolice inunguntur.* Innoc. I. epist. ad Decent. c. 3. (Labb. t. 2. p. 1246.) frontalis

unctionis usum ab ipsis Apostolis repetit. S. Aug. in Ps. 141. n. 9. *Multa*, inquit, *sacramenta aliter atque aliter accipimus : quædam, sicut nostis, ore accipimus : quædam per totum corpus. Quia vero in fronte erubescitur, ille qui dixit : Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in cœlis est ; ipsam* (crucis) *ignominiam quodammodo, quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit.*

Accedit utriusque Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis consensus ; hoc solo discrimine, quod prior frontem solam ; altera alias corporis partes simul præter frontem inungat. Concilium generale II. cit. Can. 7. partes ungendas enarrans, recenset frontem, oculos, nares, os et aures. S. Cyrill. catech. 21. frontem, nares, aures, et pectus. Euchologia Græcorum moderna, frontem, oculos, nares, os, pectus, manus et pedes.

Prob. 2ª. *pars.* Quia unctionem frontalem fieri in modum crucis debere, rursum affirmant Patres, ut S. Aug. cit. ante, S. Greg. in Sacramentario, ubi de Confirmatione inquit : *Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim.* Idem tradunt Ordo Romanus, Liber de divinis Officiis, plurimaque, antiquissimaque Ritualia.

167. *Dico III.* Probabilius est, utrumque, unctionem *in fronte,* ac in modum *crucis,* esse de necessitate sacramenti.

Prob. 1ª. *pars.* Quia id diserte asserit S. Aug. in Ps. 141. cit. num. præc. ubi unctionis in fronte simul causam reddit, Innoc. I. epist. ad Decent. unctioni *frontali* tribuens vim conferendi Spiritum sanctum. Addi potest ratio ; quia, si de necessitate Confirmationis sit aliqua manus impositio, nec certum sit, eam esse impositionem manus primam, sive hujus extensionem super confirmandos ; sequitur, de necessitate sacramenti hujus saltem eam esse, per quam admota fronti manu eadem frons inungitur : sed, ex dictis articulis præc. aliqua impositio manus de Confirmationis essentia est certo ; certum vero non est, requiri illam, quæ apud Latinos fit extensis versus confirmandos manibus ; ergo. Hinc si episcopus instrumento aliquo, non ipsa manu frontem ungeret, tolleretur sacramentum. Nec refert, ait Collet, quod etiam tunc verificaretur forma : *Signo te,* etc. quia hæc etiam verificaretur, etsi quis in solo pedis digito ungeretur ; et tamen nemo erit, qui hanc unctionem sufficere incunctanter pronunciet.

Prob. 2ª. *pars.* Quia unctionem in modum crucis æque a Christo institutam tradit S. Aug. cit., quam ut fiat in fronte. Accedit, quod, nisi unctio in modum crucis fiat, non verificetur forma : *Signo te signo crucis,* etc.

168. *Obj. I.* cum Sirmondo. Benedictio chrismatis nonnisi jure ecclesiastico est reservata episcopis, et inhibita presbyteris ; ergo.

Prob. Ant. 1°. Quia, juxta librum Pontificalem Damasi (Labb. t. 1. p. 1408. E.), Sylvester constituit, chrisma ab episcopo confici ; ergo antea communis erat episcopis et presbyteris.

2°. Quia Conc. Toletan. I. Can. 20. chrismatis benedictionem factam a presbyteris, nec irritam declarat, nec quoad tempus præteritum improbat, sed solum prohibet pro futuro ; hujusque prohibitionis causam non petit ex jure divino, nec ex antiqua consuetudine Ecclesiæ, sed ex præsenti Ecclesiarum usu. *Quamvis,* inquit, *pene ubique custodiatur, ut absque epi-*

scopo chrisma nemo conficiat; tamen, quia in aliquibus locis, vel provinciis, etc. Vide textum totum num. 163.; ergo.

3°. Quia S. Hieron. in Comment. ad cap. 3. Sophroniæ (opp. t. 6. p. 721. edit. Vallars.) *Sacerdotes quoque*, docet, *qui dant Baptismum, et ad Eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt oleum chrismatis*; ergo censebat S. Doctor, potestatem conficiendi chrismatis etiam penes presbyterum esse. Idem epist. ad Rusticum Narbonensem episcopum de septem ordinibus Ecclesiæ (al. epist. 12. in app. opp. t. 11.) ubi de sexto ordine, sive gradu sacerdotali, *Presbyteri*, inquit, *si necesse est, possunt chrisma conficere... siquidem hæc regula etiam nunc servatur a plurimis, atque in ecclesiis multis sic ista faciunt.* Ac tandem epist. 85. (al. 146. n. 1. opp. t. 1. p. 1082.) ad Evangelum. *Quid*, ait, *facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?*

4°. Quia Conc. Carthagin. II. cap. 3. ac Bracar. II. cap. 19. (Labb. t. 5. p. 842.) legem, qua benedictio chrismatis reservatur episcopis, et prohibetur presbyteris, Canonibus acceptam referunt; ad hos enim provocat Numidius in Conc. Carthag. II. cit. num. 163.; ergo.

5°. Quia Concilia eodem loco chrismatis benedictionem prohibent presbyteris, et reservant episcopis, quo velamen virginum et consecrationem altarium; ergo, cum hæc reservatio posterior ex solo est jure ecclesiastico, etiam prior.

6°. Presbyteri habent jus consecrandi corpus et sanguinem Christi, quæ quidem omnium maxima consecratio est; igitur quanto magis benedicendi chrisma, quod minus est.

7°. Quia chrismatis consecratio alia est apud Latinos, alia apud Græcos; ergo dicenda est esse juris ecclesiastici; quod enim juris divini est, variari non potest.

169. R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. 1°. Liber ille Pontificalis Damasi non est Damasi Pontificis, cum plerorumque consensu seculo VII. nisi inferius, saltem eo superius non sit.

R. 2°. Permisso, decretum illud esse Sylvestri Papæ, decreto eo episcopis non tribuitur privilegium novum, sed quod eis jure divino et traditione Apostolica competebat, adversus presbyterorum quorumdam hoc jus sibi arrogantium temeritatem nova constitutione, ut fieri solet, episcopis vindicatur.

170. *Ad* 2um. R. *N. Cons.* Quia Synodus, etsi factum non declaret irritum, neque tamen etiam approbat, sed potius improbat; quia illud reprehendit, et prohibet. Videntur quidam presbyteri ex ignorantia, vel præsumptione confecisse chrisma; quem abusum sublatum volebat Synodus, illum prohibendo. Ratio responsionis est; quia, cum an. 430. haberetur Synodus Toletana II., id est 30. annis post Tolet. I., ac intellexisset Montanus Toletanus archiepiscopus, qui Synodo præerat, quosdam presbyteros Placentinos, sede vacante, chrisma consecrare, factum hoc in epist. 1a. dixit: *novam esse præsumptionem: rem detestabilem; quæ ab initio fidei catholicæ nusquam hucusque subrepsisse probatur: inauditam: religioni contrariam.* Et epist. 2. *rem sacrilegam.* Igitur certo Synodus Toletana I. an. 400. illud presbytero-

rum factum non approbaverat; cum hujus Synodi decreta latere non possent MONTANUM urbis ejusdem archiepiscopum. Nec, quod dicat SYNODUS, *quamvis pene ubique custodiatur*, etc. inde sequitur, eam rationem prohibendi presbyteris chrismatis consecrationem ex solo usu, vel jure ecclesiastico sumpsisse; quia hoc custodiebant vere pleræque ecclesiæ, sed tanquam rem juris divini; nec dicit Synodus, quod custodiatur tanquam res ab Ecclesia præcise reservata episcopis.

171. *Ad* 3um. R. In priore loco S. HIERON. per sacerdotes intelligit episcopos, non presbyteros simplices; subdit enim 1°. *faciunt oleum chrismatis, manus imponunt*: atqui juxta HIERON. Dial. adversus Lucifer. n. 9. manus impositio solis competit episcopis; dum inquit: *Non quidem abnuo hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe a majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat... in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipit Spiritum sanctum.* 2°. Ait ibidem de his sacerdotibus: *Levitas, et alios constituunt sacerdotes*; sed ex HIERON. epist. ad Evangelum cit. in object., sacerdotum et levitarum ordinatio unice ad episcopos pertinet. 3°. Quia de his sacerdotibus addit: *Non dignitas... sed opus dignitatis... sacerdotes salvare consuevit; qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Sed hæc indubie episcopos attinent.

Epistola vero ad RUSTICUM non est S. HIERONYMI, ut probant ESTIUS, BELLARMIN., MARIAN. VICTORIUS Reatinus, aliique; sed est incerti auctoris, qui presbyterum simplicem sacramentorum omnino omnium facit ministrum, quod aperte falsum, et ipsi adversatur HIERONYMO, qui epist. ad Evangelum cit. diserte ordinationem solis propriam episcopis docet, uti et Confirmationem Dial. adv. Lucifer. cit. ante. Deinde, cujuscumque epistola auctoris sit, dici posset, eum non suis, sed aliorum verbis ita loqui; subdit enim: *Tamen meæ hoc scito esse sententiæ, nulli episcopo super hoc injuriam esse faciendam*; ergo injuriam facit episcopo, si presbyter, quamvis urgente necessitate, chrisma consecret.

In tertio loco ab omnibus adhiberi debet interpretatio, ut sibi concordet HIERONYMUS; nam ex HIERONYMO Dial. cit. soli confirmabant episcopi. Igitur sua ut maneat verbis HIERONYMI veritas, satis est, quod simplex presbyter, uti Confirmationis, ita conficiendi chrismatis esse possit extraordinarius minister. In forma *D.* Quod non potest presbyter *ordinarie N. extraordinarie C.*

172. *Ad* 4um. R. *N. Cons.* Nihil enim novi, ut, quod divino jure prohibitum, idem prohibeatur jure humano. Ac cum benedictio chrismatis sit jure utroque, divino et humano reservata episcopis, presbyteris vero prohibita tanquam ministris, saltem ordinariis; hinc fit, ut alii juris divini solius, alii ecclesiastici, alii utriusque simul mentionem faciant.

173. *Ad* 5um. R. *N. Cons.* Quia etiam Synodi cum velamine virginum, consecratione templorum, chrismatis benedictione conjungunt prohibitionem ordinationis, eamque vetant presbyteris, ut Conc. HISPALENSE II. an. 619. Can. 7. (Labb. t. 5. p. 1666.) TOLETAN. VIII. an. 653. cap. 7. (Labb. t. 6. p. 406.) ubi ait: *Quod episcopalis eminentiæ divina auctoritas culmen*

non immerito sacris omnibus esse summa percensuit, quæ cæteris sacerdotibus exercenda prohibuit; scilicet templorum Dei sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem, etc. Item L. 6. Capitular. Caroli M. cap. 284. L. 7. cap. 310. 318. 329. ubi chrismatis consecratio, Confirmatio, ordinationes presbyterorum, dedicationes altarium, aliaque prohibentur chorepiscopis sub anathematis vinculo; quia *hæc omnia summis pontificibus,* h. e. cathedralibus episcopis, *debentur.* Nemo tamen idcirco affirmare audebit, Ordinationem, Confirmationem reservari episcopis jure solo ecclesiastico, quia cum aliis eodem loco et modo prohibentur. Nimirum Concilia sic una oratione plura prohibent presbyteris, quorum aliqua jure humano tantum, alia divino sunt prohibita.

174. *Ad* 6um. R. Argumentum probat nimium : nimirum posse presbyteros simplices ordinare levitas, sacerdotes alios jure ordinario confirmare, quia his omnibus major est potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi. Hinc *N. Cons.* Quia in moralibus, quæ pendent a libera instituentis voluntate, is, qui potest majus, non potest continuo id, quod minus est; sed uniuscujusque potestas iis circumscripta est limitibus, quos gratiarum et donorum distributor Deus constituit.

175. *Ad* 7um. R. Christus benedictionem chrismatis solum præcepit in genere : quo autem illa modo fieri debeat, determinandum reliquit Ecclesiæ, ut de materia et forma sacramentorum dictum in Tract. de Sacram. in gen. Dissert. 2a. cap. 1. art. 3. num. 117.

176. *Obj. II.* Immerito dicitur, ac contra Concilia et Patres, presbyteris ceu ministris extraordinariis posse concedi potestatem conficiendi chrisma; ergo.

Prob. Ant. 1°. Potestas conficiendi chrisma, ex dictis, episcopis jure divino est propria; ergo hæc potestas presbyteris delegari nequit.

2°. In Conc. Carthag. III. Can. 36. (Labb. t. 2. p. 1172.) statuitur : *Presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret; chrisma vero nunquam perficiat.* Sic quoque Conc. Wormatiense Can. 2. (Labb. t. 8. p. 945.) sancit : *Chrisma perficere nullus præter episcopum præsumat.*

3°. Eugen. in Decr. pro Armenis etsi referat, aliquando presbyteros per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa administrasse Confirmationis sacramentum; addit tamen : *chrismate per episcopum confecto.*

4°. Pariter Arcudius Tract. de Confirmat. cap. 15. testatur, Adrianum IV. an. 1521. die 25. Aprilis, petentibus Fratri Clapioni et Francisco de Angelis dedisse pro Indiis, et regionibus ubi episcopi non sunt, facultatem, ut possit regularis sacerdos ex Fratribus Minoribus confirmare, cum addito : *chrismate ab episcopo consecrato;* sed si Adrian. censuisset, benedictionem chrismatis concedi posse presbyteris, eadem facilitate hanc utrique contulisset, qua potestatem administrandæ Confirmationis.

5°. Catechismus tandem Conc. Trid. de Confirmatione diserte habet : *Neque enim ad alium ea confectio, nisi ad episcopum pertinere potest.*

Ante responsiones observa : dixisse nos num. 165. *permultis videri probabilius,* presbyteris ceu ministris extraordinariis concedi posse facultatem

conficiendi chrisma. In cujus sententiæ gratiam, quæ revera inspectis rationibus apparet fundatior, responsiones subjicio.

177. R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D. Ant.* Est episcopis ceu ministris *ordinariis* jure divino propria *C.* ut presbyteris ceu ministris *extraordinariis* hæc facultas concedi non possit *N.* Sicut Confirmationis administratio propria est episcopis ceu ministris ordinariis, sic confectio chrismatis.

Ad prob. 2am. R. *Explico cum D.* Chrisma nunquam perficiat auctoritate propria *C.* legitime concessa *N.* Dici etiam potest, consecrationem virginum, non confectionem chrismatis in Conc. Carthag. cit. ex dispensatione permitti presbyteris, quia penes legislatoris est arbitrium, ut ex duabus rebus, quæ committi possunt, unam, non alteram, prout convenientius judicabit, committat.

Ad prob. 3am. R. Additur in Decr. Eugenii, *chrismate per episcopum benedicto*, at non per modum legis. Aliud vero est, presbyterum aliquando ex dispensatione administrasse Confirmationem chrismate per episcopum benedicto; aliud chrismatis benedictionem presbytero committi non posse. Primum refert narrando Eugen., alterum non attingit. Ratio autem, quare aliquando permissum presbyteris Confirmationem administrare, cum restrictione, ut id fiat chrismate per episcopum benedicto, illa est, quia sacri Canones, quantum possunt, observari debent. Hinc Pontifices sua dispensatione noluerunt simul concedere utrumque, quando observari poterat alterum, ut scilicet Confirmatio administretur, sed chrismate per episcopum benedicto. Et vero longe difficilius est, ordinarium Confirmationis ministrum semper et ubique reperiri, quam materiam benedictam, quæ facilius de loco in locum transferri potest. Cæterum alio casu etiam facultatem conficiendi chrismatis constat fuisse concessam.

Ad prob. 4am. R. 1°. Multis hoc privilegium suspectum videri, quia Adrian. VI. an. 1521. die 25. Aprilis nondum erat summus Pontifex; anno enim sequenti primum die 9. Januarii electus fuit. Deinde hoc privilegium videtur esse potius idem cum hoc, quod Leo X., ut habetur in nova collectione privilegiorum Mendicantium et non Mendicantium Emmanuelis Roderici, dedit an. 1521. die 25. Aprilis Fatribus Joanni Clapioni et Francisco de Angelis; sed hoc de infidelibus conversis ad clericatum et ordines minores promovendis agit.

R. 2°. Permissa veritate privilegii, ut in præcedenti.

Ad prob. 5am. R. *D.* Ad alium jure ordinario pertinere non potest, nisi episcopum *C.* extraordinarie *N.* Responsio sumitur ex ipsis verbis Catechismi; ait enim : *Neque ad alium ea confectio, nisi ad episcopum pertinere potest, qui ejusdem sacramenti ordinarius minister constitutus est;* ergo ea ratione chrismatis confectio ad solum pertinet episcopum, qua ad eumdem pertinet, esse hujus sacramenti ministrum : sed ad hunc pertinet esse ordinarium hujus sacramenti ministrum; ergo. Similibus igitur loquendi formulis ministerium ordinarium solummodo excluditur, sicut dum Eugen. in Decr. dicit de Confirmatione : *Nonnisi episcopus eam conferre debet, quia de solis Apostolis, quorum vicem tenent episcopi, legitur, quod per manus impositionem dabant Spiritum sanctum* : ac tamen subdit, illam ex dispensatione commissam fuisse presbytero simplici.

ARTICULUS V.

QUÆNAM SACRAMENTI CONFIRMATIONIS FORMA SIT?

Sicut in assignanda hujus sacramenti materia, ita in statuenda forma sententiæ variant. Qui adæquatam Confirmationis materiam esse solam illam impositionem manuum docent, quæ earumdem extensione super confirmandos fit, formam essentialem in sola illa oratione statuunt, quam profert tunc episcopus invocando Spiritum sanctum ad robur: *Omnipotens, sempiterne Deus,* etc. Qui vero hanc præviam extensionem manuum materiam solum partialem tradunt, quæ cum unctione unam totalem constituat, duplicem pariter formam partialem asserunt, sic ut oratio illa: *Omnipotens, sempiterne Deus* respondens priori extensioni manus, cum verbis hisce, quæ unctioni respondent: *Signo te signo crucis,* etc. formam constituat essentialem adæquatam. Qui porro unctionem solam dicunt Confirmationis materiam, his forma in solis verbis unctionem comitantibus sita est: *Signo te signo crucis,* etc.; apud Græcos autem: *Signaculum doni Spiritus sancti,* ubi juxta idiomatis genium subauditur: *Ecce*; vel: *Tibi datur.* Tandem qui materiam in unctione et impositione manus indistincta reponunt, eamdem, quam præcedens sententia, formam assignant: *Signo te,* etc.

178. *Dico I.* Oratio respondens præviæ extensioni manus super confirmandos nullo modo ad formam essentialem pertinet.

Prob. 1°. Prævia illa manuum extensio, ex dictis supra, non est essentialis hujus sacramenti materia, nequidem partialis; ergo nec oratio illa rationem formæ habet, utpote quæ materiam suam comitari debet.

2°. In Sacramentario monasterii Moysacensis, quod ad minus ætatem 800. annorum fert, edito cum pluribus aliis a Martene cap. 2. art. 2. nulla plane legitur oratio, nisi unica, quæ Confirmatione peracta recitanda dicitur: *Deus, qui Apostolis tuis,* etc.; ergo tunc non censebatur habere rationem formæ oratio illa: *Omnipotens, sempiterne Deus,* etc.

3°. Forma non potest proferri ab alio, præterquam ministro: sed oratio illa prævia aliquando recitari consueverat a presbytero baptizante statim post Baptismum, antequam ad confirmandum episcopus accederet, ut ostendit laudatus Martene art. 3. ex codicibus antiquissimis et probatis. Quia referente eodem, Tom. 1. L. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritib. dicta oratio recitabatur in ecclesia, in qua conferebatur Baptismus; deinde vero in alia ab episcopo dabatur Confirmatio: sed non apparet, quomodo oratio illa dicta in ecclesia Baptismi a presbytero baptizante, possit habere rationem formæ respectu extensionis manus super confirmandos factæ ab episcopo in altera ecclesia.

179. *Dico II.* Forma Confirmationis sunt apud Latinos tantum verba, quæ unctioni respondent, hæc vel æquivalentia: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris,* etc. Apud Græcos: *Signaculum doni Spiritus sancti.*

Prob. 1ª. *pars.* Forma sacramenti in iis consistit verbis, quæ determinant materiam ad significandum et producendum effectum sacramenti : atqui relata verba id faciunt; ergo. *Prob. min.* Confirmationis effectus enim est, robur spirituale ad christianam militiam, et tuendum instar strenui militis nomen, fidemque Christi; sed dicta verba, *signo te,* etc. vel æquivalentia determinant materiam ad hunc significandum effectum, sicut illa in Baptismo : *ego te baptizo,* etc. determinant ablutionem. Breviter id ostendit in Decr. Conc. Florent. *Effectus hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur; sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus, qui Judæis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod signo crucis signatur.*

Porro formam illam, *signo te,* etc. non tantum Eugen. IV. refert in Decr. ad Armen.; sed et pleraque Ritualia a sec. VIII., Ordo Romanus; Pontificale vero Ecberti : *Accipe signum crucis chrismate salutis in Christo Jesu in vitam æternam.* Caturigense : *Confirmo et consigno te in signum crucis, in nomine Patris,* etc. Moysacense, aliaque plurima apud Marten., Morin., Menard. Igitur cum forma illa nec ab aliquo Pontifice, nec Concilio instituta legatur, juxta pervulgatam Augustini regulam non immerito ad Apostolos refertur.

180. *Prob.* 2ª. *pars.* Quia hæc Græcorum forma antiquissimæ ætatis est, approbata a Conciliis et Pontificibus Romanis; asseritur enim in Conc. generali II. sive Constantinopolitano I. Can. 7. (Labb. t. 2. p. 952.) ubi inquit : *Arianos... signatos, sive unctos primum sacro chrismate et frontem, et oculos, et nares, et aures, et eos signantes dicimus : Signaculum doni Spiritus sancti.* Neque hic Concilium de sola hæreticorum reconciliatione agit; nam S. Cyrill. catech. 18. n. 33. verba illa Confirmationi tribuit; nec unquam Græci chrismationem adhibuerunt, nisi in Confirmatione sola, ut ex eorum liquet Euchologiis a Goario divulgatis. Deinde quoties in Conciliis de unione Græcorum actum est, nunquam hæc eorum forma vel ad crisin vocata est, etsi Marcus Ephesinus in Conc. Florent. retulisset, Græcos sub ea forma administrare Confirmationem. Quin deputata Cardinalium Congregatio ad examen Ritualis Græcorum ab Urbano VIII., quoad Græcorum materiam et formam in Confirmatione nihil censuit innovandum; unde quoad hoc caput recusum fuit Rituale integrum.

Præterea forma Græcorum omnino sacramenti effectum significat; nam 1°. Per *signaculum* significatur character. 2°. Per hæc *doni Spiritus sancti,* gratia roborans ad fortiter confitendam fidem, hujusque causa Spiritus sanctus. 3°. Exprimitur persona confirmans, et quæ confirmatur; cum enim minister dicit : *Signaculum doni Spiritus sancti,* juxta genium idiomatis græci idem sonat, ac : *Ecce donum;* vel : *do, datur tibi,* per meum ministerium; velut si eleemosynam petenti porrigens nummum dicas : Ecce nummum.

Neque dicas : Clemens VIII. et Benedict. XIV. Constit. 57. Tom. 1. Bullarii sui diserte mandant, ut Latini baptizatos, et a Græcis presbyteris chrismate in fronte consignatos confirment sub Latinorum forma; ergo Græcorum formam censuerunt nullam; nam

R. *N. Cons.* Uterque enim Pontifex loquitur de presbyteris Græcis, degentibus sub jurisdictione Romani Pontificis tanquam Patriarchæ Occidentis: sed his presbyteris non est ceu ministris *extraordinariis* a Pontifice concessa confirmandi facultas; igitur sacramentum est nullum, non defectu formæ, sed ministri.

181. *Obj. I.* Conclusio adversatur 1°. Scripturæ sacræ. 2°. Traditioni; ergo.

Prob. 1ª. *pars.* Juxta S. Scripturam forma Confirmationis deprecatoria est : atqui forma a nobis tradita indicativa est, non deprecatoria; ergo. *Prob. M.* Quia Act. 8. dicitur : *Orabant pro eis, ut Spiritum sanctum acciperent*; ergo debet esse deprecatoria forma; sicut Extremæ Unctionis formam esse deprecatoriam colligitur hinc, quia Jac. 5. dicitur : *Orent super eum, ungentes eum oleo.*

Prob. 2ª. *pars.* 1°. Ante sec. VIII. nusquam formæ illius : *Signo te,* etc. apud Scriptores reperitur vestigium, nec in Sacramentario S. Gregorii sec. VI.; ergo. Quin S. Ambros. L. 2. de Sacram. cap. 7. n. 24. formam refert pure deprecatoriam : *Mersisti,* inquit, *venisti ad sacerdotem : quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.* Imo Alcuin. L. de divin. Offic. cap. de Sabbat. sancto, Confirmationis hunc ritum refert : *Hac finita oratione facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus dicendo : in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ubi nihil de his verbis : *Signo te; confirmo te,* etc.

2°. Plures SS. Patrum, velut Cyprian. epist. 73. ad Jubaianum n. 9. Ambros. L. 3. de Sacram. cap. 2. n. 8. Hieron. Dial. adversus Lucifer. n. 9. Aug. L. 15. de Trinit. c. 26. n. 46. aiunt, Spiritum sanctum dari per *orationem episcoporum*; ergo.

3°. Demum ab ipso sec. VIII. data forma varie immutata legitur; nam Pontificale Gelasian. habet : *Signum Christi in vitam æternam : confirmet te Deus,* etc. Pictaviense annorum 800. et supra : *Signat te Deus sigillo fidei suæ in confirmationem fidei suæ*; Moysacense : *Confirmo te signo crucis : in nomine Patris,* etc.

182. R. *N. Ant. Ad prob.* 1ªe. *p.* R. *N. M.* Refertur quidem Act. 8. orasse Apostolos, ut Samaritani acciperent Spiritum sanctum; sed, utrum ea oratio fuerit ipsa forma, vel tantum oratio præparatoria, exinde præcise nequit colligi. Sed potius fuisse præparationem, videtur inde suaderi, quia ibidem non orationi, sed impositioni manus Spiritus sanctus tribuitur : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Et Act. 19. sine orationis alicujus mentione dicitur : *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Quod vero forma Extremæ Unctionis debeat esse deprecatoria, ex his præcise verbis : *orent super eum,* certo id inferri nequit; cum omnium sacramentorum formæ, etsi sensum indicativum habeant, possint tamen aliquo modo dici oratio, ut dicemus infra; sed ex verbis illis, juncta traditione Apostolica, et Ecclesiæ praxi.

183. *Ad prob.* 2ªe. *p.* R. *Quoad* 1um *N. Cons.* Constat enim de prioribus Ecclesiæ seculis, SS. Patres sacramentorum formulas nec divulgasse, nec

scriptis mandasse, ut diximus alibi (Tr. de Sacr. in gen.). Unde et S. Dionys. inquit L. de Eccles. Hier. cap. 7. part. 3ª. §. 10. *Invocationes perfectivas*, h. e. verba, quibus sacramenta perficiuntur, *nefas est scripto interpretari, et arcanum eorum sensum, virtutesque, quas Deus in iis operatur, e secreto in publicum efferre.* Et Innocent. I. epist. ad Decentium c. 3. (Labb. t. 2. p. 1246.) ait, religionis proditorem esse, qui Confirmationis formulam scriptis mandaverit : *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Quoad alia vero secula, quibus Ecclesia dilatari, et pace frui cœpit, insuper est ratio, quod sacramentorum formulæ, utpote breves, usu juxta veterem disciplinam arcani semel inducto, potius mandarentur memoriæ. Et vero idem dici debet ab omnibus; nam teste Mabillonio et Martenio, in pluribus Liturgiis et Ritualibus Manuscriptis antiquissimis non extat forma consecrationis; subin abest forma absolutionis, ut in ipso sacramentario Gregorii juxta superius dicta de materia hujus sacramenti; ac usque ad finem seculi VI. altum est de forma Baptismi apud Scriptores silentium, abestque in pluribus post sec. VI. Ritualibus : sicut igitur hinc non sequitur, formam illam : *ego te baptizo*, etc. non fuisse primis seculis in usu Ecclesiæ; ita neque illam Confirmationis. Ac proinde ex illo Scriptorum silentio duci nequit argumentum efficax.

Quoad 2um. R. Oratio illa ex S. Ambrosio relata non erat episcopi confirmantis, sed sacerdotis verticaliter ungentis post Baptismum. Constat 1°. Quia illa Ambrosii verborum formula revera ipsissima est, quæ in unctione verticali fieri solita, ut apparebit, et hanc, et illam, quæ in Sacramentario Gregoriano, Ordine Romano, Libro de divinis officiis, Amalario et hodiernis Ritualibus refertur, inter se comparanti. 2°. Quia ex S. Ambrosio L. de Mysteriis cap. 6. n. 29. illa unctio, cui respondebat ista oratio, dabatur baptizato ante indumentum candidum : *Post hæc* (egressum e fonte baptismali), *ascendisti ad sacerdotem, considera, quid secutum sit. Nonne illud, quod ait David : Sicut unguentum in capite,* etc. Subjicit vero statim initio capitis 7. : *Accepisti post hæc vestimenta candida*, etc. Sed unctio, quæ neophytorum ablutionem, eorumque oblationem sacerdoti proxime sequebatur, verticalis erat, ceremonia Baptismi pedissequa, ut constat ex Ordine Romano : *Ut autem surrexerint a fonte, illi, qui eos suscipiunt, offerunt eos uni presbytero. Ipse vero presbyter facit de chrismate crucem cum pollice in vertice eorum*, etc. Dicitur hic dicta oratio. *Et dat singulis stolam candidam dicens : Accipe vestem candidam, et immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi.* Deinde duci jubentur ad episcopum confirmandi.

Alcuinus tandem se refert ad Ordinem Romanum ; sed in hoc hæc verba referuntur, unctioni in modum crucis respondentia : *Confirmo te in nomine Patris*, etc. Unde vel lapsus est memoria Alcuinus, vel mendosa est ejus editio.

184. *Ad* 2um. R. *N. Cons.* Quia Patres per orationem et invocationem formam ipsam intelligunt, qualiscumque sit; quia constat verbis sacris, quæ Christi dignificata sunt meritis, et quia Christi continent orationem, qua rogavit Patrem, ut, quoties proferuntur a suis ministris, suo prolata nomine censeantur; unde habent vim infallibiliter impetrandi, et confe-

rendi effectum : sicque semper verba formæ, etiam indicativæ, sunt tacita oratio et invocatio. Sic etiam Patres Eucharistiam oratione consecrari dicunt; confici corpus Christi per orationem et signum crucis, ut S. JUSTIN. M. Apol. 2ª. (al. 1ª. n. 66.) S. CYRIL. catech. 19. n. 7. et 23. n. 7. At certe forma consecrationis indicativa est.

185. *Ad* 3um. R. Has formas non esse quoad sensum substantialiter diversas; sicut neque illa Græcorum ab altera Latinorum differt substantia, et quoad significandi modum. Neque hinc inferas : ergo et valebit Baptismus collatus sub forma : *Ego te baptizo in nomine Trinitatis* ; vel, *trium personarum divinarum,* quia hæc verba videntur æquivalentia his : *in nomine Patris*, etc. nam etsi hæc similiaque quoad substantiam sint æquivalentia; non tamen sunt quoad modum significandi ; quia Christus trium personarum invocationem *distinctam* et *explicitam* requisivit ad essentiam Baptismi, ut nobis constat ex verbis Christi Matth. ult. non quidem nude ac secundum se præcise sumptis, sed una cum traditione Ecclesiæ.

CAPUT II.

DE MINISTRO, SUBJECTO, PROPRIETATIBUS CONFIRMATIONIS.

Princeps in hoc capite controversia de ministro est. Minister vero Confirmationis duplex est ; *ordinarius,* qui vi Ordinis sui potestatem completam habet, ad conferendum valide hoc sacramentum ; *extraordinarius,* qui vi Ordinis sui conferendi hujus sacramenti potestatem non nisi inchoatam et incompletam habet, quæ, ut sacramentum conferat valide, perfici complerique debet dispensatione legitima. De utroque movetur quæstio. Post Concil. FLOR. et TRID. ordinarium Confirmationis ministrum episcopum dicunt uno ore Catholici : negant post obtritos Wicleffistas et Hussitas Lutherani et Calvinistæ, duce Photio patriarcha Constantinop. schismatico, qui sec. IX. ad Bulgaros recenter ad catholicam fidem conversos, misit presbyteros, qui illos hoc unguento consignarent, contendente presbyteros esse ordinarios Confirmationis ministros. Quod graviter tulit indigneque, ac merito NICOLAUS I. summus Pontifex, reprobans factum, mittensque Legatos, qui Bulgaros iterum confirmarent. Orthodoxos inter Theologos solum de *extraordinario* ministro instituitur quæstio, utrum is esse possit quicumque presbyter ex dispensatione summi Pontificis?

ARTICULUS I.

QUIS MINISTER CONFIRMATIONIS ORDINARIUS?

186. *Dico.* Minister ordinarius Confirmationis est solus episcopus. Est de fide ex TRIDENT. Sess. 8. Can. 1. *Si quis dixerit, ordinarium ministrum* (Confirmationis) *non esse solum episcopum; anathema sit.* Idem ante dixerat FLORENT. in Decreto.

Prob. I. Scriptura sacra. Act. 8. Petrus et Joannes mittuntur in Samariam, ut, quos Philippus diaconus baptizaverat, confirmarent. Act. 19. Paulus eos, qui baptizati fuerant, per semetipsum confirmat, quo tempore tamen non deerant presbyteri, ut colligitur ex Act. 15. Ex quo constanter censuit Ecclesia, praxique docuit, non alium esse ordinarium Confirmationis ministrum, præterquam episcopum.

Respondet 1°. Durandus ex Act. 8. nihil concludi posse, quia Apostoli erant sacerdotes et episcopi; ex textu vero non posse colligi, utrum confirmarint tanquam sacerdotes, vel episcopi.

Verum etsi textus hoc non distinguat clare; recte tamen eos qua episcopos confirmasse colligitur inde : 1°. Quia Scriptura nunquam tribuit hoc officium, nisi solis Apostolis, cum officia alia, ut prædicandi, baptizandi, tribuat ministris inferioribus aliis. 2°. Quid alias opus erat, ut ex Jerusalem venirent, si presbyteri et diaconi potuissent manus imponere æque, ac episcopi. 3°. Quia eos qua episcopos hoc sacramentum administrasse, constat ex sensu et praxi Ecclesiæ, quæ legis divinæ optima interpres est.

Respondet 2°. Calvinus. Quod fecerunt Apostoli, non potest tribui episcopis, quia episcopi non sunt Apostoli : vel si episcopi dicantur successisse Apostolis, æque his successerunt presbyteri; alias non liceret presbyteris, sed solis episcopis communicare sub utraque specie, quia soli apostoli utramque speciem in Cœna Domini acceperunt.

Sed etsi episcopi non sint Apostoli; in munere tamen episcopali successerunt Apostolis, ut constans habet Ecclesiæ sensus, docetque HIERON. epist. 41. ad Marcellam n. 3., AUG. in Ps. 34. n. 32. ad hæc verba : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii;* et alii passim.

Alterum vero hinc corruit: 1°. Quia Apostoli in ultima Cœna tantum presbyteri facti sunt; episcopi vero primum post resurrectionem, cum eis diceretur Joan. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* 2°. Etsi presbyteri successerint in aliqua re Apostolis; non tamen in omnibus et simpliciter; idque patet tum ex praxi; si quis enim petat, quis successerit S. Petro? Respondent omnes : episcopus Romanus. Quis Joanni? episcopus Ephesinus, sicque porro; tum ex testimoniis veterum, qui episcopos aiunt successisse Apostolis, non idem enuntiant de presbyteris; tum ex ipsa potestate ordinaria, ratione cujus succedunt Apostolis. Auctoritas Apostolica complectebatur omnem potestatem ecclesiasticam; erant enim 1. christiani; 2. sacerdotes; 3. summi sacerdotes, vel episcopi; 4. summi sacerdotes ubicumque, in toto orbe; poterant enim ubique prædicare, baptizare, ordinare, etc. Ex illis quatuor posterius erat in solo Petro ordinarium, in aliis extraordina-

rium; hinc solius Petri successores potestatem in toto orbe habent, non aliorum successores. Unde ait Bellarm., etsi omnes christiani aliquo modo succedant Apostolis, quatenus hi primi christiani fuerunt; ac sacerdotes succedant iisdem qua primis sacerdotibus, et episcopi qua primis episcopis; episcopi tamen soli simpliciter succedunt Apostolis, qui succedunt in eorum tota ordinaria potestate.

187. *Prob. II.* Traditione: 1°. Sanctorum Patrum, Cypriani epist. 73. ad Jubaian. n. 9., Chrysostomi hom. 18. in Acta Apost. n. 3., S. August. de Trinit. L. 15. c. 26. n. 46., Hieronymi Dial. adv. Luciferian. n. 9. aliorumque, qui ministerium solis episcopis proprium docent, quorum textus retulimus, hujusce Tract. c. 1. n. 126. 143. et 171.; quibus hic adde Isidorum Pelusiotam L. 1. epist. 450. (opp. p. 154. edit. Paris. an. 1585.) ubi de illo Act. 8. inquit: *Petrus et Joannes Apostoli ab Hierosolymis ad eos descendentes, Spiritus sancti gratiam ipsis porrexerunt; quod si is, a quo Baptismum acceperant, ex Apostolorum classe ac numero fuisset, Spiritus donandi potestatem profecto habuisset.*

2°. Summorum Pontificum. Cornelius epist. ad Fabium supr. (n. 126.) cit. exprobrat Novatiano, quod ab episcopo consignatus non sit. Innoc. I. epist. ad Decent. ibid. cit. ait: *Solis Pontificibus deberi, ut vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum;* de qua num. præced. Gelas. I. epist. 9. ad episcopos Lucaniæ c. 6. (Labb. t. 4. p. 1189): *Nec minus etiam presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere; non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.* Similia alii enuntiant, ut S. Leo epist. 88. (nunc in app. epist. 2ª.), S. Gregor. L. 4. epist. 9. (opp. t. 2. p. 689), omnesque, qui se Græcorum schismaticorum errori opposuerunt, e quibus Nicol. I., Clemens VIII. rursus confirmari jusserunt, quos presbyteri simplices confirmaverant. Ac Bened. XIV. Constit. 58. t. 1. Bullarii sui.

3°. Conciliorum. Eliberitan. Can. 38. (Labb. t. 1. p. 974.): *Ad episcopum,* inquit, *eum* (Neophytum) *perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Hispal. II. cap. 7. (Labb. t. 5. p. 1666.) docet, confirmare non esse presbyterorum, *quia pontificatus apicem non habent.* Adde Arelat. III. (Labb. t. 4. p. 1024.) Parisin. VI. L. 1. c. 27. (Labb. t. 7. p. 1617.) aliaque cum Florent. et Trid., de quibus dictum in Conclus.

188. Accedit ratio convenientiæ. 1°. Quia ex Patrum doctrina confirmatio est sacramentum perfectionis, quo fideles dicuntur perfici; conveniebat igitur, ut non ab aliis conferretur, quam iis, qui in ordine perficientium constituti sunt: atqui, juxta Dionys. L. de Eccles. Hier. cap. 4. part. 1ª. §. 6. episcopatus est ordo perficientium, sicut presbyteratus est ordo illuminantium, et diaconatus purgantium. 2°. Quia in quolibet opere, ait D. Thom. 3. p. q. 72. a. 10. in 0. *ultima consummatio supremæ virtuti reservatur:* fideles vero sunt quoddam Christi divinum opus, juxta illud 1. ad Cor. 3. *Dei ædificatio estis:* quæ quidem ædificatio inchoatur per Baptismum, sed consummatur per Confirmationem; igitur Confirmatio episcopis reservatur, qui

potestatem in Ecclesia summam obtinent. 3°. Solorum regum et summorum principum est designare milites, aliorum nonnisi ex commissione : sed per Confirmationem homo designatur miles Christi; ergo hoc ad supremos hierarchas, episcopos in Ecclesia, decet pertineat.

189. *Obj. I.* Ex S. Scriptura. 1°. Ananias, etsi nec Apostolus nec episcopus, Saulo imposuit manus, *ut impleretur Spiritu sancto.* Act. 9. 17. ; ergo Confirmatio non est episcopis propria. 2°. Nusquam etiam in Scriptura reperitur lex, quæ Confirmationem reservet episcopis; ergo ex Scriptura non magis his, quam sacerdotibus convenit confirmandi officium.

Ad 1um. R. *D. Ant.* Ananias imposuit manus Saulo, ut impleretur Spiritu sancto, vi hujus impositionis manuum *N.* per Baptismum statim conferendum *C.* Paulus tunc nondum baptizatus erat, ut colligitur ex contextu; ergo impositio illa manus non poterat esse confirmatoria, cum nullum sacramentum ante Baptismum percipi possit; sed erat partim sanatoria, scilicet cæcitatis, juxta illud Marc. 16. *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Et patet ex eod. Act. 9. v. 12. ubi de Saulo cæco dicitur : *Et vidit* (in spiritu) *virum Ananiam nomine introeuntem, et imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Partim etiam præparatoria Baptismi fuit. Nimirum varia fuit manus impositio in usu; 1. sanatoria, de qua Marc. 16.; 2. confirmatoria, de qua Act. 8.; 3. ordinatoria, de qua 1. ad Tim. 4. et 2. ad eumd.; 4. reconciliatoria, qua reconciliabantur hæretici, et pœnitentes Ecclesiæ ; his 5. accessit impositio manus super catechumenos fieri solita, ac præparatoria Baptismi. Præterea ex Patribus, ac forte solus ex omnibus Aug. L. 2. Quæst. Evangel. cap. 4. putat, Ananiam fuisse episcopum; si ita est, adversarii probant plane nihil.

Ad 2um. R. Equidem in Scriptura non reperitur lex explicite expressa; hæc tamen ex illa colligitur ex dictis *Prob.* 1a.

190. *Obj. II.* Ex Conciliis. Plura Concilia, uti presbyteris alia prohibent Confirmationem, sic quoque permittunt; ergo, quod nunc solis episcopis propria sit Confirmatio, ex solo jure ecclesiastico ortum ducit.

Prob. Ant. Nam 1°. Conc. Toletan. I. an. 400. Can. 20. sancit (Labb. t. 2. p. 1226.) : *Statutum est, diaconum non chrismare; sed presbyterum, absente episcopo; præsente vero, si fuerit ab ipso præceptum.* Igitur episcopo absente minister Confirmationis erat presbyter. Ita quoque Conc. Arausican. an. 441. Can. 1. (Labb. t. 3. p. 1447.), concedit presbyteris potestatem, hæreticos in mortis discrimine constitutos, si Catholici esse desiderent, *chrismate et benedictione consignandi.*

2°. Conc. Regiense an. 439. Can. 5. (Labb. t. 3. p. 1287.), concedit presbytero *per familiam, per agros facultatem benedictionis aperire... in ecclesia quoque, in qua ordinatus fuerit, consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum jus habebit.* Hanc facultatem in presbyteris quoque supponit Conc. Barcinonense II. Can. 2. (Labb. t. 5. p. 1605.), dum vetat accipere aliquid pro pretio liquoris, quando *chrisma presbyteris diœcesanis datur pro neophytis confirmandis.*

3°. Tandem ex Hispal. II. cap. 7. (Labb. ibid. p. 1666.) jus confirmandi

pertinet ad episcopos *ex novellis et ecclesiasticis legibus;* ergo solum jure humano ecclesiastico.

R. *D.* Plura Concilia permittunt Confirmationem presbyteris ceu ministris extraordinariis *C.* secus *N.*

Ad Conc. Tolet. R. 1°. ut ante.

R. 2°. Perquam probabile est, ibi agi de chrismatione baptismali, quæ ex more Ecclesiæ poterat dari a presbytero *absente episcopo;* sed, eo *præsente,* nonnisi id præciperet episcopus. Quem morem postea temperavit Innocent. I. epist. ad Decent. c. 3. dans presbyteris potestatem ungendi verticaliter baptizatos, *seu extra episcopum, seu præsente episcopo.* Arausican. id presbyteris ceu extraordinariis ministris permittit pro casu speciali mortis, pro quo sæpe commode nequit episcopus haberi.

Ad Conc. Regiense, R. Sacerdotem, cui in Conc. Regiensi permittitur facultas confirmandi, non fuisse presbyterum simplicem; sed, ut ex contextu apud Labbæum patet, episcopum depositum, Armentarium nomine, cui ex gratia fuerat una parochia permissa, in qua conferre posset Confirmationis sacramentum. Conc. Barcinonense prohibet episcopo, ne quid pro sacro chrismate, quod a se confectum dat presbyteris diœcesanis, accipiat; nec in his ideo supponit facultatem confirmandi ordinariam, quod chrisma accipiant, quia hoc chrismate uti debebant in Baptismo; unum enim idemque chrisma est, quod baptizatis et confirmandis adhibetur.

Ad Conc. Hispal. R. *N. Cons.* Per *novellas leges* enim non intelligit Concilium leges recenter datas a sola Ecclesia, sed Testamenti novi, sive Legis novæ, quæ hoc officium reservat ceu episcopis ordinarium; secus ac in Lege vel Test. vet. fieret, in quo soli sacerdoti summo reservatum fuerat, altaria erigere, consecrare, etc. Responsio patet ex textus objecti serie; ait enim: *Quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut presbyterorum et diaconorum... consecratio;* sed Ordinatio presbyterorum et diaconorum per episcopos non erat tunc primum recenti aliqua Ecclesiæ institutione sancita. Addidit tamen: *et ecclesiasticis;* quia legi divinæ accessit altera Ecclesiæ; quod nihil novi est.

191. *Obj. III.* Latinos Patres, ex quibus 1°. S. Ambros. L. de Myster. cap. 6. docet, *unctionem unguenti fieri a sacerdote.*

2°. S. Hieron. Dial. adv. Lucifer. n. 9. episcopos ait esse ministros Confirmationis *ex consuetudine Ecclesiæ, et ad honorem potius, quam legis necessitatem.* Sed quod ex consuetudine Ecclesiæ et hujus legibus pendet, in jus divinum refundi non debet.

3°. Juxta Pontificale S. Damasi, Sylvester episcopis *privilegium* dedit, ut soli episcopi baptizatos consignent.

4°. S. Gregor. M. L. 4. epist. 26. ad Januarium (opp. t. 2. p. 705.): *Pervenit,* inquit, *ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Ubi ait Pontifex, se id prohibuisse, quia contrarium erat *usui Ecclesiæ suæ;* ergo non censebat contrarium juri divino, nec aliarum Ecclesiarum usui.

5°. Tandem venerab. Beda in Ps. 26. asserit, unctionem, quæ fit per manus episcopi, eamdem esse cum unctione verticali, licet illa non sit concessa omnibus sacerdotibus *ob arrogantiam*.

Ad 1um. R. S. Ambros. per sacerdotem intelligit episcopum, qui dicitur antonomastice sacerdos, vel sacerdos summus, ut ex eod. S. Patre L. de Sacram. cap. 1. constat; ubi sacerdotem, ad quem egressi de lavacro ducebantur, ut hos confirmet, appellat *sacerdotem summum*.

Ad 2um. R. *D.* Ait hoc esse ex consuetudine Ecclesiæ, quatenus posset Ecclesia permittere etiam presbyteris, ut manus imponant baptizatis *C.* hoc sensu, quod, spectato jure divino, presbyteri parem habeant episcopis potestatem imponendi manus *N.* Nam continuo subdit S. P.: *Disce hanc observationem* (sive morem, quo solus episcopus manus imponit) *ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.*

Si inferas : Ergo, quod episcopus solus confirmet, magis pertinet ad legem necessitatis, quam ad honorem sacerdotii, quod S. Hieronymo adversatur.

R. *N. Illatum*; bene enim simul stant, ex lege divina ordinarium confirmandi munus penes episcopos esse, idque potius ad honorem episcopatus, quam ob legem necessitatis; quia Christus, qui instituere potuerat, ut presbyteri, sicut passim baptizant, ita et confirmarent, voluit, ad honorandos episcopos, ut hi soli confirmarent ordinarie.

Si porro dicas : Sed epist. 101. alias 85. ait Hieron. *Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?*

R. Juxta jam dicta cap. præc. art. ult. *D.* Quod non faciat presbyter extraordinarie *C.* ordinarie, ut episcopi *N.* Satis hoc erat ad retundendam diaconorum, in quos hic invehitur, quique se presbyteris præferebant, insolentiam.

Ad 3um. R. 1°. Plerisque, ut dictum cap. præc. hic liber supposititius est.

R. 2°. Permisso, esse Damasi, non loquitur de consignatione confirmatoria, sed verticali in Baptismo, quam sic reservatam esse voluit episcopis, ut his præsentibus eam non adhiberent presbyteri, nisi ex illorum præcepto. De quo usu dictum num. præc.

Ad 4um. *N. Cons.* Non enim, quod Ecclesiæ suæ Romanæ usum commendet, idcirco negat, usum hunc et S. Scriptura niti, et traditione; nec ideo supponit, contrarium esse Ecclesiarum aliarum usum. Et vero de S. Gregor. Pontifice summe perito præsumi non potest, ignorasse Innocentii I. aliorumque Prædecessorum suorum, et Conciliorum statuta, quæ factam presbyteris prohibitionem confirmandi non a simplici Ecclesiæ usu, sed ex Apostolorum praxi ac traditione, quin ipso jure divino sat clare repetebant. Ideo vero suæ Ecclesiæ Romanæ potius usum opposuit presbyteris Sardis, quod illa Ecclesiarum aliarum Mater sit, cui se accommodant cæteræ, ac cujus hac in re usum imitabantur, saltem per Occidentem aliæ.

Ad 5um. R. Venerab. Beda utramque unctionem ait esse eamdem ratione materiæ, quia idem quoad materiam utrobique chrisma; non vero ratione virtutis et efficaciæ. Dum autem dicit, unctionem episcopis *ob arrogantiam* reservatam esse, non intelligit arrogantiam episcoporum, sed presbyterorum, ut sensus sit : ne presbyteri superbirent, seque pares judicarent

episcopis, unctio illa solis reservata est episcopis. Responsionis veritas ex ipso Beda patet, dum de Philippo in cap. 8. Act. Apostol. ait: *Si Apostolus esset, ipse utique manus imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum; hoc enim solis Pontificibus debetur.*

192. *Obj. IV.* Ex Patribus Græcis. S. Chrysost., homil. 11. in cap. 3. epist. 1. ad Tim. n. 1. *Inter episcopum*, inquit, *et presbyterum interest ferme nihil... Sola quippe ordinatione superiores* (presbyteris) *sunt* (episcopi). Paria Theophyl. in cap. 3. 1. ad Tim. v. 8. *Cur autem presbyteros prætermisit? Quia quæ de episcopis dixit, ea presbyteris etiam conveniunt; nam et ipsis docendi munus et præfectura Ecclesiæ commissa est, utpote sola ordinatione inferioribus;* ergo.

R. *N. Cons.* Nam vox *ordinatione* apud Chrysost. et Theophyl. vel sumitur passive pro ipsius ordinatione episcopi, quam accipit; vel active, sive pro ea, quam habet alios ordinandi, potestate. Si *primum;* sensus est, episcopum præ presbyteris nihil habere, præter consecrationem sibi propriam, et proinde quæ ex hac consecratione fluit episcopalis potestas, consecrandi alios sacerdotes, confirmandi, etc., jure ordinario. Si *alterum;* sensus est, posse excepta ordinatione presbyterum, quod episcopus, etsi non pari jure ordinario. Hinc episcopus qua talis ligat et solvit in foro interno et externo, non item presbyter; episcopus confirmat jure proprio, presbyter nonnisi ex delegatione; solos enim episcopos ex officio confirmare solitos sua ætate testatur Chrysost., cum, ex facto Petri et Joannis, qui ad confirmandos Samaritanos missi, homil. 18. in Act. supr. cit. n. 3. sic concludit: *Unde et Choryphæos, non alios hoc facientes videmus.*

193. *Obj. V.* Ex consuetudine. Presbyteri pluribus in locis confirmant, atque confirmarunt olim; ergo. *Prob. Ant.* In orientali enim Ecclesia hodie raro confirmant episcopi, frequenter vero presbyteri; deinde etiam ante Photii schismatici ævum apud Ægyptios, Armenos, Coptos ab antiquissimo tempore confirmabant presbyteri, ut colligitur ex Ambrosiastro, sive pseudo-Ambrosio Comment. in cap. 4. ad Ephes. v. 11. 12. (opp. S. Ambros. t. 2. part. 2ª. p. 221. E.), et S. Aug. L. Quæstion. in vet. et nov. Testam. q. 101.

R. *Ant.* Confirmant et confirmarunt ut ministri ordinarii, vi sui ordinis *N.* ut extraordinarii, ex delegatione, vel dispensatione saltem tacita Pontificis *C.* Nec Commentarius in epistolas Paulinas S. Ambrosii est, nec liber ille Quæstionum S. Augustini, sed utrumque eruditi plerique tribuunt Hilario diacono schismatico Luciferiano, de quo alibi. Interim presbyteros in Oriente confirmasse ex dispensatione saltem tacita Pontificis et tolerantia, colligitur ex consuetudinis antiquitate, ne alias dici possit, tanto illos tempore hoc sacramento caruisse; cum tamen Gregorius Proto-syncellus patriarchæ Alexandrini in Conc. Flor. legatus referat, hunc Græcorum morem approbatum fuisse a Patribus Florentinis (Labb. t. 13. p. 790. A.). Ac modo sic etiamnum et tolerantia Sedis Apostolicæ a presbyteris græcis administrari Confirmationem, affirmat tom. 1. Bullarii sui Constit. 58. Bened XIV. Prioribus tamen seculis in orientali Ecclesia Confirmationis administrationem penes solos episcopos fuisse, constat ex Dionys., Chrysost. tum alibi, tum num. præc. cit., refertque Gregor. Pachymeres in Paraphr. de Eccl. Hier.,

Leone ALLATIO L. 3. de Eccles. occident. et orient. consens., ARCUDIO L. 2. Concord. cap. 11. et 13., ubi BLASTRIUM, aliosque Scriptores græcos testes adducit.

194. *Obj. VI.* Ex ratione cum PHOTIO. 1°. Sacerdotibus baptizare licet ex officio; ergo et confirmare: cum enim Baptismus sit efficaciæ majoris, quam Confirmatio, si illum, etiam hanc conferre poterit quicumque presbyter.

2°. Simplex sacerdos conficere Eucharistiam potest, consecrando panem; igitur et confirmare: qui enim potest majus, potest etiam minus.

3°. Si Christus solum episcopum instituisset Confirmationis ministrum, sacramentum hoc non sufficienter præparasset omnibus, cum variis de causis non sit cuilibet facultas adeundi episcopum.

Ad 1um. R. *C. Ant. N. Cons.* Baptismus, non autem Confirmatio sacramentum necessitatis est; quo fit, ut non solum a presbyteris, sed etiam a laicis conferri possit; in ministerio autem Baptismi non tam efficacia, quam necessitas attenditur. Deinde, ut ait S. THOM. 3. p. q. 72. a. 11. ad 2. Baptismus efficacior quidem est, quantum ad remotionem mali; sed Confirmatio efficacior est, quantum ad proficiendum in bono.

Ad 2um. R. *C. Ant. N. Cons.* Et *prob. D.* Quando majus includit minus *C.* secus *N.* At Eucharistiæ confectio non sic includit Confirmationem.

Ad 3um. R. *N. Seq.* 1°. Quia si, ut debent, diligentes sint, vigilesque episcopi, facilius poterunt quemlibet semel confirmare, quam presbyteri absolvere pœnitentes toties, quoties voluerint; 2°. quia sacramentum hoc non est absolutæ necessitatis; 3°. quia absolute, si posceret Ecclesiæ necessitas, posset presbyteris hujus sacramenti dispensandi facultas delegari, de quo nunc plura.

ARTICULUS II.

UTRUM SACERDOS SIMPLEX POSSIT ESSE MINISTER CONFIRMATIONIS EXTRAORDINARIUS?

Negant post DURAND. et veteres quosdam ESTIUS, atque hunc secuti recentiores pauci. Affirmat contra cum D. THOMA communis et concors Theologorum cæterorum sententia. Quacum

195. *Dico.* Potest sacerdos simplex ex dispensatione Sedis Apostolicæ administrare sacramentum Confirmationis; proinde hujus esse extraordinarius minister.

Prob. 1. Ex Conc. FLOR. dupliciter. 1°. Postquam Concilium in Decr. Unionis episcopum dixisset esse ordinarium hujus sacramenti ministrum, subdit: *Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum*; quibus ad summorum Pontificum quorumdam, præsertim S. GREGORII dispensationem alluditur; eaque dubio procul approbatur.

Nec refert, quod Concil. dicat: *Legitur*; non enim hic sensus est, ut vult ESTIUS, quasi Conc. vellet, legi sic tantum apud Scholasticos, vel GRATIANUM, non in documento aliquo authentico; proinde ita factum fuisse, non affirmari a Concilio; nam etsi dicatur *legi,* Synodus tamen ita factum sup-

ponit, cum dicat, presbyteros ex dispensatione administrasse hoc sacramentum ob rationabilem et urgentem causam, quam haud dubie ante probe inspexerat, quam ita diceret, juxta ea, quæ in proœmio Decreti dixerat, *latum hoc esse post non mediocrem testimoniorum inspectionem... et earum, de quibus agebatur, rerum discussionem.* Ac proinde non GRATIANUM, vel Scholasticum quemdam solummodo inspexerat, sed authenticam GREGORII epistolam, de qua Cardinal. PALLAVICIN. in Histor. Conc. Trid. de Confirm. inquit, providentiæ Dei singulari deputandum esse, quod non perierit.

2°. Cum Latini Patres in Florentina Synodo Græcis proposuissent undecim quæstiones, inter quas ordine sexta fuit : *Cur non episcopi, sed sacerdotes inungunt sacro chrismate, cum hoc pontificibus sit datum?* DOROTHEUS Mytilensis hanc, aliasque octo quæstiones legitime dissolvit, ait Scriptor Actorum Syn. apud LABBÆUM (t. 13. p. 526. A.); nec improbarunt Latini hanc Græcorum consuetudinem; sed hi ab illis, *orthodoxi ab orthodoxis* sunt habiti, ait contra Marci Ephesini epistolam GREGORIUS Proto-syncellus, qui Alexandri Patriarchæ nomine Legatus Concilio FLOR. adfuerat.

196. *Prob. II.* Ex Summis PONTIFICIBUS. Complures summi Pontifices presbyteris dederunt facultatem confirmandi : sed omnes errasse, aut suos transiliisse limites dici non potest; ergo.

Prob. Maj. 1°. Ex facto S. GREG. M., qui cum an. 593. epist. 9. L. 4. (opp. t. 2. p. 689. B.) prohibuisset presbyteris Calaritanis in Sardinia, ne baptizatos infantes signare in fronte chrismate præsumerent, sed eos ungerent in pectore, ut episcopi postea ungerent in fronte; postea vero intellexisset, ob hanc prohibitionem quosdam scandalizatos fuisse et turbatos, respondit epist. 26. (ibid. p. 705.) : *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus : sed si omnino aliqui hac de re contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos* (al. *baptizandos*) *chrismate tangere debeant, concedimus.*

Respondent, GREGORIUM non loqui de unctione confirmatoria, sed ceremoniali, præsertim ante Baptismum adhiberi solita; 1. quia in quibusdam Codicibus, qualis est Parisiensis, an. 1533. editus, in epist. 26. GREGORII legitur *baptizandos,* non *baptizatos;* 2. quia GREGORIUS usurpatas antea a presbyteris Calaritanis unctiones non declaravit irritas; 3. quia pro ratione prohibendi epist. 9. solum usum veterem Ecclesiæ Romanæ, non autem institutionem Christi, nec cæterarum Ecclesiarum fidem attulit.

Verum non satisfacit responsio; sed dicendum est, Pontificem loqui de unctione confirmatoria; quia GREG. in epist. 26. concessit id, quod prohibuerat in epist. 9. et ob quod scandalizati fuerant presbyteri Calaritani, ut legenti textum evidens fit : sed in hac epistola non prohibuerat presbyteris Calaritanis meram et simplicem ceremoniam, sed sacramenti Confirmationis administrationem; unctio enim frontis ipsum erat Confirmationis sacramentum; non enim aliter apud veteres designari solebat. Deinde in epist. 26. ait, se illam unctionem prohibuisse *secundum usum veterem Ecclesiæ suæ :* sed unctio ceremonialis absente episcopo imprimis semper erat permissa presbyteris non solum Romanis, sed et cæteris, præsente vero episcopo ejus facultatem etiam pridem dederat presbyteris, ferme duobus ante GREG. seculis, INNOCENT I. epist. ad Decent. c. 3.; ergo et hæc erat in usu Ecclesiæ Ro-

manæ; cum igitur dicat Greg., se prohibuisse unctionem, quæ secundum usum Ecclesiæ suæ non est permissa presbyteris, sequitur, non unctionem ceremonialem ab ipso fuisse prohibitam, sed confirmatoriam, quæ sola in fronte ab origine Ecclesiæ fieri solebat. Hinc

Ad prob. 1am. R. Mendose legi *baptizandos* in allato Codice, quod manifeste apparet conferenti hunc locum cum epist. 9.; cum in epist. 26. dicat, se permittere, quod prohibuerat in epist. 9.: sed in hac prohibuerat, ne presbyteri *baptizatos* ungerent in fronte. Unde etiam Gratian., Alexand. Alensis, S. Thom. utrobique legunt *baptizatos*.

Ad prob. 2am. R. Ex prudenti œconomia sic egisse Pontificem, ne sic magis perturbaret Calaritanorum animos; præsertim cum sacramentum hoc tantæ necessitatis non sit. Forte etiam supponebat, presbyteros Calaritanos ab aliquo prædecessorum suorum ad id facultatem habuisse.

Ad prob. 3am. R. Ut Art. præc. num. 191. appellare Pontificem ad usum Ecclesiæ Romanæ; sed idcirco non negare institutionem Christi, sicuti neque aliarum præter Romanam Ecclesiarum usum.

Prob. Maj. 2°. Adrian. II. successor Nicolai I. hujus Legatos, qui in Bulgaria confirmatos a Photianis presbyteris rursus, iis expulsis, confirmarant, excusat contra Photium, quod, cum intrusus esset, delegare presbyteros ad confirmandum non potuerit: *Quod si dicas,* inquit in epistola, cujus fragmentum in Synodo generali VIII. (Labb. t. 8. p. 1386. A.) refertur, *a nobis presbyteros ab ea regione expulsos, haud inficias imus, erant Photiani, illiusque symmystæ, quibus non solum in Bulgarorum terris, sed ubique gentium sacris ordinibus interdiximus, interdicimusque,* etc. Quibus indicat, neque hos presbyteros expulsos fuisse, neque reprobatam chrismationem ab iis factam, si fuissent legitime delegati.

Prob. Maj. 3°. Clemens VI. an. 1350. ad consultationem Patriarchæ Armenorum respondit inter cætera: *Si credis, quod per solum Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio Confirmationis presbyteris, qui non sunt episcopi, committi,* etc.; quibus plane indicatur, fuisse hunc sensum Ecclesiæ latinæ, posse ex dispensatione presbyteros confirmare.

Prob. Maj. 4°. Cardin. Pallavicin. L. 9. Hist. Conc. Trid. cap. 7. plures refert Pontifices, qui privilegium hoc concessere presbyteris; item Arcud. L. 2. Concord. cap. 15. Nicol. IV. Joann. XXII. Urban. V. Leonem X.; aitque ibidem Arcud., Ludovicum Fonsecam Societatis Jesu presbyterum, cum ex Brasilia Romam ad generalem Conventum an. 1593. venisset, munere Procuratoris illius Provinciæ functurus, sibi affirmasse, se solitum esse in illis partibus hoc sacramentum administrare, ibique hujus auctoritatis concessæ asservari diploma Pontificis.

Respondet L'Herminier, vel privilegia illa nunquam data fuisse, vel fuisse data contra Canones. Sed hæc responsio, præterquam quod multum contra politioris eruditionis ac modestiæ leges offendat, argumentum non solvit. Utriusque asserti probatio ab adversario exigitur. Credam ego fundatius, aberrasse potius ita dicendo privatum Theologum, quam tot egregios Pontifices, de quibus præsumi nec potest, nec debet, adeo eos temere egisse, quin, quantum sibi juris competeret, ante, ut facere omnes in rebus tanti momenti solent, adhibito aliorum consilio inquirerent. Alii igitur talium

diplomatum authentiæ diffidunt, a quibus vero sufficiens diffidendi exspectatur ratio saltem quoad Pontifices relatos omnes. Sed forsan rationem, si qua est, diffidendi tollent sequentia.

Prob. Maj. 5°. Bened. XIV. consultus hac de re a Vicario generali totius Ægypti, et Jacobo a Cremisir Ord. Minor. S. Francisci strictioris observantiæ Præside Missionis in Ægypto, aliisque apud Cophtos Missionariis sic respondit an. 1745. 4. Maii, Tom. I. Bullarii sui, editionis Romanæ p. 513. Instruct. 129. §. 8. *Si itaque ea sit nationis Cophtæ conditio, ut fideli populo Confirmatio administrari nequeat ab episcopis, quibus hujus sacramenti administrandi ordinaria potestas commissa est, minime nos latet, eamdem administrandæ Confirmationis potestatem ex Indulto Apostolico ad sacerdotem, vel missionarium pro modo necessitatis quandoque deferri posse. Hujusmodi delegatio nec nova, nec inusitata videri debet, cum S. Gregorii M. aliorumque Romanorum Pontificum nostrorum prædecessorum sanctissimis innitatur exemplis. Cum enim sæpe contigerit, Christi fideles Pastoris solatio esse destitutos, et episcopis ob distantiam locorum impossibile, vel difficile admodum fuerit, populorum necessitatibus præsentes fieri; in hanc partem episcopalis ministerii vocati sunt sacerdotes, dummodo uterentur chrismate ab episcopo rite benedicto et consecrato: ne alias contingeret, fideles rem sanctitatis plenam cunctando negligere, vel decedere sine hoc sacramento divinis muneribus cumulato, et ad nostram sanctificationem instituto.*

Præterea idem Bened. XIV. an. 1740. 9. Januarii concessit P. Custodi et Guardiano S. Sepulcri Ord. Minor. de observantia facultatem administrandi Confirmationem, absentibus episcopis ritus latini. Tom. I. cit. pag. 28.

197. *Prob. III.* Ratione. Presbyteri græci etiam nunc confirmant valide: atqui dici non potest, eos confirmare qua ministros hujus sacramenti ordinarios; ergo qua extraordinarios. *Maj.* constat; nam 1°. *confirmant*, ut constat ex quæstione sexta inter undecim formata a Latinis in Conc. Flor., de qua ante num. 195. et ex notis Goarii ad Euchologium Græcorum. Nec sec. IX. Photii schismatici ævo, hæc consuetudo apud Græcos primum invaluit, sed jam multo ante prævaluerat, ut constat ex epistola Photii, qua Nicolaum I. intolerandæ novitatis incusat, quod confirmatos a presbyteris Græcis de novo confirmari jussisset. 2°. *Valide.* Patet inde, quod, postquam Mitylensis Metropolita satisfecisset Latinorum objectionibus, Ecclesia Græcos in communionem receperit, quin juberet, ut consuetudine hac posthac abstinerent. *Min.* indubia est, cum de fide sit, juxta Trident. Sess. 7. Can. 1., solum episcopum esse *ordinarium* hujus sacramenti ministrum.

198. *Obj. I.* Conclusio adversatur tum S. Scripturæ, tum Traditioni; ergo.

Prob. 1ª. *pars.* Soli Apostoli in S. Scriptura leguntur neophytis imposuisse manus, ut acciperent Spiritum sanctum; nusquam vero commisisse hoc officium presbyteris, etsi tunc magnus esset confirmandorum numerus; ergo signum est, id fuisse a Christo prohibitum; uti ex illa Apostolorum praxi infert in epist. ad episc. German. cap. 1. (Labb. t. 5. p. 823.) Joannes III., qui ante Greg. M. Ecclesiæ præfuit.

Prob. 2ª. *pars.* 1°. Ex SS. Patribus quinque priorum seculorum, Innocentio I., Chrys., Hier., aliisque, quibus addi possunt ex insequentibus

seculis Isidor. Hispalensis, Beda, pluraque Conc. relata Art. 1°., a quibus officium confirmandi solis episcopis attribuitur.

2°. Ex summis Pontificibus, quorum plures non uno declararunt facto, nequidem delegari posse presbyteris confirmandi munus. Nicol. I. Bulgaros a presbyteris Græcis confirmatos rursum confirmari jussit. Innoc. III. relatus cap. *Quanto,* de Consuetud. Lucio suo Constantinopoli vicario mandat, *ut omnibus presbyteris districte prohibeat, ne talia* (confirmare) *de cætero sua temeritate præsumant.* Idem in regno Cypri observari præcepit Innoc. IV. in Constit. *Sub catholicæ.* Clemens VIII. an. 1595. in Instructione de ritibus Græcorum 1. ne presbyteri confirment, prohibet; 2. ab his confirmatos mandat rursus sub conditione confirmari a Latinis episcopis. Tandem absolute negarunt, presbyteros ex delegatione Pontificis confirmare posse, Euseb. et Adrian. VI.

199. R. *N. Ant. Ad prob.* 1ae. *partis* R. *N. Cons.* Quia non omnia, quæ fecerunt Apostoli, consignata in Scriptura sunt. Deinde permisso, quod Apostoli hanc facultatem non delegarint presbyteris, causa fuit, non quod prohibitum id a Christo judicarent; sed tum quod raro sacerdotes ordinarint Apostoli, quos simul non consecrarint episcopos; tum quod ipsi sufficerent Apostoli ad confirmandos illos, quos baptizarant alii, ac de quibus fit mentio in Actis Apostolorum; tum denique quia oportebat nascente Ecclesia statim distingui munia, ut pateret, quid cuique ordinarium esset. Epistola vero Joannis III. supposititia est, nemine ambigente. Talem probat Baron. ad an. 572, quia data dicitur 14. calend. Augusti, cum Joan. III. idus Julii ejusdem anni jam obiisset. Præterea apertæ falsitatis rea epistola convincitur, videlicet ex eo quod hujus auctor asserat, Linum et Cletum non fuisse Romanos Pontifices, sed tantum chorepiscopos.

200. *Ad prob.* 1am. 2ae. *partis* R. Generaliter patres et Concilia loqui de jure confirmandi *ordinario,* quod solis competit episcopis; non de facultate confirmandi ex legitima delegatione. Nam Chrys. quidem ac Hieron. satis innuere videntur, posse presbyteros saltem ex delegatione administrare Confirmationem. Prior in hom. 11. in 1. ad Timoth. dum inquit: *Inter episcopum et presbyterum interest ferme nihil; sola quippe ordinatione episcopi superiores sunt presbyteris.* Posterior epist. 101. (al. 85.) *ad* Evangelum: *Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod non faciat presbyter?* Innoc. vero, Beda, Isidor., cæterique verbo *debetur,* similive utuntur, quo significatur, munus istud solis episcopis convenire duntaxat ex officio.

201. *Ad prob.* 2am. R. *N. Assert.* Nicol. I. rursum confirmari jussit Bulgaros, quod presbyteri Græci eos confirmassent non legitime delegati, proinde invalide; nulla enim Græcis in Bulgariam, quæ se immediate Apostolicæ Sedi subjecerat, competebat jurisdictio. Præterea presbyteri Græci, qui Bulgaros confirmarant, ob schisma Photianum, quo erant impliciti, suspensi fuerant, et omni privilegio facultateque privati, ut inquit Nicol. ipse in resp. ad Consulta Bulgarorum, et epist. ad Hincmarum, tum Anastasius in ejus vita.

Nec dicas: Si Photius, licet depositus, Bulgaros sibi etiam non subjectos

confirmasset, validæ fuissent Confirmationes omnes; ergo si presbyteris delegari possit confirmandi facultas, etiam valuissent Confirmationes datæ a presbyteris Græcis.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quod episcopi ex institutione divina completam habeant potestatem confirmandi æque, ac ordinandi, quæ ab omni alia jurisdictione independens est; nec idcirco ipsis adimi potest per suspensionem, schisma, hæresin; unde semper ordinant, confirmant valide. At sacerdos simplex potestatem tantum inchoatam et incompletam confirmandi habet, quæ perfici debet delegatione legitima, sive canonica; sed hanc dare nequit episcopus depositus, qualis Photius fuerat; neque etiam episcopus, etsi non depositus, in diœcesi aliena, qualis respectu Photii fuit Bulgaria.

Innocent. III. solum id prohibuit presbyteris *Latinis*, non vero *Græcis*, ut habent editiones hodiernæ pleræque, adornatæ ad Codices melioris fidei; sic Baluziana editione habetur: *Dilectioni tuæ mandamus, qualenus omnibus Latinis presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne*, etc. Atque hinc quidem intelligitur, quod Latini plures ea ætate Ecclesias regerent Constantinopoli. Quare prohibitio Innocentii III. potius Conclusionem firmat, quia, dum solis Latinis prohibet, ne contra suæ morem Ecclesiæ confirment, tacite approbat, permittitque id fieri a Græcis.

Innoc. IV. non negat, facultatem hanc posse delegari presbyteris; sed cum inter archiepiscopum Nicosiensem, ejusque episcopos suffraganeos Latinos orta esset dissensio de ritibus variis, ac Confirmationis ministro, Latinis pro suæ ritibus Ecclesiæ stantibus, Nicosiensi pro Ecclesiæ Græcorum, re delata ad Innocent. IV. is solummodo respondit, expedire magis, ut teneantur Latini ritus, nec confirment presbyteri, dum adsunt episcopi, ministri ordinarii. Hoc vero rescripserat Pontifex pro sola insula Cypri, in qua Latini mixti erant Græcis; non pro aliis Græcorum provinciis. Imo hanc ipsam Pontificis Bullam nequidem promulgandam censuit Legatus pontificius, Arcudio teste.

Clemens VIII. nonnisi presbyteris Italo-Græcis, sive Græcis, qui in Italiæ morantur partibus sub episcopis Latinis, Confirmationis administrationem inhibuit. Jussit vero ab his confirmatos rursus confirmari sub conditione, quia incertum plane erat, habuissentne delegationem legitimam confirmandi; vel annon confirmassent ex opinione Græcorum aliorum, volentium, presbyteros Confirmationis esse ordinarios ministros?

Eusebii epistola supposititia est, ex Ante-Siricianis una, quæ ceu apocryphæ rejiciuntur a plerisque hodie. Sed, quicumque auctor sit, non hoc absolute negat, posse facultatem confirmandi committi presbyteris; sed solis episcopis ait esse proprium confirmandi munus; quod verum est, spectato jure ordinario.

Andrian. VI. tandem ita docuerat ut Theologus privatus, antequam esset Pontifex. Postea equidem, cum de novo ederentur ejus opera Romæ, expuncta non fuit ea sententia; quia videlicet inter Theologos habebatur probabilis.

202. *Obj. II.* Ex ratione. 1°. Illius potestatis, conferendi ex delegatione

Confirmationem, in ordinatione presbyterorum nulla fit mentio; ergo tunc conferri dici non debet. Ita Estius.

2°. Non est potior ratio pro simplici sacerdote, quam diacono: sed huic delegari nequit facultas confirmandi; ergo nec sacerdoti simplici: si enim dicas, in diacono non esse potestatem confirmandi inchoatam, pariter dicam, non esse in sacerdote.

3°. Administratio Confirmationis est actus ordinis, non jurisdictionis, quia alioquin episcopus electus ante consecrationem posset confirmare, quod falsum est. Atqui quocumque modo Confirmatio dicatur esse actus ordinis in episcopo, vel nihil sequitur, vel nimium; ergo. Nam 1. si sit actus ordinis presbyteralis in episcopo, quilibet sacerdos esset æque minister Confirmationis ordinarius, ac episcopus, semperque confirmaret valide, sicut consecrat valide, licet suspensus. Cujus ratio est, quia potestas ordinis, cum sit a Christo, a jurisdictione alia non dependet. 2. Si sit actus ordinis, sive consecrationis episcopalis; igitur hoc ipso sacerdoti simplici committi nequit; quia actus ordinis non potest committi illi qui ordinem illum non habet. c. *Aqua*. 9. de Consecr. Eccles.

4°. Si summus Pontifex possit presbytero delegare facultatem, ut confirmet; ergo id poterit quilibet episcopus in sua diœcesi: falsum Consequens; ergo et Antecedens. *Prob. seq. M.* Vel enim Pontifex id posset potestate ordinis, vel jurisdictionis. Si *primum*: hæc eadem est cum potestate ordinis episcoporum; ergo et episcopus æque delegare hanc facultatem poterit. Si *secundum*: rursus idem poterit episcopus, cum possit sua in diœcesi omnia quæ Pontifex potest tota in Ecclesia. Vel

5°. Si Pontifex dicatur delegare hanc facultatem presbyteris vi jurisdictionis, nulla erit delegatio; quia potestas confirmandi a jurisdictione independens est. Item sequeretur, quod Papa electus, sed nondum consecratus episcopus posset confirmare; quod non admittitur.

203. *Ad* 1um. R. *C. Ant. N. Cons.* 1°. Quia etiam in presbyterorum ordinatione nulla fit mentio potestatis ungendi infirmos, quæ tamen potestas ad ordinem presbyteralem certo pertinet. 2°. Quia pari modo inferri posset, potestatem confirmandi nequidem pertinere ad episcopos; nulla enim ejus fit mentio in episcoporum ordinatione. Nec dicas, moneri, antequam consecretur, episcopum, ut Confirmationem ministret; nam monetur etiam, ut judicet, baptizet, consecret, offerat, Scripturas interpretetur: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, confirmare*; nemo tamen hinc inferet, episcopum vi consecrationis *episcopalis* accipere potestatem baptizandi, et offerendi; et potestatem hanc utramque non esse presbyteralis ordinis. Hinc 3°. non est necesse, ut potestatis baptizandi, infirmos ungendi, confirmandi mentio fiat in ordinatione presbyteri, quia, ut inquit De Marca L. 2. Concord. cap. 13. presbyterium est ordo, qui ad sacramenta aliis dispensanda confertur.

Ad 2um. R. *N. M.* Ratio diversitatis prima et potissima est voluntas Christi sic instituentis, ut sacerdos possit esse minister Confirmationis extraordinarius, ut ex SS. Patribus, Pontificibus, Conciliis, praxi Ecclesiæ intelligimus. Secus est de diacono, pro quo non habetur usquam simile voluntatis Christi vestigium. Deinde, spectata natura rei, sacerdotium continet pote-

statem in corpus Christi verum, ex qua oritur potestas in corpus Christi mysticum; item proxime accedit ad episcopatum, a quo solum inadæquate distinguitur ob hujus magis extensam potestatem : nihil horum diaconatus habet; potior igitur ratio dicendi est, in sacerdote esse potestatem confirmandi inchoatam, quæ compleatur delegatione legitima, quam in diacono.

Ad 3um. R. *C. M. N. min. Ad prob.* R. Administratio Confirmationis jure ordinario, et ex officio solius ordinis, vel consecrationis episcopalis actus est : jure extraordinario autem et ex delegatione sola actus est ordinis presbyteralis, quo confertur presbytero potestas confirmandi inchoata, incompleta, quæ delegatione legitima perficitur. Hinc dum ad confirmandum delegatur sacerdos, non ei committitur actus ordinis episcopalis, sed sui proprii sacerdotalis, quatenus per delegationem potestas illa inchoata fit libera, expedita, completa, quæ sine delegatione erat ligata quasi, impedita et incompleta. Ex hisce simul fluit (quia potestas confirmandi jure ordinario actus est episcopalis ordinis), episcopum electum ante consecrationem confirmare invalide, ut habet communis Theologorum contra Flaventinum sententia : e contra validam fore Confirmationem, quam episcopus consecratus in aliena diœcesi administrat.

Ad 4um. R. *N. seq. M.* Soli enim summo Pontifici id reservatum esse, habet sensus et praxis Ecclesiæ. Colligitur ex Florentino, quando in Decreto ait, legi tamen aliquando simplicem presbyterum hoc ministrasse sacramentum, sed *per apostolicæ Sedis dispensationem.* Ex Clemente VI. supra in Concl. Ex consensu Doctorum unanimi.

Utrum vero id reservatum sit Sedi Apostolicæ jure tantum ecclesiastico an divino? non æque certum est. Non improbabile ait Pallavicin. in Hist. Concil. Trid. hic, si ratio habeatur solius institutionis, episcopos posse conferre privilegium hoc suæ diœcesis presbyteris, quamvis attento rerum statu præsenti, id minime possint, uti nunc non possunt in quibusdam dispensare votis, a peccatis quibusdam absolvere. E contra soli summo Pontifici hoc jure divino reservatum esse, cum communiori affirmat probabilius Contensonus ex perpetua Ecclesiæ traditione, optima divinæ institutionis interprete. Et sane, inquit, quæ totius Ecclesiæ regimen concernunt, qualia maxime sunt, quæ sacramentorum ritus spectant, soli summo Pontifici jure divino reservata sunt, vel œcumenicis Conciliis, ut ea determinent, quæ Christus singulatim et in specie non præscripsit, sed Ecclesiæ judicio permisit.

Ad prob. M. R. Pontificem hanc facultatem deferre vi jurisdictionis. Etsi vero, quod toto in orbe summus Pontifex potest, id etiam episcopo sua in diœcesi concessum dicatur; quia episcopus est suæ diœcesis pastor ordinarius, sicut Papa totius orbis christiani; id tamen intelligendum est de his solummodo, quæ pertinent tum ad potestatem ordinis, tum ad regimen spirituale ovium; non autem de his, quæ ad universam Christi familiam spectant, cujusmodi sunt designatio materiæ et ministri sacramentorum, in quibus Christus non determinavit in specie, controversiarum fidei definiendarum primaria potestas, et similia, in quibus plura potest universæ Ecclesiæ caput, quam singularum diœcesium episcopi. Cæterum de allato axiomate : quod potest Papa in Christiano orbe, potest episcopus in sua diœcesi; plura vide apud Bened. XIV. L. 7. de Syn. Diœces. cap. 30.

Ad 5um. R. *N. seq.* et *prob.* 1am. *D.* Potestas confirmandi ordinaria et completa, qualis illa episcoporum est, non dependet a jurisdictione *C.* incompleta et inchoata, quæ est in sacerdote simplici *N.* Hæc dependens est a jurisdictione suprema summi Pontificis, a qua perfici et compleri debet.

Ad prob. 2am. R. pariter *N. Illatum;* quia, etsi actualis administratio Confirmationis sit actus ordinis; delegare tamen, vel conferre confirmandi facultatem actus jurisdictionis est; quam proinde dare potest Papa electus, nondum consecratus, licet Confirmationem ipsam ministrare non possit. Sicut episcopus electus, nondum consecratus potest dare facultatem absolvendi a peccatis, etsi ipse non possit absolvere.

ARTICULUS III.

QUODNAM SUBJECTUM? QUÆ NECESSITAS? PROPRIETATES ET EFFECTUS CONFIRMATIONIS?

204. *Dico I.* Subjectum Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus.

Prob. 1a. *pars.* Quia omnes baptizati capaces sunt ad recipiendum augmentum gratiæ perfectioris, indigentque, ut corroborentur a Spiritu sancto ad pugnandum contra hostes fidei, et quasvis nequitias spirituales. Nec obstat infantilis ætas, quia, ut ait D. Thom. 3. p. q. 72. a. 8. in θ. *anima, ad quam pertinet et spiritualis nativitas, et spiritualis ætatis perfectio, immortalis est; et potest, sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ consequi perfectam ætatem; quia hujusmodi corporales ætates animæ non præjudicant.*

Hinc hodiedum Græci confirmare infantes solent; et in Ecclesia latina olim ætas omnis, sive infantilis, sive adulta, erat idonea Confirmationi, quia quælibet ætas erat idonea Baptismo, cui tunc ex disciplina Confirmatio adhærebat. Ac quidem usus ille confirmandi infantes in Latinorum Ecclesiis usque ad sec. XIII. tenuit. Ejus meminit Innoc. I. epist. ad Decent. cap. 3. *de consignandis parvulis.* S. Aug. Tr. 6. in 1. Joan. epist. n. 10., Ordo Romanus, aliique Rituales libri. Dum tandem sec. XIII. aboleri cœpit in Synodo Coloniensi an. 1280. cap. 5. Lingonensi an. 1404. Colon. 1536. aliisque, et ordinatum, non esse hoc sacramentum ministrandum, nisi illis, qui annos discretionis attigerint, proinde non ante annum ætatis septimum, tum ob iterationis periculum, tum ut præparatione ac dispositione majore fructuque percipiatur. Hinc et in amentibus, si quæ habere lucida intervalla soleant, ea exspectanda sunt.

Hæc tamen modernæ Ecclesiæ consuetudo non adeo stringit, ut, si adsit rationabilis causa, episcopus confirmare infantem non possit, velut si periculum mortis sit, vel ob diuturnam episcopi absentiam postea suscipiendi sacramenti hujus desit opportunitas; cum Pontificale Romanum id videatur relinquere episcopi voluntati, ac pleræque Synodi sua decreta limitent, nisi aliud justa causa postulet. Sic Synodus Mediolan. V. an. 1579. prohibet, ne parvuli confirmentur ante septennium, *nisi ob justam causam.* Turon. an. 1583. prohibuit, ne id *facile* fieret. Aquensis an. 1585, ne id fieret, *nisi justa de causa.*

Pars 2a. patet, quia Baptismus juxta Conc. Flor. et Trid. est janua ad

sacramenta alia omnia suscipienda. Et constat ex traditione ab Apostolis derivata, qui nonnisi baptizatis hoc sacramentum ministrasse leguntur Act. 8. et 19.; itaque semper retentum est in Ecclesia. Et vero prius est hominem spiritualiter nasci, quod in Baptismo accidit, quam cooptari in militiam Christi, quod in Confirmatione fit.

205. *Dico II.* Confirmatio non est necessaria necessitate absoluta, vel medii.

Prob. Ex totius Ecclesiæ sensu et doctrina infantes baptizati morientes antequam confirmentur, transferuntur in regnum cœlorum; ergo. Etsi vero olim necessaria fuerit necessitate præcepti ecclesiastici, ut colligere est ex variis Patrum, Conciliorum Canonibus, ob infesta persecutionibus tempora; nunc tamen eam legem in desuetudinem abiisse, ait cum aliis Dicastillo, cum ejus observantiam non æque urgeat modo Ecclesia. Præceptum autem aliquod positivum divinum difficile est vel ex S. Scriptura, vel Traditione eruere. Ex hoc enim, quod S. Scriptura moneat securitati suæ consulere, tendere ad perfectionem christianam etc. solum sequitur, Confirmationem ob auxilia gratiæ, quæ confert, esse necessariam necessitate minus stricta, et ad melius esse, id est, ut ait D. Th. q. 65. a. 4. necessariam *secundum quid.*

Nihilominus per accidens gravis esse potest hujus sacramenti suscipiendi obligatio, velut 1°. si negligeretur cum gravi scandalo, aut contemneretur ceu ritus nullius momenti; 2°. si esset periculum deficiendi a fide, ne quis superet graves tyranni vexationes et tormenta. Addunt alii 3°. si quis hoc sacramentum negligat, non quidem ex formali contemptu, sed sola negligentia, cum nunc esset ejus suscipiendi commoditas, non facile reditura, quia ut inquit Conc. Senon. an. 1524. *contemni autem dicitur, quando episcopus est præsens paratus dare, et persona hoc sciens negligit.* Sed hic contemptus non est formalis, sed potius præsumptus; nec dicit Concilium, ex eo nasci obligationem gravem, vel ita negligentem peccare continuo graviter. Hinc, quidquid de ea opinione sit, certum est ex alia parte, ut notat Layman L. 5. Tr. 3. cap. 5. nos multa animæ salubria intermittere ex aliquo torpore, quæ tamen haud contemnimus.

206. *Dico III.* Effectus Confirmationis principalis est augmentum gratiæ sanctificantis, qua in perfectione christiana perficimur, cum jure ad auxilia specialia ad fortiter profitendam fidem.

Prob. Nam 1°. juxta dicta Tract. de Sacram. in gen. de causal. Sacram. gratia sanctificans vel prima, vel secunda sive augmentum primæ, communis est omnium sacramentorum effectus; ergo et Confirmationi abnegari non potest.

2°. Gratia sanctificans, quam confert Confirmatio, hominis baptizati in perfectione christiana perfectiva est; quia datur in quadam plenitudine, ut colligitur ex Act. 8., ubi de Samaritanis baptizatis dicitur, nondum in quemquam illorum venisse Spiritum sanctum: at fide certum est, eos jam accepisse per Baptismum gratiam sanctificantem, per quam Spiritus sanctus datur; ergo ideo nondum venisse in Samaritanos dicitur Spiritus sanctus, quia nondum acceperant gratiam ea in plenitudine, qua per hoc sacra-

mentum datur. Unde S. Dionys. L. de Eccles. Hier. cap. 4. part. 3ª. §. 11. ait de hoc sacramento : *Illa unguenti consummans unctio divini Spiritus illapsum elargitur*. Et D. Thom. 3. p. q. 72. a. 11. ad 2. *Sacramentum Baptismi est efficacius... quantum ad remotionem mali... Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono; quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad perfectum*. Neque hoc in Baptismi injuriam cedit, quasi ille perfectos Christianos non efficeret; nam baptizati sunt perfecti Christiani quoad substantiam, sive, ut inquit Guillelm. Antisiodorensis habent *plenitudinem sufficientiæ*, non *plenitudinem copiæ*, quam affert Confirmatio, substantiam perfectionis christianæ perficiens.

3°. Jus demum homini confert ad specialia auxilia divina ad profitendam fortiter fidem, quæ fidei professio est Confirmationis finis. Hinc passim Confirmatio sacramentum *corroborationis*, conferre gratiam *corroborativam*, dare Spiritum sanctum *ad robur* dicitur.

207. *Dico IV*. Alter hujus sacramenti effectus est character, de quo jam dictum Tract. de Sacram. in gen. Diss. 1ª. cap. 2. art. 9. toto.

Hujus vero officium est 1°. distinguere hominem a fidelibus aliis, ut inquit D. Thom. 3. p. q. 72. a. 5. ad 1. *Est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur : Sicut modo geniti infantes*. 2°. Consecrare fidelem tanquam Christi militem, juxta D. Thom. cit. loc. a. 9. in 6. *Insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis... Et ideo in fronte... ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat*. Quo modo et Conc. Florent. in Decreto loquitur.

208. *Obj*. Confirmatio iterabatur in Ecclesia; ergo tunc non censebatur characterem imprimere.

Prob. Ant. 1°. Synodus generalis II. sive Constantinop. I. Can. 7. (Labb. t. 2. p. 952.) jubet Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Apollinaristas per chrismationem recipi, cum verbis : *Signaculum doni Spiritus sancti;* qui ritus fuit confirmatorius, ut vel ex solis cit. verbis constat, quæ adhuc hodie apud Græcos forma sunt Confirmationis : atqui tamen multi ex hisce hæreticis confirmati fuerant; nam Macedoniani et Apollinaristæ paucis ante Concilium annis ab Ecclesia defecerant.

2°. Venientibus ab hæresi quacumque imponebantur manus, vel dabatur unctio *in Spiritum sanctum* juxta Concil. Arelat. I. Can. 8. (Labb. t. 1. p. 1428.), Siricium Papam epist. ad Himmerium) Labb. t. 2. p. 1018. A. B.), Innocent. I. epist. 22. ad episcop. Macedoniæ c. 4. (Labb. ibid. p. 1274. B.), Concilium Arausic. I. Can. I. (Labb. t. 3. p. 1447.), etc. Atqui impositio manus in Spiritum sanctum non alia est, quam confirmatoria; ergo.

3°. Methodius Patriarcha Constantinop., ut legere est apud Baronium ad an. 842. num. 20. decretum edidit, ut Christiani, qui ignorantia, vel tormentorum vi fidem negassent, redeuntes ad Ecclesiam reciperentur per unctionem chrismatis confirmatoriam. Ante responsionem

209. *Observa* : Cum hæretici olim reciperentur in Ecclesiam impositione manus, aut etiam chrismatione; nata est quæstio, illa impositio manus, aut unctio subinde adhibita, an mere reconciliatoria fuerit; an vero confir-

matoria? In qua quidem certum est 1°. impositionem manus, qua hæretici qui in Ecclesia catholica baptizati, ab hac defecerant, deinde redeuntes admittebantur, non fuisse confirmatoriam, ut constat ex Cypriano epist. 71. (opp. p. 119. edit. Rigaltii an. 1666.): *Quos constat hic* (in Ecclesia catholica) *baptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transisse, postmodum peccato suo cognito, et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant, satis est, in pœnitentiam manum imponere.* Idem docet Leo M. epist. 159. ad Nicetam Aquileiens. cap. 6. Vigilius Papa epist. 2. ad Euther. c. 3. (Labb. t. 5. p. 312.). Hæcque impositio manus sicca sine unctione fuit. 2°. Certum est hæreticos in ipsa hæresi invalide baptizatos, in Ecclesiam admissos fuisse 1. per impositionem manus ceremonialem, qua aggregabantur catechumenis, 2. per Baptismum, cui 3. addebatur Confirmatio impositione manus et unctione, ut colligitur ex cit. Conc. generali II. Constantinop. I. Can. 7., tum aliis. 3°. Certum est hæreticos foris valide baptizatos, sed nondum confirmatos in Ecclesiam admissos esse impositione manus vel unctione confirmatoria, ut rursum colligitur ex eodem Can. 7. cit. sic Novatianos jubente recipi, ad Novati, vel rectius Novatiani, magistri sui exemplum passim negligentes Confirmationem. Item ex Siricio epist. 4. ad Africanas Ecclesias n. 8. (Labb. t. 2. p. 1029. E.) Innoc. I. epist. 2. ad Victricium cap. 8. (Labb. ibid. p. 1251.).

Proinde quæstio de iis duntaxat hæreticis remanet, qui foris valide baptizati, confirmatique, per manus impositionem, vel chrismationem admittebantur, utrum hæc impositio manus, vel chrismatio esset confirmatoria? Affirmat contra communem aliorum Antonius Augustin. Archiepiscopus Tarraconensis in Epitome juris Pontificii L. 22. Tit. 8. Sirmond. in Antirrhetico 1. et 2. adversus Aurelium in Notis posthumis ad Can. Conc. I. Arelat. et Can. 1. Conc. I. Arausic. apud Labbæum ad calcem Tom. 1. et 3. Conciliorum, paucique alii. Nunc

R. *N. Ant.* Constans fuit Ecclesiæ traditio, nunquam iterandam esse Confirmationem valide acceptam, etsi foris in hæresi, sicut nec alia sacramenta characterem imprimentia, Baptismum et Ordinem. Evincitur

1°. Ex Concilio Trid., quod Sess. 7. Can. 9. inquit: *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima... unde et iterari non possunt; anathema sit.* Ait vero ante hos Canones in Proœmio Synodus, se in iis statuendis inhærere *SS. Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, et Patrum consensui;* ergo hæc traditio Apostolica fuit, Confirmationem valide datam non posse iterari. Nec dicas, satisfieri Concilio, si hoc intelligatur de Confirmatione data ab episcopis catholicis; etsi aliud esse dicatur de ea, quam episcopi hæretici conferunt. Nam Concilium loquitur de Confirmatione valida quacumque sine exceptione, sicut de Baptismo et Ordine. Et vero alias pariter dicam, satisfieri Concilio quoad Baptismum et Ordinem, si hoc explicetur solummodo de Baptismo et Ordine datis a ministro catholico; quod esset resuscitare errorem rebaptizantium.

2°. Ex decreto Stephani contra rebaptizantes sæpius cit. *Si quis a quacumque hæresi venit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam;* sed impositio manus ad pœnitentiam non erat confirmatoria. Loquitur etiam Pontifex de hæreticis nullo facto di-

scrimine eos inter, qui ab Ecclesia catholica defecerant, et alios. MORINUS L. 9. de Pœnit. cap. 7. ut se hoc argumento expediat, putat in epist. CYPRIANI 74. ad Pompeium, ubi refert decretum STEPHANI, mendum irrepsisse, et pro *in pœnitentiam* legendum esse, *in Spiritum sanctum*. Verum cum singula decreti verba expendantur a CYPRIANO studiose, et semel ac iterum repetantur sub initium ejusdem epistolæ 74. ad Pompeium; ac eodem verborum ordine, quo in epist. cit. decretum STEPHANI referant Codices manuscripti optimæ notæ, quibus RIGALTIUS usus est, iique vetustissimi, inter quos Codex Corbeiensis annorum amplius octingentorum canitie venerandus, nihil hac in re MORINO (qui tamen postea suam ipse mutavit sententiam, ad communem nostram transiens) ejusque rationibus deferri potest.

3°. Ex PP. INNOCENT. I. epist. 18. ad Alexandrum c. 3. (Labb. t. 2. p. 1269. D.): *Arianos*, inquit, *cœterasque hujusmodi pestes... sub imagine pœnitentiæ... per manus impositionem suscipimus.* Ait, *sub imagine pœnitentiæ*; quia minor erat eorum pœnitentia hæreticorum, quam illorum, qui in Ecclesia baptizati ab hac defecerant. S. AUGUSTIN. in eo totus est, ut probet contra Donatistas, valere Confirmationem datam et acceptam in hæresi. L. 5. de Bapt. 7. contr. Donat. cap. 20. objicientibus Donatistis, *quomodo aquam mundat et sanctificat* (minister) *homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ* (hæretici)? Respondet: *Si Deus adest sacramentis et verbis suis, per qualeslibet administrentur, et sacramenta Dei ubique recta sunt.* Ubi Confirmationem, quæ *olei* nomine indicatur, datam ab hæreticis vocat *sacramentum rectum* æque, ac Baptismum. Hinc L. eod. cap. 23. n. 33. talibus ad Ecclesiam venientibus solum imponi manus ait, ne sine omni culpa esse putentur, et propter charitatis unionem, quæ maximum Spiritus sancti donum est; non ut confirmentur: *Manus autem impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* Omitto Patres alios, cum, ut inquit AUXILIUS L. 1. de Ordinationib. a Formoso Pontifice factis cap. 13. AUGUSTINI *auctoritas instar solis in tota fulget Ecclesia.*

Ad prob. 1am. R. *D.* Synodus jubet per chrismationem recipi, si hanc necdum receperint *C.* si receperint *N.* Nec mirum, quod distinctionem illam non fecerint Patres, quia ex recepto Ecclesiæ usu patebat per se, non esse confirmandos, qui confirmati jam essent. Sic iidem Patres eod. Can. 7. Eunomianos, Montanistas, Sabellianos, inquiunt, *et alias omnes hæreses, quoniam hic multi sunt hæretici, quicumque ex his rectæ fidei adscribi volunt, ut gentiles admittimus: et primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo Catechumenos, tertio exorcizamus.. et sic eos catechizamus.. et tunc eos baptizamus*; nimirum subintelligendo juxta receptum Ecclesiæ usum: si nondum valide baptizati sint.

Ad prob. 2am. Responderi potest 1°. *D. min.* Impositio manus vel unctio in Spiritum sanctum ceu illius causa per se, et ex opere operato est confirmatoria *C.* ceu causa per accidens ut removens prohibens; item ex opere operantis *N.* Talis vero erat impositio manus data in Spiritum sanctum hæreticis jam confirmatis, quatenus signum erat pœnitentiæ ac reconcilia-

tionis cum Ecclesia, quæ ex Aug. L. 3. de Bapt. cap. 13. removet *discordiæ fœditatem, et dissensionis iniquitatem*, qua ligabatur Baptismus, ne Spiritum sanctum ac remissionem peccatorum conferret. Sed

R. 2°. *Permisso,* impositionem manus et unctionem *in Spiritum sanctum* fuisse confirmatoriam, responderi potest ut ante ad Concil. Constantinop; nimirum jubentur ita recipi nondum confirmati *C.* confirmati *N.* Hæc Bellarm. et Arcudii responsio priore expeditior est.

Ad prob. 3am. R. 1°. Non satis constat, cujus Methodii hoc decretum sit, an Methodii sancti, qui obiit an. 847. an alterius patriarchæ Constantinop. apostatæ, qui an. 1240. tribus solum mensibus eam sedem tenuit. Priori assignat Goarius, nixus Armenopuli testimonio, qui in scholio ad Can. 1. tit. 4. sect. 5. refert illam Methodii patriarchæ constitutionem. Posteriori Arcudius adscribit L. 2. de Confirm. cap. 18.; idque multis Morinus probat. Si hujus apostatæ sit, auctoritatem non habet. Sed permisso gratis, esse Methodii sancti, responderi potest, ut ad præcedentia.

DISSERTATIO III.

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

---

210. Εὐχαριστία Latinis idem, quod *bona gratia*; *gratiarum actio* auctore S. Dionys. Areop. de Eccl. Hier. c. 3. part. 1ª. S. Ignatio epist. ad Philadelphenses n. 4. et S. Justino Apol. 2ª. (al. 1ª. n. 65.), nunc Catholicis augustissimum sacramentum corporis et sanguinis Christi significat; tum quod ipsum gratiarum fontem in se contineat; tum quod agendis Deo gratiis vel maxime inserviat. Non enim solummodo in eo memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, dans escam timentibus se; sed et donum in eo excellentissimum reposuit, quo oblato dignas Deo grates referremus, inquit S. Chrysostom. homil. 25. in cap. 8. Matth. n. 3. (opp. t. 7. p. 310. D.).

Multis aliis splendidisque nominibus illud subin efferunt Patres, Scriptoresque Ecclesiastici.

1°. A tempore, quo primum a Christo celebratum et institutum est hoc sacramentum, *cœna* dicitur ipso ab Apostolo 1. Cor. 11. 20. Dionysio Areopagita L. de Eccles. Hierar. cap. 3. part. 3ª. §. 1., aliisque Græcis et Latinis.

2°. Ab eo, quod continet, *corpus*, *caro*, *sanguis Christi* passim in scripturis sacris, et a Patribus nuncupatur. Item: *Sancta* in Liturgiis græcis: *Sancta Sanctorum*, *Sanctum Domini*.

3°. A materia, ex qua conficitur, *panis*, Joan. 6. 52. *panis supersubstantialis* apud S. Cyrill. Hierosolymitanum catech. 23. n. 15., Aug. *panis Angelorum* in hymnis Ecclesiæ.

4°. A forma consecrationis *eulogia*, seu *benedictio* 1. Cor. 10. 16., atque apud S. Maximum M. in cap. 3. Hier. Eccles. part. 2. aliosque Patres. *Eulogiæ* tamen etiam dicebantur partes panis vulgaris oblati a fidelibus, non consecrati, sed a sacerdote per orationes benedicti, iis distribui soliti, quibus, quocumque ex impedimento, sacram Eucharistiam non erat permissum sumere. Item etiam Eulogiæ dicebantur illa fidelium dona, quæ sibi invicem mittendo communionem et charitatem mutuam testabantur. De quibus S. Aug. agit epist. 31. (alias 38.) n. 9.

5°. Ab effectibus *vita* Joan. 6. *communio* et *communicatio*, quod fideles inter se, et cum Christo conjungat: *viaticum*, quod in patriam supernam tendentibus nobis maximo sit subsidio, appellatur.

6°. Tandem a loco, in quo conficitur, *sacramentum altaris*; item *synaxis*, ob præsentem fidelium cœtum. A distributione *fractio panis*, Luc. 24. Act. 2. 42. A proprietatibus *novum Testamentum*, Luc. 22. 20. dicitur.

Præter hæreticos veteres, qui circa veritatem carnis Christi aberrabant a fide, ut Phantasiastæ, similesque, ac consequenter circa veritatem Eucha-

ristiæ, in sec. IX. Scotus Erigena librum de corpore Christi conscripserat, quo quoad fidem de reali Christi in Eucharistia præsentia catholicis perquam suspectum se fecit, ut proinde ejusdem liber proscriberetur in Synodo Vercellensi anno 1055. At sec. XI. Berengarius Turonenssi, Andegavensis archidiaconus, veneno ex libro Scoti Erigenæ hausto, omnium primus palam realem Christi præsentiam in Eucharistia abnegare cœpit, mox damnatus in pluribus Synodis, præsertim Romana sub Nicolao II. an. 1099. in qua edita fidei catholicæ professione ejuravit errorem; sed in eumdem relapsus, rursum damnatus in altera Romana Synodo sub Gregorio VII. an. 1078. rursus etiam fidei catholicæ professionem, retractato errore, emisit, liberque ad patrios lares remissus, pœnitens, et in mortem usque orthodoxæ fidei retinens mansit, ut vult sententia probabilior et fundatior, testaturque Clarius, Floriacensis in Chronico sec. XII. ineunte; Willelmus Malmesburiens. L. 3. de gest. Reg. Angl., S. Antonin.; sed præsertim id colligitur ex MSpto codice Ecclesiæ S. Martini Turonensis, in quo refertur pius Berengarii obitus. Eumdem Berengarii errorem pertinacius retinuere sec. XII. Petro-Brussiani sic dicti a Petro de Bruis; item Waldenses, sive pauperes de Lugduno, aut, alio nomine, Albigenses.

Novatores, qui sec. XVI. orti, duas in classes dividi possunt. Prima eorum est, qui, revocato Berengarii errore, realem Christi in Eucharistia præsentiam omnimodis negant, Eucharistiam nonnisi figuram corporis et sanguinis Christi asserentes. Primus fuit Carolostadius sic dictus a natali suo in Franconia ad Mœnum oppido, alias Andreas Bodenstein proprio nomine nuncupatus, Lutheri discipulus, quem secuti Zwinglius, Petrus Martyr, aliique, et sic dicti Sacramentarii; ac præsertim sua cum secta Calvinus et Socinus. Altera aliorum, qui realem Christi præsentiam quidem admisere, ut Lutherus cum aliis; sed in sola communione, non statim post consecrationem; unde sacramentum hoc dicebant, esse transiens, inque sola communione consistere; vel etiam Christum realiter præsentem asserebant statim a consecratione usque ad communionem, ut Lutheranorum alii. Utraque tamen pars in modo explicandi realem præsentiam Christi nec inter se omnino convenit; neutra vero Catholicis. Alii enim Lutheranorum substantiam corporis et sanguinis Christi compenetrari cum substantia panis et vini docent, sicut ferme ignis cum ferro candente, qui idcirco *Consubstantiatores* nuncupantur; et ita sentiunt Lutherani communius. Alii vero substantiam corporis et sanguinis Christi uniri unione physica ad modum unionis hypostaticæ, qua Verbum unitur humanitati, substantiæ panis et vini; unde *Impanatores* vocantur. Alios errores in decursu notabimus.

Contemplaturi igitur nunc augustissimum hoc sacramentum, quod inter sacramenta alia, solis instar in planetarum suorum medio, suo splendore præeminet, et vindicaturi fideli Naboth, Ecclesiæ, hæreditatem, quam a Christo accepit, contra perfidæ Jezabelis illam eripere meditantis conatus, Dissertationem præsentem in sequentia capita partiri placuit. Unde agemus

I. De institutione Eucharistiæ. II. De veritate ejusdem, sive reali Christi in eadem præsentia. III. De modo, quo Christus hoc in sacramento realiter præsens existit. IV. De natura hujus sacramenti, materia, forma. V. De proprietatibus ejusdem, sumptione, necessitate, ministro, subjecto. VI. De Eucharistia, ut est novæ Legis sacrificium.

Decretum Concilii Florentini de Eucharistia sub Eugenio IV. an. 1439. pro Armenis.

Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia SS. Patrum ac Doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicæ Passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro : In sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum; quia utrumque, id est, sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur : tum etiam, quod convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis (Apoc. 17.) : *Aquæ multæ, populi multi.* Et Julius papa secundus post beatum Sylvestrum ait : Calix Dominicus, juxta canonum præceptum, vino et aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credidit, copulatur et jungitur. Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis et doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis religio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino. Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur : ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo incorporatur, et membris ejus unitur : consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem : in quo, inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

Canones Concilii Tridentini de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento. Sess. 13. die 11. Octobris 1551. sub Julio III.

I.

Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit.

III.

Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam : aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter; anathema sit.

IX.

Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Ecclesiæ; anathema sit.

X.

Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare; anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum SS. Eucharistiæ sacramentum; anathema sit. Et, ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Canones ejusdem Concilii Tridentini de Communione sub utraque specie et parvulorum. Sess. 21. *die* 16. *Julii* 1562. *sub Pio IV.*

I.

Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

III.

Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.

Canones ejusdem Concilii Tridentini de Sacrificio Missæ. Sess. 22. 17. *Septembr.* 1562. *sub Pio IV.*

I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari SS. Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, ceremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

CAPUT I.

DE EUCHARISTIÆ INSTITUTIONE.

Eucharistia Orthodoxis est *Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini ad spiritualem animæ refectionem a Christo institutum.* In hujus sacramenti consideratione duo priore loco occurrunt; existentia ejusdem et institutio. Sed Eucharistiam esse novæ Legis sacramentum, nec Acatholici abnuunt, etsi quoad alia sacramenti ejusdem a nobis dissentiant; constatque jam ex dictis de Sacram. in gen. Dissert. 1. cap. 1. et 3. Unde dissertationis præsentis ab Eucharistiæ institutione initium ducere visum est.

Christum pridie mortis suæ in ultima cœna Eucharistiam instituisse, indubium est ex Matth. 26., Marci 14., Luc. 22. et 1. Cor. *Nocte, qua tradebatur.* At gravis est controversia, qua die Christus ultimam cœnam celebrarit? cui causam dedit apparens Evangelistarum dissonantia. Tres modo laudati Evangelistæ *primam diem azymorum*, h. e. mensis *Nisan*, qui nostro respondet Martio, lunam sive diem decimam quartam, ad cujus vesperam prius pascha legale juxta præscriptum legis celebravit, assignant. Sed Joannes hoc factum ait *ante diem festum paschæ.* Unde cum dies festus paschæ sit etiam primus azymorum, consequi videtur, Christum ultimum pascha celebrasse, non luna decima quarta, sed decima tertia; eaque instituisse Eucharistiam. Hinc ad conciliandos inter se Evangelistas varii varia commenti sunt. Sed cum ea controversia de institutione Eucharistiæ connectatur cum altera, ut liquet, de ultimo Christi paschate, quo illud die peregerit? quædam ante præmittenda censui, unde dicendis major lux affulgeat.

ARTICULUS I.

PRÆNOTANDA AD PRÆSENTEM CONTROVERSIAM.

211. Pascha, id est, ex nativa vi nominis *transitus,* dictus est agnus ille, quem jam jam egressuri ex Ægypto Judæi jussi fuerant, ut neminem latet, immolare, unaque cum azymis, sive panibus sine fermento comedere, quod eodem tempore Deus, seu rectius ejus jussu angelus per universam Ægyptum transiens omnes Ægyptiorum primogenitos (Exod. 12.) illæsis Hebræis occiderit, in cujus rei et beneficii singularis memoriam, ut quotannis ab Hebræis agnus eodem ritu manducaretur, lege peculiari et perenni est imperatum, Exod. 12. 14. 24. et seqq. De quo

212. Prænotandum I. Pascha hoc celebrari debuit ad vesperam decima quarta die mensis *Nisan,* qui primus erat mensium anni sacri apud Judæos. Constat Exod. 12., Num. 9. 2. et 3. *Faciant filii Israel phase in tempore suo, quarta decima die mensis hujus ad vesperam.*

213. II. Dies illa decima quarta ferme tota, hoc est, usque ad occasum solis profesta fuit juxta legem Moysis; quamvis, si quis ad consuetudinem attendere velit, credereque Rabbinis, feriata fuerit saltem a meridie.

214. III. Decima quinta die solemnitas azymorum fuit, quæ septem durabat diebus, scilicet usque ad vigesimam primam; ita tamen, ut ex his septem diebus prima tantum et ultima essent dies festi, Exod. 12. 16. *Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis.* Etsi vero etiam agnus paschalis manducari deberet cum azymis; ipsa tamen festivitas azymorum distincta erat ab illa paschatis, instituta in memoriam beneficii alterius, cum Hebræi festinanter adeo, ipsis cogentibus Ægyptiis, egredi deberent ex Ægypto, ut, cum panes fermentari non possent, necesse haberent coquere azymos, Exod. 12. 39.

215. IV. Tres dierum differentiæ apud Hebræos distingui debent, naturales, artificiales, legales sive festivi. Dies *naturalis,* uti et apud nos, procurrebat a media nocte ad mediam noctem : *artificialis* ab ortu solis ad occasum solis; hinc modo longior, modo brevior erat, prout sol oriebatur maturius, occidebat tardius. Hæc dies in quatuor partes distinguebatur, sive horas, quarum quælibet complexa tres horas alias minores. Quatuor illæ horæ erant, prima, tertia, sexta, nona. *Prima* continebat illud tempus, quod fluit ab ortu solis usque ad nostram horam nonam; *tertia* ab hora nona nostra ad duodecimam; *sexta* a duodecima ad nostram tertiam; *nona* tandem a nostra tertia ad solis occasum fluebat. Eodem modo noctem quatuor in partes, ac horas dividebant; *prima* currebat ab occasu solis ad nostram nonam noctis; *tertia* ad duodecimam; *sexta* ad tertiam; *nona* ad ortum solis; quæ quatuor noctis partes etiam *vigiliæ* dicebantur. *Legalis* vel *festivus,* qui ut sacer, juxta legem celebrari debuit. De quo nunc plura.

216. V. Dies festi inchoabantur ab occasu solis, desinebantque in sequentem solis occasum, sive celebrabantur a vespera præcedentis diei ad vesperam diei sequentis, juxta illud Levit. 23. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Quod vero hic de sabbatis dictum, de aliis quoque festis, saltem solemnioribus, debet intelligi; nam et ibid. festum expiationis *sabbatum requietionis* dicitur; cujus festi occasione de festis omnibus ab occasu solis celebrandis regula generalis sumpta est. Sola excipitur agni paschalis festivitas, quæ luna decima quarta ad vesperam peragebatur, et concurrebat cum initio festi azymorum; nec extendebatur ulterius. Hinc dum tota illa azymorum solemnitas aliquando in S. Scriptura sub nomine *paschæ* venit, sensu latiore, ac per figuram id fit, eo quod festum azymorum cum ipsa paschatis celebritate initium sumeret. Utrum vero, quod modo de initio et fine festorum diximus, etiam de diebus profestis vulgaribus debeat pariformiter accipi, eos æque a vespera diei præcedenti inchoari debuisse? sunt, qui controvertunt. Verum

217. VI. Omnes dies vulgares et profesti non ab occasu solis, sive a vespera, sed a media nocte apud Judæos ducebant initium. Operæ pretium est, hoc quibusdam fulcire argumentis. Igitur probatur hoc Prænotatum

1°. Levit. 23. 32. Lex peculiaris datur de inchoandis festis a vespera. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Sed ad quid hanc exceptionem faceret Moyses, aut hanc singularem legem ferret, si per se omnes a vespera dies inchoarentur? Novi igitur aliquid hic statuere voluit, nimirum hoc peculiare festis esse debere deinceps, ut sola hæc a præcedentis diei vespera inchoentur.

2°. Juxta Levit. 23. 27. festum solemne expiationis et jejunii incidebat in diem decimam mensis septimi. *Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus... affligetisque animas vestras in eo.* Sed dies festi, ut ex ante dictis constat, ex hoc ipso festo a vespera ducebant initium; ergo affligere se, jejunare incepissent Judæi post diem nonam exactam, si alii dies civiles et profesti etiam inchoari debuissent ab occasu solis ut dies festi. Atqui tamen etiam die nona jubentur Judæi affligere animas suas, Levit. 23. 32. *Et affligetis animas vestras die nono;* ergo dies nonus civilis, profestus, occasu solis non finiebatur, a quo incipiebat jejunium; ac proinde dies vulgaris, profestus, censebatur adhuc ultra solis occasum in noctem progredi.

3°. Joan. 1. 39. dicuntur Andreas, et alter venisse ad Christum hora decima, et postea mansisse apud illum die illo, h. e. pernoctasse: *Et apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima;* ergo nox consequens quoad aliquam saltem sui partem ad diem illum pertinebat.

4°. Matth. 12. 40. Christus a morte sua dicitur futurus *in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus;* sic enim ipse figuram Jonæ explicat; igitur in sepulcro jacere debuit per aliquam partem diei et noctis feriæ sextæ, sabbati, et, ut nos jam loquimur, Dominicæ; sed hoc equidem revera impletum fuit, si dies vulgares incipiant a media nocte; minime vero, si ab occasu solis; quia hoc casu ne per ullam partem noctis feriæ sextæ in sepulcro fuisset. Taceo id genus plura; quibus obstare non potest hodierna Judæorum consuetudo dies promiscue a vespera inchoantium; nihil enim

fundamenti ea in lege habet; cumque præterea ab excidio Hierosolymitano miseri errones quam plurima novaverint; etiam hac in re defecisse a majoribus suis merito creduntur. Imo morem hunc omnes dies ordiendi a vespera mutuasse videntur ab Arabibus, ut plures fatentur ex adversariis : atqui tamen nec Arabes ita dies semper inchoarunt; sed ab eo solum tempore, a quo menses suos non a conjunctione lunæ cum sole, sed a primo lunæ apparentis conspectu duci voluerunt; hoc vero instituti novi est, ut observant Chronologi. Hæc interim, in præsentis quæstionis pertractandæ majorem intelligentiam et supplementum, præmittenda censui.

ARTICULUS II.

QUA DIE CHRISTUS EUCHARISTIAM INSTITUERIT?

218. *Præmitto.* Varia amplexi sunt systemata et interpretes et Theologi, ut propositam initio difficultatem vincerent.

1°. Nullum plane pascha Christum ante mortem celebrasse, olim Marcion asseruit, confutatus a S. Epiphanio Hær. 42. Quam opinionem Græcorum plures sec. XI., quo hos inter et Latinos grave exarsit dissidium, et acris disputatio de azymo, vel fermentato ad Eucharistiam adhibendo, arripuerunt avide, ceu causæ suæ ac fermento magis faventem. Sec. XVI. autem primus e Latinis ejus opinionis patrocinium susceperat Nicol. de Villa-Gagnonis eques Rhodius; sed male ideo exceptus a Salmerone, aliisque doctis viris. Nicolaum tamen e Latinis secuti quidam alii, præsertim P. Bernard. Amicus, Oratorii Berulliani presbyter, dictus vulgo *Lamy,* et eruditus Calmet.

2°. Græci plerique, quo fermentati usum tueantur, Christum uno die esum agni paschalis et ultimam cœnam anticipasse aiunt, ac Christum non feria sexta, sed quinta crucifixum esse.

3°. Paulus Burgensis ex Judæo Christianus factus et episcopus, in cap. 26. Matth., et alter Paulus Middelburgensis, Semproniensis episcopus, L. de recta Paschatis celebrandi ratione, cum aliis docent, Christum quidem eo anno, quo passus est, celebrasse pascha luna decima quarta ad secundam vesperam, h. e. in vespera feriæ quintæ, idque ex præscripto legis; non tamen Judæos, sed hos eo anno distulisse pascha in lunam decimam quintam ad vesperam, seu feriam sextam, idque ex decreto quodam Synagogæ veteris, ne duos festos consequentes haberent, sicut eo anno eveniebat; luna enim decima quinta, feria sexta, fuisset azymorum solemnitas, et die sequenti sabbatum.

4°. Alii duplex mensis initium ac neomeniam duplicem cum Pezronio distinguunt. Prima astronomica iis dicitur, ab ipso novilunio astronomico, seu planetarum solis et lunæ conjunctione. Altera apparens, sive numeranda a prima phasi lunæ, sive hujus apparitione sensibili. Unde inquiunt, duplicem proinde fuisse unamquamque mensis diem; sicque duplicem quoque decimam quartam, quarum utravis pascha immolari posset; Christum vero pascha ultimum celebrasse feria quinta, h. e. luna decima quarta astronomica; Judæorum alios feria sexta, id est, luna decima quarta apparente;

reipsa autem luna decima quinta. Rursus distinguunt alii cum HARDUINO inter pascha Judæorum Hierosolymis celebrari solitum, et inter pascha Galilæorum et decem aliarum tribuum : Galilæos cum his juxta regulam *Badu* una die ante Judæos pascha celebrare solitos, si prima azymorum dies in feriam secundam, quartam, vel sextam incideret; ac quia anno morientis Christi incidebat in sextam feriam, ideo Christum, utpote in Galilæa educatum, cum discipulis suis in Galilæa natis manducasse pascha uno ante Judæos die. Alii iterum moti auctoritate CHRYSOSTOMI, homil. 84. (al. 85. in Matth. n. 2. (opp. t. 7. p. 200. A.), aiunt, Judæorum plebem manducasse pascha luna decima quarta exeunte, sive feria quinta nostra ad vesperam, et cum plebe Christum; sed principes sacerdotum et scribas, ut liberius sævire in Christum possent, distulisse pascha in sequentem diem, feriam sextam.

5°. Tandem communis est Latinorum cæterorum omnium sententia, Christum vere celebrasse pascha ultimum eodem cum Judæis omnibus die, luna decima quarta ad vesperam, h. e. feria quinta, juxta legem Exod. 12. 18. et Levit. 23. 5. *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam, phase Domini est.* Ac quidem communis sententia hoc de luna decima quarta exeunte, feria quinta nostra exspirante, intelligit. Divortium vero ab ea fecerunt ALOYSIUS Legionensis, et P. CALINUS e Societate nostra. Admittunt enim luna decima quarta Christum celebrasse pascha ad vesperam; sed ad vesperam ejus diei primam, itaque non luna decima quarta exeunte, sed ineunte, ac proinde luna decima tertia exeunte. Quippe a vespera, sive occasu solis cujusvis diei ducunt initium; ut adeo dies quælibet apud Judæos duas haberet vesperas; prima vespera esset initium, altera finis. Nos præsentem controversiam sequentibus Conclusionibus enucleatum imus.

219. *Dico I.* Pascha ex præscripto legis a Judæis celebrari debuit mensis Nisan luna decima quarta, eaque exeunte, sive ad vesperam ejus secundam, quæ erat initium decimæ quintæ, et primæ azymorum.

Prob. I. Plura Scripturæ loca denuntiant, pascha celebrandum esse ad decimam quartam lunam, vel diem, et ad illius diei vesperam sive solis occasum; ex pluribus sufficiat illud Levit. 23. 5. *Mense primo, quarta decima mensis ad vesperam, phase Domini est.* Sed vespera diei decimæ quartæ ejus diei finem, non initium indicat; ergo. *Prob. min.* Verba illa : *quarta decima mensis ad vesperam,* illius diei exitum, non initium indicant, si dies decima quarta profesta tantum esset; et dies profesti apud Judæos non a vespera vel occasu solis initium sumerent, ut dies festi; sed a media nocte, ut modo apud nos, et olim Romanos; sic, ut profesti dies haberent unam tantum vesperam, qua nimirum ad finem vergebant : atqui 1°. omnium consensu dies decima quarta tantum profesta fuit; et 2°. dies profesti apud Judæos non ab occasu solis, sed media nocte sumebant initium; ut probatum est num. 217. Et certe ne unum extat tota in Scriptura exemplum, dies alios a festis distinctos, more dierum festorum, ab occasu solis initium sumere.

220. *Prob. II.* Ex lege de immolatione agni paschalis non manducabatur, nisi postquam esset immolatus; semper enim in Scriptura *immolatio* præmittitur, Exod. 12. 6. et alibi : atqui tantum immolabatur die decima quarta exeunte, h. e. post meridiem ante solis occasum; ergo et eadem decima

quarta die exeunte post solis occasum manducabatur. *Prob. min.* Nam 1°. immolari debebat die decima quarta, Exod. 12. 6. 2°. Debebat immolari tempore pomeridiano ante occasum solis, sive post meridiem. *Probatur* ipsiusmet Moysis verbis, ut jacent in hebraico Codice; nam definiens tempus pro immolando agno Exod. 12. 6., Num. 9. 5., Levit. 23. 5. præcipit immolari agnum *inter duas vesperas, ben-arebaim*; hæc vero verba, *inter duas vesperas,* ut nos in Vulgata simpliciter legimus *ad vesperam,* medium illud tempus inter solem occidentem, ejusque occasum significant. Hoc diligenter admonet R. Kimchi Lib. Radicum. Has duas vesperas in usu fuisse Christi tempore, aperte colligitur ex Matth. 14. v. 15. et 23. Testatur Philo L. 3. de vita Mosis et de Decalogo ac septenario inquiens, immolandi paschatis ceremoniam *a meridie durasse in vesperam.* Testatur Josephus, ex summorum sacerdotum genere ortus, et ex officio minister immolandi paschatis, L. 7. Bell. Jud., agnos cædi solitos *a nona ad undecimam*, h. e. a tertia pomeridiana ad quintam. Maimonides de Pasch. pag. 14. Immolatio *agni paschalis fit decima quarta a meridie.*

Unde argumentum ex lege immolandi paschalis agni in hisce consistit: agnus non manducabatur, nisi antea esset immolatus: sed immolabatur decima quarta die ante solis occasum; ergo et decima quarta die exeunte tantum manducari potuit. Si namque decima quarta ineunte manducatus esset; immolatus fuisset luna decima tertia, scilicet post meridiem ante occasum solis; quod S. Scripturæ repugnat, constanter immolationem agni lunæ decimæ quartæ affigenti.

Respondent, qui pro luna decima quarta ineunte stant 1°. Per hæc: *inter utramque vesperam,* intelligi tempus medium inter occasum solis et auroram; idque colligi posse ex junctis aliis Scripturæ locis, Deut. 16. 6. ubi immolandus agnus dicitur *vespere ad occasum solis*, atque Exod. 12. 8., ubi jubentur manducare agnum *nocte illa*, ut nihil remaneat *usque mane*, ut adeo sensus sit, peragenda esse omnia, quæ ad phase pertinent, inter utrumque noctis terminum; crepusculum vero matutinum etiam dici vesperam, vel vesperum in Scriptura, Matth. 28. 1. *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria*, etc.; Marcus enim ait, venisse *valde mane.* 2°. Scriptores Hebræos potius referre usum sui temporis, quam quid ex lege fieri deberet; hæc vero præcipit immolandum phase Deut. 16. 6. *vespere ad solis occasum,* non aliquot ante horis, ut Scriptores laudati volunt.

Verum, quod *primum* attinet, gratis asseritur, per ista: *inter utramque vesperam,* tempus illud medium inter occasum solis et auroram intelligi, neque hoc ex subjunctis satis evincitur; illa enim Deut. 16. *vespere ad occasum solis,* non præcise tempus post occasum solis significant, sed, sensu etiam proprio, illud important tempus, quo sol ad occasum inclinat; eoque sensu debere intelligi, ipsa Hebræorum consuetudo, optima alias legis interpres, suadet, ante urbis Hierosolymitanæ excidium pascha luna decima quarta ante occasum solis immolantium. Neque etiam ex Matth. 28. et Marc. 16. probatur, per *vesperam, vesperum,* vel per τὸ *vespere* intelligi crepusculum matutinum, sed intelligitur nox transacto sabbato fluens, etsi magis propinqua diluculo, qua noctis parte egressæ e domibus piæ mulieres venerunt tandem ad sepulcrum *valde mane*, ut vult Marcus. Dein permisso gratis, per τὸ *vespere* intelligi cit. loc. diluculum; at nunquam tamen in

S. Scriptura, vel apud ullam gentem hæc : *ad vesperam : vespere ad solis occasum* accipiuntur pro diluculo.

Quoad *secundum* : etsi post excidium Hierosolymæ gens Judæorum per orbem dispersa, libris et legis doctoribus destituta, multis commentis suos libros infecerit, inque plurimis recesserit a majoribus suis; non est tamen aut verosimile, aut credibile, Judæos, stante adhuc eorum Republica, legis ceremoniis alias ad superstitionem usque addictos, in augustissimo religionis suæ ritu, ac celebrando insigni illo liberationis suæ beneficio, cujus observantiam adeo exactam tamque severe et sæpe inculcabat Moyses, voluisse recedere.

Tandem si probe attendatur cap. 12. Exod., eadem nocte, qua egressi sunt ex Ægypto Judæi, manducaverunt pascha, h. e. in priore parte noctis ante hujus medium comederant pascha; post noctis medium urgentibus Ægyptiis egressi sunt; orationis enim et narrationis filum a v. 29. unius ejusdemque noctis continuationem ita clare exprimit, ut nonnisi aliqua violentia alia dies paschatis, alia egressus ex Ægypto videatur posse statui : atqui pars illa noctis posterior, qua sunt egressi, jam pertinebat ad diem decimam quintam; Num. 33. 3. enim dicuntur *profecti de Ramesse quinta decima die mensis primi* ; ergo pars noctis anterior, qua comederant pascha, erat vespera secunda diei decimæ quartæ.

221. *Dico II.* Christus ultimo vitæ suæ anno vere celebravit pascha Judaicum : nec solummodo cœnam communem habuit, in qua Eucharistiam instituit. Contra P. Lamy, aliosque supra.

Prob. I. Ex Matth. 26., ubi Christus domino domus denuntiari jubet : *Apud te facio pascha hodie.* Marc. 14. *Ubi est refectio mea, ut pascha cum discipulis manducem?* Sed hæc nonnisi de Judaico paschate possunt intelligi ; secus enim, si de instituenda Eucharistia Christus hæc dixisset, nihil plane intellexisset dominus domus. Revera etiam discipuli paraverunt pascha Judaicum juxta Christi imperium Matth. 26. 19. *Fecerunt discipuli, sicut constituit ipsis Jesus, et paraverunt pascha*, indubie Judaicum, cum discipuli nihil de Eucharistia scirent, neque hanc instituere possent; nec pascha unquam a Judæis pro cœna communi sumpta sit; neve dici possit, paratum quidem fuisse pascha, sed non manducatum a Christo, Luc. 22. 14. dicitur : *Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo, et ait illis : desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Ubi ista : *hoc pascha,* illud indubie pascha denotant, de quo Eucharistiæ adhuc ignari quæsierant discipuli : *ubi vis, paremus tibi comedere pascha*? Matth. 26. 17. ; propter quod eos miserat ad dominum domus ibid., quodque paraverant Luc. 22. ; sed hoc Judaicum pascha fuit ex dictis.

Prob. II. Ex Traditione. Non est certior ullius veri ac genuini Scripturarum sensus, quam constans et unanimis in eum Ecclesiæ consensio; sed (si unum Villa-Gagnonium exceperis, et Vechietum propterea castigatum) præter paucos hæreticos, et schismaticos Græcos, omnes hactenus consenserant, citatis Scripturæ locis insinuari, Christum eo tempore pascha legale celebrasse. Quin propterea mota S. Trident. Synodus Sess. 22. cap. 1. diserte docet : *Celebrato veteri pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto*

multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit pascha; seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.

222. *Dico III.* Judæi anno Christi morientis pascha legale non transtulerunt in lunam decimam quintam, ut Burgensis volebat : nec eo tempore apud Judæos duplex neomenia in usu fuit, ut putabat Pezronius : nec subsistit Harduini systema de duplici paschate Galilæorum et Judæorum.

Prob. 1ª. *p. Concl.* 1°. Decretum hoc Synagogæ veteris commentitium est; nusquam enim ejusdem, etiam apud Rabbinos veteres, extat vestigium. 2°. Falsa est ratio, ob quam decretum hoc datum dicitur; ratio enim hujus decreti asseritur, quod, cum Judæis die festo nec parare cibos liceret, nec sepelire mortuos, ipsis nimis incommodum accidisset, si dies festos duos consequentes haberent : sed neutra ratio subsistit; licuisse enim Judæis in festis, imo ipsa solemnitate paschatis parare cibos, Exod. 12. 16. habetur; sepelire etiam mortuos, solo forsitan excepto sabbato, Tob. 2., ubi Tobias occisi Judæi cadaver portabat domum. Et quid demum hinc gravis incommodi, si sepultura defuncti in unum alterumve diem differretur? Sed 3°. decretum hoc non sustulisset ea incommoda; si enim prima azymorum solemnitas translata fuisset in sequens sabbatum, quia septem diebus durabat azymorum festum, et dies ultima iterum solemnis erat ut prima, hæc deinde incidisset in feriam sextam; sicque tamen rursus duo dies festi consequentes fuissent; unde hujus sententiæ patroni, dum charybdim vitare volunt, incidunt in scyllam.

Sed, inquies, saltem Pharisæi et Scribæ pascha distulerunt in lunam decimam quintam, ut tanto liberius sævire in Christum possent, quem volebant feria sexta occidere, ante hujus vesperam secundam; quia ita autumat S. Chrysost. homil. 84. n. 2. in Matth.

R. *N. Assertum.* S. Chrysostomo tum communem aliorum Patrum opponimus, tum ipsum Chrysostomum homil. 83. (al. 84.) in Matth. n. 2. (opp. t. 7. p. 793. B.) qua inquit : *Immiserunt in eum manus, ac tenuerunt illum ipsa nocte, in qua comederunt pascha*; ergo hoc non distulerunt. Unde S. Pater hac in re varie sensit. Sed et ipsa S. Scriptura aliter sentire cogit; Christus enim a Juda Judæis nonnisi post cœnam traditus fuit, consequenter post cœptam jam solemnitatem paschalem, quæ proinde amplius differri non poterat.

223. *Prob.* 2ª. *p.* 1°. Duplex illa neomenia pariter commentitia est, excogitata a Rabbinis post Christum; nullum enim in Scriptura fundamentum habet; nec apud ullum scriptorem Judæum ante excidium urbis. Sed 2°. Exod. 12. 6. pascha simul et semel ab omni Israele celebrari debuit. *Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*; Philo autem L. de Decalogo ac septenario, pascha, inquit, esse sacrificium, quod universus simul populus et una die offerret. 3°. Adversa opinio secum infert pugnantia plane et inextricabilia incommoda; e. g. lex erat, ut ante paschalem cœnam omne fermentum sine exceptione ab ædibus, imo finibus eliminaretur, Exod. 12. 15. *In die primo non erit fermentum in domibus vestris*; Deut. 16. 4. *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus.* Vel igitur die decima quarta prima abjiciebatur ab omnibus,

vel partim hac, partim secunda. Si *primum*; ergo decem fuissent azymorum dies usque ad vigesimam primam posteriorem; duplex enim erit eodem jure vigesima prima; ad posterioris autem vigesimæ primæ finem usurpassent azyma, qui ad decimæ quartæ secundæ finem pascha immolassent. Si *secundum*; ergo cum pascha primo fieret, fermentum adhuc erat in finibus Judæorum; imo iisdem in ædibus, si non omnes ejusdem domus eadem die comedere pascha voluissent. Sed hæc adversantur S. Scripturæ. Sic quoque oblatio manipuli spicarum non secunda, sed tertia azymorum die facta fuisset, contra Levit. 23. 9.

224. *Prob.* 3ª. *p.* 1°. Quia et hæc fictitia est, nullo nixa fundamento in Scripturis, nec teste idoneo. 2°. Nec est verosimile, Christum ex Juda, ac Davidis stirpe progenitum voluisse pascha manducare cum Galilæis potius, quam cum Judæis, qui profecto hinc Christum calumniandi causam habuissent. 3°. Eadem quoque huc spectat ratio, quæ in præcedenti allata ex lege celebrandi paschatis, azymorum, et spicarum manipuli.

225. *Dico IV.* Christus non anticipavit ultimum pascha, ut schismatici Græci volunt; sed hoc celebravit, et proinde Eucharistiam instituit luna decima quarta exeunte, h. e. feria quinta ad hujus vesperam. Ita Latinorum communis sententia.

Prob. utraque pars Conclus. I. Ex Scriptura. 1°. Christus pascha legale ultimum celebravit prima die azymorum, quando ex legis præscripto debebat immolari vel occidi pascha, atque illud revera immolabant Judæi: atqui dies prima azymorum incipiebat luna decima quarta exeunte, eaque debebat immolari pascha, hocque immolabant Judæi; ergo.

Maj. constat ex tribus Evangelistis: *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere pascha?* etc., Matth. 26. 17. *Primo die azymorum, quando pascha immolabant,* Marc. 14. 12. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha; et misit Petrum et Joannem, dicens: euntes parate nobis pascha, ut manducemus,* Luc. 22. 7. et 8.

Min. prob. Quia ante agni *immolationem* nec manducari poterat; nec obligabat lex ad comedenda azyma: sed agnus luna decima quarta exeunte, h. e. post meridiem debebat immolari, juxta probata num. 220.; ergo eadem luna decima quarta exeunte, scilicet post solis occasum debebat manducari agnus, tuncque obligabat lex de azymis, quibuscum agnus debebat manducari.

226. *Prob. II.* Ex Traditione. Christus passus est feria sexta, quæ erat luna decima quinta: sed Christus Eucharistiam instituit, *pridie, quam pateretur*, ante Eucharistiam vero celebraverat legalem cœnam; ergo luna decima quarta exeunte, h. e. feria quinta ad vesperam celebrato paschate Eucharistiam instituit. *Maj.* constat ex totius latinæ Ecclesiæ sensu, et græcæ veteris, usque dum fatale dissidium exarsit inter utramque Ecclesiam. *Min.* eadem traditione constat; et ita habet Canon Missæ in feria quinta majoris Hebdomadæ, *qui pridie, quam pateretur*; quæ verba a tem-

pore S. Petri Apostoli usurpata fuisse in Missa, tradit HUGO VICTORIN. L. 2. de Sacram. part. 8. cap. ult.

Neque dicas : Si Christus Eucharistiam instituit luna decima quarta exeunte post solis occasum, quod tempus erat initium lunæ decimæ quintæ; ergo Christus passus esset luna decima sexta, sive sabbato; vel si passus dicatur Christus luna decima quinta, h. e. feria sexta; ergo Eucharistiam instituisset luna decima quarta ante solis occasum, quia pridie, quam pateretur, instituit : sed id Scripturæ sacræ repugnat. Nam

R. *N. utramque sequel.* Certum enim est, per τὸ *pridie* intelligi feriam quintam, seu diem decimam quartam naturalem, cujus pars adhuc erat tempus post solis occasum; et vero hoc manifestat particula *hodie* addita in Canone feriæ quintæ, *qui pridie... hoc est, hodie.* Illud vero tempus diei decimæ quartæ post occasum solis duplici respectu dicebatur tempus lunæ *decimæ quintæ ineuntis*; erat lunæ decimæ quartæ exeuntis, hanc sumendo pro die *naturali*; erat simul initium lunæ decimæ quintæ, sed *legalis*; dum jam dicimus, Christum instituisse Eucharistiam luna decima quarta exeunte, per hanc non legalis, sed naturalis intelligitur, quæ tamen legaliter sumpta juxta Levit. 23. erat initium jam diei festi sequentis, quo passus est Christus, non proinde luna decima sexta. Pariter, quoad alteram sequelam, hinc patet, adhuc posse dici, Christum instituisse Eucharistiam luna decima quarta, etiamsi non ante, sed post solis occasum instituerit; quia hoc tempus post solis occasum vere pars erat lunæ decimæ quartæ naturalis. Omnium horum fundamentum est, quod apud Judæos soli dies festi a vespera inciperent, et terminarentur in altera vespera; minime vero dies profesti et alii; unum ergo idemque punctum temporis potest esse pars diei profesti, qui ut naturalis dies tantum numerabatur, et simul pars festi; et diversimode de utroque prædicari, quod eo in puncto factum est; luna vero decima quarta usque ad occasum solis tantum profesta fuit.

Prob. III. specialiter quoad part. 1^{am}. contra Græcos. Christus antevertendo pascha vel agnum ante immolatum manducasset, vel non. Si *primum*; ergo debuisset ante statutam in lege diem immolari, quod nullo modo est verosimile; cum id minime permisisset paterfamilias, nec ita clam id factum fuisset, quin proderetur vel a domesticis, vel Juda sacerdotibus, qui eum ceu legis reum criminandi nacti fuissent causam. Si *alterum*, rursus violatæ legis reum se fecisset, cum agnus deberet ante immolari, quam manducaretur; sicque et Christum et discipulos accusandi, damnandique ansam inde abundantem habuissent Judæi; qui, ut damnare eum possent, fingebant in eum crimina. Deinde verum pascha legale ante mortem celebravit Christus ex dictis supra; ergo agnum ante ex præscripto legis immolatum manducavit. Demum Patres, qui contra Quartodecimanos pugnabant (sic dicebantur, qui contendebant pascha celebrandum esse cum Judæis die decima quarta, in quamcumque hebdomadæ diem incideret, eo quod Christus ipse die decima quarta suum pascha celebrasset), nunquam negabant, Christum ea die pascha manducasse.

227. *Obj. I. Ex Testamento veteri.* Christus ultimum suum legale pascha celebravit, et proin Eucharistiam instituit die, qua illud primo comederant Judæi ante egressum ex Ægypto, illudque postea solebant comedere; legem

enim adimplere venerat; constatque ex dictis Art. præced. Atqui Judæi primum pascha comederunt in Ægypto luna decima tertia desinente, et decima quarta ineunte, non hac exeunte; et Judæi postea eodem die, quo Patres eorum in Ægypto solebant pascha comedere; ergo.

Prob. min. 1°. Judæi ex Ægypto egressi sunt altera die phase Num. 33. 3. *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis, altera die phase, filii Israel*; ergo si luna decima quinta fuit altera dies phase, Judæi non manducarunt pascha vespere præcedente, sive luna decima quarta exeunte; quia vespera hæc pertinuisset ad lunam decimam quintam, et primam diem phase.

2°. Non est verosimile, quod inter phase celebratum in Ægypto, et egressum Judæorum non intercesserit adhuc integer dies, si habeatur ratio eorum, quæ post celebratum phase gesta sunt; ergo luna decima tertia exeunte, et decima quarta ineunte manducasse agnum dicendi sunt; quia decima quinta egressi dicuntur. *Prob. Ant.* Nam 1. nocte, qua manducarunt agnum, nulli Judæorum licebat egredi ostium domus: *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane.* Exod. 12. 22.; 2. in noctis illius medio percussit angelus omnia Ægyptiorum primogenita, Exod. 12. 29., quorum clamore, et sui primogeniti cæde commotus Pharao Moysen et Aaronem accersit in Regiam, dictam *Memphis*, sitam ad occiduam Nili ripam; post datam Moysi egrediendi facultatem, hic redit ad Judæos; 3. vasa aurea et argentea, vestesque petierunt ab Ægyptiis, Exod. 12. 35.; 4. Judæi degebant in terra Gessen, inferioris Ægypti regione, non parum dissita a Memphi juxta Geographos; quomodo igitur Moyses vocatus intra tam breve tempus a medio noctis ejusdem, in cujus præcedente vespera manducarant agnum, venire Memphim, inde redire in terram Gessen potuit? Quomodo fieri memorata alia, egredique Judæi numero fere 600,000., non computatis parvulis et mulieribus? ergo adhuc intercessit dies, et Judæi celebrarunt pascha luna decima tertia desinente. Non est autem verosimile. Judæos postea ab hoc primi celebrati paschatis ritu recessisse.

3°. Moyses ipse significat, Judæos egressos esse ex Ægypto tum ad occasum solis Deut. 16. 6. *Immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*; ergo immerito exitus ille in eamdem noctem conjicitur, qua pascha comederant.

R. *C. M. N. min. Ad prob.* 1am. R. *D.* Profecti sunt de Ramesse altera die phase naturali *C.* legali *N.* Phase enim seu pascha celebrant luna decima quarta exeunte; egressi vero sunt eadem nocte post ejus medium circa, vel paulo ante diluculum, jam inchoata luna decima quinta, et sic altera die naturali.

Ad prob. 2am. R. *N. A.* Singula objecta a medio noctis illius usque ad egressum Judæorum fieri commode potuerunt. Nam

Ad 1um. R. Finis præcepti illius erat, ne egredientes e domibus Judæi in angelum percussorem inciderent, ut constat ex v. 23. seq. *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et lædere*: igitur ultra tempus, quo constaret, percussorem angelum transiisse, præceptum non extendebatur.

Ad 2um. *R.* Regia Pharaonis tum non Memphis erat, sed Tanis, vel Taphnis,

sita pariter in Ægypto inferiore prope terram Gessen; ibi enim prodigia illa patrarat coram rege Moyses, juxta Ps. 77. v. 12. 43. *Fecit mirabilia in campo Taneos.* Moyses igitur vicinus erat regi. Imo verosimile est, Moysen, qui ultimam hanc plagam prædixerat Judæis, Exod. 12. futurorum conscium cum Aarone ea nocte degisse in urbe regia. Vocatus nocte ad regem post ejus primogeniti cædem, acceptaque emigrandi facultate hanc vicinis Hebræis ipse detulit.

Ad 3um. R. S. Augustin ait Quæst. 45. in Exod., jam ante lunam decimam quartam et primogenitorum stragem Ægyptios dedisse Judæis vasa, idque Exod. 12. 36. per recapitulationem postremo loco referri. Deinde gratiam Deus dedit Judæis apud Ægyptios, ut libentes vasa darent, Exod. 12.

Ad 4um. R. Jam constat ex dictis *ad* 2um. Judæi igitur, præmonente Moyse, jam ad iter accincti, urgentibus insuper Ægyptiis ob primogenitorum cædem, adeo festinanter, ut nequidem fermentari panes potuerint, egressi sub finem noctis sine ordine, convenere in Ramesse; inde in turmas divisi, in Soccoth profecti sunt post meridiem ad occasum solis decima quinta die.

Ad prob. 3^{am}. R. *N. A.* Non enim hic per particulam *quando* determinata exitus hora notatur; sed nox juxta v. 1. præced: *Observa mensem novarum frugum, et verni primum temporis, ut facias phase Domino Deo tuo; quoniam in isto mense eduxit te Dominus nocte.* Quod igitur v. 1. cit. dicebatur *nocte*, in v. 6. indicatur sub occasu solis; nox enim ex occasu solis perficitur.

228. *Obj. II.* Si Christus luna decima quarta exeunte, feria quinta, celebrarit pascha, et luna decima quinta, feria sexta, sit crucifixus; ergo eo anno, quo Christus mortuus, Pentecoste incidisset in sabbatum: sed hoc adversatur traditioni Ecclesiæ, quæ tenet, Spiritum sanctum die Pentecostes, et quidem Dominica in Apostolos descendisse; ergo. *Prob. sequela Maj.* Dies Pentecostes, quo offerri debebat sacrificium novum, celebrari debuit quinquagesimo die numerato a secundo die azymorum, in quo offerri debebat primus manipulus messis hordeaceæ, qui incidebat ex dictis eo anno in lunam decimam sextam Nisan, diem sabbati; ita enim præcipiebatur Levit. 23. 15. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, et sic offeretis sacrificium novum Domino.* Unde sic arguitur: Christus juxta nos mortuus est die prima azymorum, sive luna decima quinta mensis Nisan; ergo sabbatum sequens et decima sexta Nisan, erat *altera* vel secunda sabbati, sive azymorum, a quo si numerantur quinquaginta dies, Pentecoste in sabbatum incidit. Omissis variorum opinionibus,

R. *C. M.* Pentecosten nimirum Judaicam eo anno incidisse in sabbatum; Spiritus sanctus vero in Apostolos non sabbato illo, sed die sequenti, quæ nunc Dominica dicitur, descendit. Neque hoc adversatur traditioni Ecclesiæ; Patres enim, qui tradunt, quinquagesima die descendisse Spiritum sanctum, dies illos 50. non ab oblatione manipuli Judæorum, sed a Christi resurrectione, quæ die Dominica revera contigit, numerant, ut S. Leo M. præsertim serm. 3. de Pentec. Quod vero dicitur Act. 2. 1. *Cum comple-*

rentur dies Pentecostes... factus est repente de cœlo sonus, etc. intelligi debet de completo tempore, ut sensus sit : elapso jam die Pentecostes Judaicæ, *factus est sonus*; quia in græco habetur : *in esse completum diem Pentecostes*; cui consonat arabs et syrus, dum vertunt : *cum igitur completus esset dies Pentecostes.*

229. *Obj. III.* cum P. Calino. Probabilius videtur, Judæos veteres pascha celebrasse luna decima quarta ineunte; ergo et Christus legis observantissimus, eadem die celebrasse ultimum pascha dicendus est.

Prob. Ant. 1°. Exod. 12. 6. ait Moyses : *Servabitis eum* (agnum) *usque ad quartam decimam mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam... et edent carnes nocte illa assas igni.* Ergo Hebræi comederant pascha luna decima quarta ineunte, quia dicuntur comedisse *nocte illa*, h. e. nocte lunæ decimæ quartæ; nox enim, quæ sequebatur lunam decimam quartam exeuntem, jam pertinebat ad lunam decimam quintam; quia Judæi quosvis dies inchoabant ab occasu solis, cumque eo terminabant.

2°. Num. 28. 16. rursus inquit Moyses : *Mense autem primo, quarta decima die mensis, phase Domini erit, et quinta decima die solemnitas.* Atqui hoc loco duo distincti assignantur dies, unus pro celebrando phase, alter pro azymorum solemnitate; ergo sicut dies festus azymorum incipiebat luna decima quinta ineunte, sic dies pro celebrando phase destinatus luna decima quarta ineunte.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *N. Cons.* Dicuntur comedisse *nocte illa*, quæ sequebatur lunam decimam quartam exeuntem, et pertinebat ad eamdem ceu pars ad diem suum *naturalem* usque ad noctis medium, ante quod agnum comedere debebant Judæi. Ab his vero omnes dies inchoatos fuisse ab occasu solis, gratis ac sine fundamento supponitur juxta dicta Art. 1.; luna autem decima quarta usque ad occasum solis, post quem incipiebat dies festus, tantummodo dies profestus fuit. Eadem solutione constant alii similes textus.

Ad prob. 2am. R. *N. min.* Luna decima quarta exeunte dicitur esse *phase* Domini, quia vespera illa peculiariter dicata erat recolendo illi beneficio, quando angelus percutiens Ægyptiorum primogenitos pertransiit Hebræorum domos, his intactis; hinc, etsi revera agnus jam manducari deberet cum azymis, horumque dies festus haberet initium, *phase* tamen potius dicitur; sicut e contra dies decima quinta sequens *azymorum* solemnis dicitur, quod peculiariter dicata esset recolendo beneficio alteri, eductionis ex Ægypto; etsi enim ambæ solemnitates ita jungerentur, ut phase esset simul initium festi azymorum; neutra tamen pertinebat ad alteram. In textu igitur Num. 33. per diem decimam quartam et decimam quintam, utrobique dies *naturalis* debet intelligi. Et vero dies decima quarta usque ad occasum solis et phase tantum profesta fuit.

230. *Obj. IV.* cum Lamy et aliis. 1°. Agnus certis cum ritibus manducari debuit : nam 1. parari jam die decima debuit Exod. 12. 3.; 2. antequam comederetur, immolari debuit in templo Deut. 16. 6.; 3. debebat man-

ducari cum lactucis agrestibus Exod. 12. 8.; item stando; debebant comedentes habere accinctos renes; viatorios baculos in manibus ibid. v. 11.: atqui hæc Christus non observavit in cœna ultima; ergo tunc pascha legale omnino non celebravit.

2°. Imperceptibile est, quod ad unius diei vesperam a sacerdotibus, ac quidem in templo probari primum, deinde immolari vel mactari potuerint tot agni paschales offerendi ab innumerabili multitudine hominum tam incolarum Hierosolymæ, quam advenarum Judæorum aliorum et Galilæorum. Rectius igitur duplex neomenia, paschaque cum PEZRONIO, vel HARDUINO statuitur.

Ad 1um. R. Quosdam esse ritus, qui in primo tantum paschate Ægyptiaco erant observandi; tales fuere, quod deberent accincti esse renibus manducantes, tenere manibus baculum, plerique ferme, qui Exod. 12. usque ad v. 15. præscribuntur. Quod agnus deberet stando comedi, de hoc nihil in lege exprimitur. Interim anno emortuali Christi adhuc viguisse consuetudinem parandi decima die agnum, sine incommodo asseri potest; imo suadet ratio, ut interea probaretur agnus, an (qualem volebat lex) vitio careret. Parabant autem præscripto die agnos, ut ostendit CLAUDIUS de Sanctis apud SALMERON. tomo 9. tract. 3. cives Hierosolymitani, qui eosdem venientibus exteris ad celebrationem paschatis, item cœnacula, aliaque necessaria accepto pretio subministrabant. Hinc liquet, quomodo Christus feria quinta mittere potuerit in civitatem discipulos, qui pascha pararent. Vid. Marc. 14. v. 13. et 15. Immolatio vero ceu necessaria a Judæis pro omni ævo habita fuit; non tamen fieri in templo debuit, ut dicetur. Sed et hunc ritum Christus non neglexit; uti ex nunc dicendis colligitur.

Ad 2um. R. Imprimis *probatio* agni penes patremfamilias fuit, qui ideo jam die decima eum comparabat. Sed et *immolatio*, vel mactatio ad eosdem pertinuit; quin necesse esset, agnum immolari in templo, multo minus a sacerdotibus. Ita certe in Ægypto immolatio peragebatur; stirpe vero Aaronica in sacerdotium sublimata, nihil quoad ritum immolandi immutatum fuit; sed lex lata a Moyse Exod. 12. v. 6. et v. 21. 47. potius secutis seculis ita permansit, PHILONE oculato teste L. 3. de Vita Moysis. (opp. p. 686. D. edit. Paris. an. 1640.): *Ejus mensis die decima quarta, sub ipsum tempus, quo luna suum orbem solet complere lumine, celebratur migrationis publica festivitas, quam chaldaice pascha nominant. Quo tempore, non ut alias plebeii homines victimas adducunt ad altare mactandas a sacerdotibus: sed jubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus.*

Nec huic obstat illud Deut. 16. 5. et 6.: *Non poteris immolare phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi;* hic enim locus erat civitas Hierosolymitana tota, quæ ideo quoad hoc urbibus aliis opponitur.

231. *Obj. V. Ex Testamento novo* cum Græcis, tum P. LAMY, aliisque negantibus, Christum ad ultimam cœnam legale pascha celebrasse, vel illud celebrasse luna decima quarta exeunte.

1°. Joan. 13. 1. dicitur: *Ante diem festum paschæ, sciens Jesus, quia*

venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: et cœna facta, etc.; si ergo ante diem festum paschæ celebravit ultimam cœnam, ac Eucharistiam instituit, id non luna decima quarta exeunte, qua festum paschæ inchoabatur, fecit; sed luna decima tertia desinente; vel plane non celebravit pascha.

2°. Ibid. cum Christus ad finem convivii Judæ dixisset: *Quod facis, fac citius*, Apostoli v. 29. *putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: eme a, quæ opus sunt nobis ad diem festum... erat autem nox*; ergo festum tum (quando Christus celebrabat cœnam ultimam) nondum inierat; ergo non luna decima quarta exeunte, qua revera inibat festum, sed luna anteriore illam peregit.

3°. Joan. 18. 28. de Judæis, qui Christum adduxerant ad Pilatum, dicitur: *Et ipsi non introierunt in prætorium* (Pilati gentilis), *ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*; ergo vel Christus celebratione ultimæ cœnæ legalis, ac proin institutione Eucharistiæ antevertit, ut volunt Græci, lunam decimam quartam exeuntem, destinatam celebrando paschati, sicque Christus mortuus est feria quinta; vel Judæi distulerunt pascha.

4°. Christus Joan. 19. 14. passus dicitur in parasceve paschæ: *Erat autem parasceve paschæ hora quasi sexta*; sed parasceve paschæ est præparatio, vel, ut nos loquimur, vigilia paschæ, quæ erat luna decima quarta; ergo si hac mortuus sit, pascha celebravit luna decima tertia.

5°. Matth. 26. 5. Ipsi sacerdotum principes decernunt, Christum in die festo paschæ vel azymorum occidi non oportere: *Non in die festo; ne forte tumultus fieret in populo.* Ergo ante lunam decimam quintam, feriam sextam, in quam tunc incidebat dies festus, crucifixus est; ergo luna decima quarta; ergo ante hanc, sive luna decima tertia, novissimam cœnam et pascha habuit.

232. *Ad* 1um. R. *D.* Ante diem festum naturalem, vel artificialem *C.* legalem *N.* Joannes ad genium populi hic loquitur, qui diem decimam quintam *solemnem, festum* vulgo habebat, quod hujus solemnitas esset maxime conspicua, juxta illud Levit. 23. 5. *Decima quarta die mensis ad vesperam, phase Domini est, et decima quinta die mensis hujus solemnitas azymorum est.* Sicque omnino concordat S. Joannes cum tribus Evangelistis aliis, qui diem legalem usurpant: *primo die azymorum.* Primus dies azymorum inchoabatur luna decima quarta post occasum solis, eratque dies decima quinta legalis; dies autem decima quinta naturalis initium ducebat a media nocte. Joannes igitur, dum inquit, *ante diem festum,* sive diem decimam quintam, intelligit lunam decimam quartam exeuntem, quod tempus vere erat ante diem festum, sive diem decimam quintam naturalem.

Nec obstat, quod dicat Joannes: ante diem festum *paschæ,* non vero azymorum; nam festum azymorum a præcedente celebritate paschatis passim nomine *paschæ* insigniri solebat; Luc. 22. 1. *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha.* Et Act. 12. omnes dies azymorum vocantur *pascha.* Sic et Josephus L. 17. Antiquit. cap. 11. *Festum,* ait, *azymorum pascha vocatur.* Et L. 18. cap. 3. *Dum celebraretur azymorum solemnitas, quam pascha nuncupamus.*

Ad 2um. R. *N. Cons. utramque.* Putabant Apostoli, Judam missum esse ad emenda necessaria pro victu diei sequentis, decimæ quintæ, quæ, ut ante notatum, antonomastice *solemnis, festus* dicebatur.

Si dicas : Diebus festis non licebat emere quidquam; sed, cum Judas exiret a cœna, jam inceperat dies festus; ergo.

R. *N. M.* Nulla enim in Scripturis lex est, quæ id vetet. 1°. Exod. 12. permittitur diebus festis præter sabbatum ea apparare, quæ ad vescendum pertinent: si vero apparare liceret; ergo et emere iis, qui nihil alias habuissent, nisi prius emissent. Si vero id liceret ad ordinarios vitæ usus, quanto amplius ad sacros? Quæ enim ad sacrificia pertinent, festorum dierum sanctitati non officiunt. Poterant autem etiam putare discipuli, Christum in festo solemni mane velle peragere consueta sacrificia, aut oblationes, ideoque Judam exiisse ad emendas victimas, aliaque, quibus opus esset *ad diem festum.*

Ad 3um. R. *D.* Ut manducarent *pascha*, h. e. agnum paschalem *N.* victimas paschales *C. Paschæ* nomen variæ significationis est; ejus nomine non solum paschales agni veniebant, sed et totum azymorum festum; item victimæ pacificæ per septem azymorum dies cædi solitæ; et illæ præsertim hostiæ, quas die decima quinta omnes, qui apparebant coram Domino, offerre tenebantur Deut. 16. 2. *Immolabis phase Domino Deo tuo de ovibus et de bobus... non comedes in eo panem fermentatum; septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem.* Unde *subs.* Sed pascha, quod debebat absque fermento comedi septem diebus, non erat agnus paschalis, qui luna decima quarta ad vesperam debebat totus manducari, ut nihil de eo remaneret usque mane; ergo per pascha hic intelliguntur aliæ victimæ, cibique paschales.

Ad 4um. R. *N. min. Parasceve* equidem præparationem sonat; hic vero non significat præparationem ad paschalis agni manducationem, sed sequens sabbatum, ac dicitur *parasceve paschæ*, quia eo anno initium sabbati in ipsam paschalem solemnitatem incidebat. Sic nos dicimus Dominica paschæ, quia pascha in Dominicam incidit. Responsio ex eod. Joan. 19. 31. constat, ubi de eodem, quo Christus mortuus, die loquens inquit : *Judæi ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum*, etc.; ergo erat parasceve sabbati. Ita quoque Lucas cap. 23. v. 54. *Dies erat parasceves : et sabbatum illucescebat :* Marcus cap. 15. v. 42. adhuc apertius : *erat autem parasceve, quod est ante sabbatum,* προσάββατον; prosabbati autem nomine exprimi feriam sextam, nemo ignorat. Dicitur autem sabbatum hoc : *magnus dies sabbati*, non quod dies primus solemnis azymorum perfecte coincideret, et totus cum die sabbati; sed quod in alteram azymorum diem, sicque in tempus paschale, vel dies paschales incideret; itaque esset geminata festivitas. Tum etiam ideo dicebatur *magnus*, quod eo anno in sabbato utpote altero azymorum die juxta legem fieri deberet oblatio manipuli spicarum, a quo Pentecoste numerabatur.

Ad 5um. R. *N. Cons.* Equidem ita dixerant Judæi biduo ante in concilio, non ex religionis motivo, sed politico, *ne tumultus fieret in populo.* Verum nacta a proditore Juda opportunitate perdendi Jesum, mutaverunt mentem

in ipsa paschali nocte, eum jusserunt capi, et ipso solemni festo a Pilato damnari ac crucifigi postularunt.

233. *Obj. VI.* Sententiæ nostræ adversatur historia Evangelica, varia referens facta, quæ, si dies mortis Christi fuisset decima quinta, feria sexta, paschalis et prima solemnis azymorum, fieri non potuissent; ergo tunc mortuus non est; consequenter nec luna decima quarta, feria quinta, cœnam legalem, nec Eucharistiam celebravit.

Prob. Ant. Nam 1°. qui Christum capiebant nocte, armati erant gladiis et fustibus Matth. 26. et 47.; sed nox illa juxta nos paschalis fuit et festa, qua id Judæis permissum non fuit. 2°. Judicia, capitalia præsertim, inhibita erant Hebræis in diebus festis; sed nostro in systemate Christus in ipso solemni paschæ festo accusatus, damnatus, crucifixus fuisset. 3°. Joseph decurio emit sindonem; ea involvit corpus Christi, sepelivit; hæc autem die festo non licebant.

R. 1°. Frustra quæritur, an fieri aliquid potuerit, dum constat de facto; sed ex Scripturis et Patribus certum est, Christum die festo ac solemni esse mortuum; nam Matthæus cap. 27. 15. ait, tunc fuisse *diem festum;* Marcus cap. 15. 6. *diem festum;* similiter Lucas cap. 23. 17. Ex Patribus Justin. Dial. cum Tryph. n. 111., Tertullian. contra Judæos c. 10. et Marcion. L. 4. c. 40., Cyrill. Hierosolym. Catech. 13. n. 25., Chrysostom. homil. 82. in Joan. n. 3., Augustin. Tract. 114. in Joan. n. 2., etc.

R. 2°. Do, varias a Judæis tum factas fuisse transgressiones legis, quas conscientia pharisaica vel nullas putabant, vel leves, quibus ipsum Christicidium non videbatur crimen. Nonne constat, eosdem in celebrioribus etiam festis Christo mortem esse machinatos, in festo encæniorum Joan. 10. 31.; in festo tabernaculorum Joan. 8. 59.; quin altera die, *quæ est post parasceven,* proinde juxta adversarios die sabbati et festo paschali, nonne principes sacerdotum et pharisæi accesserunt ad Pilatum, rogantes, ut milites daret ad custodiendum sepulcrum, ipsique obtenta facultate posuerunt custodes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem? Matth. 27. 62. Sed

R. 3°. Qui Christum capiebant, servos fuisse sacerdotum, qui forte gentiles erant, nec proinde Judæorum legibus adstricti; si veræ sint illæ leges. Quin pleraque gesta per Romanos sunt et Pilatum, in quem totum judicium conjecerunt.

Dixi: *si veræ sint leges;* probabilius enim eæ leges non existebant. Nam 1°. diebus festis vetitum non fuisse, sacrilegum capere ex Num. 15. 32. intelleximus, ubi sabbato ligna colligens si deprehensus esset, non tantum eadem die captus fuit; sed et videtur statim ac sine mora lapidibus obrutus: Christum autem ceu religionis suæ hostem, ac blasphemum, quod Filium Dei se dixisset, incusabant.

2°. Omnia judicia criminalia die festo fuisse Judæis prohibita, nulla ex lege evincitur; sed potius contrarium quoad delicta saltem contra religionem admissa ex cit. Num. 15. Sed et multis ostendit Dausius ad cap. 26. Matth. et ipse P. Amicus, vulgo Lamy Hist. Pasch. cap. 10., moris apud Hebræos fuisse, ut hominum facinorosorum quorumlibet supplicia reservarentur in proximum solemne festum, quo Judæi solebant convenire Hierosolymis, ut juxta illud Deut. 17. 13. cunctus populus audiens timeret.

3°. Demum emptio aromatum pro condiendis defunctorum corporibus, sepultura, et id genus alia pietatis ac misericordiæ opera, nulla lege reperiuntur fuisse prohibita. Imo vero si Tobiæ viro religiosissimo videretur pietatis ac religionis opus, occisi cadaver ipso sabbato portare domum Tob. 2. 1. et 2.; cur alio festo die nefas fuerit sepelire?

CAPUT II.

DE VERITATE EUCHARISTIÆ, SIVE REALI CHRISTI IN EADEM PRÆSENTIA.

234. Dogma catholicum de reali Christi in Eucharistia præsentia nitide tradit Concilium Tridentin. Sess. 13. cap. 1. *Principio,* inquiens, *docet S. Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo S. Eucharistiæ sacramento post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum atque hominem realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Si Berengarium in sec. XI. (qui tamen errorem retractans obiit) exceperis, nemo dogma hoc inficiatus directe fuit usque ad Calvinum et Sacramentarios, non aliter Christum in hoc sacramento præsentem asserentes, quam in signo et figura; vel objective, quatenus fide apprehenditur; vel secundum virtutem aliquam; cui doctrinæ hæ in Tridentino opponuntur particulæ : *vere, realiter, substantialiter.* Nos præsenti capite, dogma catholicum propugnaturi contra Calvinum et Sacramentarios argumenta depromimus 1°. ex Scripturis sacris, 2°. ex Traditione, 3°. ex Præscriptione. Ex Scripturis primum ex promissione Joan. 6.; alterum ex institutione desumemus. Unde sit

ARTICULUS I.

AN EX CAP. 6. JOANNIS RECTE PROBETUR CHRISTI IN EUCHARISTIA REALIS PRÆSENTIA?

235. De Eucharistia in hoc cap. 6. Joannis sermonem institui, Protestantes, præsertim antiquiores, inficiantur passim, volentes, non de alia manducatione Christi eo loco disseri, quam spirituali per fidem in eumdem incarnatum, qui se metaphorice *panem vivum, panem cœlestem* appellat. Verum, quod hic interim observamus, dum de Eucharistia hoc cap. agi negant adversarii, quo se Catholicorum argumentis expediant, inde realem carnis Christi manducationem probantium, laqueo se contradictionis implicant; dum enim alibi de Communionis necessitate sub utraque specie movetur controversia, ad illam contra Catholicos asserendam ad hoc cap. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* ceu dogmatis sui firmissimum præsidium recurrunt. Quæ vero ista cohærentia?

Catholicos quod attinet, affirmant fere universi a v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est,* de Eucharistia ac reali manducatione carnis Christi sermonem esse; idque juxta PALLAVICINUM Hist. Conc. Trid. L. 17. cap. 11. adeo certum Patribus Tridentinis visum, ut multi id definiri tanquam de fide poscerent; obtinuissentque, nisi obstitisset Granatensis episcopus, recentiorum quorumdam expositionem obmovens, qui, ut argumenta præciderent Novatorum Wicleffi, Huss, Lutheri, Calvini, etc. ex his : *Nisi manducaveritis,* etc. necessitatem Communionis sub utraque specie inferentium, aiebant, non de Eucharistia, vel manducatione sacramentali, sed spirituali per fidem Christum loqui. Quorum principes fuere Cardin. de ALLIACO, Cardin. CUSANUS, JANSENIUS Gandavensis, TAPPERUS, quibus condonandum aliquid, quod eo non veritate inducti sint, sed quod aliter solvere Novatorum argumentum se non posse crederent; sive ut MALDONATUS noster in hoc cap. 6. disserit : *Quod, ut benignissime dicam, est temerarium, gravioribusque condemnarem verbis homines bene catholicos, nisi compertum haberem, errore magis animi, quam vitio in hæreticorum dogma impegisse.*

Ne qua vero sit ambiguitas, observandum, non contendere nos, in toto hoc cap. Joannis 6. de Eucharistia sola a Christo agi. De triplici enim manducatione in eo sermo est; unde in tres partes dividitur. In prima usque ad vers. 25. de prodigiosa quinque panum multiplicatione; in secunda de cibo spirituali, sive fide in Christi Incarnationem usque ad vers. 52.; inde vero in tertia demum parte usque ad finem de reali carnis Christi manducatione a Christo disseri contendimus; quam hic ad pleniorem argumenti intelligentiam præmitto.

Versu 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?*

54. *Dixit ergo eis Jesus, amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

56. *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

57. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

58. *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

59. *Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

60. *Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum.*

61. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?*

62. *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat ?*

63. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius ?*

64. *Spiritus est, qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

65. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt...*

67. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant.*

68. *Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire?*

69. *Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

236. *Dico.* Ex cap. 6. Joannis a vers. 52. realem Christi in Eucharistia præsentiam invicte inferunt, et probant Catholici. Argumentum tale est :

Christus hoc loco promisit, se daturum carnem suam ad manducandum, et sanguinem ad bibendum vere ac realiter, non figurate in signo, vel spiritualiter solum per fidem ; ergo etiam ita postmodum in cœna ultima Eucharistiam instituit, ut hæc Christi carnem et sanguinem vere ac realiter contineret. *Cons.* patet ; quia Deus ex natura fidelis fallere quemquam promittendo non potest. Igitur, circa quod solum est controversia,

Prob. Ant. 1°. Christus loquitur de cibo et potu novo, et adhuc futuro, sive adhuc a se dando, ut constat ex his : *Panis, quem ego dabo;* et rursus ex illis : *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem* (quem scilicet daturus sum) *vivet in æternum;* ergo hic non loquitur de manducatione spirituali et in figura ; quia alias nec novi aliquid, nec adhuc futuri annuntiaret ; cum enim hæc loqueretur, plures in eum credebant, Apostoli, aliique discipuli ; et ita Calviniano sensu eum manducabant spiritualiter. Quin ita Christum manducaverant sub veteri Lege Judæi 1. Cor. 10. 3. et 4. *Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt* (*bibebant autem de spiritali consequente eos petra ; petra autem erat Christus*). Et vero fides in Christum omnium temporum fuit, eritque ; ac omnibus ab Adami lapsu necessaria fuit.

2°. Non solum Judæi, sed et multi discipulorum Christi inde graviter fuerant offensi, quod Christus carnem suam manducandam sponderet, et bibendum sanguinem vers. 53. 61. et 67. ; ergo intelligebant verba Christi de manducatione et potatione reali ; de spirituali enim manducatione aut potatione per fidem, vel figurata in aliquo signo non poterant offendi. Etsi vero errarent in hoc, quod putarent, Christum daturum carnem suam manducandam, cruento visibili modo, quo carnes in frusta concisæ manducari solent ; non tamen errabant in hoc, quod verba Christi de reali manducatione intelligerent ; quia Christus alias, ne verba sua, erronee accepta, essent in Ecclesia erroris causa, hanc opinionem erroneam ipsis exemisset ; sicut parabolas conceptu faciliores discipulis alias exponebat, erroremque priorem de manducatione cruenta visibili correxit per hæc : *Caro non prodest quidquam, spiritus est, qui vivificat.* Atqui opinionem eorum de manducatione reali prorsus non correxit ; sed, quantum potuit, persuadere est conatus, juramento affirmans, ipsos vitam non habituros, nisi carnem suam manducarent, et sanguinem biberent ; carnem suam *vere* esse cibum, et sanguinem *vere* esse potum : hancque illorum opinionem suæ Ascensionis miraculo, ut nunc videbimus, firmavit, difficultatem in animis Judæorum natam, quomodo posset dare carnem suam ad manducandum, adhuc augens et corroborans.

3°. Visa hac difficultate in Judæorum animis, *hoc*, aiebat Christus, *vos*

scandalizat; h. e. concipere non potestis, quomodo futurum sit, ut carnem meam vobis manducandam præbeam; quid ergo cogitabitis, *si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius*. vers. 63. Nam quod homo hominis in terra carnem manducare possit, concipi adhuc potest; quod autem hominis in cœlum sublati caro manducari possit in terra, longe difficilius captu est. Ex quo sic : Manducatio, de qua Joan. 6. disserit Christus, difficilior erat futura post ejus in cœlos ascensionem, quam ante hanc; sed ascensio Christi in cœlum equidem manducationem ejus carnis realem in terra facit difficiliorem, minime vero spiritualem, percipiendam per fidem; ad fidem enim locorum distantia nihil facit; tamque est facile in Christum post ascensionem credere, quam ante eamdem.

4°. Christus ait, carnem suam vere esse cibum, et sanguinem suum vere esse potum; ubi, quod sæpius ibi fit, segregatur cibus a potu, quod frustra fieret, si de cibo vel potu spirituali per fidem sermo esset; cum in perceptione Christi per fidem unum idemque omnino sit, *manducare* et *bibere*.

5°. Christus promittit cibum, qui manna præstantior sit : *Non sicut manducaverunt patres vestri manna*, etc. : sed panis communis in ratione signi aut figuræ solius non est præstantior manna prodigiose producto; nec minus in manna, quam pane alio Christus potest fide percipi; ergo.

6°. Si quæ sit de vero sensu S. Scripturæ contentio, illum ediscere oportet ex SS. Ecclesiæ Doctoribus, qui illum utique ut ab Apostolis traditum referunt; sed illi relata Joannis verba communi nobiscum sensu, naturali scilicet et proprio acceperunt, quod patebit ex argumento petito a traditione et præscriptione.

237. *Obj. I.* Christus Joan. 6. de manducatione per solam fidem loquitur; ergo.

Prob. Ant. 1°. Christus enim hic disserit de ea manducatione, quæ certo vitam æternam conferat : atqui sacramentum Eucharistiæ hanc certo non præstat; non enim omnes consequuntur salutem, qui ad illud accesserint.

2°. In eo loco fit sermo de eo, sine quo vita æterna obtineri non potest : *Nisi manducaveritis*, etc. : atqui citra Eucharistiæ perceptionem obtineri vita æterna potest, ut patet in parvulis, quibus nunc a sec. XII. usque huc non amplius Eucharistia datur; sed neque adultus ideo periisse dicendus est, si casu hujus expers sacramenti decessisset.

3°. Sermo hic instituitur de eo cibo, qui dat vitam independenter ab Eucharistiæ institutione; jam enim tunc dabat vitam, cum Christus ea proferret, ut constat ex his : *Qui manducat hunc panem*. Item : *Nisi manducaveritis*, etc.; nondum enim tunc Eucharistia instituta fuerat.

4°. Si ille Joannis locus de Eucharistia debeat accipi; ergo sequeretur, communionem sub utraque specie esse omnino singulis necessariam; nihil enim disertius est his Christi verbis : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* : sed juxta Catholicos communio sub utraque specie non est necessaria omnibus; ergo.

5°. Christus ipse verba sua de manducatione spirituali per fidem exponit vers. 64. *Spiritus*, inquiens, *est, qui vivificat : caro non prodest quidquam*; ergo.

R. *D. Ant.* Agit de sola fide in toto hoc capite *N.* usque ad vers. 52. juxta

dicta num. 235. *C.* Agit de Eucharistia primum a vers. 52.; ab hoc enim usque ad finem agi de Eucharistia, evincunt rationes datæ, fuitque ea constans mens Patrum et Ecclesiæ, dum ob ea verba hujus capitis : *Nisi manducaveritis,* etc. compluribus in Ecclesiis usque ad sec. XII. consuetudo viguit, dandi Eucharistiam infantibus. Patrum sententias dabimus infra, ubi de traditione. Nimirum 1°. Christus disserit de pane inter frangendum multiplicato; inde assurgit ad panem cœlestem, in quo seipsum incarnatum proponit, in quem credere necesse sit ; tandem spondet alium panem a se dandum, in quo carnem suam vere manducandam, et sanguinem vere potandum daret.

Ad prob. 1am. R. *D. M.* Quæ certo vitam conferat, spectata rei natura *C.* spectata qualibet subjecti conditione *N.* Idem de Eucharistia hic dicitur apud Joannem quod alibi de Baptismo : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; quod de invocatione : *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*; quæ similiaque dicuntur ob virtutem rebus ipsis inditam ad hunc effectum, licet is vitio subjecti impediri possit. Deinde difficultas hæc in ipsam manducationem spiritualem per fidem recidit; si quid enim valeat objectio, deberet fides certo salutem conferre singulis; at multi, postquam Christum manducarant per fidem, salute exciderunt.

Ad prob. 2am. R. *D. M.* Sine quo vita æterna haberi non possit absolute, nullo prorsus excepto *N.* a quibusdam, sumere Eucharistiam contra præceptum sua culpa omittentibus *C.* Constabit responsio, ubi de sacramenti hujus necessitate disserendum erit. Interim sua ipsis adversariis objectio solvenda est; contendunt enim, hic sermonem esse de manducatione per fidem. Sciscitari igitur ex ipsis libet, num ea manducatio per fidem sit ita necessaria singulis, ut citra eam haberi salus a nemine possit? Si affirment : quid igitur de infantibus fiet, qui hujus manducationis capaces non sunt? Dicent, eos habere fidem habitualem; sed *manducare* non habitum, sed actionem sonat; eliciendi vero actum fidei infantes incapaces sunt; proinde et manducationis hujus spiritualis. Si vero manducationem Christi per fidem restringant ad certum genus hominum : cur idem nobis vetitum sit?

Ad prob. 3am. R. *N. Ant.* ejusque probationes; hoc enim vers. 57. *qui manducat meam carnem,* supplendum est ex vers. 52. *quam ego dabo;* unde uterque textus tempus futurum, non præsens respicit. Alter vero textus : *nisi manducaveritis,* etc. non magis pro Judæis probat necessitatem manducandæ actu tunc Christi carnis, quam ille Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc. probabat necessitatem actualem suscipiendi Baptismi pro Nicodemo et aliis.

Ad prob. 4am. R. *N. sequel.* Christus eo loco de Eucharistia disserit, simulque dat legem de carne sua in illa manducanda, et bibendo in eadem sanguine suo; mens vero ejusdem non fuit, ut manducaretur caro, et sanguis biberetur seorsim sub diversis speciebus; ac proinde in ea Christi lege tantum duo includuntur, sacramentum videlicet, et res, quæ in eo continetur, ut ex iis, quæ suo loco de modo sumendi Eucharistiam disputabimus, fiet palam; et interim vel ex hoc ipso capite evincitur, dum ibidem vita promittitur alterutri speciei.

Ad prob. 5am. R. *N. Ant.* et explico textum : Non prodest quidquam sensu Capharnaitarum manducata *C.* manducata spiritu, sacramentaliter *N.* In

verbis Christi, ut dictum supra, duo apprehenderant Capharnaitæ : primum, manducandam esse Christi carnem realiter ; alterum, ac quidem manducandam modo visibili, carnali, quo carnes aliæ, quæ in macello venditæ, concisæ vulgariter manducari solent. Primum non correxit Christus, sed sub juramento firmavit : alterum correxit objecto textu : *Caro non prodest quidquam,* nimirum manducata solum carnaliter. Quod vero Christus per ea verba corrigere manducationem suæ carnis realem sacramentalem noluerit, inde patet, quod nihilominus post hanc Christi sententiam capere non possent Judæi ac discipuli, quomodo dare carnem suam ad manducandum posset, adhuc scandalizarentur, imo a Christo discederent ; sed si per hæc : *caro non prodest quidquam,* etc. indicare voluisset, carnem suam non realiter, sed spiritualiter duntaxat per fidem manducandam esse, nihil tunc captu fuisset difficile ultra ; nulla amplius ratio, cur scandalizarentur ; minus, cur a Christo discederent ; cum cum jam spiritu per fidem, in ipsum credendo, manducassent.

Responsio ad verbum ex S. Aug. sumpta est Tract. 27. in Joan. n. 5., ubi exponens eadem Christi verba, *caro non prodest quidquam,* sic inquit S. Pater : *Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerant ; carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est : Caro non prodest quidquam ; quomodo dictum est : Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam ? Absit. Et quid est, scientia inflat ? Sola, sine charitate ; ideo adjungit : Charitas vero ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc caro non prodest quidquam, sed sola caro : Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret.* Ac Tract. eod. initio hujus num. 5. *O Domine,* exclamat, *Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi manducaveritis carnem meam, non habebitis vitam in vobis ?*

238. *Obj. II.* Ex SS. Patribus 1°. Plures Patrum sextum Joannis caput in sensu mystico exposuerunt ; Clemens Alexandr. L. 1. Pædagogi c. 6. (opp. p. 100. A.) tertiam partem capitis sexti Joannis de verbo Dei exposuit ; S. Basilius pariter epist. 8. n. 4. (opp. t. 3. p. 84. A.) de Christi doctrina et ejus in animum pium adventu ; S. Hieron. in Psal. 147. de Scripturis sacris ; Innocent. I. de Baptismo.

2°. S. Augustin. vero realem manducationem carnis diserte excludit, vultque partem tertiam cap. 6. Joan. de figurata manducatione intelligi ; nam L. 3. de Doctr. Christ. cap. 16. *Si,* inquit, *præceptiva locutio est* (Scripturæ), *aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata : si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, inquit, carnem Filii hominis, et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis ; facinus vel flagitium videtur jubere : figura est ergo præcipiens passioni Dominicæ communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa, et vulnerata sit.* Atqui hic S. Pater manducationem realem carnis Christi excludit.

Tract. 25. in Joan. n. 12. *Hoc est,* inquit, *manducare cibum, non qui perit,*

sed qui permanet in vitam æternam (nimirum credere in Christum). *Ut quid paras dentes et ventrem? crede et manducasti.* Et Tract. 26. n. 12. ad v. 50. cap. 6. Joannis : *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur*; ait : *Quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum ; qui manducat intus, non foris ; qui manducat in corde, non qui premit dente.* Sed ibi rursum manducatio realis excluditur.

239. *Ad* 1um. R. Sensum mysticum non pugnare cum litterali ; ac non solum Patres, sed etiam Scriptores sacros frequenter sic prosequi sensum tropicum, vel moralem, ut propterea tamen alterum litteralem non excludant. Sic ad Gal. 4. ait Apostolus, Agar esse montem in Arabia ; Saram vero esse Jerusalem ; numquid idcirco veritatem negat historiæ de Agar et Sara? Ita quoque laudati Patres in objectione, etsi subin quædam in mystico, tropico et morali sensu exponant, litteralem tamen simul alibi retinent, nec excludunt. Et vero in sensu litterali partem posteriorem cap. 6. Joan. de Eucharistia et manducatione reali carnis Christi S. Basilius sumit in Regulis Moral. Reg. 21. cap. 1. (opp. t. 2. p. 253. C.), S. Hieron. epist. 120. (al. 150.) ad Hedibiam c. 2., S. Aug. L. 1. de peccat. mer. cap. 20. n. 26. ubi, *Dominum audiamus,* inquit, *non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ... Nisi manducaveritis,* etc.

240. *Ad* 2um. R. *N. Ant. et prob. D. min.* Excludit manducationem realem in sensu Capharnaitarum *C.* sensu sacramentali *N.* Eam enim manducationem tantum excludit, quæ *facinus,* vel *flagitium* importat ; talis quidem est manducatio Capharnaitarum sensu, quo caro Christi cruente, visibiliter concisa et dilaniata sumenda putabatur ; non vero ea, qua caro Christi sacramentaliter, h. e. invisibiliter, sine ulla sui læsione, realiter tamen sumitur. Dum vero ait, verba illa Christi figurata esse, vel figuram, loquitur in sensu priore ; scilicet esse figuram crucifixionis Christi, sive carnis Christi *crucifixæ,* vulneratæ ; quia verba hæc : *nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* populari sensu, ut apud Capharnaitas, manducationem vulgarem ad instar reliquarum carnium sonant : verum hoc populari sensu figura sunt, non corporis Christi simpliciter, sed *crucifixi* ; ideoque hinc monemur, *communicare passioni Domini ; suaviter et utiliter recondere in memoria carnem ejus crucifixam.*

Etsi vero in dato sensu verba Christi figurata sint, vel figura ; non tamen ideo manducatio realis alia carnis Christi, sive sacramentalis, modo invisibili, sicque spiritali excluditur ; duplex enim figurata Scripturæ locutio, vel figura distingui debet ; *figura tantum,* dum verba non significant id, ad quod significandum instituta sunt, sed transferuntur ad aliud. Sic figura tantum est, dum Christus dicitur *lapis angularis, via, vitis,* etc. *Figura non tantum,* dum verba quidem id significant, ad quod sunt instituta, id tamen, quod exprimunt, figura est rei alterius. Hæ figuræ non excludunt veritatem rei ; ut patet ex illo ad Gal. 4. cit. Sic ait Apostolus 1. ad Cor. 10. *omnia Judæis in figura contigisse ;* non quod reipsa sic non contigerint, ut in S. Scriptura referuntur. Sic juxta Augustin. ipsum L. eod. 3. cap. 12. unctio, qua mulier pedes Christi unxit, et matrimonium, quod Oseas cum muliere

fornicaria contraxit, figuræ erant rerum aliarum ; quæ tamen interim dubio procul suam retinebant realitatem. Talem vero figuram continent ex mente Augustini verba : *nisi manducaveritis*, etc. ; quæ scilicet rei veritatem simul exprimit, non excludit ; quia eodem c. 12. n. 20. ut quam dederat regulam confirmet, de Patribus veteris Testamenti ait : *quidquid ibi tale narratur, non solum historice ac proprie, sed etiam figurate et prophetice acceptum interpretandum est ;* clare innuens, se hoc loco loqui de figuris, quæ simul veritatem exprimunt rei.

241. Sed, *inquies*, S. Aug. figuram tantum hic intelligere dicendus est; quia in Psal. 98. n. 9. disserens de hoc cap. 6. Joan. Christum proponit discipulos præsentes alloquentem : *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Spiritualiter intelligite quod locutus sum : non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi ; spiritualiter intellectum vivificabit vos ; etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi ;* ergo.

R. *N. Ant.* Textum explico : *Non hoc corpus,* etc. quoad substantiam *N.* quoad formam visibilem, sicut hoc videtis, sicut manducandum illud Capharnaitæ putant *C.* Expositio hæc ipsius Augustini in eodem loco est. Ante enim objecta verba inquit : *Spiritus vivificat, caro nihil prodest. Tunc autem, quando hoc Dominus commendavit, de carne sua locutus erat, et dixerat : Nisi quis manducaverit, etc. Scandalizati sunt discipuli ejus quidam; acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis ; et dixerunt : Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo ; etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi : Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens... quod illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt... Spiritus est, qui vivificat; caro autem nihil prodest,* etc. Ergo non negat, sed affirmat S. Aug., Christum de reali manducatione suæ carnis esse locutum ; *de carne sua locutus erat,* etc. Sed negat solum, hic sermonem esse de manducatione carnis in forma visibili, sive *carnali,* ut stulte putarant Capharnaitæ ; hocque sensu caro nihil prodest.

Plenam hæc lucem ex iis accipiunt, quæ paulo superius eodem loco disserit Aug. Quærit, quodnam sit scabellum pedum Dei, de quo in laudato Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus ?* Tum proponit sibi illud Is. 66. *Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum.* Post hoc sibi objicit : quomodo adorari potest terra, cum Scriptura jubeat : *Dominum Deum tuum adorabis,* Deut. 6. Ac respondet : *Fluctuans converto me ad Christum... suscepit enim de terra terram : quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit ; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit ; inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Ubi Aug. duo inquit : primum, quod *ipsam* carnem, quam a Maria accepit, in qua ambulavit, nobis dederit manducandam ; alterum, quod antequam manducetur, adorari debeat, et quidem adoratione debita Deo ; de hac enim sola anxius erat S. Pater; sed merum carnis Christi signum, figura

inanis sine re sic adorari non potest, ut fatentur adversarii; ergo supponit S. Aug., realiter adesse et manducari carnem Christi. Dum proinde dixit inferius : *non hoc corpus, quod videtis,* etc. non manducationem sacramentalem, spiritualem, h. e. invisibilem, sed quæ fit *carnaliter,* Capharnaiticam exclusit.

ARTICULUS II.

AN REALIS SUBSTANTIALIS PRÆSENTIA CORPORIS ET SANGUINIS IN EUCHARISTIA PROBETUR EFFICACITER EX VERBIS INSTITUTIONIS?

242. Verba, quibus Christus Eucharistiæ sacramentum in cœna ultima instituit, ita referunt Evangelistæ tres, Matthæus, Marcus, Lucas, quæ repetuntur ab Apostolo 1. ad Cor. 11. 24.

Matth. cap. 26. v. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes : Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Marc. cap. 14. v. 22. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem; et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes, et ait illis : Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.*

Luc. cap. 22. v. 19. *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Quæritur nunc, utrum ex verbis institutionis, quæ in his continetur : *Hoc est corpus meum ; Hic est sanguis meus,* realis præsentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia efficaciter probari possit? Hujus quæstionis resolutio ab hac priore altera dependet : utrum relata verba institutionis in sensu proprio ac naturali, vel figurato, h. e. res significata dicatur de solo signo, sumenda sint? Si primum, ut verba luce clariora sonant, vicerunt Catholici.

243. *Dico.* Verba Christi : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus,* in sensu proprio ac naturali debent intelligi; ut proinde ex iis efficaciter et invicte probetur realis ac substantialis præsentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia.

Prob. I. Si Christus hæc verba locutus non fuisset in sensu proprio, propositio ejus fuisset 1°. absurda et ridicula; 2°. fallax, et gravissimi erroris occasio : atqui neutrum citra blasphemiam dici, vel cogitari de Christo potest; ergo.

1°. Fuisset absurda et ridicula; fuisset enim contra omnium inter se colloquentium consuetudinem et leges, juxta quas omnia quæ proferuntur ab hominibus, instar rerum, et ut in se sunt, debent intelligi, nisi constet, ea instar signorum esse accipienda; neque nomen rei significatæ unquam tri-

bui potest signo arbitrario alicui omnibus incognito, ac recens primum instituto a loquente, nisi monitis prius auditoribus. Cujus est ratio, quod alioquin non intelligatur propositio; locutio tamen instituta sit ad manifestandos sibi mutuo conceptus. Unde risui se exponeret, qui in nemore deambulans proceram quercum assumpsisset sibi in signum Alexandri M. et supervenienti homini ante non monito diceret monstrata quercu : *Hic est Alexander magnus*; aut si leonem sibi elegisset in ejusdem regis signum, viso forsan leone diceret hominibus prius non monitis : *Hic vicit Darium.* Atqui panis et vinum non erant signa corporis et sanguinis Christi tunc cognita Apostolorum ulli; tunc enim primum Eucharistia instituebatur : neque Christus etiam ullo modo monuit vel ante vel post sua verba Apostolos, se panem pro signo sumere sui corporis, ac nomen rei significatæ ipsi signo tribuere; ergo. Unde etiam

2°. Fuisset fallax; quia Apostoli non poterant non verba Christi, ut sonabant, accipere; cum enim nemo soleat virorum sapientum verba detorquere in sensus plane alienos; præterea prorsus alienum sit a communi hominum loquendi modo, sine præparatione audientium, signo alicui novo dare rei significatæ nomen; Apostoli vero de signo nihil scirent, verba Christi debebant in proprio sensu accipere, inque eo acquiescere, specialiter etiam ideo, quod summam ejus nossent sapientiam, cui nihil absonum excideret; infinitam ejus potentiam, qua efficeret facile, quidquid vellet. Si igitur noluisset Christus, ut in proprio verborum suorum sensu acquiescerent, iis illusisset, fuissetque ipsis et Ecclesiæ occasio in re gravissima errandi, quod est blasphemum dicere.

244. *Prob. II.* Si Christus verba sua voluisset in sensu figurato intelligi, id, ut ex modo dictis præcideret erroris, imo idololatriæ causam, manifestasset Apostolis, idem retulisset saltem Evangelistarum aliquis, dum institutionis verba referunt; tum ex eadem causa ante data; tum quia solerter solent Evangelistæ alias se invicem supplere in rebus minoris momenti, ut, quod unus obscure, vel figurate proposuit, explicet alter; aut si quæ sit in verbis Christi ambiguitas, hæc tollatur. Ita e. g. Josephus pater Christi dicitur; sed ne falleremur, ait Lucas, *ut putabatur.* Dum dixit Christus: *Solvite templum hoc;* Joannes clarum reddidit cap. 2. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Cum S. Matthæus Joannem Baptistam vocasset Eliam; declaravit Lucas, eum fuisse talem *spiritu et virtute.* Cum dixisset Samaritanæ Dominus: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum;* ne quis falleretur putando, ipsum aquam naturalem salutis operatricem daturum bibendam, id continuo exposuit Joannes cap. 7. 39. *Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes,* etc. Verum hic in re longe majoris momenti, unde præviderat Christus, gravissima oriri scandala posse, nisi declararet, se loqui de signo tantum sui corporis et sanguinis, nec verbulo id significavit ipse, nec Evangelista quispiam ut ante dicendo : *Hoc autem dicebat de signo sui corporis, sanguinis.*

245. *Prob. III.* Si Christus verba sua, quibus Eucharistiam instituebat, non protulisset in sensu proprio, sed figurato; ergo vel quia non potuisset dare corpus suum manducandum realiter; vel quia, etsi potuisset, noluisset;

sed neutrum a sanæ rationis homine dici potest. Non primum : unde enim hanc impotentiam demonstrabunt Calvinistæ et Sacramentarii in eo, *apud quem non est impossibile omne verbum* Luc. 1. 37. numquid a sui infirmitate ingenii divinam metientur potentiam, ut Deus plus non posse dicendus sit, quam ipsorum ingenii præcise capiant angustiæ? Si Deus panis et vini substantiam convertere non potuerit in corporis sui et sanguinis substantiam; dicant igitur, quomodo substantiam aquæ mutare potuerit in vinum, universum producere ex nihilo, et id genus alia? Non secundum : quia, si voluisset dare corpus suum manducandum realiter, clarioribus uti verbis non poterat, cur tamen dare noluisse dicatur? Quod si in tanta claritate verborum velint tamen adversarii, hæc figurata esse, quomodo deinceps Arianis, Socinianis persuadebunt ex Scriptura divinitatem Christi; hæc : *Ego et Pater unum sumus*, sumenda esse in sensu proprio de unitate essentiæ, non figurato de unitate concordiæ, charitatis; cum majora pro se habere in Scripturis fundamenta videantur ambo, Ariani et Sociniani, velut : *Pater major me est. Rogo, ut unum sint, sicut et nos, etc.*; quam hic adversarii habent pro se?

246. *Prob. IV.* Christum hic in sensu proprio, non obscuro et ambiguo, vel figurato loqui oportuisse, fuisseque locutum, reliquæ omnes circumstantiæ exigunt.

1°. Materia; instituebat enim sacramentum, et condebat testamentum, ut nemo negat; sed utrumque verbis claris et propriis fieri necesse est. 1°. *Sacramentum*; cum enim sacramenta in salutem instituantur hominum, eorum institutio debet esse cognitu facilis, fieri verbis in sensu obvio et naturali, ne res subjaceat liti et controversiæ, unde sacramentum reddatur tandem dubium, et divina in institutione ejusdem frustretur bonitas. Sic sacramenta Legis veteris, circumcisio, agnus paschalis, etc. verbis semper claris in sensu naturali et obvio proponuntur. Unde et Joan. 3. v. 3. cum prius Christus de instituendo a se Baptismo nonnihil figurate locutus esset : *Nisi quis renatus fuerit*, mox exposuit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.* Quis ergo prudens credat, Christum in nobilissimo religionis nostræ sacramento verbis non claris usum fuisse, sed ambiguis, ut ambigi ac controverti merito possit, quid nobis hoc in sacramento reliquerit? 2°. *Testamentum*; id enim, ut verbis maxime propriis, nullo modo tropicis vel figuratis fiat, hujus poscit conditio, ne detur hæredibus litigandi occasio. Et quis, nisi impostor, in testamento verbis uteretur figuratis, e. g. scribendo hæredi domum, sed hujus intelligendo figuram delineatam in charta; vel legando vinum, sed hederam vini figuram cogitando? Hinc Exod. 24. ubi instituitur testamentum vetus, propriissimis hoc verbis fit. Jacob Gen. 49. etsi, dum prophetat, utatur figuris; ubi tamen testamentum condit v. 29., verbis utitur clarissimis. Eadem sermonis simplicitas, idem candor in testamentis Davidis 3. Reg. 2. Tobiæ Tob. 4., etc. reperitur. Ergo multo magis id Christus præstitit, nisi eum tunc impostorem egisse, horrenda cum blasphemia quis dicere velit.

2°. Conditio personarum, ad quas fiebat locutio; erant enim Apostoli, quos *amicos* vocaverat; quibus dixerat, *datum esse nosse mysteria regni cœlorum*, Matth. 13. *Quos cum dilexisset, in finem dilexit eos*, Joan. 13.

quibus parabolas solebat exponere : quos quidem alloquebatur eo tempore, quo erat transiturus, et quo impleri, si unquam, promissum oportebat : *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis*, Joan. 16. Atqui credibile non est, his perpensis, Christum sub troporum involucris locutum tunc fuisse, vel, si quis in verbis latuisset tropus, vel figura, id ipsis Christum non exposuisse ; quis enim ingenuus morti proximus ita cum amico ageret ?

Etsi clarissima sint Salvatoris verba, singulas tamen prope syllabas invadunt adversarii, ut figuram solam ex iis extorqueant, ipso id conquerente Sacramentariorum patre Luthero, Apologia de cœna Dom., ubi inquit : *Doctor Carolostadius ex his sacrosanctis vocabulis : Hoc est corpus meum, misere detorquet pronomen, Hoc : Zwinglius autem verbum substantivum, Est, macerat : Œcolampadius nomen, Corpus, torturæ subjicit : alii totum textum excarnificant.* Sed audiamus singulos.

247. *Obj. I.* Verba Christi : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus*, debent necessario figurate intelligi, ut sensus sit : *hic panis est figura, vel signum corporis mei ;* vel : *significat corpus meum ;* ergo.

Prob. Ant. 1°. Quia pronomen *Hoc* demonstrat id, quod Dominus accepit, benedixit, fregit, deditque discipulis dicens : *accipite et manducate.* Sed quod Christus accepit, benedixit, etc. erat tantum panis ; ergo.

Prob. 2°. Quia, nisi prædictus sensus figuratus tribuatur verbis Christi, propositio ejus evadet falsa ; nam pronomen *Hoc* in ea propositione sumpta in sensu proprio non demonstrat panem, ejusque species ; quia falsum est, quod panis ejusque species corpus sint : nec demonstrat corpus Christi ; quia, dum pronuntiatur particula demonstrativa *Hoc,* Christi corpus nondum adest ; aliud vero, quod ea particula demonstret, assignari nequit.

Prob. 3°. Si pronomen *Hoc* tenens locum subjecti in fine propositionis sit idem, ac corpus Christi, propositio ejusdem esset identica et nugatoria ; perinde enim erit, ac si dixisset : *Hoc corpus meum est corpus meum :* atqui tales propositiones in Christum cadere non possunt.

Prob. 4°. Tandem propositionem Christi sensum habere figuratum, constat ex 1. Cor. 11. 24., ubi Apostolus refert verba Christi : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur,* ut Vulgata nostra habet ; at in græco textu pro verbo *tradetur* legitur in præsenti *frangitur :* atqui corpus Christi verum non frangitur ; ergo panis, figura corporis ; ergo et propositio Christi : *Hoc est corpus meum,* pro solo pane, ceu corporis Christi figura supponebat.

248. R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D. min.* Quod Christus accepit, benedixit, etc., erat panis, qui permansit panis *N.* qui per verba consecratoria sequentia transiit in corpus Christi *C.* Quia propositio illa Christi : *Hoc est corpus meum*, est practica, sicut hæc : *sit, fiat lux.* Differt vero propositio practica a speculativa, quod hæc posterior objectum suum supponat, non efficiat ; prior vero efficiat, quod enuntiat : hinc in propositionibus practicis, etsi, dum inchoantur, adhuc persistat terminus a quo fit mutatio, ac proinde initio propositionis hujus : *Hoc est corpus meum*, adhuc subsistat panis ; in fine tamen, dum propositiones practicæ completæ sunt, terminus

a quo in terminum ad quem transiit, qui hic est corpus Christi. Solutio ab ipsis Novatoribus admitti debet, qui per verba Christi ex pane communi fieri saltem sacramentalem volunt. Quid enim respondebunt, si proprium ipsorum argumentum sic retorqueamus in ipsosmet : *Pronomen Hoc demonstrat id, quod Christus accepit, benedixit, etc. Sed quod Christus accepit, benedixit, etc., panis communis erat*; ergo. Dicent haud dubie, id quod panis communis fuerat, evasisse sacramentalem. Igitur ex Scripturæ auctoritate recte dicunt Catholici, quod initio merus panis erat, in fine in corpus Christi mutatum esse.

249. *Ad prob.* 2am. R. *N. sequel.* et dico, pronomen *Hoc* in instanti pronuntiationis suæ nec demonstrare determinate panem præcise, nec determinate panis species, nec sic corpus Christi; sed aliquid sub conceptu aliquo generali et communi utrique, scilicet pani, et Christi corpori, scilicet contentum in generali sub his speciebus, ut sensus sit : *contentum sub his speciebus, hactenus panis nunc est corpus meum;* quia pronomen demonstrativum *Hoc* solitarie ex parte subjecti positum sine adjuncto substantivo non significat aliquid determinate, sed aliquid in generali ac communi, velut si dicas : hoc est aurum, hoc est lapis; sensus est : hæc res est aurum, lapis. Ac nonne, si Christus in nuptiis Canæ conversurus aquam in vinum dixisset : *Hoc est vinum,* ut certo dicere poterat, eadem esset quæstio? Sed quid respondere possent adversarii aliud, quam quod nos, sensum esse : *hæc res, contentum in his hydriis est vinum.* Et ideo signanter non dixit Dominus : *Hic panis est corpus meum*; ne quis scilicet inde, cum substantia panis non possit esse corpus Christi, inferret, a se tantum sui corporis figuram proponi.

Nec refert, quod Christus hebraice loquens non dixerit, *Hoc,* sed *Hic* est corpus meum : nam 1°. sicut Hebræi genere neutro carent in pronomine, ita et in nomine : quocirca etiam *corpus* hebraice est generis masculini, et demonstrari potuit per pronomen masculinum. 2°. Potest quoque τὸ *hic* sumi adjective, ut sensus sit : hic cibus est corpus meum; sicut etiam in consecratione secunda : *Hic est sanguis meus*; vel *hic calix* Luc. 22., et 1. Cor. 11. sumitur adjective, ut sensus sit : hic potus in calice est sanguis meus. Marcus tamen, Lucas, Paulus, et Græcus Matthæi interpres in consecratione prima genere neutro utuntur ταῦτο, etsi ἄρτος *panis* apud Græcos ad masculinum genus pertineat. Sed quovis modo τὸ *Hoc* sumas, substantive, vel adjective, nihil refert; sensus erit idem : si substantive, sensus erit : Hoc contentum, hæc substantia in communi, est corpus meum : si adjective, Hoc edulium est corpus meum.

Sed *dices :* Plures Doctores etiam Catholici per τὸ *Hoc* demonstrari panem contendunt. Deinde pronomen *Hoc,* dum profertur, aliquod præsens demonstrat; sed dum profertur, panis præsens est. Demum absonum est dicere, per τὸ *Hoc* demonstrari substantiam vagam, quæ demonstrari non potest; ergo demonstrat determinate vel panem, vel corpus Christi.

Ad 1um. R. Contendunt demonstrari panem in sensu adversariorum, h. e. qui maneat panis *N.* qui non maneat panis, sed fiat corpus Christi *C.* Sensus propositionis Christi juxta Doctores Catholicos is est : *Hoc, quod in præsenti est panis, est nunc corpus meum.* Sed quid hoc adversarios juvat?

Ad 2um. R. *D*. Aliquid præsens demonstrat in recto *N*. in obliquo, quatenus demonstrat substantiam aliquam sub his determinate speciebus *C*. Nimirum hæc ipsa illa differentia est inter propositiones speculativas, et practicas, quod priores, ut : *lux est*, objectum supponant; posteriores illud efficiant, nec operentur antequam completæ sint. Igitur pronomen *Hoc* demonstrat quidem corpus Christi, sed in instanti propositionis inchoatæ istud tantum significat sub ratione confusa substantiæ præsentis, in instanti vero propositionis completæ primum determinate et clare. Nonne ita in omnibus propositionibus practicis, et quæ rerum aliquam successionem involvunt, se habet? Dicant adversarii, quid demonstrasset τὸ *hoc*, si Christus Canæ conversurus aquam in vinum, dixisset : *Hoc est vinum?*

Ad 3um. R. Rursus *D*. Absonum est, τὸ *Hoc* demonstrare substantiam vagam secundum objectum reale, seu existentem a parte rei *C*. nihil enim a parte rei indeterminatum est : secundum modum significandi ideæ quæ illud objectum repræsentat *N*. Nimirum in propositione practica pronomen illud *Hoc* primum in propositionis fine rem præsentem determinatam significat, quia tunc primum operatur objectum suum; dum igitur initio pronomen pronuntiatur, significat quidem illud etiam objectum, at non clare, quia hoc nondum realiter existit; sed solum sub ratione confusa substantiæ præsentis. Unde redit data retorsio ad objectionem præcedentem.

250. *Ad prob.* 3am. R. *N. sequel.* Non ideo propositio est continuo identica, quia subjectum est re idem cum attributo; alias foret identica hæc : *Homo est animal rationale;* illa Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus*, et similes innumeræ; sed identica propositio est, quæ non solum ex parte subjecti et prædicati exprimit idem, sed etiam eodem modo; vel quando prædicatum non affert subjecto notionem novam. Verum in propositione Christi : *Hoc est corpus meum*, per pronomen *Hoc* ex parte subjecti corpus Christi significatur tantum confuse; ex parte prædicati autem distincte et clare.

251. *Ad prob.* 4am. R. 1°. In textu græco poni tempus præsens pro proxime futuro, more in Scripturis perquam frequenti, ut sensus sit : Hoc est corpus meum, quod pro vobis proxime frangetur, non quidem quoad ossa, sed quoad carnem dilaniatam et crucifixam.

R. 2°. Frangere in Scripturis etiam pro *dare*, *distribuere* sumitur : Is. 58. 8. *Frange esurienti panem tuum.* Thren. 4. 4. *Parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.* In hac vero acceptione sensus erit : quod pro vobis *datur*, ut Lucas ait.

R. 3°. Etiam *D*. Corpus Christi verum non frangitur ratione sui *C*. specierum *N*. Dicitur frangi ratione specierum, sicut tangi, manducari, etc.

252. *Obj. II.* Nihil novi in Scripturis est, quod verbum *est* sumatur pro *significat*, nomenque rei significatæ tribuatur signo; ergo idem in verbis Christi fieri, dici poterit.

Prob. Ant. Sic 1°. Gen. 41. 26. dicitur : *Septem boves pulchræ, et septem spicæ plenæ septem ubertatis anni sunt*, h. e. *significant.* Pariter Daniel interpretans prægrandis statuæ visum Nabuchodonosori, *Tu es*, ait cap. 2. 38. *caput aureum.*

2°. Gen. 17. 10. Circumcisio pactum esse dicitur : *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum*; ubi τὸ *est* rursus signum tantum sonat.

3°. Exod. 12. De agno paschali dicitur : *est phase, seu transitus Domini* h. e. *signum transitus.*

4°. Christus Matth. 23. exponens parabolam seminis frequenter nomen rei significatæ signo tribuit, τὸ *est* usurpans pro *significat*; velut : *Semen est verbum Dei, ager est mundus. Bonum semen sunt filii regni. Zizania filii sunt nequam. Messis consummatio seculi est*, etc.

5°. Paulus 1. Cor. 10. 4. similiter de petra, ex qua Judæis in deserto profluebat aqua, loquens, *petra*, inquit, *erat Christus*. Similia plura in Scripturis occurrunt. Imo

6°. In ipsis secundæ consecrationis verbis apud Lucam : *Hic est calix, novum testamentum in meo sanguine*, ubi τὸ *est* sumitur pro *significat*; nam sensus est : est signum testamenti novi.

253. R. *N. Cons.* Ingens enim discrimen est inter propositionem Christi, et allata exempla; adeo ut hæc, nedum faveant, sed potius dogma catholicum pleraque illustrent, et firment regulam in prob. 1ª traditam. Diximus nimirum, ut signo possit tribui nomen rei significatæ, hoc debere esse cognitum, vel quia est signum rei naturale, vel arbitrarium ; sed jam in usu inter homines; vel, si prorsus incognitum sit, ac nunc primum a loquente assumptum arbitrarie, nonnisi altero de hoc monito per explicationem. At in plerisque objectis animi jam sciebant sibi signa proponi, tantumque erant solliciti, quarum rerum signa essent. Nam

254. *Quoad* 1ᵘᵐ. R. Pharao Gen. 41. quærit interpretationem somnii habiti, proinde quid boves et spicæ significent visæ per somnium. Respondet Joseph, *septem boves pulchras esse septem ubertatis annos*; ergo cum responsio ad mentem interrogantis est, facile intelligitur, per septem boves significari septem annos. Idem de Daniele est; quem interrogaverat Nabuchodonosor, quid visa statua portenderet. At quis simile quid in verbis Christi detegat? Generaliter etiam loquendo in omni visione prophetica futuræ cujusdam rei præsaga, quod menti objicitur, necessario rei alterius imago et figura esse intelligitur.

255. *Quoad* 2ᵘᵐ. R. Imprimis gratis supponitur ab adversariis, quod pactum affirmetur de circumcisione; ac si sensus esset : *Hoc* (scilicet circumcisio) *est pactum meum*; sed circumcisio solum asseritur ceu conditio pacti, et fœderis signum, ut sensus sit : Hoc est pactum meum, quod vobiscum pango, sed ea conditione, ut omne masculinum circumcidatis, quæ signum sit initi fœderis : *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos*. Deinde, esto gratis, pactum affirmari de circumcisione; hanc tamen nonnisi signum esse Scriptura explicasset : *signum fœderis*. At ubi Christus sive ante, sive post verba sua vel a longe quid de signo innuit?

256. *Quoad* 3ᵘᵐ. R. Falsum, Exod. 12. τὸ *est* sumi pro significat; sed locutio : *Agnus est phase*, seu *transitus*, est propria, et idem sonat, ac : *agnus*

est victima transitus. Nimirum solent Hebræi et S. Scriptura sacrificia denominare a rebus, quarum causa offeruntur : sic sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*, h. e. victimas pro peccato oblatas; sic dicente Apostolo : Christus *pro nobis peccatum* factus est; h. e. hostia pro peccatis nostris ; sic Luc. 22. *Necesse erat occidi pascha*, h. e. paschalem victimam. Deinde iterum, permisso gratis, τὸ *est* in objecto textu sumi pro *significat*; diligenter tamen id statim monuisset S. Scriptura v. 27., quod sit *victima transitus Domini* ; sicque rursum, ut ante, inter propositionem Christi dispar esset ratio, qui, si signum merum corporis intellexisset, id aliquo modo monuisset, imo monere debuisset ; sed ubi unquam vel ille Apostolis, vel hi nobis minimum quid de signo nudo tradiderunt?

257. *Quoad* 4um. R. Christus parabolam proposuerat; omnis vero parabola rerum aliarum nonnisi adumbratio est. Nec ignorabant discipuli, a Christo parabolam proponi ; unde dicebant : *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri;* igitur et noverant, nonnisi signa contineri in dictis Christi ; quæ etiam poscentibus ipsis exposuit, dicendo : *Semen est verbum Dei*, etc. sive per semen significatur verbum Dei. Eadem responsio ad similes locutiones parabolicas Christi inserviet, velut dum ait : *Sum ostium, via, vitis*, etc.

258. *Quoad* 5um. R. Apostolum *petram* figurate sumere, ipse Corinthiis satis declarat ; horum etiam animi jam præparati erant ipso Pauli sermone ad mysticas significationes quærendas in iis, quæ Judæis Ægypto egressis acciderant. Jam enim dixerat, omnes eos baptizatos esse *in nube et in mari*, ut innueret, figuram id fuisse nostri baptismatis : eamdem eos escam spiritalem manducasse, et potum spiritalem bibisse, scilicet in figura : petram etiam, de qua biberant, vocaverat *spiritalem;* dum proinde dixit : *petra autem erat Christus*, non poterant non intelligere Corinthii, petram fuisse figuram Christi ; præsertim cum id clare diceret subdens : *Hæc omnia in figura contingebant illis*. Nec refert, quod dicat Apostolus : *Patres nostri eamdem escam spiritalem manducaverunt ;* hi vero manducaverunt in figura : nam sensus est, quod eam escam manducaverint inter se ; non vero nobiscum quoad realitatem, etsi quoad significationem ; juxta illud Joan. 6. *Non sicut Patres vestri manducaverunt manna ;* et S. Aug. *Idem in mysterio cibus et potus illorum, qui noster; sed significative idem, non specie; quia idem ipse Christus in petra illis figuratus, et nobis in carne manifestatus.*

259. *Quoad* 6um. R. Vox *Calix* equidem tropice sumitur, continens nimirum pro contento; sed tropus hic adeo vulgaris est usus inter homines, ut ipsæ voces propriæ. Etiam Lucas se tropice loqui innuit referens Christi verba prævia : *accipite, et bibite ;* sed vas non bibitur. Item hæc sequentia : *qui pro vobis fundetur ;* sed vas ipsum non funditur. Pariter signum illud externum, quo voluntas ultima exprimitur, dici *testamentum*, neminem latet mortalium ; quin adeo communi inter homines usu e. g. scriptura qua defuncti testatoris ultima voluntas exprimitur, dici *testamentum* consuevit, ut vox ferme propria censenda sit, etsi revera instrumentum hoc scriptum ultimæ voluntatis nonnisi signum sit. Ita apud Lucam sanguis in calice contentus dum testamentum vocatur, facile erat intelligere sensum ; scilicet

esse signum fœderis novi, quo simul hoc confirmetur. Ac tandem id planius faciunt Matthæus et Marcus dicendo : *Hic est sanguis meus novi Testamenti.*

260. *Obj. III.* Alia Scripturæ loca cogunt verba Christi in figurato sensu accipere; ergo.

Prob. Ant. 1°. Etsi Christus Joan. 15. 1. de se dicat : *Ego sum vitis vera ;* figura tamen subesse intelligitur; ergo etiam dum dixit Joan. 6. *Caro mea vere est cibus,* Matth. 26. *Hoc est corpus meum.*

2°. Post consecratum calicem ; quod in eo contentum erat adhuc vinum vocat *genimen vitis* Matth. 26. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

3°. S. Scriptura negat, Christum post suum in cœlos ascensum amplius in mundo permansurum Joan. 12. *Me non semper habebitis*. Joan. 16. *Relinquo mundum ;* ergo non est in Eucharistia realiter præsens.

261. R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. *C. Ant. N. Cons.* Nam cum Christus se vitem veram diceret, continuo, quo sensu loqueretur, exponebat ; nimirum, quod comparationem institueret se inter et vitem quoad quasdam ejus proprietates, itaque se locutum metaphorice; subdit namque : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis*, etc. Nunquam vero Christus, vel Evangelistarum aliquis verbulo innuit, verba Eucharistiæ institutæ sensum habere figuratum. Præterea passim, quando Christus loquebatur sub metaphora aut parabola, verum sensum ex ejus sermone licuit intelligere ; velut cum diceret : *Pater meus agricola est* Joan. cit. cap. 15. v. 1., *Ego sum ostium*, Joan. 10. 7., *Sum Pastor bonus*, ibid. v. 14., etc.

Demum observamus, aliud esse metaphoram et parabolam ; aliud propositionem, in qua signo nomen rei significatæ tribuatur ; non enim ab uno genere ad aliud tenet consequentia. Poterat proinde dicere Christus : *Sum vitis, ostium,* etc. ob similitudinem quamdam, quam cum his rebus habet. At poteratne pari cum veritate dicere, digito quamdam vitem demonstrans, aut ostium : *Christus est hæc vitis : est hoc ostium?* vel vice versa : *Hæc vitis est Christus : Hoc ostium est Christus?* Minime sane. Igitur et inter ipsas propositiones et locutiones diversitas est.

Ad prob. 2am. R. 1°. Cum S. Fulgentio epist. 14. ad Ferrandum, q. 5. n. 43. aliisque, verba objecta pertinere ad calicem paschalem, quem ritu Judæorum ante Eucharisticam cœnam hauserat Christus, ut ex S. Luca colligere est, qui verba illa aperte calici paschali tribuit cap. 22. v. 17.

R. 2°. Dato, quod ad calicem Eucharisticum pertineant, dici potest, calicem consecratum dici *genimen vitis*, quia ex vino factus, et ob vini species, sicut 1. Cor. 10. corpus Christi *panis* dicitur, quia ex pane est, remanentque panis species. Sic Exod. 7. serpens a Moyse productus appellatur virga, quia ex virga factus.

Ad prob. 3am. R. Scriptura negat tantum, Christum non permansurum in mundo modo visibili, ac naturali, quo solebat ante conversari inter homines. Sed hoc non obstante esse potest in Eucharistia sacramentaliter, et invisibili

modo. Et vero qui dixerat : *relinquo mundum*, etiam promiserat : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. 20.

Objectiones ex ratione petitas, quibus probare nituntur adversarii implicantiam præsentiæ realis Christi in Eucharistia, solutas vide cap. seq., ubi de modo existentiæ Christi in Eucharistia disseremus.

ARTICULUS III.

AN EX NON INTERRUPTA TRADITIONE HABEATUR REALIS CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI IN EUCHARISTIA PRÆSENTIA?

Cum, ut ex disputatis hactenus vidimus, adversarii sui præsidium erroris in Scripturis non habeant, ad priorum seculorum Patres confugiunt, quos, qui primis quinque seculis floruerunt, uno omnes ore sibi patrocinari jactant Sacramentarii cum Boquino L. de cœn. Dom., Calvinistæ cum Calvino in Admonit. ult. ad Wesphalum, ac Petro Martyre Præfat. Defensionis contra Gardinerum. Sequentium seculorum Scriptores non æque reverentur. Nimirum in sec. VII. circa an. 636. primum Anastasium Sinaitam fuisse, qui prima realis præsentiæ fundamenta jecerit, Blondellus Calvinicola in paucis strenuus contendit. Alii cum Claudio præcone Calvinista primum dogmatis de reali præsentia fundatorem Paschasium Radbertum Corbeiensis monasterii abbatem volunt circa annum 831. in edito Libro de corpore et sanguine Domini, jactaque ab eo erroris zizania ita sensim in Ecclesiæ agro dormientibus pastoribus se diffudisse, ut, cum sec. XI. Berengarius repurgandam ab errore Ecclesiam suscepisset, ceu hæreticus damnaretur. Verum feliciusne ad primos Ecclesiæ Patres, quam ad S. Scripturam provocent, mox patebit.

262. *Dico*. Dogma catholicum de reali Christi in Eucharistia præsentia invicte ex SS. Patrum omnis ævi consensu elucet. Ne vero in iis referendis modum excedamus, et propositos limites scholastici tractatus; ex quolibet seculo paucos seligemus, Patres deinde universim certas ad classes revocaturi. Igitur,

Seculo II. S. Ignatius M. epist. ad Smyrnæos c. 7. catholicum dogma nitide refert, *Hæretici*, inquiens, *ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est*. Hæc vero epistola una ex S. Martyris epistolis genuina est; quod et ostendi dissert. 1ª. de sacram. Ordin. Ergo in sec. I. Ecclesia Eucharistiam Christi veram esse carnem credidit. Obiit autem Romæ S. Martyr initio sec. II. an. 108.

S. Justinus Apol. 2ª. (al. 1ª. n. 65.) ad Antonin. Imp. scripta circa ann. 150. *Quemadmodum*, inquit, *per verbum Dei caro factus est Jesus Christus, Salvator noster, et carnem et sanguinem salutis nostræ causa habuit; ita etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus*; scilicet ex verbis Christi instituentis Eucharistiam, ad quæ deinde appellat. Hic vero distinctio illa de

figura corporis locum non habet; nam ait S. Pater, sic carnem Christi et sanguinem esse in Eucharistia, sicut carnem et sanguinem assumpsit incarnatus; ergo ut vere, non figurate carnem induit in incarnatione; sic vera, non figurata caro in Eucharistia est. Comparatio vero JUSTINI præcise ad veritatem et realitatem carnis in utroque mysterio instituitur; quia JUSTINI scopus tantum erat, edocere Imperatorem et Senatum Romanum, quid rei in Eucharistia manducarent Christiani. Unde hinc Lutheranus male inferret : ergo sicut in incarnatione divinitas non est conversa in carnem; sic substantia panis in Eucharistia non convertitur in Christi corpus; quia, quo modo vera Christi caro in Eucharistia sit, S. Pater enucleatius exponere non intendebat.

Sed, *inquies,* JUSTINUS ibi Eucharistiam *alimoniam* vocat, ex qua sanguis et caro nostra per mutationem aluntur; quod Eucharistiæ, si ea sanguinem Christi verum, veramque carnem continet, convenire non potest.

R. S. JUSTINUM non asserere, Eucharistiam ipsam esse alimoniam, vel cibum, ex quo per mutationem, ut in cibis vulgaribus fit, nostra aluntur corpora; sed cibum, ex quo sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, fieri Eucharistiam, et Eucharistiam esse corpus Christi factum, et sanguinem. Cæterum an et quomodo vis nutriendi etiam Eucharistiæ insit, exponetur cap. seq.

SECULO III. S. IRENÆUS contr. hæres. L. 4. c. 18. n. 5. *Quomodo,* ait, *rursus dicunt* (Valentiniani) *carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ corpore Domini et sanguine alitur?... Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti : sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.*

CLEMENS Alexandrinus Pædag. L. 1. c. 6. (opp. p. 102. B. C. edit. Morelli Paris. 1629.) : *Una,* inquit, *sola est mater virgo; mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habet mater hæc sola, quia sola non est mulier... Ideo autem lac non habuit, quod lac esset hoc infantulum et pulchrum atque appositum corpus Christi, Verbo nutriens novellam congregationem, quam ipse Dominus carnali labore peperit, et quam ipse fasciis alligavit Dominus pretioso sanguine suo. O sanctum partum! o sanctas fascias! Verbum est omnia infanti, et pater et mater, et pædagogus, et altor. Comedite, inquit, meam carnem, et bibite meum sanguinem. Hæc apposita et convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem præbet, et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantulis.*

TERTULLIANUS L. de Idololatria cap. 7. invehens in idolorum artifices, qui manibus hoc scelere inquinatis ad Eucharistiam accedebant, inquit : *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum... attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum... eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt... Proh scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt; isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!* Comparat hic TERTULLIANUS crimen istorum artificum corpus Christi sumentium cum illo Judæorum idem corpus sacrilege contrectantium; ergo Eucharistia non mera figura est; lata enim differentia est inter scelus, quo persona ipsa Christi, ejusve verum corpus, ac illud quo inanis figura Christi,

liber Evangeliorum, imago aliqua dehonoratur; sicut non est proportio inter crimen, quo persona regis ipsa læditur, et quo ejus imago aliqua vel statua. Sed luculentius L. de Resurrect. carn. cap. 8. nostrum dogma exprimit : *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur... Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Dixit vero *carnem vesci*, quia sumitur ore; ergo non spiritualiter solum, sive sola fide, sed etiam materialiter, sive realiter sumitur Christi corpus; secus non posset dici, quod *caro* vescatur, quæ incapax est apprehensionis corporis Christi per fidem.

Origenes homil. 7. in Num. n. 3. (opp. t. 2. p. 290. A.[1]), *Tunc*, ait, *in ænigmate erat manna cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit : Caro mea vere est cibus.* Clarissima hæc Origenis verba nec commentario egent; nec ullam patiuntur exceptionem contrariam.

S. Cyprianus L. de lapsis n. 15. 16. eorum crimen, qui in persecutione metu tormentorum fidem negarant, ac postea ab idolorum cultu redeuntes, nondum purgati pœnitentia accedebant ad Eucharistiam, ita proponit : *Domini corpus invadunt... Vis infertur corpori ejus et sanguini : et plus modo in Deum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.* Ergo certo credebat Cyprianus, non solam figuram corporis Christi esse in Eucharistia, sed ipsum re; quomodo enim levius peccasse eos dicere potuisset, cum Christum abnegarent, idola colerent, quam dum inanem Christi figuram indigne contrectabant?

Seculo IV. Patres Nicæni cap. 18. contra Diaconos sic statuunt; *Neque canon, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent corpus Christi.*

S. Hilarius de Trinit. L. 8. n. 13. *Si vere*, inquit, *Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est* (Christus)?

S. Cyrillus Hierosolym. Catech. mystag. 4. n. 1. 2. ait : *Cum ipse* (Christus) *pronuntiaverit, et dixerit de pane : Hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit : Hic est sanguis meus, quis unquam dubitaverit, non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilææ transmutavit; et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit.* Tum addit n. 3. *Cum omni certitudine ea tanquam corpus ipsius et sanguinem sumamus.* Et n. 9. *Isthæc edoctus et firmissima imbutus fide, quod qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed sanguis Christi... confirma cor tuum.* Hic sane vulgaris distinctio de figura penitus eliditur, omneque præcluditur effugium.

Hinc ad desperantium delapsi medium, negant Catecheses illas S. Cyrilli esse, quod stylus in Catechesibus mystagogicis non sit omnino similis stylo ejusdem Patris in Catechesibus illuminatorum, sive baptizandorum, sed præ hoc aliquanto elevatior.

Verum 1°. ante recentiorum Calvinistarum quorumdam ætatem tota semper Ecclesia Catecheses mystagogicas Cyrillo Hierosolym. tribuit. 2°. S. Cyrillus ipse Catech. ult. ad Illuminat. disertè promittit se alias post

pascha daturum Catecheses ; nullæ vero aliæ nominari possunt, quam mystagogicæ. 3°. Nihil valet allata ratio; Catecheses enim illuminatorum pro baptizandis adornaverat ; mystagogicas pro baptizatis ; quid mirum, si pro his stylo aliquando sublimiore uteretur? Iis, qui instruuntur, ceu pueris, *quibus lacte opus est,* prima fidei elementa styto simplici tradere omnes solemus.

S. Gregorius Nyssen. orat. Catech. cap. 37. (opp. t. 3. p. 104. C.) : *Recte,* inquit, *Dei verbo sanctificatum panem in corpus Dei Verbi transmutari credo.* Et paulo supr. (ibid. p. 102. D.) quæstionem quam in hoc cap. 37. tractandam susceperat, ita definit : *Oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque , et ipsum in se totum maneat.* Hanc autem quæstionem eo modo solvit (ibid. p. 105. A.) : *Per suæ gratiæ dispensationem, se per carnem inserit omnibus credentibus, commixtus et contemperatus corporibus credentium... ut unione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat, virtute benedictionis, in illud transelementata eorum quæ apparent natura.*

S. Ambrosius L. de Mysteriis cap. 9. in eo totus est, ut realem Christi præsentiam in Eucharistia commonstret. *Forte,* ait, *dicas : Aliud video, quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis ! probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Tum exemplo virgæ Moysis in serpentem mutatæ, et hujus rursum in virgam commutatione, variisque exemplis aliis transmutationum prodigiosarum, subdit n. 52. *Non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?... Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare , quod non erant? Non enim minus est, novas rebus dare, quam mutare naturas.* Et n. 53. *Præter naturæ ordinem Virgo generavit ; et hoc quod conficimus corpus , ex Virgine est.* Quid contra utrumque textum S. Gregorii , et S. Ambrosii opponant adversarii., nec vidi hactenus; nec quid opponi possit, video.

Seculo V. S. Chrysostomus homil. 82. in Matth. n. 4. (opp. t. 7. p. 787. C.) ait : *Credamus ubique Deo, etiamsi sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit... nam verba ejus fallere non possunt; sensus vero noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ipse dixit : Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate.* Et inf. n. 5. (ib. p. 788. C.) *Quis pastor unquam propriis membris oves nutrivit? Et quid dico pastores? Multæ matres sæpe aliis nutricibus infantes dederunt ; ipse vero non ita ; sed ipse nos sanguine proprio nutrivit... Non sunt virtutis humanæ hæc opera. Qui tunc in illa cœna ea confecit, nunc quoque operatur. Ministrorum nos ordinem tenemus ; qui vero hæc sanctificat et transmutat, ipse est.* At ipsi Catholici loqui non possunt apertius. Similia vero habet Homil. 24. in cap. 10. epist 1. ad Cor. n. 1. et 2. (opp. t. 10. p. 212. 213.) et Homil. 46. in Joan. n. 3. (opp. t. 8. p. 272.)

S. Augustin. Conc. 1. in Ps. 33. n. 10. exponens illud : *Et ferebatur in manibus suis,* juxta versionem LXX. *Quis,* inquit, *portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo*

intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus : in Christo autem invenimus ; ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait : Hoc est corpus meum ; ferebat enim illud corpus in manibus suis. Et L. 9. Conf. cap. 13. de matre sua S. Monica inquit : *Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit... unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum peccati ;* sed victima illa fuit ipsa Christi caro ; ergo juxta Aug. ipsa vera Christi caro dispensabatur in altari.

S. Cyrillus Alexandrinus in Joan. L. 3. : *Quocirca nos corpus et membra Christi nuncupamur, ut qui per Eulogiam ipsum in nobis suscipimus Filium.. Quemadmodum enim si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera esse videbit : eodem, opinor, modo, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, et bibit ejus pretiosum sanguinem, ut ipse ait, unum cum eo reperitur, commixtus quodammodo et immixtus ei per illam participationem, ita ut in Christo quidem ipse reperiatur, et vicissim Christus in eo.*

Seculo VI. S. Cæsarius Arelatensis hom. 5. de Pasch. *Cum reverendum altare cibis satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe... ad cognoscendum et percipiendum sacrificium veri corporis, ipse* (Christus) *te roboret, et potentia consecrantis invitet... Eucharistiæ sacra perceptio non in quantitate, sed in virtute insistit... Corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. Quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis... De hoc pane cum assumitur, nihil minus habent singuli, quam universi. Totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt : quia benedictio hujus sacramenti scit distribui, nescit distributione consumi.*

Plura Patrum testimonia qui volet, apud Bellarm. comperiet. Nunc methodo breviore Patres universim ad certas classes reducimus, quo amplius patescat traditio.

263. I. Patres tradunt panem *transmutari* in Christi corpus ; sed hoc falsum esset, si in Eucharistia sola adesset substantia panis, ceu mera figura. *Maj.* constat ex S. Cyrillo Hierosolym. catech. mystag. 4. ; S. Ambrosio de mysteriis c. 9., S. Greg. Nyss. orat. catech. cap. 37. ante laudatis.

II. Docent, in Eucharistia pro figuris antiquæ Legis rem et veritatem haberi ; sed si Eucharistia nonnisi figura corporis Christi esset, non subsisteret doctrina Patrum. *Maj.* patet ex Origene hom. 7. in Num. supra cit. ; S. Cyrillo Hierosolym. catech. mystag. 4. n. 5. 6. *Erant in veteri Testamento panes propositionis... At in Lege nova panis cœlestis, poculumque salutis animam et corpus sanctificant.... Ne ergo consideres tanquam panem nudum : corpus enim est et sanguis Christi secundum ipsius Domini verbum.*

III. In explicando Eucharistiæ mysterio ad omnipotentiam divinam confugiunt, S. Justinus laudata Apol. 2. (al. 1ª.), S. Cyrillus Hierosolym cit. catech. 4. supra, S. Ambrosius ante relatus L. de mysteriis cap. 9. Quibus accedit auctor antiquus sermonis de cœna Domini, inquiens (opp. S. Cypriani p. 329. edit. Rigalt. Paris. 1666.) : *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est*

caro. Sed, si Eucharistia figura esset inanis Christi carnis, quid necesse erat ad omnipotentiam divinam, ad stupendum prodigium recurrere, simile mysterio incarnationis, aquæ in vinum conversæ, productionis mundi ex nihilo?

IV. Exigunt, ne credatur sensibus deceptioni obnoxiis, sed Christi verbis; propter hæc ne dubitetur de veritate et præsentia corporis et sanguinis Christi; S. Cyrillus cath. 4. cit., S. Chrysostomus homil. 82. cit., Hilarius L. 8. de Trinit. n. 14., S. Ambrosius de mysteriis cap. 9. Sed lepide hoc exigerent in figura vacua, et ipsa re inani, vel nudo corporis signo.

V. Dicunt, corpus Christi idem esse in Eucharistia, quod natum ex Virgine, passum, ut S. Ignatius M. epist. ad Smyrnæos cit., S. Ambrosius passim. Unde in formula, cui an. 1079. subscribere Berengarius jussus, aperte dicitur (Labb. t. 10. p. 378.) : *Post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine,* etc.

VI. Demum Eucharistiæ ea tribuunt, quæ figuræ inani repugnant, et nonnisi soli veroque Christi corpori conveniunt; ut 1°. quod adorandum sit, ut S. Aug. in Ps. 98. laudatus supra, aliique; 2°. quod nobiscum maneat in altari : *Quid est altare,* ait S. Optat. Milevitan. L. 6. de Schism. Donatist. contr. Parmen. num. 1. *nisi sedes et corporis et sanguinis Christi?* 3°. quod sedulo cavendum sit, ne quid tanti doni in terram decidat, S. Cyril. catech. mystag. 5. n. 21.; 4°. quod mysterium Eucharistiæ incomprehensibile sit, nec credi possit, nisi contra rationem pugnetur, S. Cyril. catech. 4., S. Chrysost. homil. 82. in Matth. supr. cit.

264. *Obj. 1.* Ex Origene, qui Comm. in Matth. L. 11. n. 14. (opp. t. 3. p. 499. A. edit. Ruæi.) ait 1°. *Quod sanctificatum est per verbum Dei, et orationem, non ex se utentem sanctificat*; sed sanctificaret ex se utentem, si verum Christi corpus in Eucharistia esset.

2°. Ibid. inquit : *Neque bono aliquo privamur ex eo, quod non comedamus, de pane per verbum Dei et orationem consecrato... Neque ex eo, quod comedamus, bono aliquo abundamus.* Atqui maximo privaremur bono, si corpus Christi realiter præsens esset, nec comederemus; et, si comederemus, abundaremus bono; ergo.

3°. Rursus ibidem asserit : *Cibus ipse per verbum Dei et orationem consecratus secundum illud quidem ipsum quod materia constat, in ventrem abit*; ergo panis necesse est in Eucharistia sit.

Ad 1um. R. Sermo est de utente indisposito, quem, sicut quodlibet sacramentum aliud, Eucharistia ex se non sanctificat. Responsio ex contextu constat; subdit enim : *nam si id ita esset, sanctificaret et illum, qui indigne Domino comedit; nec ullus propter cibum infirmus factus fuisset, aut imbecillis, aut mortuus... Proinde in pane Domini utilitas est ei, qui utitur cum intemerata mente, et pura conscientia panis fit particeps.*

Ad 2um. R. Iterum sensus est, nos non privari bono aliquo, propterea quod non comedamus indispositi, sive indigni; ita enim comedendo peccaremus : nec abundare nos bono, si comedamus indispositi; eo quod sic potius peccemus : aliter vero se habet si comedamus, ut par est, dispositi. Rursus constat responsio ex verbis finalibus textus, quæ plerumque ab adversariis non

bona fide reticentur : *Nam causa privationis,* subdit, *malitia est et peccata, et abundantiæ causa justitia est.* Hinc ad *min.* patet responsio.

Ad 3um. R. *N. Cons.* Per materiam intelliguntur accidentia, quæ ab auctore dicuntur materia 1°. quia materiam panis repræsentare videntur sensibus ; 2°. quia habent rationem materiæ, non quidem respectu formæ alicujus substantialis, sed verborum, vel significationis sacramentalis ; 3°. quia videntur habere effectus eosdem quoad nutritionem et similia, quos haberent, si adhuc panis adesset substantia ; licet effectus illos substantiæ panis alias proprios potius loco ejus substantiæ præstet Deus.

265. *Obj. II.* Ex S. Augustino. 1°. Epist. 146. (al. 205. n. 3.) ad Consentium dubitat, an corpus Christi in cœlo habeat sanguinem ; qua ratione igitur adeo indubitate asseritur Christi sanguis in Eucharistia ?

2°. L. contra Adimantum Manichæum cap. 12. n. 3. inquit : *Non Dominus dubitavit dicere : Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui ;* ergo Eucharistia nonnisi signum corporis Christi est.

3°. Epist. 23. (al. 98. n. 9.) ad Bonifacium ait, sacramentum corporis Christi ita se habere ad Christi corpus ipsum, sicut sacramentum fidei, sive Baptismus ad fidem : sed hic non semper signum est actualis fidei ; ergo.

Ad 1um. R. *D.* Dubitat, an habeat sanguinem quoad substantiam *N.* quoad qualitates, alterationi subjectas, corruptibilitatis, etc. *C.* De hoc enim eum interrogaverat Consentius ; sed affirmare non volebat, ne hinc sumeretur occasio inferendi, corpus Christi esse corruptibile, quod nolebat Aug. dici ; hinc addit : *sed quodlibet quisque addat, corruptionem addere caveat.*

Ad 2um. R. *Explico cum D.* Cum signum daret nudum et inane *N.* conjunctum cum re significata, sive ipso Christi corpore *C.* Signum corporis Christi in Eucharistia sunt species visibiles, sub quibus tamen ipsum latet ; hoc vero signum dixit corpus suum, scilicet, sicut alias, res significata de ipso signo prædicatur. Confer dicta de S. Patre in prob. Conclus.

Ad 3um. R. *D. M.* Ita se habere in omnibus *N.* in aliquibus, ut poscebat præsens quæstio *C.* Quæsierat ex Aug. Bonifacius, cur in baptismo nomine parvuli sponsores dicerent : *Credo,* etsi infans per ætatem credere non possit ? Respondet Aug., infantem dici posse fidelem, vel fidem habere, quia habet sacramentum fidei, nempe baptismum... *sicut secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est.* Unde comparatio in hoc sita est, quod, cum de signo vel eo quod in sacramentis similitudinem habet cum re significata, ipsa res significata dici possit, sicut *sacramentum,* h. e. signum sive species sensibiles, corpus Christi aliquando dicuntur ; ita baptismus possit dici fides, quia est sacramentum, vel signum fidei, et qui proinde baptismum habet, ut infantes, habere fidem dici possit, de quo solo fuerat interrogatus ; unde hic non intendebat exponere, quomodo Eucharistia signum esset corporis Christi, præsentis, vel absentis.

266. *Obj. III.* Facundus Hermianensis, in opere, quod sexto scripsit seculo pro defensione trium Capitulorum, præsertim Theodori Mopsuesteni, Christum Filium Dei adoptivum asserentis, ait L. 9. c. 5. sic eum dici, eo quod sacramentum perceperit adoptionis, quando circumcisus et baptizatus est, ac subdit : *Potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut sacra-*

mentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem dicimus : non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant... Quocirca sicut Christi fideles sacramentum corporis et sanguinis ejus accipientes, corpus et sanguinem Christi recte dicuntur accipere ; sic et ipse Christus sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse. Sed in hoc ratiocinio supponit, corpus Christi realiter in Eucharistia præsens non esse; ergo.

R. *N. min.* Ratiocinium enim erat hoc : Ille est filius adoptivus, qui adoptionem suscepit : atqui Christus baptismum suscipiendo suscepit adoptionem ; quia recte adoptionem suscipere dicitur, qui signum adoptionis, sive baptismum suscipit, sicut fideles, dum signum corporis Christi suscipiunt in Eucharistia, dicuntur suscipere Christi corpus. Sed ex hoc discursu præsentia realis corporis Christi non modo non negatur, sed potius asseritur ; sicut enim, quæ mens Facundi erat, baptismus sic est sacramentum, vel signum adoptionis, ut hanc non significet solum, sed vere etiam contineat, conferatque ; sic panis, hujus nimirum species, licet proprie non sit corpus Christi, dicitur tamen corpus Christi, quia ejus est signum, non nudum, sicut nec baptismus nudum signum adoptionis est, sed conjunctum cum re.

Verissime etiam dixit, *non esse proprie corpus Christi panem,* quia 1°. panis *consecratus*, de quo loquitur, non est panis in substantia, sed ejus tantum species. 2°. Quia etiam species secundum se non sunt, loquendo proprie, Christi corpus, sed denominative solum, eo scilicet modo, quo signa alias nominibus rerum, quas significant, insigniri solent.

At, ne longius, quam par sit, poscatque necessitas, moremur in solvendis objectionibus cæteris, quæ ex Patribus depromuntur, ac ferme sine numero consarcinantur ab adversariis, regulas quasdam generales statuere visum, ex quibus objectiones cæteræ singulæ ad genuinam Patrum mentem solutionem capiant.

267. Regula I. Subinde a Patribus Eucharistia *signum, figura* corporis Christi dicitur. Sic in specie Tertullianus L. 4. contra Marcion. L. 4. c. 40. inquit : *Acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei.*

Sic vero dicitur 1°. ratione specierum, sicut etiam dicitur veritas ratione substantiæ corporis Christi, Can. 72. Dist. 2. de Consecr. ex S. Aug. (ex Paschasio Ratberto L. de corpore et sang. Domini c. 4. n. 12.) : *Corpus Christi et veritas et figura est, veritas, dum corpus Christi et sanguis, virtute Spiritus sancti in verbo ipsius ex panis et vini substantia efficitur. Figura vero est id quod exterius sentitur.* Unde et Hugo Victorin. ait : *Tria sunt in hoc sacramento : species visibiles, veritas corporis et virtus gratiæ spiritualis, quæ cum corpore et sanguine invisibiliter percipitur.* Ideoque species visibiles vocat veri corporis et sanguinis sacramentum.

2°. Ratione corporis mystici Christi, Ecclesiæ, cujus unitas per panem ex multis granis confectum, et vinum ex multis racemis expressum repræsentatur; et ita aliquando S. Aug. exposuit Tract. 26. in Joan. n. 17.

3°. Ratione corporis Christi in cruce immolati, et existentis in cœlo ; etsi

enim idem corpus Christi sit existens in Eucharistia, immolatum in cruce, et nunc existens in cœlis; non est tamen idem status, et sic idem sui ipsius diverso respectu esse signum et figura potest; etsi enim Christus nunc amplius mori non possit, nec realiter separari sanguis ejus a corpore; in Eucharistia tamen vi verborum ponitur formaliter ipsum corpus in consecratione prima, sicut in secunda sanguis; et ita quasi in statu mortuo; etsi nec corpus sine sanguine unquam, nec hic sine illo sit. Atque vel hoc posteriore, vel primo sensu Tertul. accepisse figuram dici potest; idque apposite ad ejus scopum, qui voce *figura* contra phantasiastas, qualis Marcion erat, constanter utitur ad probandam veritatem, negans figuram dari, nisi veritatis; hinc ex illo Apostoli : *In similitudinem hominum factus*, probat veritatem carnis Christi; quia alias sequeretur, Christum nec Deum verum esse, eo quod dicatur *imago et figura substantiæ Patris* : unde et L. 5. contra eumd. Marcion. cap. 8. inquit : *Panis et calicis sacramento jam in Evangelio probavimus corporis et sanguinis Dominici veritatem.*

Spectato tamen contextu penitius, hæc, *id est, figura corporis mei,* non ad *corpus*, sed ad *hoc* referri debent, ut sensus sit : Hoc, quod in Lege veteri erat figura corporis mei, nunc est corpus meum; proinde per figuram hyperbaton hic locutus est. Et revera hunc esse ejus sensum, patet 1°. ex immediate sequentibus : *figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus;* ubi hæc, *non fuisset,* temporis præteriti, clare indicant ipsum loqui respective ad Testamentum vetus, in quo dicit panem fuisse figuram corporis Christi, et vinum sanguinis; non respective ad panem Eucharisticum; secus non dixisset, *fuisset,* sed *esset.* 2°. Ex Tertulliani scopo : probat enim ibi, Christum habuisse verum corpus non figuram corporis contra Marcionem, quia corpus Christi in Testamento veteri præfiguratum fuit in pane apud Isaiam, et sanguis in vino, Is. 63. et Gen. 49. non vero datur figura nisi veritatis.

Unde ratiocinium Tertulliani tale est : Corpus Christi in Eucharistia est corpus verum, quia præfiguratum fuit in *pane* apud Isaiam, *figura vero non datur nisi veritatis; et vacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest;* ergo corpus Christi non est phantasticum. Idem probat ex veritate sanguinis in Eucharistia sic : Verus sanguis non est nisi veræ carnis, juxta illud Tertulliani : *probatio carnis de testimonio sanguinis,* etc. Sed in Eucharistia est verus Christi sanguis; quia fuit præfiguratus in vino Is. 63. Gen. 49. *Lavabit in vino stolam suam;* non datur vero figura nisi veritatis; ergo Christus veram carnem habuit.

268. Regula II. Eucharistia etiam post consecrationem aliquando *panis, fractio panis, sacramentum panis* appellatur, 1°. quia est panis non materialis, sed spiritualis, sive quia corpus Christi nutrimentum est animæ, ut ait Auctor antiquus serm. de cœn. Dom. inter opera S. Cypriani : *Hoc sacramentum aliquando carnem et sanguinem, aliquando corpus suum, aliquando panem Christus appellat. Panis dicitur propter nutrimentum vitæ; caro et sanguis propter veritatem naturæ; corpus propter unitatem substantiæ;* 2°. quia remanent species panis; 3°. ratione materiæ, quæ in Christi corpus est conversa. Sic Exod. 7. 12. de virga Aaronis jam in serpentem conversa

dicitur, quod devoravit virgas magorum : *Devoravit virga Aaron virgas eorum.*

269. Regula III. Post consecrationem adhuc subinde *typus, imago* corporis et sanguinis Christi dicitur Eucharistia. Sic S. Ambros. L. 1. de Offic. cap. 48. n. 238. et in Ps. 38. n. 25. inquit : *Umbra in Lege; imago in Evangelio; veritas in cœlestibus.* Et S. Hieron L. 2. advers. Jovinian. eum sic loquentem inducit, quin idcirco reprehendat. : *Dominus in typo sanguinis sui non obtulit aquam, sed vinum.* At ita dicitur 1°. sicut supra signum et figura : 2°. in specie, offerri *in imagine,* quia offertur sub aliena specie; hæc autem oblatio non cuicumque veritati opponitur, sed veritati sub propria specie manifestatæ, quæ nonnisi in cœlestibus est ; unde ibidem ait Ambros. : *Ante agnus offerebatur... nunc Christus offertur; sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem.*

270. Regula IV. Quidam Patres negant, Eucharistiam post consecrationem dici posse *antitypon;* affirmant alii. Sed differentia hæc a diversa vocis acceptione oritur. Nam *antitypon* pro figura rei absentis, vel adhuc futuræ sumi potest. Sic Apostolus sancta Testamenti veteris vocat antitypa verorum, sive futurorum Testamenti novi. Hoc sensu equidem panis et vinum ante consecrationem dici possunt antitypa corporis et sanguinis Christi ; minime vero Eucharistia ipsa jam consecrata ; cum in hac sub speciebus Eucharisticis jam sit realiter ac substantialiter præsens corpus Christi et sanguis. Atque hoc sensu quidam Patres negant Eucharistiam post consecrationem posse dici antitypon. Verum præter hanc acceptionem multiplex alia est vocis antitypon, in qua Eucharistiæ consecratæ applicari potest.

Nam 1°. *antitypa* dicuntur, quæ typum et formam eamdem referunt, velut autographum et transsumptum. Et sic Christus in Eucharistia potest dici antitypon respectu sui ipsius pro alio statu, nimirum ut immolati in cruce ; sicut supra de *figura* dictum.

2°. Antitypa etiam dicuntur, quæ erant præfigurata, nuncque existentia sunt, ac figuræ suæ opponuntur. Sic Lex nova dici potest antitypa veteris ; et veritas in re existens per figuras in Lege veteri præsignata. Hoc etiam sensu Eucharistia dici antitypon potest ceu veritas nunc existens, olim præfigurata per manna, panes propositionis, sacrificium Melchisedechi.

3°. Eucharistia etiam potest dici antitypa respectu alicujus futuri, non quidem corporis et sanguinis Christi, sed quatenus futuram significat gloriam, cujus pignus est; sicut sacramenta alia, præterquam quod sint signa practica gratiæ præsentis, simul signa prognostica sunt futuræ gloriæ. Singulari tamen modo hoc Eucharistiæ competit. Unde S. Joannes Damascen. L. 4. de fide c. 13. postquam dixisset, S. Basilium in Liturgia panem et vinum vocasse antitypa ante, non post consecrationem, subjungit : *Figura porro rerum futurarum idcirco dicuntur; non quod non vere corpus et sanguis Christi sint; sed, quod nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per solum aspectum, sive visionem intuitivam, beatificam.*

271. Regula V. Patres aliquando dicunt, carnem Christi esse manducandam *spiritualiter;* 1°. ut opponant manducationem carnis Christi manducationi cruentæ Capharnaiticæ, juxta dicta Art. 1. 2°. Ut innuant, corpus Christi Eucharisticum cibum esse spiritualem animæ, non corporis, nisi ratione specierum. 3°. Intelligunt idem ac invisibiliter. 4°. Ut indicent, manducationem carnis sine fide, dispositione, devotione non conferre spiritualem fructum, ut τὸ *spiritualiter* sumit Aug. Tract. 26. in Joan. *Qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem* (scilicet, fructuose) *licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta.*

272. Regula VI. In sec. IX. et postea quidam negabant, quidam affirmabant, carnem Christi in Eucharistia eamdem esse, quæ nata ex B. Virgine, crucifixa, resurrexit. Sed sola disputatio erat, non de carne Christi quoad substantiam, sed quoad affectiones, statum, ut ex dicendis in sequenti Art. patebit.

ARTICULUS IV.

AN ET QUOMODO REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA PRÆSENTIA EVINCATUR ARGUMENTO A PRÆSCRIPTIONE?

Duplici via fidei nostræ veritas demonstrari adversus hæreticos potest 1°. via discussionis; 2°. præscriptionis. Via discussionis est, cum momenta singillatim pro et contra discutiuntur; quam hactenus partim tenuimus. Brevior via præscriptionis est. Hæc tamen hic non stricte accipitur pro exceptione peremptoria, ex jure positivo humano orta, qua omne jus et actio actoris quoad res temporales eliditur et perimitur; sed analogice ad normam prioris in materia dogmatica præscriptio dicitur, dum adversario opponitur, perpetuum hunc totius Ecclesiæ sensum fuisse, sicque dogma quod defenditur in possessione manere, eo ex validissimo capite, quod Ecclesia tota ob promissam Spiritus sancti assistentiam labi in errorem non possit. Maximi hoc argumentum Tertullianus fecit; unde librum de præscriptionibus adversus hæreses conscripsit sui temporis, quo, ceu methodo stricta æque ac brevi, adversarios ad silendum adegit.

273. *Dico.* Nemo in Ecclesia ante sec. IX. vel inficiatus est, vel impugnavit præsentiam realem Christi in Eucharistia; sed ea omnium Ecclesiarum constanti et unanimi fide credita fuit; ut adeo sic solo argumento a præscriptione constet de veritate catholici dogmatis.

Prob. 1ª. *p.* 1°. Nullus enim Patrum, etsi, ut vidimus Art. præcedentibus, crederent realitatem præsentiæ Christi in Eucharistia, unquam contra quempiam contrarium asserentem vel scripto, vel voce, vel intra, vel extra Concilium aliquod disputationem habuit. Nec Hæresiologi, qui de hæresibus scripsere, ut Irenæus, Tertul., Philastrius, Epiphan., Aug., Theodoret., Joann. Damascen., etsi quorumdam hæreticorum abusus et errores circa alia, quæ ad Eucharistiam pertinent, solerter notarint, aliquando vel unius me-

minerunt, qui realitatem præsentiæ Christi in Eucharistia in se, aut directe negasset.

2°. In sec. IX. circa annum 818., Paschasius Ratbertus Corbeiensis Abbas librum conscripsit de Corpore et Sanguine Domini, quo, dum lectoris animum firmat Scripturarum et Traditionis auctoritate contra dubitationes, quæ circa hoc mysterium suboriri possent, affirmat cap. 12. ita constans ac necessarium esse Ecclesiæ de præsentia reali dogma, ut, qui illud non credit, impio deterior sit.

Anno autem 852. scribens librum 12. Commentar. in Matth., eamdemque constanter tradens doctrinam, monet, esse quosdam, quibus, ut rumore acceperat, non placerent quæ de veritate corporis et sanguinis Domini scripsisset, dicerentque nonnisi virtutem carnis et sanguinis Christi in Eucharistia esse; verum exposito dogmate catholico, addit (ib. p. 1095. edit. Sirmond.) : *Nec mireris, frater, qui forte ista non credis, quia non nostra sunt quæ dicimus.*

Circa annum vero 860. epist. ad Freudegardum, eosdem oblocutores notat, et refellit; ibique sententiam suam ait esse *fidem Sanctorum*; qui vero eam impugnarent, *contra ipsum Dominum, omnemque Ecclesiam agere* (opp. p. 1634. A. edit. Sirm.); et infra : *Neminem esse adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit et confitetur*; ergo ante seculum IX. nemo in Ecclesia fuit, qui dogma de realitate præsentiæ Christi in Eucharistia negasset.

Prob. 2ª. *p.* 1°. Hæc partim elucet ex Patribus, quorum consensum per priora secula retulimus. Unde jam corruit Blondelli Calvinistæ commentum, Anastas. Sinaitam sec. VI. primum fuisse, qui dogmatis catholici semina sparserit. Sed accedit, ne fucum quidem habere similitudinis hoc Blondelli assertum; quis enim credat, ne unum fuisse tota in Ecclesia, qui se novitio errori opposuisset, cum adeo vigilasse constet pastores, ut nulla hæresis impune caput efferret? Igitur vel ex ipso Anastasio liquet, idem tunc sensisse Ecclesiam de veritate corporis et sanguinis Domini, quod ille palam, nemine mortalium contradicente, Lib. ὁδηγὸς, sive *Dux viæ* docebat.

2°. Ex consensione orientalis et occidentalis Ecclesiæ. Prioris fides a Trullanis Patribus nitide exprimitur Can. 3. (Labb. t. 6. p. 1141. C. et Can. 26.) (ibid.p. 1153. D.), ubi tradunt, Christum in sacrificio, quod sacerdotes offerunt, victimam simul esse, et sacrificatorem : presbyterum corporis Christi dispensatorem esse. Ac Can. 101. (ibid. p. 1185. A.) manducari, aiunt, et bibi Christum, ejusque immaculati corporis nos reddi participes. Eadem habet Ordo Roman., qui sec. VII. prodiit, quem adhuc in Missa retinet occidentalis Ecclesia. Sed luculentissime hæc fides Ecclesiarum ex Synodo generali VII. Nicæna II. an. 787. perspicitur, in qua sess. 6. (Labb. t. 7. p. 450. B.) inquiunt Patres : *Nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine... sed ipsum corpus et ipsum sanguinem... Antequam sanctificata fuerint, vocata sunt typi; post sanctificationem autem corpus proprie ac sanguis Christi dicuntur, sunt et creduntur.* Hinc alterius commenti, quod Claudius pseudominister finxit, falsitas legitur oculis, Paschasium Ratbertum primum fuisse catholici dogmatis assertorem, utpote qui an. 820. floruit, multis post Synodum VII. annis.

3°. Eadem fides sec. XI. certo in Ecclesia viguit; cum enim eo labente

seculo Berengarius palam dogma catholicum impugnare (quod intra annum 1035. et 1040. evenisse videtur) cœpisset, contra eum undequaque reclamarunt Romani Pontifices, episcopi, abbates, monachi. In quindecim ad minus condemnatus fuit Conciliis. Inter alios plures eum impugnavit ADELMANNUS Berengarii sub FULBERTO Carnotensi condiscipulus, ac in epistola ad eumdem ipsi exprobrat, quod se *ab unitate S. Matris Ecclesiæ divulserit*. Item HUGO Lingonensis Tract. de Corp. et Sang. Dom. contra eumd., quo ipsi objicit quod *totam scandalizet Ecclesiam* : addens, nisi male sentiat Berengarius, periisse omnem Christi Ecclesiam, quæ aliud ab ipso sentit. De sequentibus seculis usque ad nos, Calvinismi et Sacramentariorum non est quod laboremus; concedunt enim a PASCHASII tempore dogma nostrum pervasisse sensim Ecclesiam.

Atqui communis ille fidelium et Ecclesiarum consensus evidens est veritatis catholicæ argumentum ; ut in similibus ostendit TERTULLIANUS L. de Præscriptionib. cap. 28. *Ecquid,* inquiens, *verisimile est, ut tot ac tantæ* (Ecclesiæ) *in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus : variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Quid ad hæc adversarii, ut argumentum hoc a præscriptione, sibi nimium molestum ac invisum eludant, ac telam fabulæ de PASCHASIO ceu primo dogmatis catholici fundatore pertexant? Colligunt unde possunt ratiunculas, quibus assertum tueantur. Expendamus singulas, atque vel ex his ipsis roboremus nostrum a præscriptione argumentum. Igitur

274. *Reponunt* 1°. PASCHASIUS ipse professus est, se doctrinam novam proferre; nam 1°. epist. ad Freudegard. ait, plures tantæ fidei sacramenta ignorasse; alios dubitare; ab aliis se reprehendi. 2°. Plures ait (ead. epist.) ad intelligentiam hujus mysterii fuisse a se concitatos; sed hoc immerito diceret, si doctrina PASCHASII antiqua fuisset. 3°. Freudegardo librum suum offert, ut examinet, sibi significet, si quid in eo reprehensione dignum comperiat; at si doctrina PASCHASII antiqua fuisset, quid reprehensione dignum metuere poterat?

R. *N. Ass.* Cujus falsitas ex ante dictis patet.

Ad prob. 1am. R. *D.* Ait hoc de rudibus, indoctis, *ignorantibus C.* aliis *N.* Vel ex hinc quoque intelligitur, doctrinam PASCHASII antiquam et communem fuisse; illi enim ignorantes, dubitantes, reprehendentes non erant episcopi, abbates, presbyteri, similesque, apud quos magna gratia, famaque pollebat PASCHASIUS; sed homines obscuri, quique non palam se audebant opponere PASCHASIO, sed nonnisi clam obmurmurabant. Hoc ex ipsius PASCHASII verbis liquet, nam epist. ead. hos ipsos *magis loquaces, quam doctos* vocat, additque, neminem sibi *in aperto* contradixisse. Ac *quamvis quidam de ignorantia curent; nemo tamen est adhuc in aperto, qui ita hoc esse contradicat, quod totus orbis credit, et confitetur.* Præterea, etsi quidam ignorantes dubitarent; dubitatio hæc non ideo præcise de realitate præsentiæ in se fuerat, sed de modo, quem exposuerat PASCHASIUS. Sic et Freudegardus ipse, licet cum reliqua Ecclesia præsentiam realem crederet, ob textum AUGUSTINI male intellectum L. 3. de Doctrina christiana, quoad existendi in Eucharistia modum hæserat ambiguus.

Ad prob. 2am. R. Ait, tantum fuisse excitatas ad intelligentiam *pleniorem,*

inquit, Eucharistiam corpus Christi appellari propter similitudinem rerum, seu perfectiorem sacramenti notitiam; ibidem enim de his inquit: *ad plenum non intelligebant*; scilicet quoad reliquas hujus mysterii affectiones ac proprietates. Sed his ipsis supponit, quod realitas præsentiæ in se crederetur. Nimirum nitide eo libro totum hoc mysterium dilucidat ordinata methodo, etiam pro pueris, ut inquit laudata epist. Docet 1°. verum Christi corpus ac sanguinem in Eucharistia existere; 2°. panis et vini substantiam in Christi corpus et sanguinem converti; 3°. hoc corpus esse illud idem dicendum, quod natum ex Maria virgine; 4°. Eucharistiam non esse egestioni obnoxiam; 5°. eam esse figuram simul et veritatem, ac similia, quæ plures latere poterant, etsi realem præsentiam ipsam profiterentur.

Ad prob. 3am. R. *N. min.* Potest enim quis librum suum subjicere relectioni, et examini alterius, licet in eo auctor doctrinam Ecclesiæ et Patrum proferat; etsi non ratione doctrinæ ipsius, tamen ratione modi, argumentorum, quibus doctrinam proponit. Quin familiare hoc est Scriptoribus plerisque, hodieque fieri solet. Sic et Alcuinus librum suum de his, quæ pertinent ad fidem rectam, Caroli M. submisit judicio: Agobardus episcopus Lugdunensis librum suum contra Felicem Urgelitanum subjecit Ludovici Imperatoris ingenio et examini; nemo tamen inde infert, Agobardi doctrinam, qua contra Felicem Christum Filium Dei naturalem asserebat, fuisse novam, vel eum sibi in ea propugnanda diffidisse.

275. *Reponunt* 2°. Cum Paschasius suam de reali Christi in Eucharistia præsentia mentem L. cit. declarasset, eum impugnarunt viri tunc celeberrimi, Raban. Maurus, anonymus Cellotian., Ratramnus, Joan. Scotus, sive Erigena, aliique; ergo nova ejus doctrina, necesse est, fuerit.

R. *D. Ant.* Eum impugnarunt quoad realitatem præsentiæ corporis et sanguinis Christi in Eucharistia *N.* Quoad alia, quæ corpus Christi attinent, *an corpus Christi Eucharisticum esset idem, quod ex Maria Virgine natum?* quod affimaverat Paschas.; illi vero negabant *C.* Nullus ex his omnibus, ne quidem Ratramnus, ob assertam Christi in Eucharistia præsentiam, quam singuli aperte profitentur, impugnavit Paschasium; sed contra hunc id contendebant, corpus Christi Eucharisticum non esse idem illud, quod natum ex B. Virgine, in cruce pependit, resurrexit. Nam

1°. Raban. ipse testatur epist. ad Heribaldum, quod se, quantum potuisset, opposuerit errori Paschasii in epist. ad Egilonem; sed cui errori? In Eucharistia idem corpus Christi esse, *quod ex Maria Virgine natum,* ut volebat Paschas.; quod esse errorem, putabat Rabanus. At de Eucharistiæ dogmate idem, quod Paschas., sensit; nam L. de sacris Ordin. ad Theotmarum. perspicuis plane verbis ait: *Quis unquam crederet, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem in vinum creavit, et omnia ex nihilo fecit? Facilius est aliquid ex alio facere, quam omnia ex nihilo creare.*

Cæterum observandum, dum Raban. cæterique, qui Paschasio adversati, negant corpus Christi in Eucharistia idem esse, quod ex B. Virgine natum est; non eos negare, idem esse *quoad substantiam,* sed tantum quoad statum et existendi modum, aliasque affectiones, quæ corpori Christi olim naturali

in terra viventis competebant ; corpori autem ejus Eucharistico tribui non possunt ; putabant vero errore tribui a PASCHASIO.

Hæc perspicua fiunt ex Scriptore anonymo adversario Paschasii, edito a MABILLONIO ad calcem sec. IV. Benedictini part. 2ª. (quippe non alius esse putatur a RABANO ipso, esseque ejus ad EGILONEM epistola). Is vero in libello, cui titulus : *Dicta cujusdam sapientis de corpore et sanguine Domini adversus Ratbertum*; ne videatur, quoad Eucharistiæ dogma dissentire a RATBERTO : sic 1°. orthodoxam fidem profitetur (loc. cit. p. 592.) *Quod corpus et sanguis Domini vera sit caro, verusque sanguis, unusquisque debet credere... Hoc ergo fidelissime confirmo, et addo, quod, sicut veritas est Christus, et verus agnus Dei, qui quotidie mystice immolatur; ita procul dubio ex pane vera caro, ex vino verus sanguis ejus consecratione Spiritus sancti potentialiter creatur. Quæ cum certissima sint... nec ullus Christianus ambigere possit,* etc. Videmus, quam in Eucharistiæ dogmate exacte cum PASCHASIO conveniant adversarii. Nunc differentiam videamus.

Deinde impugnaturus PASCHASII librum inquit : *Illud in eo libro mihi prorsus inauditum fateor reperiri sub nomine Ambrosii, quod non sit alia caro Christi, quam quæ nata est de Maria et passa in cruce, et resurrexit.* En in quo dissentirent a PASCHASIO. Sed in quo sensu hoc negarent contra PASCHASIUM, explicat, *præsertim,* inquiens, *cum illa Christi caro resurgens de sepulcro, ita glorificata sit, ut jam vorari nullo modo possit.* Quæ ratio jam satis indicat, quid in PASCHASIO impugnet. Sed disputationem demum sic concludit : *Hæc dicta Magistri* (Augustini) *si fideliter, ferventer legeritis, manifeste cognoscetis, non quidem, quod absit,* NATURALITER, *sed* SPECIALITER, *aliud esse corpus Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum sanctum consecratur, quod a sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur; et aliud specialiter corpus Christi, quod natum est ex Maria Virgine, in quod istud transfertur.* Ubi ait, corpus Christi esse *naturaliter,* h. e. quoad substantiam idem, quod natum ex B. Virgine; non vero esse idem *specialiter,* h. e. quoad statum et modum existendi. Idem anonymus alter PASCHASII adversarius habet : *Aliud est specialiter corpus Dei, quod glorificatum sedet ad dexteram Dei, et tamen naturaliter unum est ipso Domino dicente : Hoc est corpus meum.* Ac RABAN. L. cit. de Sacr. Ordin. inquiens, corpus Christi natum ex B. Virgine, *ossibus et nervis compactum est, et hujusmodi membrorum lineamentis distinctum; non vero Eucharisticum.* Unde addit : *Quæ fidelium ore percipiuntur, figuram esse secundum speciem visibilem : at vero secundum invisibilem substantiam verum corpus et sanguinem Christi.* Nihil clarius.

Unde LANFRANCUS Dial. contra Berengar. c. 18. sententias RATBERTI et adversariorum ejus facile, ait, conciliari inter se, ac corpus Christi Eucharisticum *vere posse dici et ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est; et tamen non ipsum. Ipsum quidem, quantum ad essentiam, veræque naturæ proprietatem et virtutem; non ipsum autem, si spectes panis vinique speciem.* Itaque potius de sola ratione loquendi erat dissensio.

276. *Reponunt* 3°. RATRAMNUS vero, et JOANNES SCOT., sive Erigena, ipsum PASCHASII dogma impugnarunt ; nam RATRAMNUS L. de Corp. et Sang. Dom. ait 1. Eucharistiam non continere corpus Christi *in veritate*; 2. num. 37.

inquit, Eucharistiam corpus Christi appellari propter similitudinem rerum, quas innuit, sicut Pascha et resurrectio Domini vocantur (dies), qui per singulos annos celebrantur; 3. num. 24. et 25. conversionem panis et vini in Eucharistia non aliam admittit, quam similem illi, qua manna in deserto et aqua defluens convertebantur in corpus et sanguinem Christi : sed conversio hæc erat tantum metaphorica; ergo et prior talis est juxta RATRAMNUM. Ante resp. quoad hujus auctoris librum

Observa : Variam ejus fortunam fuisse. Prodiit primis typis Coloniæ an. 1531. sub nomine BERTRAMI; deinde Basileæ an. 1550., ac rursus Coloniæ an. 1551. hæreticorum sacramentariorum opera. Unde Catholicis suspectus esse cœpit, et offendiculo, præsertim quod sententias contineret duriuscule sonantes, cujusmodi sunt, quæ objiciuntur; ac propterea factum, ut in Indicem librorum prohibitorum poneretur, qui jussu Concilii TRIDENTINI adornatus prodiit an. 1560. Aliis tamen Catholicis in pretio fuit, ut RATRAMNUM, sive BERTRAMUM inter defensores cum RATBERTO doctrinæ catholicæ eodem haberent loco, ut FISCHERUS episcopus Roffensis in præfat. L. 4. adversus Œcolampad., GENEBRARDUS in Chronologia, aliique. Illustrissim. de MARCA librum hunc non RATRAMNI, sed Joan. SCOTI esse contendit in epist. ad Dacherium, cujus sententiam secutus est præter alios noster HARDUIN. in Dissert. de Sacram. altaris. At litem hanc diremisse visus est plerisque hodie MABILLONIUS in 2. p. sec. 4. Benedict. ex antiquissimis codicibus manuscriptis ante 800. annos exaratis, aliisque monumentis evincens, vere librum eum RATRAMNI esse, quondam Corbeiensis sub PASCHASIO RATBERTO Abbate monachi, ac postea Abbatis Orbacensis. His notatis

277. R. *N. Ant.* quoad RATRAMNUM. Et vero is manifestius longe, quam PASCHASIUS ipse dogma catholicum adstruit : 1°. In parte prima operis num. 9. et 10. (Patrol. t. 121. p. 131, etc.) inquit : *Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur; color ostenditur; sapor accipitur : ast interius longe aliud multo pretiosius, multoque excellentius intimatur; quia cœleste, quia divinum, id est, Christi corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur : vinum quoque, quod sacerdotali consecratione Christi sanguinis efficitur sacramentum, aliud superficie tenus ostendit, aliud interius continet.* Num Catholicus quispiam nitidius hoc dogma suum proponeret? Num. 12. autem totus in eo est, ut ostendat, veram mutationem esse factam in Eucharistia, sed invisibilem. Sic quoque num. 13. idem ostendit : *Si ergo nihil est hic permutatum; non est aliud, quam ante fuit. Est autem aliud, quoniam panis corpus, et vinum sanguis Christi facta sunt.* Ac num. 15. *Si hoc* (conversionem illam) *profiteri noluerint, compelluntur negare, corpus esse sanguinemque Christi; quod nefas est non solum dicere, verum etiam cogitare.* Non est, quod similes alias ex RATRAMNO sententias, quibus abundat, nunc proferamus. Ex tanta textuum claritate factum, ut postea pœniteret adversarios in editione ejus libri impensæ operæ; et Centuriatores Magdeburgenses Centur. 9. hunc librum exulare juberent; quia, ut inquiunt : *Transubstantiationis habet semina Bertramus, utitur enim vocabulo commutationis et conversionis.* Nunc

Ad prob. 1am. R. *D.* Non continet *in veritate*, ubi per veritatem intelligit

realitatem et substantialem præsentiam *N.* manifestationem, et claram rei visionem *C.* Hoc ultimo sensu veritatem sumit. Constat evidenter 1°. ex definitione, quam ipse affert num. 8. ubi *Veritas*, inquit, *est rei manifesta demonstratio, nullis umbrarum imaginibus obvelatæ.* 2°. Ex statu quæstionis et scopo, quem sibi proponit n. 5. hisce verbis : Utrum id, *quod ore fidelium sumitur, corpus et sanguis Christi... in mysterio fiat an in veritate? id est, utrum aliquid secreti contineat, quod oculis solummodo fidei pateat, an sine cujuscumque velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus aspiciat interius, ut totum, quod agitur, in manifestationis luce clarescat?* Indubium igitur est, eum veritatem hic pro manifestatione sumere.

Si ais : videri improbabile, fuisse, qui putarent, corpus Christi in Eucharistia manifestari.

R. Id tamen 1°. Ratramnus ipse testatur ibid. n. 2. inquiens, fuisse quosdam, qui dicerent, quod sacramentum corporis sanguinisque Christi *nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat; sed ipsius veritatis nuda manifestatione peragatur.* 2°. Indubiis constat testimoniis, quosdam putasse, id quod sensibus in Eucharistia percipitur, ipsum Christi corpus esse; sicque dum videntur, tanguntur, franguntur species, non has videri in se immediate tangi, frangi, sed corpus Christi ipsum. Ac quidem talis ipso illo, quo Ratramnus seculo, pauloque ante ipsum, fuit Haymo Halberstadiensis in Tract. de Corp. et Sang. Dom., apud Mabillonium præfat. in 2. partem seculi 4. Benedict. §. 7. num. 93. Talis quoque opinionis Abaudius fuit apud Mabillon. Tom. 3. Analectorum, ubi adhuc plures recenset.

Ad prob. 2am. R. Dicit, Eucharistiam appellari corpus Christi propter similitudinem, quæ excludat realem præsentiam *N.* propter manifestationem illam tantum, ante descriptam *C.* In eo enim loco Ratramnus utitur testimonio S. Aug., desumpto ex ejus epist. 98. (al. 23.) ad Bonifacium Episc., in qua S. Doctor docet, aliud esse sacramenta, et aliud res, quarum sunt sacramenta; quo ex loco id conformiter ad statum quæstionis et scopum suum id unum colligit Ratramnus, Eucharistiam aliud esse quoad rem, quam continet; aliud vero quoad rem externam; proinde aliquid fieri *in mysterio, et sub obvelatione,* ut ipse loquitur.

Ad prob. 3am. R. 1°. Sunt, qui probare contendunt, Ratramnum fuisse opinionis hujus inauditæ, et erroneæ, manna et aquam de petra manantem revera conversa fuisse in carnem et sanguinem. Si ita; nihil juvat adversarios. Sed non est credibile, virum tam eruditum, qualis tum in Ecclesia erat Ratramnus, ita sensisse. Unde ad mentem ejus et scopum

R. 2°. *D.* Non aliam admittit conversionem quoad speciem externam, et id, quod sensibus percipitur *C.* Quoad id, quod sub speciebus Eucharisticis continetur *N.* Mentem ejus præter jam dicta satis declarant verba, quæ ibid. paulo post subdit : *Videmus in aqua, secundum corpus nihil esse conversum; consequenter ergo et in vino nihil corporaliter ostensum.* Igitur in eo comparationem tantum instituit, quod, sicut in aqua secundum corpus, h. e. secundum id, quod habet sensibile et palpabile, nihil mutatum est; ita et in vino (idem est de pane), nihil sit corporaliter ostensum, ut ipse loquitur, h. e. sensibiliter; quod erat ejus intentum contra adversarios, de quibus dictum ante.

Quod tandem Joan. Scotum attinet, R. Permisso, quod ipsum dogma impugnarit de realitate præsentiæ Christi ; nihil adversariis prodest, sed e contra officit; nam continuo se illi opposuerunt coævi plures. Eum reprehendit Hincmarus Rhemensis Lib. de prædestin. cap. 31. (Patrolog. t. 125. p. 296.) Confutavit Aldrevaldus Tractatu egregio, qui extat Tom. 12. spicilegii Lucæ Dacherii cum titulo : contra ineptias Scoti (v. Patrol. t. 124. p. 948.); ipseque Scotus suæ diffidens causæ, ac metuens, ne in Gallia damnaretur hæreseos, clam profugit in Angliam. Igitur non Paschasii, sed Scoti sententia nova erat, ac contra Ecclesiæ sensum.

Nec refert, quod Ecclesia Lugdun. non continuo Scotum propterea damnaverit; non enim hinc sequitur, ab ea ideo comprobatam fuisse Scoti doctrinam ; plures enim alios, summeque nefandos, ac inauditos errores idem docuerat, velut : 1. Mundum corporeum non conditum fuisse, nisi post Adami lapsum. 2. Humanitatem Christi in ipsius divinitatem post resurrectionem penitus mutatam fuisse. 3. Malitiam, pœnasque dæmonum aliquando finem habituras. 4. Omnes creaturas sensibiles post generalem corporum resurrectionem in humanam naturam fore convertendas. 5. Humanum corpus in animæ rationalis naturam transiturum, atque id genus alia, quæ extant in ejus opere de Naturis. Nec tamen propter fœda hujusmodi dogmata damnatus fuit ab Ecclesia Lugdunensi. Numquid ideo approbasse censenda est illa errorum monstra nobilis Lugdunensis Ecclesia? Nimirum Ecclesia hæc in id unum tunc intenta erat, ut puram de gratia doctrinam propugnaret. Præterea liber Scoti de Corp. et Sang. Dom. videtur non æque fuisse cognitus ; ac si cognitus fuisset, sufficienter reprobatus dici potest, quod eadem Lugdunensis Ecclesia L. de trib. Epistolis c. 40. (Patrol. t. 121. p. 1054.) universim de Scoto pronuntiet, *hominem esse in rebus Religionis stupendæ stoliditatis ;* sed et a Nicolao I., Prudentio Trecensi, Conc. Lingonensi notatus sit ceu inimicus homo, qui zizania superseminaret. Quid viri talis prodesse potest auctoritas?

Dixi : *Permisso ;* nam non directe, sed indirecte solum eum impugnasse dogma Paschasii, alii volunt, videturque ex Ascelino colligi. Hoc tamen certum, eum perspicaciorum suspicionem incurrisse ; Berengarium ex eo Scoti libro virus hausisse et sententias ; unde et in Synodo Vercellensi an. 1050. Scoti liber concrematus est.

At, ut ad propositum redeamus, nunquam Paschasius ob dogma de reali præsentia assertum apud quemquam unquam vel levissimam notam contraxit, omnium vivus et mortuus celebratus encomiis, a Synodo Parisina an. 845., quæ ob viri merita insigne privilegium Monasterio Corbeiensi concessit. Ab Engelmodo Suessionensi in carmine panegyrico (Patrol. t. 120. p. 26.) dictus *Ecclesiæ columen ;* auctoritate Sedis Apostolicæ Corbeiæ levato e terra ejus corpore cultus est. Libello ejus pro instituenda juventute utebantur Episcopi ; quod minime fecissent, si doctrinam Ecclesiæ repugnantem protulisset. Ergo non Paschasius, sed e contra Scotus doctrinam novam toti tunc repugnantem Ecclesiæ produxerat.

CAPUT III.

DE MODO, QUO CHRISTUS IN EUCHARISTIA REALITER PRÆSENS EXISTIT.

Expenso ac vindicato hujus Dissertationis de Eucharistia dogmate facile primario de reali Christi in Eucharistia existentia, alia ordine succedit quæstio de modo, quo Christus in Eucharistia præsens fit, existitque. Modum hunc, vel actionem rectius, qua corpus et sanguis Christi in Eucharistia sistuntur realiter ac substantialiter, Catholici vulgari proprioque nomine *Transsubstantiationem* appellant. Etsi vero transsubstantiationis vocabulum pridem ante Concilii Trident. ævum, atque in ipso Conc. Lateran. IV. sub Innocent. III. esset usurpatum, Theologi tamen orthodoxi transsubstantiationem non omnes eodem sensu exponebant, quibusdam eam ita interpretantibus, ut illam fieri per conversionem totalem substantiæ panis et vini in Christi corpus et sanguinem negarent, nimium præoccupati philosophicæ ac naturalis conversionis placitis. Sed his silentium indixit Trident. Synodus Sess. 13. cap. 4. docens : *S. hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.* Unde hic disputatio potissimum remanet contra Lutheranos, quorum alii, resuscitato discipulorum Berengarii systemate, *Consubstantiatores*, alii *Impanatores* appellantur, ut jam præmonitum num. 210.

ARTICULUS I.

AN IN EUCHARISTIA CORPUS ET SANGUIS CHRISTI SISTANTUR PRÆSENTIA PER TRANSSUBSTANTIATIONEM? ET QUALEM?

Transsubstantiatio in genere est substantiæ unius in alteram conversio. In naturali saltem pars substantiæ veteris, scilicet materia remanet. Talem vero in Eucharistia catholica fides non sustinet. Unde hic quæritur : an vi verborum consecrationis fiat vera transsubstantiatio, seu conversio totius substantiæ panis et vini in Christi corpus et sanguinem?

278. *Dico.* Vi verborum consecrationis totalis fit transsubstantiatio, sive totius substantiæ panis in corpus Christi, et totius substantiæ vini in sanguinem Christi conversio. Est de fide catholica, clare id docente novissime Concilio Trident. Sess. 13. cap. 4. cit., et specialiter ac decretorie definiente Sess. ejusd. Can. 2. Sed et ante in Decreto conversionem utriusque substantiæ panis et vini in Christi corpus et sanguinem verborum Christi virtute fieri tradiderat Concilium Florent. Ac jam Lateran. IV. relatum cap. *Firmiter* an. 1215. contra Albigenses, et tum temporis hæreticos.

Prob. I. Ex S. Scriptura. Verba Christi instituentis Eucharistiam : *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, debent sumi in sensu proprio, ut probatum est capite præced., et nobiscum consentiunt Lutherani; et utriusque partis consensu ipsum Christi corpus demonstrant, non vero ejus duntaxat figuram : sed falsa essent hæc Christi verba, si remaneret substantia panis et vini; quia 1°. pronomen *hoc* juxta usitatum, sincerum et a fraude alienum loquendi modum designat rem totam, quam demonstrat; totum autem illud, si remaneat substantia panis, non esset corpus Christi; quia falsum est dicere : *Panis est corpus Christi; vinum est sanguis Christi;* cum inter hæc non detur identitas; ergo, ut sua maneat verbis Christi veritas, non potest remanere substantia panis et vini. 2°. Si remaneret substantia panis, pronomen *hoc* illam demonstraret; sed falsum est ex dictis, quod substantia panis sit corpus Christi; ergo. *Maj.* etiam *prob.* Quia, quando sub uno sensibili plures sunt substantiæ, pronomen *hoc* eam designat, quæ per propria sua accidentia est sensibilis, non vero aliam insensibilem, vel latentem, nisi prior substantia sensibilis, sit vel ex natura sua, vel ab hominibus ad hoc destinata, ut alteram latentem contineat, vel saltem de hoc constet auditori. Ita, qui clam, nemine conscio, in pane nummum includeret aureum, in arca hominem, male diceret demonstrato pane vel arca, non monitis ante vel post audientibus : *Hoc est aurum, hoc est homo* : at vero panis non est ex natura sua destinatus, ut corpus Christi contineat; nec usu hominum, nec Christus quidquam de hoc vel ante vel post verba sua innuit. Unde verba Christi consubstantiationem et impanationem simul perimunt.

Neque respondeant adversarii, nihil novi esse, ut res contenta de continente dicatur, etsi lateat in hac, ut non videatur : sic enim demonstrato calice, in quo est vinum contentum, recte dici potest : *hoc est vinum.* Sic de sacramento, sive signo rem significatam continente res significata prædicari potest; vera enim fuisset propositio, si quis de angelo, qui sub hominis specie apparuit Abrahamo, dixisset : *hic est angelus*, vel de linguis igneis, quæ visæ sunt in Pentecoste super Apostolos : *hic est Spiritus sanctus.*

Nam, ut ante dictum, et cap. præc. art. 2. de signo observavimus, ut res contenta affirmari possit de continente, hoc vel ex natura sua, vel ex hominum usu destinatum esse debet, ad rem continendam; vel saltem constare debet audienti, hanc rem in continente contineri, vel latere; sive hoc deinde constet, quia loquens de hoc alterum docet, vel quia res contenta se ipsam externe prodit. Ita vero accidit in allatis exemplis; omnibus enim notum est, calicem esse vas ad hoc destinatum : sic angelus prodebat externe, quod lateret sub forma hominis : sic et Spiritus sanctus in linguis igneis visibiliter operabatur movendo, agendo illas. At nec panis destinatus est ullo modo, ut corpus Christi contineat, neque hoc ullo modo exterius erat sensibile.

Nec regerant; sic etiam in nostra sententia falsa fore verba Christi : *Hoc est corpus meum*; eo quod species panis nec ex natura sua, nec ex usu sint ad hoc destinatæ, ut corpus Christi contineant; nam pronomen *hoc* necessario substantiam aliquam sub speciebus contentam demonstrat : si remaneret substantia panis, hanc, ex dictis, demonstraret utpote visibilem per accidentia propria; sed cum juxta nos substantia panis non remaneat, necessum est, ut Christi corpus demonstret.

Prob. II. Traditione Patrum, quorum plures jam laudavimus, qui panem in Christi corpus *mutari*, *converti* docent, sic, ut post consecrationem non maneat substantia panis, licet sensus aliter judicent; ideoque illis non esse fidendum.

Sic Tertul. L. 4. adv. Marc. c. 40. ait, quod Christus acceptum panem *fecerit* corpus suum.

S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. cit. ait n. 20. quod post consecrationem non sit amplius panis et vinum; quod Christus vinum in sanguinem *transmutarit*, sicut aquam in vinum in nuptiis. En ipsius verba: *Aquam Christus aliquando mutavit in vinum: et non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem suum transmutavit?*

S. Ambros. de initiand. seu de Mysteriis cap. 9. n. 52. ut id persuadeat, argumentum sumit a divina omnipotentia: *Si tantum valuit sermo Eliæ ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum?... qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.*

S. Chrysostom. homil. 83. in Matth. (al. 82. opp. t. 7. p. 789. A.) Christum esse inquit, *qui hæc dona sanctificat, et transmutat.*

S. Gregor. Nyssen. orat. catech. cap. 37. (opp. t. 2. p. 536. D.) *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: Hoc est corpus meum.*

S. Joannes Damascen. Lib. 4. orthod. Fid. cap. 13. (opp. t. 4. p. 271. Edit. Lequien.) *Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutatur. Si requiras, quonam pacto istud fiat? sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum sanctum.*

S. Gaudentius Brixiensis Tract. 2. in Exod. (Patrol. t. 20. col. 855. B.) *Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia potest et promisit, efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum... Ne terrenum putes quod cœleste effectum est per eum qui transit in illud, et fecit illud suum corpus et sanguinem.*

Theophylact. in Matth. et Marc. et Joan. 6. ait, panem et vinum in corpus Christi et sanguinem *converti*, *transelementari*, *transformari*.

Sed hæc traditio tam perspicua sane nec cum consubstantiatione, nec impanatione conciliari potest; quod enim manet secundum totam substantiam, quomodo in substantiam aliam transmutari, converti, transelementari ulla proprietate dici potest? Eamdem traditionem exhibent Concilia tum relata ante, tum Græcorum celebrata sec. XVII. hac de re contra Protestantes. Commemorare satis erit Constantinop. Synodum an. 1688. celebratam, in qua dictum est: *Anathema Cyrillo* (Lucari) *dogmatizanti et credenti, non transmutari panem propositionis, et insuper vinum per sacerdotis benedictionem, et Spiritus sancti adventum, in verum corpus et sanguinem Christi.*

Verum hinc et alterum corruit, quod aiunt adversarii, conversionem, transsubstantiationem inventum esse Paschasii Ratberti in sec. IX. Omnes enim laudati Patres ante Paschasium pridem floruerunt.

279. *Obj. I. contra prob.* 1am. 1°. Verba Christi: *Hoc est corpus meum*, non

essent falsa, etiamsi remaneret panis : quia hæc affirmarent præcise corpus Christi, quod revera adest.

2°. Falsum est, quod verba Christi conversionem panis in corpus Christi inferant; ergo. *Prob. Ant.* Vera est propositio demonstrato Christo : *Hic homo est Deus;* licet humanitas non sit conversa in divinitatem. Item vera est ista : *Verbum caro factum est,* etsi Verbum in carnem nunquam mutatum sit. Ergo et vera erit illa Christi : *Hoc est corpus meum,* etsi panis in corpus Christi conversus non fuerit.

3°. Non est necessum ad veritatem propositionis, ut pronomen *hoc* demonstret totum sub speciebus objectis; ergo ruit fundamentum nostrum. *Prob. Ant.* Nam in hostia consecrata etiam juxta nos remanent accidentia panis, anima quoque et sanguis Christi; et tamen adhuc vera remanet propositio : *Hoc est corpus meum;* ergo et, licet remaneat panis. Item vera sunt hæc Christi alia verba : *Hic est sanguis meus,* etsi cum sanguine adsit corpus Christi; ergo et, etsi vinum simul adesset.

280. *Ad* 1um. R. *N. Ant.* et *rationem;* quia pronomen *hoc* demonstrativum significat id totum, quod continetur sub speciebus objectis; falsum vero est, si remaneret panis, totum illud sub speciebus panis contentum esse Christi corpus; quia falsum est dicere : *panis est corpus Christi,* cum realiter idem non sint, nec detur inter illa identitas, quod tamen requiritur ad propositionem affirmativam, ut vera sit.

Neque reponant Impanatores, quod, ubi hypostatica unio est, sit idiomatum communicatio; igitur si dicatur, a Christo assumi panem in Eucharistia, etiam dici poterit, panem esse corpus Christi; nam communicatio idiomatum ad solum subjectum et suppositum, quod commune et idem est, pertinet, non ad ipsas partes, quæ inter se distinctæ de se, non obstante aliqua unione, affirmari non possunt; sic *Homo* in Christo dicitur *Deus;* sed humana natura non dicitur *Divinitas.* Sic etsi corpus in Petro uniatur animæ et ambo in eadem subsistant persona Petri, falsa erit propositio : *corpus est anima.* Ita quoque in objecto casu hæc : *panis est corpus.* Quorum fundamenta uberius vide in Tract. nostro de Incarnat.; ubi de communicatione idiomatum.

Ad 2um. R. *N. Ant. Ad prob. C. Ant. N. Cons.* Disparitas est quoad 1um. quod in data propositione *hic homo* supponat pro supposito, quod in recto importatur, ut sensus sit : Suppositum terminans naturam hanc humanam est Deus, quod est verissimum; sed in hac propositione : *hoc est corpus meum,* pronomen *hoc* supponit pro substantia vel natura; et si remaneret proinde panis, hunc, ex dictis, demonstraret, essetque sensus : *panis est corpus Christi,* quod est falsissimum ex rationibus datis. Quoad 2um. disparitas est; quia per se constat, Verbum, utpote Deum, omnis veræ mutationis esse incapax; hinc et adversarii nobiscum contra Eutychianos textum sic explicant : Verbum naturam humanam assumpsit; panis vero mutationis est capax; et proinde ut vera sit propositio, panis in corpus converti debet; vel secus, cum τὸ *hoc* substantiam designet, si adesset adhuc panis, hunc designaret, fieretque propositio falsa : *panis est corpus.*

Ad 3um. R. *N. Ant. Ad prob. N. Cons.* Disparitas est quoad *primum,* quia τὸ *hoc* ex natura sua, et hominum usu, non accidentia, sed substantiam sub iis

latentem demonstrat; ergo vera perstat propositio, etsi remaneant accidentia: sed si remaneret panis, demonstraret hunc, sicque esset propositio falsa. Quoad *alterum* : in hac propositione, *hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* illud solum demonstrat, quod est sensibiliter præsens vel per species, vel per verba formæ, quæ sunt signa sensibilia et simul practica, vel efficientia id, quod significant; sed anima et sanguis Christi non sunt præsentes sensibiliter; non per species panis, ut per se patet; nec per verba formæ; hæc enim solum corpus significant, licet per concomitantiam, et indirecte etiam ponatur anima et sanguis; ergo adhuc manet vera propositio; secus vero ex dictis, si remaneret panis. Quoad *tertium*, eadem est responsio.

281. *Obj. II.* Ex Patribus. Hi aperte tradunt, in Eucharistia remanere naturam, imo substantiam panis; ergo nulla ibi conversio vel transsubstantiatio fit.

Prob. Ant. 1°. Ex S. Chrysostomo, qui epist. ad Cæsarium (opp. t. 3. p. 743.) disputans contra Sinusiastas, sive Apollinaristas, e quibus Eutychiani orti, ut ostendat, duas esse naturas integras, impermixtas, unum tamen in Christo filium esse, et personam unam, exemplo utitur Eucharistiæ (p. 744. C.): *Quemadmodum*, inquiens, *panis divina illum sanctificante gratia, mediante sacerdote liberatus est appellatione panis; etiamsi natura panis in eo permanserit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus.*

2°. Ex Theodoreto, qui Dial. 2. *Inconfusus*, contra Eutychianum, quem Eranistam vocat, ait : *Neque symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent enim in priore substantia, et figura, et forma, et videri tangique possunt, sicut et prius : intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, et creduntur, et adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* (opp. t. 4. p. 85. C.)

3°. Gelasius L. de duab. Natur. contra Eutychianos (Bibl. mag. PP. t. 4. part. 1ª. col. 422. E.) ait : *Certe sacramenta, quæ sumimus corporis et sanguinis Christi, divina res est... et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini*; ergo.

R. *D. Ant.* Per naturam et substantiam intelligendo proprietates naturales, quo sensu frequentissime illæ voces sumuntur a Scriptoribus antiquis græcis et latinis *C.* Intelligendo substantiam categoricam harum proprietatum radicem, quæque accidenti opponitur *N.* Sed perquam frequens fuit antiquis illa naturæ, substantiæ pro rei accidentibus, proprietatibus acceptio. Sic Tertul. L. de anima cap. 32. *duritiam* lapidis, ejus naturam vocat; sic Chrysostom. homil. 12. in Genesin (opp. t. 4. p. 94. E.), de igne fornacis Babylonicæ divinitus impedito, quominus tres pueros læderet, ait : *Dominus prout vult, unumquodque elementorum in contrariam vertit substantiam.* Sic Hilar. Comment. in Matth. c. 10. n. 24. *Corpus*, inquit, *per fidem mortificatum in naturam animæ evadit.* S. Ambros. in Hexameron L. 3. cap. 2. n. 9. ait : *Discant naturam posse converti, quando petra aquas fluxit, et ferrum aquæ supernatavit.* Sic consuetudo, mores natura dicuntur, juxta illud Horatii : *naturam expellas furca, etc.* S. Aug. in Ps. 68. conc. 1. n. 5. Adamum dicit *lapsum esse a substantia, in qua creatus fuit.* Et demum innumeris prætermissis, Theodoretus Dial. eod. (p. 85. C.) substantiam su-

mit pro qualitatibus et accidentibus de corpore Christi resurgentis, scribens, illud *corporis retinuisse substantiam, quia retinuit priorem formam, figuram, circumscriptionem.* Ita nimirum tum varie sumebantur eæ voces, antequam ad significationem certam figerentur a schola. Ac revera naturam, substantiam sumunt Patres, qui objiciuntur, pro congerie proprietatum, et accidentium.

Ac 1°. Chrysostomus; id enim 1. perhibent hæc ejus verba : *non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus*; sed si remaneret panis vera substantia, quid prohiberet, in Eucharistia duo prædicari corpora? 2. Ex S. Patris scopo; agit enim contra Apollinaristas, docentes, Verbum habuisse ab æterno carnem seu substantiam humanam cum divinitate permixtam, sed sine affectionibus ac proprietatibus naturalibus, sine forma, effigie, circumscriptione, etc.; in Incarnatione vero Verbum assumpsisse has affectiones et proprietates; in iis passum esse, divinitate animæ humanæ vices supplente; tandem illas rursum deposuisse post ascensionem. Ita nos Epiphan. docet Hær. 77. ex Athanasio; Gregor. Naz. epist. ad Nectarium; Facundus L. 9. cap. 7. Igitur Chrysost. dum contra Apollinaristas intendit probare in Christo naturæ humanæ substantiam, non illam categoricam quæque illarum proprietatum radix est, probare intendit, sed affectiones illas, quia has solas negabant Apollinaristæ; ergo et dum has probat ex Eucharistia, naturam panis sumit, non eo sensu, quo nos modo, sed pro panis proprietatibus, accidentibus; quia alias inepta fuisset, et plane a controversia aberrans S. Patris argumentatio.

2°. Theodoretus et Gelas.; nam 1. id pariter eorum scopus demonstrat; agunt enim contra Eutychianos, erroris Apollinaristarum hæredes; idemque probare intendunt contra priores, quod contra Apollinaristas Chrysostomus. 2. Quoad Theodoretum peculiariter; quia Dial. 2. eod. jam convenerant Orthodoxus, et Eranistes Eutychianus, panem consecratione *mutari* in Christi corpus; igitur in objecto textu necesse est, naturam, substantiam sumat pro accidentibus; ac reipsa ratiocinium suum hoc concludit argumento, ibid. Natura, substantia panis (scilicet affectiones, proprietates juxta controversiæ statum et scopum) non mutantur consecratione... *Corpus* (Christi) *priorem habet formam et circumscriptionem, et ut semel dicam, corporis substantiam;* ubi evidens est, substantiam a Theodoreto pro hisce proprietatibus sumi. 3. Quoad Gelasium, quia et hic transsubstantiationem diserte prædicat Lib. cit. de pane et vino : *Sicut in hanc, scilicet in divinam transeunt* (panis et vinum), *Spiritu sancto perficiente, substantiam; permanente tamen in suæ proprietate naturæ.* Cæterum Gelasium hunc non fuisse Romanum Pontificem, ut perperam aiunt adversarii, sed Gelas. Cyzicenum, ostendunt Baronius ad an. Christ. 496., Bellarmin. L. de Scriptor. Eccles.; tum hic L. 2. cap. 27.

Sed, inquies, juxta Theodoretum Dial. 1. *Immutabilis* (opp. t. 4. p. 18. A.), in Eucharistia symbola, panis et vinum donata sunt *nomine corporis et sanguinis Christi,* sicut a Jacobo Patriarcha Gen. 49. vinum donatum est nomine sanguinis Christi, et Christus Joan. 15. se vocavit granum frumenti: atqui nec hic, nec in cit. loc. Gen. transsubstantiatio aliqua idcirco intelligitur; ergo nec talem intellexit in Eucharistia Theodoretus.

R. 1°. Eumdem locum cum limitatione exponere debent adversarii contra

Calvinistas, ne Eucharistia sit mera corporis et sanguinis Christi figura, sicut locutiones illæ Joan. 15. et Gen. 49. nonnisi figuratæ sunt. Unde

R. 2°. *D. M.* Comparat has propositiones quoad aliquid, nimirum præcise quoad permutationem nominum, vel appellationem *C.* quoad omnia, etiam rationem appellandi *N.* Comparatio illa præcise in permutatione nominum hæret, quatenus scilicet in veteri Lege symbolo vini datum est nomen sanguinis Christi in figura ; sic in Testamento novo Christus idem nomen indidit vino, sed cum veritate ; nam, ut dictum, in Dial. 2. convenerant Orthodoxus, h. e. Theodoret. et Eranistes, sive Eutychianus, vinum mutari, converti in sanguinem.

Obmoveri quoque ab adversariis hoc loco solet Rupertus Tuitiensis Abbas, qui L. 2. de divin. Offic. c. 2. et 9. (opp. t. 4. edit. Venet. 1751.) et L. 6. in Joan. (t. 3. p. 205.) admittere videtur unionem quamdam hypostaticam corpus Christi inter et panem; eo quod dicat, panem in unitatem personæ assumi ; sed Rupertum explicant alii, eum per assumptionem, non quæ per unionem hypostaticam fiat instar humanæ in Christo naturæ, sed conversionem panis in carnem Christi intelligere, ut, non obstante hac mutatione panis in carnem, unum tantummodo sit corpus Christi in Eucharistia; sicut, non obstante assumptione humanæ naturæ, unum manet Verbum; eo quod ibidem post consecrationem nihil remanere de panis et vini substantia dicat, nisi *secundum exteriorem speciem quinque sensibus subjectam*; at si eo modo vellet Rupertus assumi panem a Christo, quo humanitas est assumpta a Verbo hypostatice, non solum remaneret panis secundum substantiam exteriorem, sive speciem, sed etiam interiorem, seu substantiam stricte dictam ; sicut in Christo tota mansit naturæ humanæ substantia, nec solum secundum speciem. Alii cum Bellarmino putant, revera Rupertum hac in re aberrasse. Verum, hoc gratis permisso, dubia unius mens officere haud potest cæterorum omnium Patrum consensui.

282. *Obj. III.* Ex Ratione. 1°. De transsubstantiatione nihil novit prisca Ecclesia, sed inventum est Concilii Lateran. IV. sub Innocent. III. an. 1215.; ergo.

2°. In conversione permanet aliquid prioris materiæ, quæ sit subjectum commune; ergo et permanebit materia panis in Eucharistia, eritque verum dicere : panis fit corpus Christi ; quod negat D. Thom. Vel si nihil remaneat panis, non erit conversio, sed mera panis annihilatio, quod communiter negant Catholici.

3°. Theologi Catholici hodie adhuc inter se litigant, qualis illa sit actio, qua corpus Christi sistitur præsens sic, ut desinat omnino panis ; ergo.

Ad 1um. R. Nihil novit de transsubstantiatione quoad rem *N.* quoad nomen *Tr.* Quoad rem quod noverit, ex conclus. constat. Quoad nomen ante Concilium Lateran. IV. jam fuisse in usu, ex Petro Blesensi epist. 104. (al. 140. ad Petrum Clericum regis Angliæ. Edit. Paris. 1667. p. 219. col. 1.) circa annum 1160. liquet : *pane et vino transsubstantiatis*, ait, *virtute verborum cœlestium, in corpus et sanguinem Christi, accidentia, quæ prius ibi fuerant, sine subjecto remanent et apparent.* Item ex antiqua professione fidei Tolosanorum apud Baronium ad an. Christ. 1178., Stephano Æduensi Tract. de Sacram. cap. 13. (Bibl. magna PP. t. 6. p. 382. B.) aliisque. Sed, esto,

ante sec. XII. non reperiatur vox ista, habet Ecclesia potestatem novas usurpandi voces, ad exprimendum melius dogma catholicum contra hæreticos; ita vox ὁμοούσιος contra Arianos; θεοτόκος contra Nestorianos instituta fuit. Unde adversariis licet reponere, quod S. Athanas L. de Decretis Synodi Nicænæ (opp. t. 1. p. 178. D. Edit. Patavina. 1777.) reponebat Ario aversanti Synodum Nicænam ob novitatem nominis, τοῦ ὁμοουσίου *consubstantialis*, quo et fraudes et cavillationes subvertebantur Arianorum: *Etiamsi voces ita in Scripturis non extent; sententia tamen, quam continent, vere in Scripturis habetur.*

Ad 2um. R. *D. Ant.* In conversione, quæ est generatio, aut alia mutatio naturalis *C.* Quæ est transsubstantiatio, aut conversio totalis *N.* In conversione proprie dicta requiritur 1°. Terminus a quo, et ad quem, uterque positivus. 2°. Desitio unius, et successio alterius in eadem ratione, in qua fit conversio. 3°. Dependentia et connexio inter desitionem et successionem. 4°. Aliquid commune, circa quod connexio, et utriusque termini oppositio sit. Quatuor hæc in Eucharistica conversione habentur aliquo duntaxat cum discrimine a conversione vulgari et naturali.

Nam 1°. terminus *a quo* est desinens panis et vini substantia; terminus *ad quem* sive succedens est corpus et sanguis Christi; qui termini ambo rem positivam exprimunt. 2°. Terminus a quo desinit, et ad quem incipit secundum rationem suam propriam; prior quidem est panis, desinens in substantia panis; idem est de vino: posterior est corpus Christi in ratione propria corporis; ac pariter sanguis. 3°. Habetur et connexio illa; ideo enim substantia panis desinit, quia vi verborum ponitur sub accidentibus Christi corpus, ut demonstrabile per verba. 4°. Etiam habetur aliquid utrique termino commune; nimirum species et accidentia, quæ ante inhærebant substantiis panis et vini; nunc vero cum corpore et sanguine Christi unum quoddam compositum morale constituunt. Et hic conversio Eucharistica se nonnihil ab aliis discriminat; in his enim subjectum commune est aliquid prioris remanentis substantiæ, a quo tanquam subjecto eductionis terminus ad quem succedens dependentiam dicit; secus, ac in Eucharistia accidit, in quo, ut verificentur verba Christi ex dictis in probat. Conclus., conversio totalis, sive transsubstantiatio accidere debet, h. e. in qua nihil remaneat substantiæ veteris, sed loco hujus subjecti utrique termino communis vices subeunt remanentes panis et vini species.

Hinc *ad Cons.* patet responsio; nam *N. ejus memb.* 1um. *Alterum D.* Erit verum dicere: panis fit corpus Christi, hoc sensu, ut panis se habeat ad modum subjecti eductionis, vel tanquam materia cum corpore unum totum constituens *N.* Ut significetur tantum ordo successionis inter duo extrema inter se comparata, sicut ex nocte dicitur fieri dies *C.*

Nec propterea vera proprie dicta fit annihilatio panis, aut pariter proprie dicta creatio Christi corporis. Non primum; quia annihilatio proprie dicta est, qua nihil rei illius sive substantialiter, sive accidentaliter remanet ullo modo, sic quidem, ut nihil novi resultet. Pariter creatio proprie dicta rem omnino non extitisse supponit; sed in Eucharistia remanent species, et loco panis corpus Christi ponitur, corpus Christi incipit esse, non simpliciter, sed sub speciebus.

Ad 3um. R. *N. Cons.* Quia omnes tamen concordant in dogmate; nihil

vero definivit Ecclesia, qualis ea actio sit, qua desinente substantia panis Christi corpus sub speciebus ponitur; an sit merus ordo successionis substantiarum, ut VASQUEZ autumat; an sit actio duntaxat unitiva corporis et specierum, ut SOTUS et alii volunt; an actio adductiva, ut SCOTO et BELLARMINO placet; an vero reproductiva actio corporis sub speciebus, sive ut respectiva corporis et specierum, ut cum SUAREZ et TANNERO communius ac probabilius Theologi sentiunt? Verum hæc opinionum diversitas quoad actionem illam quid adversariis prodest? Numquid ideo vel Catholici, vel ipsi adversarii incerti hærent, an secunda in Trinitate persona sit vere Filius, aut procedat per generationem, quia variant opiniones in statuenda ratione, propter quam processio Filii sit generatio?

Cæterum hic in actione illa reproductiva acquiescimus prætermissa circa quæstionem hanc scholasticam, aliasque id genus philosophicas ulteriore disputatione, non absque consilio; ut enim observat VASQUEZ 3. p. q. 56. Disput. 18. cap. 1., hujusmodi quæstionibus id solum effectum est, ut mysterium fidei nostræ non modo difficilius ad explicandum, sed etiam adversariorum criminationibus et argutiis fuerit magis expositum. Unde et TRIDENTINI Patres Theologis quibusdam in Concilio quæstiones ejusmodi philosophicas excitantibus sapienter imposuere silentium. Et vero non Theologia philosophiæ, sed hæc substernitur, juxta D. HIERONYMI monitum epist. ad Magnum n. 2. *Legerat* (David) *in Deuteronomio* (c. 21.) *Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos, et ungues corporis amputandos, et sic eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum, si et ego sapientiam secularem propter eloquii venustatem, et membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiva Israelitidem facere cupio? et si quidquid in ea mortuum est, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado: et mixtus purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth?* Id est: sic philosophiam profanam conjungendam esse Theologiæ, ut illa christiana, non hæc naturalis fiat.

ARTICULUS II.

QUO MODO CHRISTUS EXISTAT IN EUCHARISTIA? ET QUÆ CIRCA MYSTERIUM HOC INSUPER TENENDA?

283. *Dico I.* In Eucharistia accidentia vel species panis et vini sunt sine subjecto.

Constat ex Conciliis, LATERANENSI IV. cap. 1. (Labb. t. 11. p. 143.), ubi inquit: *Cujus* (Christi) *corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina.* CONSTANTIENSI, quod Sess. 8. (Labb. t. 12. p. 45. E.) damnat hunc Wicleffi artic. 2um.: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Ac novissime TRIDENTINO Sessione 13. Can. 2.

Probatur præterea, inde, quod ex una parte, ut evincunt argumenta pro transsubstantiatione allata, fide divina certum sit, desiisse panis et vini substantiam, cui tanquam subjecto suo naturali accidentia inhæserant;

corpori vero Christi post consecrationem inhærere aliunde dici non possint, utpote quod suammet sustentat quantitatem : ex altera vero parte experientia certo constet, quod consecratione peracta, mancant quantitas, ac qualitates, color, sapor, odor, etc., quæ sentiebantur prius; ergo sine omni subjecto divinitus conservari, necessum est dicere.

284. *Obj.* Accidens non potest esse sine subjecto; definitur enim : ens alteri inhærens; ergo.

Observa: Triplicem esse Philosophorum mentem circa naturam accidentium. Pars eorum prima accidentia absoluta realiter a materia distincta asserit; ut quantitatem, colorem, gravitatem et similia.

Pars alia solam quantitatem accidens absolutum a materia realiter distinctum ait; cæteras vero qualitates corporum, quas accidentia vocamus, non esse quid realiter objective a quantitate distinctum; sed colorem e. g., esse ipsammet quantitatem, diversimode modificatam, quæ cum lucem reflectit, colorem efficit, eumque varium pro varietate reflexionis radiorum, eorumque in organum visus appulsu; paucis : quantitas cum sensuum organa hoc vel illo modo movet ob diversam suarum partium configurationem, diversas efficit sensationes.

Pars tertia, duce præsertim P. Maignan, nulla admittit accidentia a materia realiter distincta, sed species sensibiles, quas intentionales vocat, nihil aliud ait esse, quam ipsam objectorum in sensus actionem, juxta D. Thomam p. 3. q. 54. a. 1. ad 2. *Quod aliquid videatur, fit per actionem visibilis ad visum.* Cum vero in Eucharistia non remaneat panis substantia, quæ in sensus adhuc ageret, necesse est, inquit, Deum per se ipsum supplere actiones illas substantiæ panis, eadem facta impressione in nostris sensibus, quam efficiebat ante consecrationem substantia panis; id vero Deum posse, nemo ambigit; cur enim Deus non possit ipse per se eosdem præstare effectus, quos præstandi virtutem ipse causis creatis indidit? Certe sic nutritionem ipse hoc in mysterio supplet. Præterea moventur ad ita sentiendum hujus sententiæ Philosophi, et qui cum his sentiunt Theologi :

1°. Quia nomen *accidentis* in hoc mysterio recentis usus est, seculo circiter XI. inductum; nomen e contra *specierum* aiunt (quod satis indicat, nihil ex pane solidi superesse) longe esse antiquius et usitatissimum; adhibitum a Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio M., Theophylacto, aliisque; præsertim adhiberi a Græcis, ut videre est in *Confessione orthodoxa orientalis Ecclesiæ,* Quæst. 106. Quin, neglecto nomine *accidentis,* etsi vulgatissimum esset, potius *specierum* nomen, velut aptius, sancitum fuisse in Conciliis Lateran., Basileensi, Flor. et Trident.; et in hujus uno quidem cap. 3. Sess. 13. novies; sed hoc non temere, sine causa factum.

2°. Plura esse id genus specierum exempla; sic in baptismo Christi apud Lucam descendit Spiritus sanctus corporali *specie columbæ*; duobus discipulis Marc. 16. sub alia apparuit effigie; Luc. 24. autem, *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent;* Magdalenæ Joan. 20. apparuit sub specie hortulani; manna Exod. 16. omnium ciborum præstabat varietatem. Hæc vero efficiebantur a Deo, supplente corporum vices; cur igitur non efficiat idem in Eucharistia ?

Quod si his opponas, quod nobis illuderet Deus, si panem, qui revera non

est, ostentare non desisteret : quod sensus saltem in errorem inducerentur : quod citra necessitatem continuum prodigium asseratur : quod non satis concordet cum Conc. CONSTANTIENSI damnante hanc propositionem Wicleffi : *In Eucharistia non manent accidentia sine subjecto*; nec cum Tridentino Sess. 13. cap. 3. docente, totum Christi corpus esse in tota hostia, et totum in singulis speciei partibus.

Reponunt, Deum illudere nobis, non posse dici, quia nos monet per se et Ecclesiam, quod panis non sit post consecrationem : nec decipi sensus ; quorum tantum est, renuntiare animæ, quod moveantur. At illud est verissimum. A quo vero moveantur, animi est judicare ; animus autem non fallitur, quia admonetur. Nec continuum inducitur prodigium, dum Deus sine corporum interventu per se sensuum nostrorum organa movet, cum potius majus sit dicendum prodigium, quod corpora adhibeat, ut in animis motum erect. Conc. CONSTANTIENSE propositionem illam damnavit ad mentem Wicleffi, qui ideo negabat, in Eucharistia accidentalia manere sine subjecto, quia aiebat, subjectum ipsum manere cum accidentibus. Sententia igitur cadit in subjectum, quod dicebatur remanere, non in accidentia ; idque constat ex Cardin. de Alliaco, qui Concilio interfuit in 4. Dist. 6. Art. 3. Quod vero Concilium nomen *accidentium* adhibuerit, inde est, quod hoc nomen tunc esset vulgatum in Scholis. Tandem TRIDENTINUM solummodo definivit Sess. cit. Can. 3. totum Christum esse sub qualibet speciei parte *facta separatione* ; atque hæc, monente Concilii historia, addita fuisse, ne præjudicium inferret sententiæ eorum, qui id de qualibet speciei parte ante separationem negabant ; dum proinde dicit in laudatæ Sessionis cap. 3., totum Christum esse sub qualibet speciei parte, id intelligendum est relative ad verba illa in Can. 3. *facta separatione*.

Etsi vero in exponenda specierum Eucharisticarum natura non conveniat inter Philosophos orthodoxos ; in singulorum tamen sententiis nulla est implicantia, quod unum hic monstrare Theologiæ est contra adversarios acatholicos, controversia de ipsa specierum vel accidentium natura Philosophis relicta, ad quos pertinet.

Ac quidem in sententia ultima P. Maignani objectio non habet usque adeo locum, ut ex ejus expositione constat. Patroni vero secundæ sententiæ cum doceant, solam quantitatem realiter a substantia panis ante consecrationem distinctam, remanere sine subjecto ceu accidens absolutum, cum sententiæ primæ patronis ita

Respondent. D. Ant. Accidens non potest esse sine subjecto de lege ordinaria, ac naturaliter *C.* de lege extraordinaria, supernaturaliter *N.*

Ad prob. R. *D.* Definitur ens alteri inhærens actualiter *N.* aptitudinaliter *C.* Accidens quippe definitur a Philosophis : *Quod adest, vel abest sine subjecti corruptione,* ut Porphyr. Isag. de Accid. vel : *Quod contigit subjecto inesse, et non inesse ;* igitur tota accidentis essentia est, accidere subjecto, non huic actu inesse. Præterea sicut universim existentia actualis non est de essentia entis extra Deum, cum actus jam supponat essentiam, qua scilicet posterior est ; ita inhærentia actualis non est de essentia accidentis.

Si ais : Saltem accidens exigit inesse subjecto alicui, sicut substantia subsistere subsistentia, si non propria, saltem aliena.

R. Negando ly *sicut* : substantia enim, quæ existit, singularis est; singularis autem redditur per subsistentiam, quæcumque ea sit : sed accidens per subjectum, cui inhæret, singulare non redditur; igitur, Deo volente, potest absolute existere sine subjecto. Respondent etiam alii expeditius : accidens exigere inesse subjecto alicui non absolute, sed pro casu, quo modus hic existendi per inhærentiam non suppletur per meliorem a potentia divina sine subjecto; sicut substantia exigit existere subsistentia propria, non absolute, sed conditionate, scilicet nisi subsistentia propria suppleatur per digniorem, ut in Christo subsistentia creata naturæ humanæ suppletur per subsistentiam divinam; ideoque natura humana Christi, etsi propria orbata subsistentia, non est in statu violento.

285. *Dico II.* Christus sub qualibet specie totus continetur; et totus sub qualibet parte speciei.

Pars 1ª. quæ est de fide, clare definita a Tridentino Sess. 13. Can. 3. *prob.* 1°. ex S. Scriptura. Joan. 6. ait Christus : *Qui manducat me, vivet propter me.* Hic vero, ut constat ex cap. præced. art. 1. de Eucharistia sermo est; sed non dixit Christus : qui manducat *corpus meum,* sed qui manducat *me*; quæ vox totum Christum significat, ut ex duabus naturis et persona divina constat; ergo Christus, dum una species sumitur manducando, quod fit, dum sumitur species panis, sumitur totus; ergo et totus sub hac specie existat, necesse est.

Accedit Traditio. Sic S. Ephrem L. de non scrutanda Nat. divin. cap. 5. ait: *Agnum ipsum integre comedis.* S. Hieron. contra Jovinian. L. 1. n. 7. docet, nos in Eucharistia *Christum* accipere; solum vero corpus non potest dici Christus; nec solus sanguis; ac præterea etiam de sumptione Eucharistiæ sub una specie debet intelligi; quia et hanc asserit epist. 22. ad Eustoch. Unde Conc. Constantiense Sess. 13. (Labb. t. 12. col. 100. C.) *Firmissime,* inquit, *credendum est... integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri.* Eadem vero ratio, quæ pro sanguine Christi sub specie panis, et pro corpore Christi sub specie vini militat, etiam pro anima Christi pugnat; nimirum, ut docet Tridentinum Sess. 13. cap. 3. corpus sub specie panis, et sanguis sub specie vini existit vi verborum consecrationis; *ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguis sub specie panis, animaque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitas porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem.*

Prob. pars 2ª. ex cit. Tridentini Sess. cap. 3., ubi inquit: *Totus et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte; totus idem sub vini specie et sub ejus partibus existit.* Atque hoc de qualibet speciei parte, *facta separatione,* de fide est; quia Concilium in cit. Sess. Can. 3. cum dixisset, totum Christum sub singulis cujusque speciei partibus contineri, addidit : *facta separatione.* Sed et hinc colligunt plerique, jam ante separationem vel divisionem in singulis cujusque speciei partibus totum Christum contineri; cum divisio nihil operetur circa corpus Christi; nec verba consecrationis novam reproductionem operari amplius possint, utpote quæ dudum transierunt.

286. *Obj.* Idem corpus simul esse in pluribus locis nequit; ergo totus Christus in qualibet speciei parte sive ante, sive post separationem esse nequit.

Prob. Ant. 1°. Quia replicatio corporis est simultanea ejusdem in duobus, vel pluribus locis existentia; sed sic corpus non esset idem amplius, sed multiplex, sicut locus, in quo existit, est multiplex.

2°. Sicut locus divisus est ab alio loco, ita corpus deberet esse divisum a se ipso; sed si est divisum a se ipso, non est unum et idem.

3°. Multa sequerentur absurda et contradictoria; 1. enim posset idem corpus moveri motibus contrariis, in loco A versus ortum, in loco B versus occasum. 2. Sic corpus replicatum esset in loco uno contiguum alteri corpori, a quo simul distaret in loco alio.

4°. S. Aug. L. 20. contra Faustum cap. 11. negat corpus Christi simul posse esse in sole, luna et cruce; ergo. Idem argumentum contra realem Christi præsentiam in Eucharistia formatur a Calvinistis et Sacramentariis.

R. *D. Ant.* Idem corpus simul esse nequit in pluribus locis naturaliter *C.* supernaturaliter *subd.* circumscriptive *Tr.* definitive et sacramentaliter *N.* Præsentia ejusdem corporis in pluribus locis tripliciter intelligi potest: 1°. *Circumscriptive,* ita, ut idem corpus plures habeat existentias naturales, et quantitativas, h. e., ut habeat partes extra partes non tantum in ordine ad se, sed etiam in ordine ad locum; ut loco commensuretur; ut aliud corpus excludat ab eodem loco. 2°. *Definitive,* et sacramentaliter, ita ut idem corpus habeat plures existentias naturales, et partes extra partes in ordine ad se, sive ordinatas secundum dispositionem naturalem, sic ut pectus scapulis, scapulæ collo, collum capiti uniatur; non tamen partes extra partes in ordine ad locum. 3°. Ut idem corpus plures habeat existentias, unam naturalem, aliam vel alias sacramentales.

Naturaliter idem corpus, quovis modo, esse non posse simul eodem puncto temporis pluribus in locis, certum esse, quotidiana docet experientia, cujus testimonium si rejiciamus, nihil porro in rebus naturalibus certum erit; non posse etiam spectatis divinæ potentiæ viribus, gratis dicitur; nec ullo ex capite probari potest, ut patebit ex responsis ad probationes. Præterea *apud Deum omnia possibilia esse,* nos Scriptura monet Matth. 19.; *Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse,* S. Aug. clamat epist. ad Volusian. Ac tandem si ea impossibilia sint, quæ nostra non assequitur ratio, quomodo adversarii mysterium SS. Trinitatis posthac tuebuntur contra Socinianos, dictitantes, ut essentia, vel natura eadem subsistat in personis tribus, repugnare rationi?

Dixi: *Transeat,* eo quod sint e Philosophis ac Theologis, qui autument, fieri non posse, ut unum idemque corpus circumscriptive existat in diversis locis, quæ philosophica quæstio nostri instituti non est.

Ad prob. 1am. R. *N. min.* Unitas enim corporis non ab unitate loci, in quo est, sed ab entitate sua, sive prædicatis intrinsecis est; quippe prius res una concipitur, quam in loco existens; sicut ergo per hoc corpus non constituitur unum, quod existat in loco uno, sic nec propterea evadit multiplex, si rem eamdem pluribus ac separatis in locis reproduci et existere contingat.

Ad prob. 2am. R. *N. M.* Quia sicut multiplicitas corporis non oritur a mul-

tiplicitate loci, sic nec a divisione locorum ejusdem corporis a se ipso divisio. Igitur corpus in loco A et simul loco B existens, non esset quidem idem ratione *localis præsentiæ*; sed tamen esset idem ratione entitatis.

Ad prob. 3am. R. *N. Ass. Ad* 1um. Negatur, hoc esse implicatorium : etsi enim idem corpus non replicatum non possit moveri motibus contrariis, quia nonnisi unum esse *locale* habet; id tamen corpori replicato contingere potest sub diverso respectu ob diversum esse locale; quæ vero consequuntur ipsum esse locale diversum relationes, necessario multiplicantur, et diversæ sunt, sicut et actiones, quæ terminantur a loco; sed non ideo sunt contradictoriæ, quia non prædicantur de eodem secundum idem, sed secundum diversum, scilicet locum. Sic anima eadem ut informans pedes est propinquior terræ; ut informans caput, remotior a terra. *Ad* 2um. eadem est responsio. Esset contiguum respectu *diversi* loci *C. ejusdem* loci *N.*

Si ais : Corpus circumscriptive existens in loco uno non potest extra hunc existere alibi; locus enim circumscriptivus adæquatus est :

R. *D.* Non potest extra hunc existere definitive *N.* circumscriptive *Tr.* ob datam rationem supra. Quanquam revera nec in hoc appareat implicantia; circumscriberetur enim hoc casu corpus ab uno loco, sed non ab eo *solo*; locus circumscriptivus adæquatus est pro se, h. e. singulæ partes corporis respondent singulis partibus hujus loci; sed inde non sequitur : ergo nec alius locus potest idem corpus circumscribere.

Observa : Terminos hosce *circumscriptive, definitive* non eamdem habere notionem sensumque apud Doctores. Sunt, qui hanc notionem tribuunt, ut circumscriptive, item definitive existere in loco sit, non esse extra illum locum. Hinc non mirum, quod in modo respondendi a nobis dissentiant. Sed nos eo sensu utimur, quo supra, qui magis usitatus est.

Ad prob. 4am. R. *D.* Negat conformiter ad mentem Manichæorum *C.* secus *N.* Juxta Manichæos corpus Christi erat lux quædam expansa per solem, lunam, omniaque loca cætera; hunceque esse dicebant statum corporis Christi naturalem et convenientem. Hoc vero negat Aug.; imo sic, naturaliter, corpus per tot loca expansum posse totum esse in locis singulis. De possibilitate vero absoluta non erat quæstio. Sed et frustra ad possibilitatem recurrissent Manichæi; quia, quod est solum possibile de potentia absoluta Dei, non probatur existens, nisi probetur miraculum, per quod existat; sed miraculum tale, quo Christi corpus existeret in sole, luna, aliisque locis, Manichæi probare non poterant.

287. *Dico III.* Corpus in Eucharistia cum sua quantitate existit, sine tamen impenetrabilitate actuali, et extensione ad locum.

Prob. 1a. *p.* 1o. Negative; quia nequit solida afferri ratio, cur corpus Christi in Eucharistia sistatur præsens sine quantitate sua, alias naturaliter inseparabili a quolibet corpore.

2o. Positive. Corpus Christi in Eucharistia est corpus humanum, id est, diversis organis et membris instructum; sed illa organorum membrorumque diversitas sine quantitate non potest intelligi, et sine hac nonnisi rudis et indigesta moles erit, nec nisi partium confusio et permixtio.

Prob. 2a. *p.* Quia species panis et vini priorem suam quantitatem et impenetrabilitatem retinent; hinc a nullo alio corpore penetrantur, sed

agunt in alia corpora, et ab his patiuntur; igitur cum a corpore Christi penetrentur, hoc sua impenetrabilitate actuali careat, necesse est.

Actualis vero impenetrabilitas, extensio ad locum, cum sint effectus formales secundarii quantitatis, abesse possunt a quantitate radicali, cujus effectus formalis primarius est solum impenetrabilitas et extensio ad locum aptitudinalis. Et vero actualis impenetrabilitas et extensio, quod separari possint a quantitate, sufficienter colligitur 1°. inde; quia posteriores sunt ipsa quantitatis essentia, et ab hac ceu effectus fluunt: sed quod posterius est rei essentia, potest abesse absolute, salva remanente ipsa natura rei. 2°. Quia sic Christus e virginali utero prodiit, illæso virginitatis claustro, ut perhibent Patres, relati a nobis in Tract. de Incarn.; penetravit in cubiculum januis clausis Joan. 20. 19. 29. Præterea non est magis essentiale corpori quanto, esse actu impenetrabile, occupare locum, quam corpori gravi ponderare, colorato videri, calido calefacere: atqui tamen divina potentia effectum est, ut grave non ponderaret, dum Matth. 14. Christus ambulavit super aquas; ut coloratum non videretur, dum Luc. 4. medius inter Judæos non videbatur; ignea fornax non læderet tres pueros Dan. 3.

Ex quibus id facile perspicitur, haud approbari posse eam Philosophorum quorumdam recentiorum in opinando licentiam, dum essentiam quantitatis in extensione actuali partium corporis in ordine ad locum constituunt; non enim potest satis percipi, qua ratione ea opinio cum hoc mysterio Eucharistiæ conciliari queat.

Rectius vero ex dictis hactenus sequentia deduces corollaria, quæ modum existendi in Eucharistia attinent:

I. Humanitas Christi in Eucharistia exercere nequit actus alicujus sensus externi vel interni, ad quos objectorum externorum concursus requiritur; quia ad actiones ejusmodi certa extensione in organo nervorum fibrarumque opus est, qua corpus Christi caret, utpote impenetrabilitate actuali destitutum. Dixi: *ad quos objectorum externorum concursus requiritur*; nam potest anima Christi elicere actus immanentes, qui ab objectorum talium concursu haud dependent; cujusmodi sunt visio beatifica, cognitiones scientiæ infusæ, et ab his dependentes voluntatis actus.

II. Corpus Christi pati nihil potest ab agentibus corporeis, non videri, non tangi, non frangi, comprimi, dilatari, lædi, etc.; hujusmodi enim passionum sola ea corpora capacia sunt, quæ actualem impenetrabilitatem habent, qua corpus Christi Eucharisticum destituitur.

288. *Obj.* Non potest esse quantitas sine extensione, divisibilitate, impenetrabilitate; ergo.

Prob. Ant. 1°. Quia effectus formalis quantitatis est, reddere corpus extensum, impenetrabile, divisibile: sed sine effectu formali quantitas esse non potest.

2°. Quia, sicut spiritus non potest occupare locum, sic de essentia corporis est, habere extensionem in loco, impenetrabilitatem, divisibilitatem.

3°. S. Aug. epist. 57. ad Dardanum, c. 6. n. 18., *spatia locorum*, inquit, *tolle corporibus, nusquam erunt; et quia nusquam erunt, nec erunt*; ergo.

R. *D. Ant.* Non potest esse quantitas sine extensione externa, sive ad

locum; sine divisibilitate, impenetrabilitate actuali naturaliter *C.* supernaturaliter *N.* Responsio patet ex dictis in Conclus.

Ad prob. 1am. R. *D. M.* Effectus formalis primarius quantitatis est, reddere corpus extensum in ordine ad locum, etc. *N.* secundarius *C.* Effectus formalis primarius quantitatis est, reddere corpus quantum, sive illi tribuere extensionem internam partium in ordine ad se; diciturque etiam impenetrabilitas radicalis; aptitudo proxima ad extensionem localem : quem effectum etiam quantitas in Eucharistia corpori Christi tribuit. Impenetrabilitas vero actualis, extensio localis, effectus est secundarius divinitus impedibilis.

Ad prob. 2am. R. *N. paritatem.* Spiritus nullam quantitatem, nullasque partes habet; ergo non potest coextendi loco. At corpus etsi partes habeat, et quantitatem, hæcque etiam exigat habere partes in ordine ad se; non tamen essentialiter exigit, partes extendi in ordine ad locum actualiter.

Ad prob. 3am. R. *N. Cons.* Loquitur enim S. Pater de ordine naturali, juxta quem certum est, corpus extensive et per partes esse in loco; interrogatus enim fuerat de modo, quo Christi corpus in cœlo est, et quo Deus est ubique. Posse vero corpus sine corporum qualitatibus existere, diserte docet S. Aug. L. 22. de Civit. cap. 8. n. 21., ubi postquam retulisset annulum quemdam magicum illæso et undique clauso vinculo capillatio, quo fuerat involutus, ante pedes mulieris divinitus illæsum jacuisse, subdit : *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia Matris enixum, et ad discipulos ostiis clausis ingressum fuisse, non credunt. Martyr certe ipse* (S. Stephanus) *quo impetrante illa sanata est, in Filium permanentis Virginis credidit, in eum, qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est, credidit.*

CAPUT IV.

DE NATURA EUCHARISTIÆ, MATERIA, FORMA.

Eucharistiam sacramentum esse in specie infima unum, ex sensu Ecclesiæ intelligitur, quæ constanter sacramenta septem, nec plura, nec pauciora credidit; tum inde, quod sacramentum hoc institutum sit ad modum convivii, ad cujus integritatem cibus et potus pertinet. An vero debeat dici unum vel multiplex numero? a modo loquendi dependet; si enim, ut rationem nutrimenti spiritualis habet, spectetur, erit unum numero, quia ad nutrimentum cibus et potus pertinent; si vero spectetur, ut habet rationem signi sensibilis, quod sunt species, modo unum, modo multiplex erit; unum, si ambæ species ad unam ordinentur refectionem, ut respectu Sacerdotis in Sacrificio; multiplex, si species ordinentur ad sumptiones, vel refectiones plures.

Inquiri etiam hic solet, quænam ad sacramenti hujus constitutionem pertineant; an solæ species; an corpus et sanguis Christi; an etiam verba con-

secrationis? At conformius Conciliis et Patribus sentiunt, qui singula hæc requirunt. 1°. *Species*; quia TRIDENTINUM Sess. Can. 1. ait corpus et sanguinem Christi in S. Eucharistiæ *sacramento* contineri; ergo id, quod continet corpus et sanguinem Christi, est sacramentum saltem partialiter : sed species continent; ergo. 2°. *Corpus et sanguis* Christi; quia FLORENTINUM in Decr. docet, hoc *sacramentum confici* verbis Sacerdotis; sed quod conficitur a Sacerdote, præcipue est corpus et sanguis Christi, ut conjuncta cum speciebus. 3°. *Verba consecrationis*; sunt enim forma; omnia autem sacramenta, juxta FLORENT. rebus ut materia, verbis ut forma perficiuntur, et persona ministri. His igitur dimissis ad quæstiones utiliores convertimur.

ARTICULUS I.

AN EUCHARISTIA IN RE PERMANENTE, VEL TANTUM IN USU CONSISTAT?

Quæstio in eo versatur : utrum statim post prolata consecrationis verba, ante omnem usum et sumptionem Eucharistiæ, corpus et sanguis Christi sint sub speciebus realiter præsentia, subque his tamdiu permaneant, quamdiu hæ permanent integræ; vel an tantum præsentia fiant tum, cum manducatur panis, bibiturque vinum? Prius affirmant uno ore Catholici; posterius Protestantes.

289. *Dico*. Eucharistia non consistit præcise in usu, sed in re permanente. Est de fide catholica, juxta TRIDENTINUM Sess. 13. Can. 4.

Prob. 1°. Ex S. SCRIPTURA. Corpus Christi tunc præsens fuit, cum dixit : *Hoc est corpus meum*; quia verba Christi operabantur statim, erantque vera; vera autem non fuissent, nisi tunc ejus corpus præsens fuisset. Atqui verba ea protulit Christus, antequam discipuli manducarent; ergo. *Prob. min*. 1°. Quia verbis istis : *comedite, bibite,* Christus discipulos invitabat ad manducandum et bibendum; pro motivo autem addebat : *Hoc est corpus meum : Hic est enim sanguis meus*; hoc namque indicat particula *enim,* ut adeo sensus sit : manducate et bibite, quia cibus, quem offero, est corpus meum; et potus, est sanguis meus : sed motivum debuit discipulis proponi ante, et ab his intelligi, quam manducarent, et biberent; ut scirent, se non communem panem, nec vulgare vinum accepturos. 2°. Quia ex eodem calice biberunt omnes, juxta illud Luc. 22. *Dividite inter vos*; ac Marc. 14. *Biberunt ex illo omnes*; sed Christus non toties repetiit hæc : *Hic est sanguis meus,* quoties biberunt, sed tantum semel.

Respondent, Christum dedisse cibum et potum antequam diceret : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus,* ut colligitur ex Matth. 26. ubi hæc : *Accipite et comedite*, in serie verborum Christi præmittuntur his : *Hoc est corpus meum*; et Marc. 14. illa : *Biberunt ex illo omnes*, ponuntur ante hæc verba consecrationis : *Hic est sanguis meus*; ergo tunc primum præsens erat corpus et sanguis Christi, quando manducabant, et bibebant. Verum

R. 1°. *N. Ant.* Si enim ex his verbis Matthæi et Marci colligeretur, Christum dedisse cibum manducandum, et potum bibendum antequam dixis-

set : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus*, dici pariter posset : 1°. quod manducassent, et bibissent plene jam; quia Marcus ait in præterito, *et biberunt*; sicque nec in re manducassent corpus, nec bibissent Christi sanguinem, quia manducassent, et bibissent ante consecrationem; ante hanc vero etiam adversariorum consensu nec corpus Christi, nec sanguis præsens est. 2°. Vel certe dici posset Christum nonnisi post manducationem præsentem fore, ex eadem ratione; quod rursum et falsum est, et ipsi negant adversarii. Hinc non ex serie narrationis (quia et Scriptores sacri non raro per anticipationem posteriora præponunt prioribus) sed verborum sensu colligi debet, quid prius dictum, factumque fuerit; sensus vero aperte exigit, Christum prius consecrasse, ac dixisse : *Hoc est corpus meum*, quam discipulis manducandum daret, ut vult data probatio.

Respondent alii, verba Christi esse promissoria rei paulo post futuræ; vel conditionata, sub conditione implendi præcepti, quia verba hæc : *Accipite et comedite*, præceptum continent; illa vero : *Hoc est corpus meum*, promissionem, ut sensus sit : Hoc est corpus meum, si manducaturi sitis; ergo etsi ante manducationem Christus dixerit : *Hoc est corpus meum*, hoc tamen non ante præsens esse cœpit, quam cum impleretur conditio, sive manducatio.

At figmenta hæc sunt, et textui adversantia; non enim dixit Christus : *Hoc erit corpus meum, si manducaveritis*, ut dicere debuisset, si sub conditione hac promittere tantum suum corpus voluisset; sed propositio Christi absoluta fuit : *Hoc est*. Sed et ea interpretatio non convenit pronominibus demonstrativis *hoc, hic*, quæ rem sensibiliter præsentem indicant, nec verbo *est* præsentis temporis.

Prob. II. Ex Traditione. Teste S. Justino Apol. 2. (opp. p. 97. E.) Eucharistia peractis mysteriis deferebatur ad absentes. Idem refert S. Irenæus epist. ad Victorem summ. Pont. (ap. Eusebium Hist. Eccl. L. 5. c. 24.), Eucharistiam mitti solitam ad alios in *signum pacis*, sicque missam a suis prædecessoribus ad episcopos, qui luna decima quarta cum Judæis celebrabant Pascha.

Eucharistiam primi fideles secum asportabant, temporibus præsertim persecutionum, ut se ea domi reficerent, et munirent, teste Tertulliano L. 2. ad uxorem cap. 5. qui adhortans eam, ne post suum obitum virum ducat infidelem, hac inter alias ratione utitur : *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur*, id est, corpus Christi. S. Cyprianus Tract. de lapsis n. 26. refert de muliere in persecutione lapsa, quod, *cum arcam suam, in qua Sanctum Domini fuerat, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita sit*. S. Basilius epist. 289. (al. 93. opp. t. 3. p. 187. A.) ad Cæsaream Patriciam tradit, monachos desertum petentes deferre Eucharistiam secum, ibique suis eam sibi manibus ministrare. S. Chrysostomus epist. ad Innocentium papam n. 3. (opp. t. 3. p. 519.) de militibus ab Imperatore ad ipsum occidendum missis inquit : *Locum, in quo Sancta condita servabantur, ingressi sunt milites... Quin et Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est*. S. Hieronymus (vel quicumque hujus epistolæ auctor sit) epist. 4. ad Rusticum monachum (al. 125. n. 20.) laudat Exuperium episcopum Tolosanum, quod ob pauper-

tatem corpus Christi in canistro portare cogeretur : *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

Tandem Eucharistiam servatam fuisse pro infirmis refert Eusebius L. 6. Hist. cap. 44., ac presbyterum per puerum petenti Serapioni misisse particulam Eucharistiæ, ac jussisse, ut eam madefactam in os senis instillaret. Adorari debere Eucharistiam ante sumptionem monent Patres, S. Aug. in Ps. 98. n. 9. *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* S. Ambros. L. 3. de Spiritu sancto cap. 12. (al. c. 11. n. 79.) *Caro Christi, quam in Mysteriis adoramus.* S. Chrysostomus homil. 24. in 1. Cor. Ergo Eucharistia in re permanente, non solo in usu consistit.

Ad tantum nubem testium, cum negare eam Calvinus non posset, L. 4. Instit. cap. 17. §. 39. unum id respondet : *Qui sic faciunt,* h. e. Eucharistiam servant, *habent, fateor, veteris Ecclesiæ exemplum. Verum in re tanta, et in qua non sine periculo erratur, nihil tutius, quam veritatem sequi.* Sed quis non miretur responsum insolens? Quasi vero tutius non foret, veteris Ecclesiæ sensum potius, quam hesterni cujusdam Novatoris sequi? Ista, non ille columna veritatis est.

Neque subsistit aliorum cum Dallæo responsio : ex asservatione Eucharistiæ non sequi, quod Ecclesia vetus illam re permanente sitam crediderit, eo quod presbyteri vocati ad ægros, eam in horum domibus conficere potuerint; nam 1°. Serapioni non presbyter, sed puer Eucharistiam porrexit. 2°. Igitur antequam presbyter illam confecisset in ægroti domo, nondum fuisset Eucharistia, quia nullum discrimen inter hanc et panem communem fuisset, quod repugnat laudatis Patribus. 3°. Non convenit cum more, quo deportabant secum Eucharistiam domum fideles, ut hanc sibimet ministrarent, nisi dicere quis vellet, eos tunc domi ipsos Eucharistiam confecisse, quod adversarii non concedent. 4°. Prorsus hæc responsio conciliari nequit cum S. Chrysostomo, Hieron., Irenæo, aliisque laudatis Patribus.

290. *Obj. I.* Ex historia Ecclesiastica rectius colligitur, priscos fideles non judicasse, Eucharistiam in re permanente consistere; ergo.

Prob. Ant. Reliquiæ Eucharistiæ post peracta Mysteria non solebant servari, sed vel comburebantur, vel consumebantur, ut constat 1°. ex epist. Clementis Romani ad Jacobum fratrem Domini, relata cap. 23. Dist. 2. de consecrat. (Labb. t. 1. p. 98. D. E.) *Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant; quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur.* Idem constat ex Hesychio L. 2. in Levit. (Bibl. PP. t. 12. p. 86. C.), Nicephoro L. 17. cap. 25. (Hist. Eccl. t. 2. p. 772.). 2°. Ex Origene hom. 5. in Levit. n. 8. (opp. t. 2. p. 211. edit. Ruæi.) ubi de pane, quem Christus dedit discipulis, inquit : *non distulit, nec servari jussit in crastinum.* 3°. Ex S. Cypriano serm. de cœna Dom. (opp. p. 331. edit. Parisin. 1666.). *Panis iste recipitur, non includitur.* 4°. Ex S. Hieronymo in cap. 11. 1. Cor. (opp. t. 11. p. 732. edit. Vallarsi.) *Quæcumque de sacrificiis superfuissent, illi in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant.* 5°. Ex venerab. Beda L. 4. Histor. Eucharist. cap. 14. (opp. t. 6. p. 194. C. apud Migne. Patrol. t. 95.), ubi refert Apostolos apparuisse puero

ægroto, eique dixisse, ut exspectaret, dum celebraretur Missa, ut viaticum corporis Domini perciperet. 6°. Tandem ex Conc. CÆSARAUGUSTANO an. 381. (Labb. 2. p. 1009. E.), TOLETANO I. an. 400. (Labb. t. 2. p. 1215. D.) aliisque particulas Eucharistiæ asservari prohibentibus; ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* R. 1°. Pleraque hæc testimonia pugnare contra adversarios, 1°. quia probant sacrificium altaris, quod Missam dicimus; 2°. quia probant, post Communionem vel distributionem corporis Domini credidisse fideles, particulas residuas esse sacramentum, in iis contineri Christi corpus; cur enim alias tantam curam adhiberent, ut particulæ illæ *cum timore, tremore* consumantur a clericis, vel comburantur, vel dentur innocentibus?

R. 2°. *N. Ant. Ad* 1um. R. Plerorumque consensu, etiam et præsertim adversariorum, epistola illa non est CLEMENTIS Romani, sed ex supposititiis Antesiricianis una. Sed cujuscumque sit, loquitur de particulis, quæ citra corruptionis periculum servari non poterant, et supererant, postquam jam aliæ fuissent sepositæ pro infirmis, et missæ ad absentes; nam revera partem particularum istarum prius sepositam fuisse, ex eadem constat epistola (ibid.): *Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo inveniatur in sacrario, ne, cum id negligenter agitur, corpori Domini gravis injuria inferatur.* Sed et clare indicat Hesychius, dum ait ibidem: *Est locus sanctus; ibi enim sanctum sanctorum requiescit.*

Ad 2um. ORIGENES id solum intendit, sacrificium laudis debere esse recens, ad quod probandum assumit exemplum Christi, qui panem consecratum statim distribuit; et tum præceptum Apostolis datum, ne panem portarent in via; tum Gabaonitarum exemplum condemnatorum, quod panes veteres ad Israelitas detulissent. Hæc vero exempla adhibet, in quantum ejus scopo servire poterant, sacrificium debere esse novum; alias pariter inferre quis posset, non licere panem portare per viam, uti pane veteri. Cæterum Eucharistiam, ut sacrificium est, semper debere offerri de novo, omnes Catholici dicimus; ideoque sec. XI. Cardinalis HUMBERTUS, realis præsentiæ contra Berengarium defensor strenuus, reprehendit Græcos, quod per Quadragesimam imperfectas celebrarent Missas, id est, ex præsanctificatis, seu utendo hostia præconsecrata jam die Dominica præcedente. (Bibl. mag. Patr. t. 4. part. 2a. Resp. contra Nicetam p. 246. A.)

Ad 3um. R. 1°. Sermo ille non est S. Cypriani, sed Arnaldi Bonæ Vallis. 2°. Neque hoc auctor vult, Eucharistiam in vasis includi non posse, sed solum non includi debere ita, ut non sit etiam in aliis consecratis hostiis, et in qualibet earum parte, et aliis communicari non possit. Constat ex contextu: *æqua omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non demembratur; incorporatur, non injuriatur; recipitur, non includitur; cum infirmis habitans non infirmatur.*

Ad 4um. R. Nec hi Commentarii sunt D. Hieronymi, sed Pelagii hæresiarchæ; quanquam et is non neget, partem aliquam particularum fuisse prius sepositam; ac videatur loqui solum de particulis, quæ commode asservari non poterant.

Ad 5um. R. BEDA juxta alios loquitur de Monacho alicujus monasterii, in quo Eucharistia non servabatur. Dici etiam potest, Apostolos monuisse hunc puerum, ut exspectaret sacrificii tempus, ut majore cum devo-

tione fructuque viaticum perciperet. Cæterum Bedæ tempore usum asportandi secum Eucharistiam adhuc non fuisse omnino sublatum, constat ex ejusdem Hist. Eucharist. L. 4. cap. 24. (ibid. p. 214. C. D.)

Ad 6um. R. Concilia laudata morem asportandi Eucharistiam secum propter abusus, prohibitum volebant; quia scilicet Priscillianistæ, ut colligitur ex Conc. Toletano XII. c. 11. (Labb. t. 6. p. 552. A.) ad S. Eucharistiam accedebant cum Catholicis se Catholicos simulando; quam deinde horrenda cum impietate sacrilegi projiciebant. Non obstantibus tamen his Conciliis, mos asportandi Eucharistiam adhuc viguit tempore S. Gregorii L. 3. Dial. cap. 33., venerab. Bedæ ex ante dictis.

291. *Obj. II.* Ex ratione 1°. Sacramentum Eucharistiæ institutum est propter usum, juxta illa : *Accipite, et comedite;* ergo consistit in usu. *Prob. Cons.* Sicut enim Christus Matth. 28. 19. dixit : *Baptizate omnes gentes;* sic Matth. 26. *Accipite, et manducate;* ergo sicut Baptismus consistit in actione indistincta ab ejus usu, sic in eo Eucharistia.

2°. Omne sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis : sed Eucharistia non est signum gratiæ nisi in usu, sive sumptione. *Prob. min.* Eucharistia enim instituta est per modum cibi, ut Extrema Unctio per modum medicinæ : sed hæc in applicatione sola est signum gratiæ; ergo et illa in sola sumptione; proinde in hac consistere dicenda est.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Licet enim non statim manducetur; non idcirco cessat finis; quia servatur, ut manducetur. Deinde finis est quid mere extrinsecum; unde eo licet cessante, vel nondum obtento, non ideo res ipsa cessare dicenda est; sed manet sacramentum signum sensibile efficax gratiæ, etsi hanc in actu secundo non conferat, nisi dum sumitur.

Ad prob. R. *Tr. Ant. N. Cons.* Etsi enim Christus singula sacramenta instituerit ad usum hominum; non ideo singula in solo usu consistunt, sed quod in sacramentis cæteris præter Eucharistiam eorum effectio non distinguatur ab usu, ex ipsis formis colligitur; at e contra Eucharistia ad sui usum præsupponitur; alias quippe falsa esset forma : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus :* quæ verba rem præsentem demonstrant. Item, Eucharistia consistit in corpore et sanguine Christi ceu cibo spirituali; sed cibus ante usum præsupponitur.

Ad 2um. R. *C. Maj. N. min.* ex modo dictis; quibus adde, nequidem de essentia aliorum sacramentorum, quæ in actuali usu consistunt, esse, ut gratiam, quam ceu signa illius practica significant, semper in actu secundo conferant; fide enim certum est, baptismum in hæreticis, improbis cum obice gratiæ illum sumentibus sacramentum esse.

Ad prob. R. *D.* Ut Extrema Unctio per modum medicinæ cujuscumque, nondum applicatæ *N.* qua applicatæ *C.* Eucharistia instituta est per modum cibi, non sumptio; e contra non oleum secundum se institutum est per modum medicinæ, sed unctio, juxta illud Jac. 5. *Ungentes eum oleo;* en usus, vel applicatio, sicut Matth. ult. *Baptizantes eos.* Oleum enim nisi determinatum per verba formæ spiritualem medicinam nondum significat, sicut aqua extra baptismum nondum significat ablutionem spiritualem.

ARTICULUS II.

QUÆ SIT MATERIA CONSECRATIONIS PRIMÆ?

Præter pudenda Gnosticorum dogmata hac in re, quæ præstat æterni silentii sepelire tenebris, Artatyritæ pro materia adhibebant liba confecta ex pane et caseo. Græci schismatici duce Michaele Cærulario Patriarcha Constantinopolitano invalidam Latinorum consecrationem in pane azymo pronuntiant, ac Latinos idcirco *Azymitas* vocant. Sed et hodierni Protestantes pane fermentato, ceu magis conveniente, ut aiunt, utuntur.

Cæterum hujus consecrationis materiam esse panem, consentiunt Ecclesiæ; ac solum de panis qualitate instituitur quæstio, propter Græcos maxime, isne fermentatus, an azymus esse debeat? Quo pertinet altera quæstio, quæ multorum exercuit ingenia, num Ecclesia latina semper pane azymo, græca a sui origine usa sit fermentato? ut pateat, an jure Græci redarguant Latinos, illos a traditione antiquæ Ecclesiæ defecisse; vel an id majori cum fundamento Latini Græcis possint opponere? In qua tamen controversia multum variant Theologi et Critici. Sirmondus e Societate nostra utramque Ecclesiam latinam et græcam in primis seculis usam fuisse fermentato contendit, ac priorem quidem usque ad sec. IX. post schisma Photii. Cardin. Bona L. 1. Rer. Liturg. cap. 23. ante schisma Photii promiscuum fuisse usum azymi et fermentati inter Latinos vult. Mabillonius Diss. de Azym, azymi usum quidem semper Latinis communem fuisse, sed fermentatum Græcis autumat.

292. *Dico I.* Materia remota consecrationis primæ est panis triticeus.

Prob. Sic enim nos docet perpetua traditio et usus Ecclesiæ utriusque tam latinæ, quam græcæ, non alio in pane, quam triticeo consecrantis. Unde et Conc. Florent. in Decreto ait: *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.* Ac missale Romanum jussu Pii V. et Clementis VIII. Rom. Pontif. recognitum, de defectibus in Missa occurrentibus Tit. 3. dicit: *Si panis non sit triticeus; vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus; vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum.* Nimirum nomine panis simpliciter ac sine addito triticeus intelligitur, cum panes alii plerumque cum addito exprimi soleant, ut: *quinque panes hordeacei.*

293. *Dico II.* Materia sufficiens est panis triticeus tam azymus, quam fermentatus: Latini tamen tenentur ex præcepto uti azymo, Græci fermentato.

Prob. 1ª. *p.* Ex Concilio Florent., quod in litteris Unionis (Labb. t. 13. p. 515. A.) *definimus,* inquit, *in azymo, sive pane fermentato triticeo corpus Christi veraciter confici.* Ac ratio est, quod panis triticeus maneat ejusdem speciei panis usualis ac triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus. Eo tamen non obstante Latinorum consuetudo consecrandi in azymo rationabilior est et convenientior; tum quia Christus ipse azymum adhibuit juxta dicta cap. 1. de Institut. Euchar.; tum quia melius significat immaculatam

puritatem corporis Christi, ac necessariam in suscipientibus munditiam; tum quia sic melius veritas respondet figuris, juxta Apostolum : *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis*. 1. Cor. 5.

Prob. 2ª. *p.* 1°. Ex utriusque Ecclesiæ consuetudine, quæ non solum respectu latinæ, ut per se patet; sed etiam respectu græcæ approbata fuit in laudato Concilio Florent., atque a Leone IX. summo Pontif. epist. ad Mich. Cærularium. (Labb. t. 9. p. 978. et seqq.)

2°. Ex Bulla Pii V. *Providentia Romani Pontificis*, edita an. 1566., qua absolute prohibet Græcis, sive suis in terris degant, sive per Latinorum terras iter agant, celebrare ritu Latinorum, ac pariter idem prohibet Latinis; postquam enim omnes revocasset facultates antea concessas sive Græcis celebrandi ritu latino; sive Latinis celebrandi ritu græco, subdit : *Quibusvis presbyteris tam Græcis, quam Latinis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, et sub indignationis nostræ ac perpetuæ suspensionis a divinis pœnis districtius inhibemus, ne deinceps presbyteri Græci, præsertim uxorati, latino more, et Latini græco ritu, hujusmodi licentiarum et facultatum, aut alio quovis prætextu, Missas et alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.* Idem innovavit Bened. XIV. Constit. super ritibus Græcorum §. 6.

Nec dicant Græci, solum panem fermentatum esse vere panem; ἄρτος enim, latine *panis*, dicitur ab ἀίρω *attollo, elevo*, quasi panis elevatus a fermento et sale. Quin panis azymus non est usualis; unde et cap. *Nullus*. 28. q. 1. ac cap. 11. Synodi Trullanæ prohibetur clericis et laicis comestio azymorum. (Labb. t. 6. p. 1145. E.)

Nam 1°. ἄρτον dici ideo, melius colligunt alii, quod elevet naturam nutriendo corpora. Alii etiam ab ἄρω *congruo* derivant, quod cibus sit congruus nostro corpori. Ambo vero hi effectus tam pani azymo, quam fermentato communes sunt. Deinde etsi panis azymus non sit usus vulgaris inter homines, id est per accidens, ex defectu scilicet condimenti alicujus, fermenti; sed hujus defectus panis usualis substantiam haud evertit, sicut nec defectus salis in assatis carnibus evertit substantiam carnis. Præterea licet panis azymus non esset apud Judæos æque in usu alias, ac fermentatus; erat tamen usualis in Paschate, in sacrificiis et oblationibus, juxta illud Levit. 2. 4. *Panes absque fermento* : et v. 11. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet*. Demum prohibetur comestio azymorum more et ritu judaico, sicut et ibidem prohibentur judaica jejunia, aliæque id genus ceremoniæ antiquæ Legis. Sed sic Latini azyma non comedunt.

294. *Dico III.* Ecclesia latina ab origine sua usque nunc nonnisi in pane azymo consecravit. Ita certe, non aliter, antequam Sirmondus suum hac de re tractatum ederet; censebant Latini omnes.

Prob. I. Disciplina vel consuetudo, cujus non potest ostendi initium, ad ipsa Apostolorum Christique tempora referri debet : sed disciplinæ vel consuetudinis consecrandi in pane azymo in Ecclesia latina nullum scitur initium; ergo.

Maj. est trita SS. Patrum regula, et communiter usurpari solita a Theologis et Criticis in similibus quæstionibus aliis. Hanc tradit S. Aug. L. 1. contra Donatist. cap. 22. (al. L. 4. de Baptismo contra Donatistas, c. 25. n.

31.), S. Irenæus de Hæresib. L. 3. cap. 3. (opp. p. 175. edit. Massuetii) unde S. Aug. suam videtur sumpsisse regulam; ubi inquit: si quando pius mos aliquis tenetur in Ecclesia fundata ab Apostolorum aliquo, cujus nunquam interrupta successio fuit; atque alias a successorum suorum nemine sit institutus; fit inde, morem hunc constanter in Ecclesia perseverasse, atque ab Apostolica tantummodo traditione descendere. Et vero hujus enunciati vi, cum olim Episcoporum successio existeret non modo Romæ, sed Antiochiæ quoque, Alexandriæ, Hierosolymis, Ephesi, etc., orta subin controversia, utrum hæc illave observantia ex auctoritate Apostolica descenderet, nec ne? illarum Ecclesiarum consuetudo consulebatur. Sed quoad *Maj.* non est dissensio. Igitur

Min. prob. 1°. Quia nequit assignari decretum vel alicujus Pontificis, vel Concilii, quo statutum esset, loco fermentati panis uti azymo; nec de hac mutatione quidquam refertur ab ullo scriptore.

Prob. 2°. Ex Leone IX. summo Pontif., qui in sec. XI. reprehendens Michaelem Cærularium Patriarcham Constantinopolitanum, restauratorem Photiani schismatis, qui ob azymorum usum Latinos anathemati subjecerat, in epist. ad eumd. hæc quatuor tradit: 1. Christum Eucharistiam in pane azymo instituisse. 2. Exemplo illius Ecclesiam latinam nunquam in pane fermentato celebrasse divina Mysteria: eam consuetudinem obtinuisse in Ecclesia hac ante annos mille et viginti, qui a Servatoris morte usque ad Leonis tempora fluxerant. 3. Neminem ante Cærularium ausum reprehendere hanc Ecclesiæ occidentalis consuetudinem. 4. Martyres omnes ab ineunte Christi Religione Eucharisticis azymis fuisse saginatos; ac tandem disciplinam illam ab instituto Petri ortum trahere. Tum subdit (Labb. t. 9. p. 979. D.): *Illud autem quis non stupeat, quod post sanctos et orthodoxos Patres per mille et viginti a passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti anathematizans omnes, et persequens, quicumque ex azymis participarent...* Et in 1ª. ad eumdem Michaelem epistol. (Labb. t. 9. p. 961. E.) *Quapropter a tanta amentia jam resipiscite, et Latitinos vere Catholicos, atque maximi Petri familiares discipulos, institutionisque ejus devotiores sectatores cessate subsannando Azymitas vocare.*

3°. Ex Cardin. Humberto, qui in responsione ad eumdem Cærularium (Bibl. mag. PP. t. 4. p. 2ª. p. 203. et seqq.) contendit, *sine interruptione* Ecclesiam latinam ab initio consecrasse azymum: ac in disputatione cum Niceta Pectorato (ibid. p. 240. et seqq.) morem hunc antiquam Ecclesiæ occidentalis et Apostolicam traditionem vocat.

4°. Ex Innocentio III., qui de Myster. Miss. L. 4. 2. (al. c. 4.) scribit: *Ab ipsis beatis Apostolis Petro et Paulo, quos et vivos habuit, et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit* (Ecclesia Romana), *quem hactenus inviolabili cultu servavit*; ergo.

Respondent, se non negare, in sec. XI., quo vixit Leo IX., azymorum usum viguisse apud Latinos, sed id se tantum contendere, usum illum invaluisse primum post schisma Photii in sec. IX., idque inde invicte colligi, quod Photius, etsi Latinis exprobraret singula, in quibus a Græcis differebant; de azymorum tamen usu apud Latinos nec verbulo mentionem fecerit, quod certe primo loco objecisset Latinis, si usus jam tunc inductus fuisset.

Verum nihil valet hæc responsio; non enim hoc solum ait Leo IX., suo tempore viguisse usum hunc; sed viguisse *a passione Domini per mille et viginti annos. Disciplinam hanc ex instituto Petri ortum trahere.* Sic et Innocent. III. sec. XII. eam derivat *a beatis Apostolis Petro et Paulo.* Quomodo vero id Leo IX. tam confidenter opponere potuisset Cærulario, si suo primum seculo hic mos invaluisset? Idem est de Cardin. Humberto.

Nec silentium Photii aliquid evincit; ideo enim Photius Latinos ob azymorum usum non redarguit, quia ipsiusmet Photii erat sententia, illum a Christi exemplo manasse, fateturque in Biblioth. cap. 116. (p. 294. Edit. Genev. 1612.), hanc esse Chrysostomi, imo Ecclesiæ græcæ sententiam, quod Christus, cum Eucharistiam instituerit, non alium, quam azymum panem adhibuerit. Consultius proinde censebat Photius, tacere de azymorum inter Latinos usu, quam eos ob eumdem carpere; cum Latinis facile fuisset regerere, immerito se carpi, qui ipsiusmet exemplo Christi inhæreant; culpandos e contra Græcos, qui suæ malint inhærere pertinaciæ, et fermentato pane uti.

295. *Prob. II.* Panis azymus jam ante Photii schisma in tota occidentali Ecclesia in usu fuit; ergo magnum illud adversariorum fundamentum ruit.

Prob. Ant. 1°. Ex Rabano Mauro, qui initio seculi IX. floruit, atque obiit an. 856.; adeoque antequam Photius sedem Constantinopolitanam teneret, quod factum est circa annum 858. Scripsit vero Rabanus circa annum 819. libros tres de Clericorum institutione, in quorum primo cap. 31. (Patrolog. t. 107. p. 319.) cum observasset, usum panis azymi constanter fuisse in Ecclesia latina, et nemini licere alio uti, subdit: *Credimus et panem illum, quem primum Dominus in cœna mystica in mysterium sui corporis consecravit, infermentatum esse;* et paulo superius p. 318.: *Ergo panem infermentatum et vinum aqua mixtum in sacramentum corporis et sanguinis Christi sanctificari oportet, quia ipsas res de se Dominum testificari Evangelium narrat.*

Ex quo Scriptore tria perspicimus. Primum: Rabani ævo usum azymorum non in Germania solum, sed in tota Occidentis Ecclesia viguisse; declarat enim a Præfationis initio, sibi propositum esse agere de SS. Missæ Sacrificio secundum Ecclesiæ Romanæ consuetudinem; ideoque allatis Missæ ceremoniis, et pertractato azymorum usu, subdit (c. 33. p. 324.): *istum ordinem ab Apostolis, Apostolicisque viris traditum Romana tenet Ecclesia, et per totum pene Occidentem, omnes Ecclesiæ eamdem traditionem servant.* Alterum: Rabani ætate non invectum primo fuisse azymorum usum; sed jam ubique viguisse; quia traditum fuisse ait ab Apostolis. Tertium: quod, cum Rabanus 39. annis antequam Photius, dejecto Ignatio, sedem Constantinopolitanam invaderet, hunc librum conscripserit, illud clare sequitur, haud subsistere, quod inquit Sirmondus et Cardin. Bona, nonnisi labente Photium inter et Cærularium ætate, azymorum usum a Latinis introductum fuisse.

2°. Ex Alcuino, qui sec. VIII. floruit, et mortuus est an. 804. Is. epist. 90. ad Lugdun. (opp. t. 1. p. 107. C. D.), cum audiisset, quosdam in Hispania fermentato uti, inquit: *Audivimus aliquos, in illis partibus affirmare, salem esse in Sacrificium corporis Christi mittendum, quam consuetudinem nec*

universalis observat Ecclesia, nec Romana custodit auctoritas... Tria sunt, quæ in sacrificio hujus testimonii offerenda sunt: panis, et aqua, et vinum...; panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis debet esse mundissimus.

296. *Dico IV.* Longe probabilius est, etiam Ecclesiam Græcorum in prioribus saltem quinque seculis consecrasse in azymo.

Prob. 1°. Ex S. Epiphanio, qui sec. IV. floruit, ac Hæres. 30. de Ebionitis (opp. t. 1. p. 139. D. Edit. Petavii) ait: *Divina Mysteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui sunt in Ecclesia, quotannis in azymis: alteram autem Mysterii partem in aqua solum.* Ubi aperte S. Pater ex una parte quoad hoc mysterium laudat Ebionitas; ex altera reprehendit ceu hæreticos. Laudat vero in membro primo, quod azymis utantur in sacrificio; quia inquit, hoc eos facere *ad imitationem Sanctorum in Ecclesia.* Reprehendit vero in membro altero, ut ostendit particula adversativa *autem*, quod alteram Sacrificii partem in *aqua sola* perficerent; quæ scilicet erat hæresis, dicta *Aquaticorum.* Ergo S. Epiphanii tempore, qui ex Græcis Patribus fuit, etiam in Ecclesia græca erat azymorum usus. Imo ante Epiphanium, quia hunc usum ceu communem in Ecclesia supponit.

2°. Cum Cardin. Humbertus in disputatione cum Nicæta Pectorato antiquam Ecclesiæ totius consuetudinem objiceret consecrandi in azymo, cur Græcus id inficiari non ausus? Cur nihil opposuit, quam solum, *id modo ferre præsentis Ecclesiæ suæ morem?*

3°. Armeni, Maronitæ ab immemoriali tempore consecrarunt in azymis, nullaque arte, aut vi ab hoc more divelli potuerunt, teste Demetrio Cyziceno et Nicephoro. Qui quidem idcirco reprehendunt Armenos; sed ambo, cum scriberent, jam erant abrepti schismate Græcorum. Sed et nobilissimæ aliæ Orientis Ecclesiæ Alexandrina, Hierosolymitana, etc., diu in usu azymorum perstiterant, ut colligitur ex epist. Michaelis Cærularii ad Patriarcham Antiochenum (ap. Baron. t. 11. p. 217. an. 1054.), in qua ætate sua multa de duabus illis patriarchalibus Ecclesiis conqueritur, ut: quod in Missa apponerent nomen Romani Pontificis, hunc inscriptum tenerent diptychis; tum in specie: *Verum etiam*, inquit, *ad aures nostras pervenit, quod..... prædicti duo Patriarchæ non solum alios azymis vescentes recipiant; sed etiam ipsi in azymis sacrum conficiant sacrificium.* Igitur non erat perpetuus azymorum usus in Ecclesia græca, sed sensim ille irrepsit.

Quo anno fermentati usus apud Græcos irrepserit, difficile determinatu est. Hoc certum, et sufficit post Epiphanii tempora primum inolevisse. Pariter id certum tum ex Cærularii epist., ejus ævo non fuisse communem. Sed neque an. 692., quo tempore habita Trullana Synodus; cum enim hæc plures Canones formarit contra Armenos, nihil tamen vel verbo perstringendo azymorum apud eosdem usum; facile colligitur, eum jam tunc in Orientali Ecclesia communem haud fuisse. Quod si aliquid, non tamen omnino abs fundamento, statuere liceat quoad fermentati panis usus initium, ab eo primum in sec. VI. Constantinopolitana Ecclesia fuisse correpta videtur; cum enim an. 582. Mauritius Imp. jussisset, ut omnes Armeniæ Episcopi Constantinopolim se conferrent, obstitit Moses, dictus Catholicus, sive Patriarcha suis cum Episcopis ultra 1000. causa addita: *absit, ut fluvium*

Azat transeam, vel furno coctum comedam; vel calidum bibam. Quibus duos Græcorum mores sugillabant; primum, quod in fermentato Eucharistiam conficerent; alterum, quod aquam calidam vino miscerent. Hist. de Hær. Monothel. apud Combefis. de reb. Armen. Itaque communionem ruperunt cum Græcis primo, etsi antea semper conjuncti cum iis fuissent.

Inter argumenta quæ contra conclusiones afferuntur, alia sunt, quæ Sirmondus protulit pro usu fermentati in Ecclesia etiam latina: alia, quæ Mabillonius pro constanti fermentati usu in sola Ecclesia græca. Unde

§. I.

Argumenta partim Sirmondi, partim aliorum.

297. *Argum. I.* Teste Martino Polono in Chronico (ad an. Christi 132.), Alexander I. Papa *præcepit, ut oblatio ex azymo fieret, non autem ex fermento, ut antea fieri consuevit;* ergo.

R. Decretum hoc fictitium est, et iis annumerandum fabulis, quibus hic scriptor, vir simplex, ut cum Bellarm. vocat, suum chronicum implevit, cujusmodi et illa est de Joanna Papissa. Nemini enim per XI. secula aliquid de hoc decreto innotuit, nihilque de eo Romæ, vel usquam reperiri potuit. Præterea si verum esset decretum, quomodo, cum hic Pontifex præesset Ecclesiæ an 119., subsistet sententia adversariorum, azymi usum nonnisi post schisma Photii sec. IX. obtinuisse? Unde et Sirmondus ipse hoc decretum ceu confictum rejicit.

298. *Argum. II.* Eucharistia olim in signum communionis ab una Ecclesia transmitti solebat ad aliam, ut testantur S. Justin. M. Apol. 1., S. Irenæus epist. ad Victorem papam, aliique: sed Eucharistia hæc ex fermentato pane confecta fuerat; ergo.

Prob. min. Ex Pontificali Romano, sive vitis Pontificum, ubi 1°. de Melchiade legitur (Labb. t. 1. p. 1394. A.): *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias in consecratu Episcopi* (ab Ecclesia episcopali ad Diœcesanos), *dirigerentur, quod declaratur fermentum.*

2°. In vita Siricii (Labb. t. 2. p. 1016. A.): *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadem, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.*

3°. Innocent. I. epist. ad Decentium (Labb. t. 2. p. 1247. B.) ait: *De fermento, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti; cum omnes Ecclesiæ nostræ per civitatem sint constitutæ; quarum Presbyteri, quia de ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt... Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta.* Ergo Romana Ecclesia in fermento consecrabat.

R. *N. min. Ad prob. N. Cons.* Fermenti quidem nomine hic Eucharistia designatur in signum communionis ad absentes mitti solita; sed non ideo ex fermento confectam fuisse sequitur; neque enim hoc textus allati evincunt;

non enim dicitur, *esse* ex fermento, sed quod *declaratur, nominatur,* id est, dicitur fermentum, scilicet illa transmissio. Sic nimirum dicebatur apposite, quod in signum communionis, sive conjunctionis transmissio illa Eucharistiæ ordinata esset : nam sicut fermentum massam farinæ et aquæ coagulat; ita transmissa Eucharistia fideles, etiam absentes conjungebat, in cujus conjunctionis signum mittebatur. Aliam adhuc rationem addunt alii; nimirum communius illam Eucharistiam dictam esse *fermentum,* reticito *sacramenti* nomine ob disciplinam arcani, ne, si forte incideret in paganorum manus, mysterium panderetur.

299. *Argum. III.* Primis Ecclesiæ seculis receptum erat, ut, qui ad Missæ sacrificium conveniebant, suam quisque sacrificii partem afferret, ut constat ex Ordine Rom., Concilio Matisconensi Can. 4. (Labb. t. 5. p. 968. A.) aliisque, et nemo negat. Atqui panis, qui offerebatur a fidelibus, fermentatus erat; quippe panis vulgo usitatus; ergo in hoc peragebatur consecratio.

R. *N.* panem fermentatum *solum* offerri solitum fuisse; et addo tria hic falsa simul uno ordine poni, supponique : 1°. a fidelibus nonnisi panem fermentatum offerri solitum fuisse; 2°. panem oblatum nonnisi vulgo usitatum fuisse; 3°. et maxime, in eo consecrationem peractam fuisse. Quod ut pateat,

Observandum, duplicem fuisse oblationum intra Missæ solemnia a fidelibus fieri solitam. Prima fiebat antequam cantaretur, vel legeretur Evangelium; altera tempore ante Offertorium, vel circa illud. In prima offerebant panes communes, aliaque ad sustentationem clericorum, pauperum, et ad ornatum altaris necessaria. In altera post Evangelium nonnisi panis et vinum pro consecratione offerebatur.

Duplex hoc oblationem genus aperte distinguit Hincmarus Rhemensis Capit. Synod. parte 1ª. art. 16. item Ecclesia Mediolanensis usu usque hodie retento. Idem antiquissima liturgia Æthiopum, quæ extat in Biblioth. Patrum tom. 27. pag. 626. editionis Lugdunensis. In oblatione prima panem fermentatum fuisse oblatum, extra controversiam est; quippe qui non in ordine ad consecrationem, sed Ministrorum et pauperum dabatur alimentum, eratque panis communis, et ad victum usitatus. Panem vero etiam in altera oblatione pro consecratione offerri solitum, fuisse fermentatum, domesticum, quotidiano usui inservientem, id probandum erat adversariis; sed a nemine probatur, nec probari potest. Quin fermentatum non fuisse, præter dicta in conclusione, ex indiciis sequentibus rectius colligitur.

1°. Quia panis adhibendus pro consecratione debebat ab ipsis Clericis confici munditia summa et diligentia. Id testatur Theodulphus Aurelianensis episcopus, scriptor in medio seculo VIII. epistola Pastorali ad diœcesis suæ presbyteros (Patrolog. t. 105. col. 193.), *Panes*, inquiens, *quos Deo in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris coram vobis, nitide ac studiose fiant.* Honorius Augustodunensis L. 1. Gemma animæ cap. 66. (Bibl. mag. PP. t. 10. p. 1198. E.), Anselmus Havelsburgensis L. 3. Dialogor. cap. 18. (ap. d'Acheri. t. 13. p. 240.) dicens, panem pro consecratione parari decantando Psalmos. Raban. L. de Institut. Cleric. cit., qui ait,

panem consecrandum nonnisi a Presbyteris parari potuisse. Taceo monumenta alia. Ergo nullo modo est verisimile, panem fermentatum, sive jam subactum, oblatum fuisse fidelibus pro consecratione.

2°. Quia vocabulo *panis* post Evangelium a fidelibus oblati non panem communem debere intelligi, sed farinam, ex qua panis ad consecrationem aptus deberet confici, monet Honorius Augustodunensis loc. cit. inquiens : *Sacerdotes farinam accipiebant, quod adhuc Græci servant, et inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, huncque consecratum eis distribuebant.* Idem asserit Vicecomes de antiquis Missæ ritibus T. 3. L. 2. cap. 10. Ac aperte Conc. Nannetense habitum an. 658. (Labb. t. 9. col. 470. C. D.) S. Gregor. Pont. L. 4. Dial. Non ergo consecratio fiebat ex pane illo communi, vulgari, usitato fidelibus quibuscumque tam opulentis, quam egenis, subin melioris, subin vilioris notæ, qualem scilicet quisque, dives et pauper, pro sui conditione status deferebat.

Porro, non omnis tamen panis, vel farina, quæ post Evangelium offerebatur, inserviebat consecrationi, sed in ea tantum quantitate, quæ putabatur sufficere communicantium numero. Pars confecti inde panis deputabatur pro *Eulogiis*, id est, benedicebatur solum, danda post Missarum solemnia iis, qui, ut ait laudatum Conc. Nannetense, *communicare non fuerint rati*, quocumque ex impedimento.

§. II.

Argumenta Mabillonii.

300. *Argum. I.* Gens græca antiquorum rituum tenacissima est, non ergo videtur recessisse a majorum more.

R. Non est, quod adeo extollatur Græcorum in servandis antiquis ritibus constantia, cum Græcos recentiores in multis defecisse a majorum ritibus ac disciplina, sæpe alibi in Theologia notetur. Sic olim Presbyteris et Diaconis, teste Epiphanio, Hieronymo epist. 48. (edit. Vallarsi) ad Pammachium n. 20. et initio libri contra Vigilantium, non licebat unquam uti uxoribus ante Ordinationem ductis; at contrarium jam post Trullanam Synodum inter Græcos obtinuit. Plura id genus in Goario deprehendere est. Ut adeo ex Græcæ gentis tenacitate in servandis majorum ritibus deducta consequentia æque parum firma sit, quam, ut aiunt, *Græca fides.*

301. *Argum. II.* A primis seculis aliquod discrimen fuit inter ritus orientalis et occidentalis Ecclesiæ; ergo et nihil vetat dicere, fuisse quoad materiam partis primæ sacrificii.

R. *N. Cons.* Esto, fuerit discrimen aliquod, non ideo in omnibus fuit; nec a particulari uno ad alterum disparatum tenet argumentatio. In hac autem materia non fuisse discrimen, ex rationibus datis evincitur. Quibus adde, quod Photio teste in Biblioth. Cod. 116. (loc. cit.) Ecclesiæ græcæ sententia fuerit, quod idem testantur Patres Græci plures, relati supra de instit. Euchar., Christum consecrasse in azymo; non est ergo verisimile, priscos Græcos ab hoc Christi exemplo continuo recessisse.

302. *Argum. III.* Origenes disserens de fermento Pharisæorum (comment. in Matth. tom. XII. n. 6. p. 519. edit. Ruæi.) : *Annon*, inquit, *et aliquando fermentum offertur super altare?* Ergo.

R. Origenes, a S. Hieronymo jam compellatus Doctor allegoricus, fermentum sumit allegorice pro hypocrisi, ejusque scopus est, redarguere sacerdotes novæ Legis, qui simulata sanctitate sacrificium peragunt, ut illi in Lege veteri de quibus nos monet Christus: *Cavete a fermento Pharisæorum;* hinc enim et a Pharisæorum fermento, sive hypocrisi progreditur ad sacerdotium novæ Legis. Et vero quid commune est materiæ sacrificii novæ Legis cum Pharisæorum hypocrisi? Hinc quoque ait, fermentum *aliquando* offerri; si enim panis fermentatus fuisset communis et fixa sacrificii materia, non *aliquando* offerri dixisset.

303. *Argum. IV.* S. Dacius Mediolanensis episcopus in Chronico ait, variare nonnihil Ecclesias super Missæ sacrificio: idem Photius inquit epist. 64; sed hoc de pane Eucharistiæ materia commode intelligitur.

R. 1°. Chronicum Dacii plerorumque consensu opus adulterinum est, ipso non diffitente Mabillonio Diss. de azymo cap. 6., ubi inquit: *De hujus Chronici auctoritate mihi certo pronuntiare non licet.*

R. 2°. Permissa authentia libri, *N. Cons.* cum enim solum dicat S. Dacius variare Ecclesias in quibusdam ritibus Missæ sacrificii, non sequitur: ergo et in materia; nam etsi tunc in hac non variassent, tamen variarunt in multis aliis, in Introitu, in ritu Offertorii, consecrationis, et similium.

R. 3°. S. Dacius teste Bellarmino de Scriptoribus Eccles. floruit circa annum 560.; sed circa illud tempus cœpisse jam in Ecclesia Constantinopolitana fermentati usum, supra in conclus. quoad Armenos observavimus. Photius tamen azymi usum Latinis nunquam objecit, quia noverat versipellis homo, fermentati usum sua in Ecclesia haud adeo adultum esse, saltem non viguisse ab initio, sed priscos Græcos imitatos exemplum Christi.

304. *Argum. V.* Juxta Philoponum L. de Paschate. *Neque azymum proprii corporis discipulis suis dedit Christus; nam et hoc etiam nunc fieret;* ergo.

R. 1°. Falsum est hujus philosophi assumptum, Christum non celebrasse ritu judaico Pascha legale ultimum ante mortem suam, quod eo libro sibi sumpserat probandum; sed contra Patrum Græcorum priorum, aliorumque adhuc eo tempore sententiam, ipso teste Photio cit. Cur Philosophus ille id consilii cœperit, in promptu causa est. Degebat eo ipso tempore in sec. VI. Constantinopoli, quo illuc renuebant venire Armeni, eo quod Constantinopolitana Ecclesia, ut observatum supra, tunc recessisset ab azymi usu, etsi eodem seculo paulo antequam fermentati usus inolesceret, scilicet an. 553., Armeni interfuissent Synodo generali V. sive Constantinopolitanæ II. Philoponus igitur, ut fermentati usum tueretur in gratiam Episcoporum, sic ratiocinabatur: Christus non celebravit ultimum Pascha ritu judaico in azymis; alioquin id fieri etiam nunc deberet. Sed fundamentum hoc falsum est, repugnans Origeni, S. Epiphanio, S. Chrysostomo, et, teste Photio, Ecclesiæ græcæ. Unde

R. 2°. Ex Philosopho hoc id solum conficitur, ejus ætate, post medium

et circa finem seculi VI. tenuisse jam fermentati usum in Ecclesia illa particulari, quod nemo negat; non vero usum eumdem in prioribus etiam seculis tenuisse apud Græcos; vel jam Philoponi ætate fuisse communem Orientis Ecclesiæ. Non simul et semel consuetudo hæc Græcorum Ecclesias corripuit, ut constat ex cit. in conclus. epistola Cærularii, usum azymi Patriarchis Alexandrino et Hierosolymit. sua adhuc ætate exprobrantis.

ARTICULUS III.

QUÆ SIT SECUNDÆ CONSECRATIONIS MATERIA?

Non unus circa hanc materiam error extitit. Fuere, ut Ebionitæ, qui solam adhibendam aquam contenderent, dicti Hydroparastatæ, sive *Aquarii*, vel *Aquatici*, eo, ut fertur, sobrietatis inducti causa. Alii ideo solam adhibebant aquam, quod vinum malum esse et a malo ortum principio crederent, ut Manichæi, eorumque varia progenies. Alii, ne ex odore vini dignoscerentur Christiani esse, consecrabant in aqua, teste S. Cypriano epist. 63. ad Cæcilium, de sacramento calicis. Fuere tandem, qui in solo lacte consecrabant, ut colligitur ex Conc. Carthaginensi an. 397. (Labb. t. 2. p. 1170. E.) Armeni contra usque ad Concilium Florentinum vino puro, sine mixta aqua, utebantur.

305. *Dico I.* Materia necessaria, necessitate sacramenti, in secunda consecratione est vinum de vite; id est, vinum vere et proprie dictum; quodcumque, qualecumque deinde sit.

Prob. Ex Concilio Florent. in Decr. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.* Item ex Concilio Trident. Sess. 13. cap. 3. et Can. 2. Sed et ante idem docuerat Concil. Carthagin. laudatum dicens: *In sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, h. e. panis et vinum aquæ mixtum.* Idem sancivit Trullana synodus (Labb. t. 6. p. 1156. D. E.). Quin, testimonio Patrum, sic constans habuit traditio Ecclesiæ, nixa Christi exemplo Matth. 26. in vino consecrantis.

Unde fabulis annumerandum, quod ait Volterran. L. 7. Geogr., Innocentium III, permisisse Norwegis, ut absque vino consecrarent; ac quod Fumus refert, Alexandrum VI. in eamdem propendisse sententiam. Prior quidem deceptus fuit a litteris, quas sub Innocentii nomine confixerunt scelerati duo, qui ideo capitali pœna scelus luerunt, teste Reynaldo ad annum 1490. Alter pariter a vago mendacique rumore id hauserat.

306. *Dico II.* Vino tamen miscenda est aqua in modica quantitate.

Constat ex totius Ecclesiæ praxi constanti ac perpetua, de qua testantur 1°. Patres omnis ævi et regionis apud Bellarminum hic. 2°. Concilia, quæ idem observari præcipiunt: Aurelianense IV. Can. 4. (Labb. t. 5. p. 382. C.) *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, et hoc aqua mixtum offerre præsumat.* Carthaginense III. Can. 24. *Ut in sacramentis corporis*, etc. ut in præced. conclus. Florentinum in Decr. *Materia*

calicis est vinum de vite, cui modicissima admisceri aqua debet. Ac TRIDENTINUM Sess. 22. cap. 7., ubi et rationes assignat : quia Christus ipse in vino aqua mixto Eucharistiam instituisse creditur : quia ex latere Christi sanguis et aqua simul prodiit : ut significetur unio Ecclesiæ cum Christo; modica tamen aqua esse debet; nec vinum desinat usuale esse, utpote materia necessaria necessitate sacramenti.

Si dicas : Igitur aqua est materia hujus sacramenti, sicut vinum.

R. *N. Illatum.* Materia enim necessaria calicis necessitate sacramenti est vinum usuale ex dictis; et quidem tantum, ut dicetur; igitur non mera aqua, neque in tanta quantitate, ut, quod inde resultat, non maneat vinum usuale. Sed aqua solum ut pars minus principalis, et ut admixta vino, ac cum hoc unum moraliter constituens est idonea consecrationis materia.

307. *Dico III.* Admixtio tamen aquæ non est de necessitate sacramenti; neque præcepti divini, sed tantum ecclesiastici.

Pars 1ª. admittitur ab omnibus, ac probatur tum negative hinc, quod non habeatur sufficiens fundamentum, hanc necessitatem asserendi; tum positive, quia id clare supponunt Rubricæ Missalis Tit. 4., ubi dicitur : *Si celebrans primum post consecrationem advertat, nullam aquam vino admixtam fuisse, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti.* Item Concilium FLORENT., quod in Decr. reprehendit solum Armenos, quod aquam non miscentes vino, ab universæ Ecclesiæ observantia discreparent; nihil plane dicendo de invaliditate consecrationis in vino solo sine aqua.

Pars 2ª. *et* 3ª. rursum communis est. Ac quidem præceptum divinum ostendi nequit; etsi enim Christus ipse dicatur miscuisse aquam vino, non ideo exemplum hoc in præceptum transiit; ut multa alia, quæ Christus fecit, non ideo vim præcepti habent, velut lotio pedum. Sed utrum id, quod Christus fecit, etiam præcepisse dici debeat, ab usu et praxi Ecclesiæ desumi debet. Accedit tandem TRIDENTINUM, quod Sess. 22. cap. 7. docet, præceptum esse *ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam miscerent.* Hoc vero præceptum Ecclesiæ ab ipsis Apostolis, eorumque praxi ducere videtur originem.

Dices : SS. Patres admixtionem aquæ vocant traditionem Dominicam. Item docent, non aliter posse consecrari; velut CYPRIANUS epist. 62. jam citata inquiens : *In sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest*; ergo.

Ad 1ᵘᵐ. R. *D.* Vocant traditionem Dominicam, quia Christus eam præcepit *N.* quia vino aqua mixto consecravit *C.* Est traditio Domini originaliter exemplo; sed non ideo etiam præcepto. *Quoad alterum* : Patres solum inculcant gravem necessitatem ex præcepto ecclesiastico, ut ex ipso colligitur Cypriano, dum ibidem subdit : *Si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter non hoc observavit... potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi.*

308. *Dico IV.* Etiam aqua vino mixta in Christi sanguinem convertitur. Est communis sententia; non tamen de fide.

Prob. Ex Traditione Patrum. Sic IRENÆUS L. 4. advers. Hær. cap. 57. (al. 33.) *Accipiens,* inquit, *Dominus panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis, suum sanguinem confirmavit.* JUSTIN. M. Apolog. 1. n. 65. *A*

precibus finitis... qui apud nos dicuntur Diaconi dant unicuique eorum, qui adsunt, panem, vinum et aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata est. Atqui alimentum hoc apud nos Eucharistia vocatur. S. Ambros. L. 4. de Sacram. c. 4. n. 19. *Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur : sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* Similia habent alii. Hæc tamen authenticam definitionem nondum innuunt; sed neque ea ex Concilio aliquo colligitur.

Utrum vero aqua in sanguinem convertatur immediate, an mediate solum, id est, prius convertatur in vinum, sicque versa in vinum transsubstantietur in sanguinem ? lis est mere scholastica, et philosophica quæstio, cujus resolutio inde pendet, an possibilis sit, actuque contingat naturaliter physica aquæ in vinum conversio, præsertim intra breve adeo spatium temporis? Affirmant e Thomistis plures : negant communius alii, quos, cum quæstionem hanc theologico foro non inferendam puto, qui volet, consulat.

ARTICULUS IV.

QUIBUS PRÆCISE VERBIS CONTINEATUR FORMA EUCHARISTIÆ ?

Christum vere verbis Evangelicis in ultima cœna consecrasse panem et vinum, communissima est sententia, sat clare tradita a Patribus, ut Tertulliano L. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem, et distributum discipulis corpus illum suum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo.* S. Joanne Damasceno L. 4. de Fide orthodoxa cap. 13. (opp. t. 1. p. 268. D.) : *In principio dixit* (Deus) : *Producat terra herbam virentem ; et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa et roborata, fœtus suos profert. Dixit perinde Deus, Hoc est corpus meum ; et, Hic est sanguis meus ; et, Hoc facite in meam commemorationem : idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur.* His similia alii habent. Ut proinde omnino singularis et deserta sit opinio, quam olim Innocentius III. ante adeptum Pontificatum proposuit L. 4. de Myster. Miss. cap. 6., Christum pro potestate excellentiæ consecrasse sola intentione interna, etsi nobis aliqua verba adhibenda imperavit, quanquam S. Thom. q. 18. a. 1. ad 1. dicat, eum illa magis opinative, quam assertive dixisse; ac mutasse videatur postea, cap. *Cum Martha,* de celebrat. Miss.

Lutherus L. de abroganda Miss. priv. ad consecrationem totam liturgiam necessariam contendit. E recentioribus schismaticis Græcis Nicol. Cabasilas in explic. Liturg. cap. 29. et 30., Marcus Ephesinus, Hieremias Patriarcha in censura ad Augustan. Confess. cap. 10. etsi verba Christi in Evangelio expressa esse necessario adhibenda dicant ; volunt tamen ea a sacerdote solum proferri narrative, neque ea operari antequam sacerdos consuetas preces juxta liturgiam S. Chrysostomi (opp. t. 12. p. 792. A.) : *Fac panem istum pretiosum corpus Christi tui, et quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui,* etc., recitarit; quam precationem ad confectionem sacramenti necessariam aiunt, ut ea omissa sacramentum non perficiatur.

Ex Catholicis Doctor Angelicus juxta plures Thomistas in consecratione calicis etiam de necessitate sacramenti illa verba exigit 3. p. q. 78. *Novi et æterni Testamenti, mysterium fidei,* a quo tamen eum vindicant Thomista-

rum alii. Scotus vero illa præcedentia, *qui pridie, quam pateretur,* etc., videtur exigere.

309. *Dico I.* Verba essentialia, quæ ad consecrationem primam requiruntur, et sufficiunt, sunt hæc sola, vel his æquivalentia: *Hoc est corpus meum.*

Prob. generaliter 1°. Sola illa verba sunt essentialia, quæ sufficiunt ad convertendum panem, et corpus Christi constituendum præsens sub speciebus panis: atqui ad hoc verba illa quatuor, *Hoc est corpus meum,* sufficiunt. *Min. prob.* Verba sacramentalia, utpote practica, efficiunt id, quod significant, id est, efficiunt tantum, quantum necesse est, ut verificentur: sed verba illa significant præsentiam corporis Christi, nec possunt verificari ea non data; ergo etiam præsentiam illius efficiunt.

2°. Contra Scotum. Per ea verba sola fit consecratio, eaque sola necessario requiruntur, quæ proferuntur nomine et in persona Christi, ac quibus Christus ipse consecravit, ut patet ex Florentino in Decr. Atqui sola illa quatuor, non vero ista, *qui pridie,* etc. Christi persona et nomine proferuntur; neque illis usus est Christus consecrans; sed sunt verba tantum Historici sacri, quæ sacerdos recitat; ergo.

Neque dicas: Si verba illa non præcedant, sequentia, scilicet, *Hoc est corpus meum,* non significant corpus Christi, sed ipsius sacerdotis. Nam

R. *N. sequel. et prob.* Sed eo ipso, quod sacerdos proferat hæc verba, *Hoc est corpus meum,* ut significantia et efficientia ex institutione Christi, cum intentione conficiendi sacramentum, hoc etiam perficitur; quia intentio præstat, ut verba illa a Christo instituta, ejus prolata nomine et persona censeantur, licet hoc verbis præcedentibus non exprimeretur; non verba ea recitative tantum, vel historice, ut dicetur, profert; sed etiam assertive et significative; sic ut 1°. nomine suo referat institutionem Christi, et 2°. nomine Christi practice significet corpus Christi poni.

3°. Contra Græcos. Verba Christi: *Hoc est corpus meum*: *Hic est calix sanguinis mei,* sola perfecte transsubstantiationem, et præsentiam realem corporis et sanguinis Christi significant; ergo et, quia practica sunt, efficiunt. Et revera hic est Græcorum sensus contra relatos supra schismaticos; prolatis enim a sacerdote alta et intelligibili voce verbis Christi, *Hoc est corpus meum,* continuo et ante precationem illam conclamat populus, *Amen,* et prostratus adorat.

310. *Dices* 1°. Post verba Christi prolata sacerdos Græcus deprecatur, et invocat Spiritum sanctum, ut panem istum faciat corpus Christi, et quod est in calice, pretiosum sanguinem; at non posset ita orare sacerdos, si jam peracta esset transsubstantiatio.

R. *D. Maj.* Ut fiat corpus Christi absolute *N.* ut fiat in salutem sumentibus, et non in judicium *C.* Responsio nititur ipsa S. Basilii liturgia, quacum aliæ coincidunt: *Et panem hunc quidem faciat corpus sanctum ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu in remissionem peccatorum, et vitam æternam ei, qui illud percipit* (opp. t. 2. p. 679. C.). Et hunc revera sensum esse testati sunt Græci in Florentino Sess. ult.

Si ais : Sed in liturgia S. Chrysostomi orat sacerdos Deum, ut panem faciat corpus Christi, *mutans* illum Spiritu sancto; ergo ante hanc orationem panis nondum erat mutatus.

R. *N. Cons.* Quia teste Arcudio rerum græcarum peritissimo, Chrysostomi textus male est latine redditus *mutans;* sed cum in græco proferatur in aoristo secundo (μεταβαλὼν), verti oportuisset in præteritum, ut sensus sit : Fac, ut panis, quem Spiritu sancto tuo *mutasti* in corpus Christi, suscipientibus ad animæ salutem fiat.

311. *Dices* 2°. Patres passim aiunt, Eucharistiam perfici invocatione, et oratione; ergo preces illæ de essentia sunt. *Prob. Ant.* ex S. Cyrillo Hierosolymitano catech. 19. item 21. et S. Justino Apol. 1. (loc. jam abunde citatis) quibus plurimi alii consonant.

R. *D. Ant.* Dicunt ideo, quod verba Christi : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus,* non habent vim consecrandi *N.* ideo, quia ex instituto Ecclesiæ preces verba illa Christi vel præcedunt, vel sequuntur; et quia ipsa verba Christi : *Hoc est corpus meum,* sunt implicita Spiritus sancti, vel Trinitatis invocatio, ut juxta promissionem Christi ad verba illius ponatur ejusdem corpus et sanguis; vel tandem, quia in se ipsam repræsentant Christi orationem, rogantis Patrem *C.* Sic enim et Aug. de forma Baptismi, quæ certe deprecatoria non est, dicit L. 5. de Bapt. *Quomodo exaudit* (Deus) *homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam; vel super capita eorum, quibus manus imponitur ?*

312. *Dices* 3°. S. Basilius, teste S. Joanne Damasceno, in liturgia sua panem et vinum post consecrationem verba adhuc *antitypa* vocat; ergo supponit per illa non fieri mutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

R. *D.* Vocat antitypa respectu corporis Christi adhuc ponendi, ac similiter sanguinis *N.* quatenus etiam post consecrationem adhuc futura figurant mysteria; vitam æternam, cujus pignus sunt corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini *C.* Responsio ex S. Joanne Damasceno constat; postquam enim Lib. de Fide orthod. (opp. t. 1. p. 273. A.) dixerat, S. Basilium in liturgia vocasse panem et vinum antitypa corporis Christi ante consecrationem, addit, etiam sic dici posse adhuc post consecrationem : *Antitypa porro,* id est exemplaria, *futurorum idcirco dicuntur; non quod non vere corpus et sanguis Christi sunt, sed quod nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur; tunc autem intellectuali modo, per solum aspectum.* Unde potius Joannes Damascen. in dato sensu vocat antitypa post consecrationem, quam S. Basilius. Cæterum hac de voce vide plura, ubi de reali præsentia ex Traditione disputavimus.

313. *Dico II.* Verba consecrationis secundæ, sive calicis itidem hæc sola sunt : *Hic est calix sanguinis mei,* vel : *Hic est sanguis meus.*

Prob. I. Rationibus theologicis. 1°. Verba illa : *Hic est sanguis meus,* utpote practica, efficiunt id, quod significant : sed significant Christi sanguinem præsentem; ergo efficiunt; proindeque sufficiunt sola. 2°. Sola

illa verba constituunt essentiam formæ calicis, quæ sufficienter vini in sanguinem conversionem exprimunt; sicut dictum in conclus. præced. de forma consecrationis primæ; sed conversionem illam sola ista: *Hic est sanguis meus*, sufficienter exprimunt, non minus, quam illa: *Hoc est corpus meum*, conversionem panis in Christi corpus; ergo.

Prob. II. Ex omnibus antiquis Græcorum et Orientalium liturgiis; in nulla enim earum verba illa: *Novi et æterni Testamenti*, etc. extant; nihilominus tamen valet forma et consecratio, ut colligitur tum ex traditione universali, quæ illas liturgias recipit, et approbat; tum ex Concil. Florentino, quod aperte supponit, Græcos valide consecrare.

Nec refert, quod Florentinum in Decr. de Sacramentis etiam verba illa cum aliis ponat, quæ juxta nos formam constituunt; non enim id facit, quod omnia sint de ejus essentia, sive pronuntianda necessario necessitate sacramenti; sed quia pronuntiari debent necessitate præcepti. Ita etiam ait esse presbyteratus formam: *Accipe potestatem*, etc. cum tamen apud plerosque certum sit, hæc: *In nomine Patris*, etc. de essentia non esse.

314. *Dices* 1°. Forma calicis debet perfecte significare naturam Eucharistiæ; sed hanc sic non significat sine his sequentibus: *Novi et æterni Testamenti, qui pro multis effundetur*, etc. *Prob. min.* Quia sine his non significatur sanguis *effusus*, sed solum sanguis simpliciter; ergo.

R. Permissa *Maj. N. min.* Quia forma a nobis assignata sufficienter exercite sanguinem profusum, ejusve separationem a corpore in hoc incruento sacrificio significat; cum vi verborum mystice sanguis separetur a corpore. Sicut ergo Eucharistia sub speciebus panis habet rationem sacrificii, licet in forma ejus consecratoria nulla vox exprimat signate rationem sacrificii: item sicut subsistit forma consecrationis primæ sine his: *Quod pro vobis tradetur*; ita hic.

315. *Dices* 2°. Verba illa posteriora sunt quædam determinationes prædicati, quibus sanguinis Christi virtus exprimitur, effusi in passione; ergo ad essentiam pertinent.

R. *N. Cons.* Nam etiam in prima consecratione verba hæc: *Quod pro vobis tradetur*, magis determinant prædicatum; nec tamen essentialia sunt. Illud ergo tantum censendum est essentiale in forma Latinorum, quod determinat prædicatum ad aliquod essentiale, non accidentale tantum: essentiale autem, significare conversionem vini in sanguinem, sive hujus præsentiam realem; sicut vero verba hæc: *Hoc est corpus meum*, sufficienter significant conversionem primam sine his: *quod pro vobis tradetur*; ita quoque hic.

316. *Dices* 3°. Sed juxta Doctorem Angelicum 3. p. q. 78. a. 3. verba illa sequentia sunt de substantia formæ.

Respondent Thomistæ plerique alii, qui nobiscum sentiunt, S. Thomam per substantiam non intelligere *essentiam*, sed integritatem formæ; eo quod hic a. 1. formam in verbis Christi: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, ut nos, præcise ponat, quin ullam alterius verbi necessarii meminisset. Quidquid vero sit, præstat cum Suarez sequi tot Ecclesiarum litur-

gias, quam admittere, quod consequens esset, tot tantasque Ecclesias nunquam consecrasse.

317. Quæri hic quoque solet, quomodo sacerdos proferat consecrationis verba; an recitative, historice tantum, vel an enuntiative aut assertive? Priore modo proferre, est illa præcise eloqui ut solum dicta a Christo : posteriore modo est proferre sic, ut proferens intendat asserere, vel affirmare id, quod verba significant. Sed utroque modo pronuntiari a sacerdote dicendum est. Ac 1°. *recitative;* quia uti sacerdos prioribus verbis, quæ consecrationem præcedunt, refert narrative factum Christi accipientis, benedicentis, etc.; ita et posterioribus refert-ejus dicta, iisque adnectit formam per particulam *enim,* quæ incongrue, ac sine ullo sensu adderetur, si cœpta narratio historica non continuaretur. 2°. *Assertive;* 1. Quia juxta FLORENTINUM proferri debent in persona Christi, sic ut Christus censeatur ea proferre per os sacerdotis; at si solum recitative proferrentur, ut quævis alia Evangelii lectio, non proferrentur in persona Christi. Imo vera essent, licet corpus Christi non adesset, modo sub speciebus a Christo consecratis fuerit. 2. Quia si sola recitativa eorum prolatio sufficeret; ergo sacerdos ad mensam forte legens verba consecrationis vere consecraret. Igitur debent proferri assertive, quia sacerdos debet ea proferre practice, cum intentione vere faciendi sacramentum, corpus Christi.

CAPUT V.

DE PROPRIETATIBUS EUCHARISTIÆ, MINISTRO, SUBJECTO.

Hic præsertim de necessitate Eucharistiæ disputatio superest; quomodo, quibus necessaria sit, an sub utraque specie ejus præcepta sit sumptio? Cætera, quæ hic de Eucharistia pertractari in specie possunt, jam pleraque in part. 1. de Sacram. in genere disserui. Addo demum, quæ de ministro ac subjecto, quantum satis, dicenda videntur.

ARTICULUS I.

AN ET QUOMODO NECESSARIA EUCHARISTIA SIT?

318. *Dico I.* Eucharistia non est necessaria necessitate medii.

Prob. I. Ex S. Scriptura. Eucharistia absolute necessaria non est, si baptismo solo obtineri salus possit; sed juxta S. Scripturam obtineri potest, Marc. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ad Tit. 3. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1. Petr. 3. 21. *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.* Certe quicumque est a peccatis liber, est filius Dei, jus habens ad hæreditatem gloriæ cœlestis, quod non potest amit-

tere, nisi peccato novo. Sed juxta S. Scripturam id præstat baptismus, Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Ad Gal. 3. 27. *Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis.*

Prob. II. Ex sensu Ecclesiæ, quæ quovis tempore credidit, parvulos, qui statim post baptismum decedunt, salvos fieri, etiamsi Eucharistiam non perceperint. *Quis ignorat*, ait S. Aug. L. 1. de peccator. merit. cap. 19. n. 25. *quod baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit quod parvus accepit. Verumtamen, si percepto baptismate de hac vita emigrarit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines et Deum, quæ solvuntur Christi gratia.* Quo loco simul S. Pater suppeditat rationem ejus, quod diximus, scilicet: peccata sola separant inter Deum et homines: sed hæc per baptismum tolluntur; ergo.

Et vero si parvulis necessaria foret Eucharistia, igitur vel ad consequendam gratiam primam, vel ad eamdem conservandam? Non primum; quia hanc consequuntur per baptismum, eum in finem institutum, quo regenerantur. Non alterum; quia gratia non amittitur, nisi per peccatum; sed hujus patrandi parvuli incapaces sunt. Quæ erat argumentatio Patrum in Concilio Trident. Sess. 21. cap. 4. *S. Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.* Ac propterea Sess. ead. Can. 4. definit: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.*

319. *Dico II.* Eucharistia adultis necessaria est necessitate præcepti, 1°. divini; 2°. ecclesiastici.

Pars 1ª. constat ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Quæ, cum non sonent necessitatem medii, ut ante dictum, certo necessitatem præcepti divini arguunt; eo quod sub comminatione gehennæ Eucharistiæ sumptio præcipiatur. Quia sacramentum hoc institutum est, ut habeamus, h. e. vitam spiritualem in nobis conservemus, dubium esse non potest, quin per vitam sæpius hoc salutare sacramentum, præsertim in periculo mortis, teneamur, si possumus, percipere. Hinc S. Cyprianus, aliique erant tantopere solliciti, ne quis, etiam martyr, sine hoc sacramento decederet.

Pars 2ª. ex Decretis Conciliorum patet, 1°. Lateranensis IV. cap. *Omnis utriusque sexus.* De pœnit. et remiss. (ap. Labb. t. 11. p. 172. E.) *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioqui et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur; et moriens christiana careat sepultura.* 2°. Tridentini Sess. 13. Can. 9., ubi

Patres sanciunt, omnes ac singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis; *saltem in paschate,* ad communicandum.

320. *Dices* 1°. Sicut Christus dixit Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc.; sic Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.* Ergo sicut ex priori baptismus necessarius intelligitur necessitate medii; ita ex posteriori Eucharistia.

R. *N. Ant. Disparitas* est 1°. ex parte ipsarum Christi propositionum. Nam prior : *Nisi quis*, etc. generalissima est; ibi enim comprehenduntur omnes et singuli. Altera : *Nisi manducaveritis*, in persona secunda ad auditores, qui adulti erant, restricta est; inter hos vero non erant parvuli, nec esse poterant. 2°. Quia sine baptismo saltem in voto, remitti non potest peccatum originale, nec obtineri prima gratia, sine qua ad salutem, æternamque vitam non patet aditus : at sine Eucharistia obtineri illa potest, obtineturque in Baptismo.

321. *Dices* 2°. Ecclesia primæva usque ad sec. XII. adhuc Eucharistiam solebat ministrare parvulis; ergo censebat necessariam esse necessitate medii.

R. *N. Cons.* Res hæc *disciplinæ,* non *necessitatis* fuit; in casu enim, quo baptizantur in eventu necessitatis a laicis, Eucharistia tunc dari parvulis non potuit; et tamen, si morte præventi post baptismum decederent, nemo de eorum salute ambigebat.

322. *Dices* 3°. Patres, cum olim contra Pelagianos disputarent, qui discrimen inter regnum cœlorum, et vitam æternam commenti fuerant, ex hoc textu : *Nisi manducaveritis*, etc. probabant, parvulos nec vitam æternam habere posse, nisi manducassent carnem Filii hominis; ut Innocentius I. epist. ad Patres Conc. Milevitani (inter Augustinianas 182. al. 93.). S. Aug. L. 1. de peccator. merit. c. 20. n. 26. 28.

R. *D. min.* Nisi manducassent manducatione sacramentali *N.* spirituali *C.* Pelagiani parvulos non baptizatos a regno cœlorum quidem excludebant, sed tamen fruituros vita æterna asserebant. Errorem hunc laudati Patres sic confutabant : Nemo vitam æternam consequitur, nisi carnem Christi manducaverit : atqui parvuli non baptizati Christi carnem nec manducarunt actu, neque in voto; ergo juxta sententiam Christi non tantum a regno cœlorum, sed etiam vita æterna excludendi sunt. Intelligebant vero manducationem carnis Christi spiritualem, h. e. unionem cum Christo per fidem et charitatem, sicque cum eo incorporationem; nam præterquam quod S. Aug. diserte tradat relatus supra, parvulos solo cum baptismo decedentes salutem æternam consequi, rem hanc ita ipse exponit L. 3. de peccator merit. cap. 4. n. 7. 8. *Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec præter Christi societatem ad vitam salutemque æternam quemquam hominum pervenire, nec divino judicio injuste posse aliquem damnari? Unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est, Christi corpori membrisque socientur, manifestum sit, eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere... Numquid*

etiam illud, quia nisi manducaverint homines carnem ejus, h. e. participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam... Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuuntur?

323. *Dices* 4°. Juxta S. Thomam Eucharistia est ad salutem necessaria in voto q. 73. a. 3.; ergo.

R. *N. Cons.* Non enim de necessitate in voto stricte tali loquitur, qualis est respectu baptismi, quando re percipi non potest; clare enim contrarium docet q. 65. a. 4. Unde votum hic sumit pro generali illa voluntate adimplendi præcepta omnia; consequenter etiam sumendi Eucharistiam, quæ voluntas de se non justificat, sed includitur in alio de se justificante.

ARTICULUS II.

AN SUMPTIO EUCHARISTIÆ SUB UTRAQUE SPECIE EX PRÆCEPTO DIVINO NECESSARIA SIT NON SACRIFICANTIBUS?

Etsi in primæva Ecclesia communio dari soleret fidelibus sub utraque specie, id tamen disciplinæ tantum, non necessitatis ex præcepto divino ortæ putabatur. Primus Petrus Dresdensis fuit, Pragæ ludimagister, qui adjuvante Jacobello Misnensi concionatore famoso, abrogatum jam in Ecclesia calicis usum restitutum voluit ceu ab ipso Christo præceptum. Hunc Joannes Huss secutus est cum suis, ac postea Lutherus cum Calvino.

324. *Dico.* Sumptio Eucharistiæ sub utraque specie non est fidelibus non sacrificantibus ad salutem ex præcepto divino necessaria. Est de fide ex Conc. Constantiensi, Basileensi, et Tridentino Sessione 21. Canone 1.

Prob. I. Quia tale præceptum nusquam ex S. Scriptura imprimis erui potest; sed in hac vita et gratia æque promittitur tam sumentibus sub utraque specie, quam sub una tantum; ut enim recte observarunt Patres Tridentini Sess. 21. cap. 1., Christus, qui Joan. 6. 53. dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; et: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*; demum: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*; idem nihilominus dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; ac rursus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Præterea discipulis euntibus in Emmaus Christus Eucharistiam una sub specie porrexit, Luc. 24.; panem enim illum Eucharisticum fuisse, de quo ibi sermo fit, docet S. Aug. L. 3. de consens. Evangelistar. c. 25. n. 72. Sic quoque Act. 2. 24. de fidelibus dicitur: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum... et communicatione fractionis panis.* Sed hic de specie vini nulla fit mentio, et tamen Lutheri ac Calvini consensu fractio illa panis Eucharistiæ erat distributio.

Neque etiam alio ex capite illa necessitas erui potest. Non ex natura hujus sacramenti, quasi sub una specie non acciperetur totum, nam sub qualibet

specie Christus totus et integer accipitur; et in qualibet specie habetur ratio convivii, quia, cum sanguis Christi nunc non amplius separatur a corpore, sub qualibet specie habetur corpus et sanguis Christi, sicque cibus et potus. Non ex gratia ad salutem necessaria; nam qui totum Christum percipit ceu omnis gratiæ fontem, nulla privatur gratia ad salutem necessaria; nec enim Eucharistia sub duplici sumpta specie confert plus gratiæ saltem *ex opere operato,* quam sub una; sicut nec sic plus confert gratiæ, si plures sacræ particulæ sumantur simul, vel una post alteram, quam si una tantum. Ac ratio est, quia utrobique Christus totus, omnium gratiarum fons, percipitur; eamdemque gratiam, quam promisit simul bibenti sanguinem, etiam promisit solam manducanti carnem Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Non denique ex traditione; ex hac enim constat contrarium, ut modo videbimus.

325. *Prob. II.* Ex usu et praxi Ecclesiæ veteris quæ, etsi in ea usque ad seculum XII. non infrequens esset communionis sub utraque specie usus; pluribus tamen in casibus eam etiam una sub specie ministrabat.

1°. Dum fideles die Dominica in Ecclesia convenientes quasdam panis consecrati reliquias pro cæteris hebdomadæ diebus, quibus sibi privatim Eucharistiam ministrarent, deferebant secum domum sine calice, ut testatur S. Cyprian. Tract. de lapsis (p. 175. Edit. Rigalt.), Tertullian. Lib. 2. cap. 5. ad uxorem (p. 169. B.).

2°. Dum in communicationis mutuæ signum Eucharistia mittebatur absentibus, aliasque ad Ecclesias, ut cap. præced. art. 3. §. 1. observatum.

3°. Dum residuæ consecrati panis particulæ, si nimiæ a communione superessent, innocentibus pueris dabantur absumendæ, ut testatur Evagrius Lib. 4. cap. 36.

4°. Dum infantibus tantum dabatur Eucharistia sub sola specie vini; nonnihil vero grandioribus sub sola specie panis; ut constat ex S. Cypriano Tract. de lapsis., Paschali II. epist. ad Pontium Cluniacensem Abbatem (Labb. t. 10. p. 656.) et Conc. Matisconensi II. can. 6. (Labb. t. 5. p. 982. B.) et exemplo Græcorum, qui hodie adhuc baptizatis infantibus solum sanguinem instillant. Ita quoque infirmis modo sub sola specie panis, modo sub sola specie vini datam Eucharistiam fuisse, testatur Euseb. L. 6. Hist. cap. 44., Paulinus in vita S. Ambrosii. (inter oper. S. Ambr. t. 1. p. 88. F. Edit. Paris. 1614.), Conc. Toletanum XI. cap. 11. (Labb. t. 6. 552. B.)

5°. Etiam communionis publicæ in Ecclesiis sub una tantum specie usus non infrequens fuit; nam sec. V. Manichæi, ut laterent, panem Eucharisticum sumebant cum Catholicis, eo quod a vino ceu re mala abhorrerent. Unde Gelasius Papa præcepit, ut communio sumeretur sub utraque specie, Can. 12. de Consecrat. Dist. 2. Idem ex eadem causa voluit S. Leo serm. 4. de Quadrag. c. 5. (Patrol. t. 54. p. 279. C.)

Demum idem invicte ostendit *Missa præsanctificatorum*, dum Græci jam a sec. IV. toto Quadragesimali tempore, exceptis sabbatis, Dominicis et festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis, in sola specie panis, jam præcedente Dominica consecrati, celebrant Missas, quod idem servat Ecclesia latina die Parasceves ab Innocentii I. id est, seculi V. tempore.

Albert's College Library

326. *Obj. I.* S. Scriptura pluribus in locis præceptum exhibet communionis sub utraque specie; ergo.

Prob. Ant. 1°. Joan. 6. Christus eam præcepit sub gravi comminatione: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* ergo.

2°. Matth. 26. usum calicis in specie præcepit: *Bibite ex eo omnes;* sicut enim ex his: Accipite et *manducate*, colligitur præceptum communionis sub specie panis; ita ex prioribus debet colligi præceptum communionis etiam sub specie vini.

3°. Hoc præceptum in ultima cœna confirmavit inquiens: *Hoc facite in meam commemorationem;* quæ non solos Apostolos, sed omnino omnes fideles respiciunt.

4°. Apostolus 1. ad Cor. 11. 23. idem testatur; cum namque ibidem dixisset: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis*, mox utramque speciem conjungit v. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Et v. 28. *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat;* ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. 1°. *N. Ant.* Non enim verbis illis modum præcepit, quo sumi debeant ejus corpus et sanguis sive manducandi, et dein bibendi seorsim; sed solum rem ipsam præcepit sumere, id est, corpus ejus et sanguinem ad habendam vitam, quæ continentur sub specie una. Constat inde, tum quia effectum eumdem ibidem promittit sumenti Eucharistiam sub specie panis; tum quia hic præscribit medium conservandæ vitæ spiritualis; hoc vero non consistit in modo sumendi seorsim species, sed in re sub aliis contenta, corpore et sanguine Christi; at sub specie qualibet ambo continentur. 2°. Particula *et* non raro in Scriptura disjunctive sumitur, ut Exod. 2. 5. *Qui percusserit patrem et matrem, morte morietur;* ubi *et* disjunctive sumitur. Ita hic Joan. 6. accipi disjunctive ex S. Scriptura et praxi Ecclesiæ colligimus; vel certe copulative, sed in sensu negativo, nimirum sic: si neque manducaveritis carnem Filii hominis, neque biberitis ejus sanguinem; id est, si neutrum sumpseritis, quo modo dicebat Petrus: *Argentum et aurum non est mihi*, id est, neutrum.

Ad prob. 2am. R. 1°. *N. Ant.* et rationem; neque enim ex verbo *manducate* hoc præceptum evincitur; sed verba hæc erant invitantis. Præceptum vero sumendæ Eucharistiæ ex Joan. 6. *Nisi manducaveritis*, etc. præcipue colligitur. 2°. Permisso Anteced., præceptum hoc solos præsentes attinet Apostolos, eorumque successores sacerdotes, non cæteros fideles; nam eo modo præcepit, ut omnes biberent, quo ait Marcus, omnes bibisse: *et biberunt ex eo omnes;* sed Apostoli soli biberunt.

Si quæras: Cur igitur Christus de calice dixerit: *bibite ex eo omnes.*

R. Quia unum eumdemque calicem præbebat; ne igitur unus, vel primi ordine bibentium exhaurirent totum, ut ad postremos nihil deveniret, dixit: *bibite ex eo omnes.* De pane vero cuilibet partem divisam et propriam dedit: *fregit, deditque discipulis;* hinc non erat hic necesse dicere: *manducate ex hoc omnes;* quanquam ita etiam a Christo dictum putet S. Ambros. L. 4. de Sacram. cap. 5. n. 21. et legatur in Canone Missæ.

Ad prob. 3am. R. *N. Ant.* Verba illa immediate post consecrationem panis dixerat; igitur ad calicem non pertinent. Unde et Paulus 1. Cor. 11. cum et

ipse de pane consecrato dixisset absolute : *Hoc facite in meam commemorationem*, vers. 26. sequenti de calice inquit conditionate : *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem;* id est, si biberitis, in meam commemorationem bibite.

Nec refert, quod Lucas cap. 22. post illa verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, loquens de calice, dicat : *similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens*, etc. ; nam particula *similiter* a Luca refertur tantum ad actionem accipientis, benedicentis, porrigentis, non vero ad omnia, quæ Christus fecerat ante, dixeratque, ut sensus sit : sicut accepit panem, benedixit, dedit discipulis ; *sic*, vel *similiter* accepit calicem, etc.

Ad prob. 4am. R. *N. Ant.* Refert ibi Apostolus, quomodo instituta sit Eucharistia a Christo, quomodo panem consecrarit et calicem ; non vero asserit, utrumque sub distincta specie debere a singulis sumi ; quin de calice loquitur conditionate v. 25. ut ante dictum. Sed et conditionate loquitur 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis*, etc., id est, si manducaturi estis panem, et calicem bibituri ; quæ non significant debere absolute utramque speciem sumi. Demum v. 28. præceptum non datur de modo sumendi, sed de probatione sui ipsius, utrum quis digne accedat ; sic si quis dicat : probet se ipsum homo, et sic voveat religiosum statum ingredi, vel sic voveat virginitatem ; sensus non est, quod religiosus status præceptus sit, vel virginitatis votum, sed probatio. Sed et clarum fit ex præcedenti v. 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit*, etc. ubi loquitur disjunctive ; ac proinde sequentis v. 28. sensus est : probet autem se ipsum homo, et sic vel manducet, vel bibat ; vel, ut, qui bibit, non bibat indigne.

327. *Obj. II.* Ex praxi veteris Ecclesiæ. Primæva Ecclesia semper Eucharistiam administrabat sub utraque specie, nisi aliud posceret necessitas, quæ vero excusat a præcepto ; ergo. *Prob. Ant.* Nam panis saltem dabatur intinctus in sacro sanguine ; ac fideles cum sacro pane etiam vinum secum deferebant domum ; item Græci in Missis præsanctificatorum consecrato pani aliquot sanguinis guttas affundunt.

R. *N. Ant.* Constat ex exemplis in *Prob.* 2a. communionis etiam publicæ.

Ad prob. R. Etsi id aliquando factum ; non tamen semper in his præcise casibus ; nam in aliis non intingebatur. Græcos quod attinet, etsi quasdam sanguinis guttas infundant ; statim tamen ad ignem exsiccant. Deinde hic mos apud Græcos veteres non erat, nec in eorum liturgiis antiquis extat. Ac demum nunquam saltem apud Latinos id in usu fuit.

328. *Obj. III.* Ex Patribus. Hi de communione sub utraque specie, tanquam de re præcepta loquuntur ; ergo.

Prob. Ant. 1°. S. Justin. M. Apol. 1. n. 66. (opp. p. 86. A. edit. Venet.) ait de communione sub utraque specie, Apostolos testari in Evangeliis, *ita sibi Christum præcepisse*. Auctor sermon. de cœna Dom. (inter Cypriani opera p. 329.) *Lex*, inquit, *usum sanguinis prohibet ; Evangelium præcipit, ut bibatur*. S. Cyprian. epist. ad Cæcilium p. 100. queritur, quosdam circa calicem non observare, quæ Christus præcepit. S. Chrysostom. homil. 18. in 2. Cor. (opp. t. 10. p. 568. C.) ait, in Lege nova secus, ac in veteri, unum corpus et unum poculum omnibus proponi.

Prob. 2°. Paschasius Ratbertus L. de Corp. et Sang. Domini cap. 15. n. 2. verba hæc : *Bibite ex eo omnes*, etiam extendit ad laicos : *Accipite, et bibite ex hoc omnes, tam ministri, quam et reliqui credentes.*

Prob. 3°. Gelasius Papa communionem sub una specie vocat *sacrilegium*, Can. 12. Dist. 2. de Consecrat. ; S. Leo serm. 4. Quadragesimali. c. 5. *sacrilegam simulationem.*

R. *D. Ant.* Tanquam de re omnibus non sacrificantibus præcepta jure divino, ab ipso Christo *N.* lege aliqua Ecclesiæ pro usu et consuetudine illius temporis *C.* Loquuntur ad usum vulgarem sui temporis, et disciplinam ; sicque præcepta dici poterat utriusque speciei sumptio, et ita revera præceperant Gelas. et S. Leo propter Manichæos.

Ad prob. 1am. ex S. Justino R. Revera ita Christum præcepisse Apostolis utpote sacerdotibus ; de his enim loquitur, ita *sibi* præcepisse. Auctor serm. de cœn. Dom. ipsam rem sumendam respicit, non modum ; sed qui corpus Christi manducat, simul sanguinem bibit, qui nunquam separatur a Christi corpore ; sicque quoad hoc sufficienter Lex evangelica recedit a Lege veteri. S. Cyprianus ita queritur, sed de *Aquariis* hæreticis, qui in sola aqua secundam consecrationem peragebant. S. Chrysostom. ad sui usum temporis respicit.

Ad prob. 2am. R. Gelasius in Manichæos invehitur, qui a calice abstinebant ceu re mala ; loquitur enim de his, qui superstitione obstricti non sumebant vinum ; Manichæi vero negabant, utramque speciem esse sacramentum, ac tantum contineri in specie altera, quantum in prima panis ; itaque sacrilege dividebant mysterium ; at sic fideles mysterium non dividunt. Eadem est ad S. Leonem responsio, ut jam ex supradictis constat. Inde sanxit Gelasius, *ut integra sacramenta percipiant*, id est, utramque speciem ; vel si nolint, penitus arceantur.

329. *Obj. IV.* Ex ratione. 1°. Eucharistia instituta est per modum convivii : atqui hoc non habetur per unicam speciem, puta cibi ; ergo.

2°. Instituta est in commemorationem mortis Christi, juxta Apostolum 1. ad Cor. 11. 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Sed in sumptione unius speciei non habetur commemoratio, vel repræsentatio mortis Christi.

3°. Saltem cum Christus usum calicis non prohibuit, injuste fecit Ecclesia eo fideles fraudando.

Ad 1um. R. *D. Maj.* Per modum convivii corporalis *N.* spiritualis *C.* Inter hæc vero convivia istud est discriminis, quod in corporali cibus non contineat potum ; in Eucharistico vero quod habet rationem cibi, contineat in se potum, et quod habet rationem potus, contineat cibum ; quia corpus Christi non est sine suo sanguine, nec sanguis sine corpore ; ergo sub una specie quoad rem habetur hoc convivium.

Ad 2um. R. *C. Maj. D. min.* Non habetur hæc repræsentatio tam expressa *C.* non habetur sufficiens *N.* Hoc ipso enim, quod sumatur species panis, sub qua vi verborum solum corpus ponitur, significatur ejus a sanguine separatio, sicque Christi mors. Magis expressa quidem hæc significatio est, si utraque seorsim species sumitur ; sed hæc ad Eucharistiam spectat, ut sacrificium est, non ut sacramentum, in quo sufficit hæc significatio, vel repræsentatio quoad rem et substantiam. Sicut, licet in baptismo trina

immersio magis expresse significet sepulturam Christi ; sufficit tamen affusio, vel aspersio.

Ad 3um. R. *N. Assert.* Christus usum calicis non prohibuit, sed nec præcepit. Cur vero Ecclesia eum prohiberet, multæ gravesque causæ fuerunt, quas refert Catechismus Romanus Part. 2. de Euchar. 1°. Periculum effusionis, quod sæpe vix est moraliter evitabile in concursu populi, dum tremuli senes, juvenes non satis culti, etc. ad Eucharisticam mensam accurrunt. 2°. Quia Eucharistia servari debet pro infirmis, pronum est, aura præsertim calida, vini species, non sine injuria sacramenti, in acetum degenerent. 3°. Ut esset in sumendo hoc sacramento uniformitas, cum sint multi vino abstemii a natura. 4°. Ut convelleretur Jacobelli, Joannis Huss hæresis, sacrilegium esse docentium, unam tantum speciem sumere; tum eorum, qui inficiabantur, sub una specie Christum totum contineri.

ARTICULUS III.

DE MINISTRO ET SUBJECTO EUCHARISTIÆ.

Minister Eucharistiæ duplex distinguitur, consecrandæ, et dispensandæ.

De ministro Eucharistiæ consecrandæ multiplex error fuit. Fuere, qui potestatem hanc mulieribus tribuerent, ut Gnostici, de quibus Irenæus L. 1. cap. 9. Waldenses cuilibet laico, modo probis esset moribus, concedebant hoc, quod cuilibet sacerdoti, si esset improbus, abrogabant. Hoc quoque in dubium revocaverat Wicleffus, teste Thoma Waldensi L. 2. de Sacram. c. 7. Sed, quod Wicleffus revocabat in dubium, definiit Lutherus, sacerdotium commune omnibus faciens Christianis; ideoque, dum poscit necessitas, quemlibet de plebe posse Eucharistiam conficere, quanquam id alias permitti non oporteat, ordinis et disciplinæ causa. L. de Captiv. Babyl. cap. de Ordine.

330. *Dico I.* Sacerdotes soli Eucharistiæ consecrandæ ministri sunt, nec id ulli alteri mortalium competit. Est de fide, juxta Tridentinum Sess. 22. can. 2. Ante quod idem tradiderat Concilium Lateranense IV. relatum cap. *Firmiter,* de SS. Trinit. sed et Florentinum in Decreto.

Prob. I. Ex S. Scriptura Luc. 22. 19. ad solos Apostolos, eorumque successores sacerdotes dixit Christus : *Hoc facite in meam commemorationem.* Neque enim potestatem hanc datam per illa Christi verba fidelibus singulis fuisse, ex ipsa Apostolorum praxi constat, cum nunquam legatur, munus hoc quemquam alium obivisse præter Apostolos, et quos ipsi consecrassent presbyteros. Unde et aiebat Paulus 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi* ; consecrans vero ut minister Christi agit, cujus in persona ac nomine dicit : *Hoc est corpus meum.*

Prob. II. Ex Traditione constanti Ecclesiæ. S. Justinus M. Apol. 1. n. 65. 66. ait *eum qui fratribus præest* rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritus sancti offerre Eucharistiam juxta mandatum, quod Apostolis Christus dedit, cum accepto pane dixit : hoc facite. Tertullian. L. de Cor. mil. (opp. p. 102. A.) refert ad traditionem Apostolicam, quod Eucharistiam *non de aliorum manu, quam præsidentium sumamus.* Quanto magis igitur ad hos confectio pertinebit? S. Epiphan. epist. ad Joannem Hierosolymit. (opp. t. 2.

p. 312.) apud hunc se purgat, quod in ejus diœcesi presbyterum ordinasset, hac ratione, ne multitudo sanctorum fratrum ibidem degentium sacris privarentur mysteriis, cum non haberent, qui sibi divina Sacramenta conficerent. At inepta hæc ratio fuisset, si de plebe quilibet posset in necessitate etiam reliqua, excepto baptismo, præsertim Eucharistiam conficere.

Sed et Conc. generale Nicænum I. id diserte tradidit Can. 18. vetans; ne presbyteri *ab iis,* diaconis, *qui potestatem non habent offerendi Christi corpus accipiant.* (Labb. t. 2. p. 43. D.) At si diaconi nequidem ministri sint consecrandæ Eucharistiæ, quanto minus clerici inferiores alii, vel ipsa plebs? Plura testimonia Bellarmin. exhibet.

Argumenta, quæ hic contra ab adversariis fieri possunt, singula ex capitali et generali eorum principio fluunt, non esse jure divino discrimen ministros Ecclesiæ inter et laicos. Quæ vero soluta, ne actum agamus, vide Tract. de Sacram. Ord. Dissert. I.

331. *Dico II.* Minister Eucharistiæ dispensandæ ordinarius jure divino est solus sacerdos; extraordinarius vero diaconus.

Pars 1ª. probatur ex laudata Christi sententia Luc. 22. *Hoc facite;* at ipse Eucharistiam a se consecratam singulis distribuerat. Huc etiam illud Pauli 1. Cor. 4. pertinet : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei.* Unde et Trident. Synodus docet, id semper moris fuisse in Ecclesia, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent.

Pars 2ª. ex traditione et praxi Ecclesiæ patescit; posse enim diaconos Eucharistiam dispensare, S. Cyprianus tradit Tract. de lapsis, ubi ait, diaconum calicem præsentibus offerre. Pariter Conc. Nicænum I., dum vetat, ne diaconi presbyteris Eucharistiam præbeant, eo ipso supponit, quod distribuere aliis possint; si tamen licentia accedat Episcopi. *Diaconus,* ait Concilium Carthagin. IV. Can. 38. (Labb. t. 2. p. 1203. C.) *præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Nunc tamen, quia usus hic non viget hodie, et rei novitas offendere posset populum, licentia illa, non a presbytero simplici, sed episcopo exspectanda est.

332. Clerici igitur diaconis minores in cœtu publico et solemniter dispensare Eucharistiam non possunt; quia nusquam illius rei vestigium est.

Dixi : in *cœtu publico,* id est, in Ecclesia; privatim tamen posse in necessitate, docet praxis primævæ Ecclesiæ; sic enim S. Tharsicum martyrem acolythum, cum corporis Dominici sacramenta ferret, interemptum fuisse a paganis, referunt Martyrologia Bedæ, Adonis, Usuardi. Acolythos olim Eucharistiam solitos deferre ad absentes, testatur Innocent. I. epist. ad Decent. (Labb. t. 2. p. 1247. B.).

Quin et laicos aliquando fuisse adhibitos, ut in necessitate Eucharistiam ministrarent, refert Euseb. L. 6. cap. 44. narrans, presbyterum per famulum misisse Eucharistiam ad ægrotantem Serapionem. Sed et laicos detulisse olim ex Ecclesia sacras particulas domum, ut per hebdomadem eas sibimet ministrarent, diximus num. 325. testanturque Patres, S. Cyrillus catech. 5. mystag. n. 21., instruens, quomodo ab his recipienda particula sacra : *Non expansis manuum volis... sed concava manu suscipe corpus Christi.* S. Basilius epist. ad Cæsarium. Ac S. Ambrosius Theodosium imperatorem post

Thessalonicensem cædem sic, teste THEODORETO L. 5. cap. 17. (al. 18.) alloquebatur: *Qui manus injusta cæde respersas extendere audes, et eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum ejus sanguinem ori obmovebis?*

Id tamen discriminis viros inter et mulieres fuit in Occidentali Ecclesia, quod viri nuda manu, mulieres vero subjecto linteolo, quod *Dominicale* dicebatur, Eucharistiam acciperent. *Non licet mulieri*, inquit Conc. ALTISSIODORENSE Can. 36. (Labb. t. 5. p. 960. D.) *nuda manu Eucharistiam accipere.* Et S. AUG. serm. 252 de Tempore (al. in App. serm. 229. n. 5.) *Mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant, sic corpus castum, et cor mundum exhibeant.* Verum mos ille a pluribus seculis, cessantibus causis, cessavit in Ecclesia; ideoque TRIDENTINUM Sess. 13. cap. 8. docet, retinendum morem, quem ait ab Apostolis descendere, ut laici a sacerdotibus communionem accipiant. A qua tamen disciplina dispensatum fuit in seculo XVI., cum MARIA Scotorum regina, quæ in carcere detenta, mortique vicina Eucharistiam, quam apud se habebat, sibi ministrasse dicitur.

333. *Dico III.* Subjectum Eucharistiæ solus et omnis homo baptizatus est, et capax, si a gravibus peccatis immunis est, ad Eucharistiam suscipiendam cum fructu.

Pars 1ª. constat inde, quia baptismus cæterorum sacramentorum cum janua sit, sine eo nullum aliud percipi potest.

Pars 2ª. elucet hinc, quia baptizatorum nemo in S. Scriptura usquam excluditur.

Pars 3ª. ex dictis de sacramentis in genere liquet; quia sacramenta causarum naturalium necessariarum instar, ubi non inveniunt obicem, effectum producunt.

Varia tamen Ecclesiæ disciplina fuit quoad varium hominum genus. 1°. *Infantibus* olim usque ad seculum XII. Ecclesia Eucharistiam præbuit; quod quidem in Latina abrogatum, non tamen in Græca teste ARCUDIO L. 3. de Sacram. Euchar. cap. 40. 2°. *Energumeni* passim ab hoc sacramento arcebantur; in extremo tamen vitæ discrimine iis etiam concessum fuisse ex Conc. ELIBERITANO Can. 37. (Labb. t. 1. p. 974. E.) intelligitur, ubi statuit: *eos, qui a spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si vero fuerint fideles, dandam iis esse communionem.* Quin etiam extra vitæ periculum datam ipsis fuisse Eucharistiam, si lucidis vel pacificis intervallis gauderent, testatur Synodus ARAUSICANA Can. 14. (Labb. t. 3. p. 1450. A.) quod et hodie obtinet. 3°. *Amentes*, durante amentia, ad Eucharistiam non admittebantur; fuitque eadem ipsorum ratio, quæ energumenorum. His tamen in mortis periculo constitutis præbendam Eucharistiam decrevit ARAUSICANA Synodus Can. 13., et CARTHAGINENSIS IV. Can. 76. (Labb. t. 2. p. 1206. A.) Nunc vero his non porrigitur, nisi dum intervallis lucidis fruuntur. 4°. Qui graviorum scelerum in vita reos se fecerant, licet moribundis olim negabatur in Hispania, Gallia, ut colligitur ex Conc. Eliberitano, item pro Africa, ex Cypriano epist. 52. ad Antonianum. Quod idem circa ultimo supplicio afficiendos in Gallia, Hispania, variisque Germaniæ provinciis observatur.

CAPUT IV.

DE EUCHARISTIA, UT SACRIFICIUM EST, SIVE DE SACRIFICIO MISSÆ.

Sacrificium est *oblatio rei sensibilis a ministro legitimo facta Deo, per realem aliquam immutationem rei, ad testandum supremum Dei in nos dominium, nostrique subjectionem.* Dicitur 1°. *oblatio rei sensibilis*; est enim cultus Dei externus; res vero tam animata, quam inanimata esse potest sacrificii materia. Per hoc differt a sacrificiis impropriis, precibus, cantibus, actibus internis, piis operibus. 2°. *Facta a legitimo ministro;* hoc est homine ad id specialiter et legitime deputato; non enim cujuslibet est offerre sacrificium. In Lege naturæ ad hoc deputabantur vel instinctu Dei, ut Abel, Abraham; vel ab hominibus, ut patresfamilias, primogeniti, qui tunc saltem non erant ad id ex ordinatione quadam divina inhabiles: in Lege scripta vero ex ordinatione divina soli Aaronis filii, excepto solo sacrificio agni paschalis juxta num. 230. 3°. *Facta Deo,* scilicet soli; sacrificium enim actus latriæ est, qui soli Deo exhiberi debet. Hinc S. Aug. L. 10. de Civit. cap. 4. *Quis sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?* 4°. *Per aliquam immutationem rei,* qua videlicet res desinat esse physice, vel moraliter sic, ut ad usus suos naturales non amplius apta permaneat. 5°. *Ad testandum supremum Dei in nos dominium, et nostram subjectionem;* ad hæc enim duo præcise significanda assumitur, ita ut, si animo alio fiat, signum evadat falsum, cum significatio hæc sacrificio essentialis sit. Postquam igitur hactenus Eucharistiam consideravimus, ut sacramentum est ad nostram sanctificationem institutum, superest, ut illud, qua sacrificium est ad Dei cultum ordinatum, consideremus.

ARTICULUS I.

UTRUM IN MISSA OFFERATUR DEO VERUM AC PROPRIE DICTUM SACRIFICIUM?

334. *Præmitto.* Antiquissimum *Missæ* vocabulum est, jam a S. Ambrosio usurpatum L. 4. epist. 33. (al. classe 1ª. epist. 20. n. 4. ad Marcellinam sororem.) et S. Augustino serm. 237. de Tempore (al. 49. c. 8.) Nominis hujus etymologiam alii ex hebraico *Missah,* quod oblationem significat, derivant; alii græcis e fontibus. Longe verosimilius a latino *mitto,* missum facio, ortum ducit, sic ut Missa idem sit, quod missio, dimissio; in Conc. enim Carthaginensi IV. Can. 84., Ilerdensi Can. 4. (Labb. t. 4. p. 1612. A.) permittuntur Gentiles, Judæi, Hæretici permanere in Ecclesia, *usque ad Missam,* id est, dimissionem *catechumenorum;* et dicente S. Aug. serm. 237. de Temp. *Post sermonem fit Missa catechumenis,* id est, dimittuntur, *manebunt fideles.* Nimirum ut ex Conc. Valentino (in Hispania) Can. 1. (Labb. t. 4. 1617. E.)

constat, pars illa officii divini ex precibus, lectione, verbi divini expositione constans usque ad Offertorium passim dicebatur *Missa catechumenorum.* Pars reliqua vero ab Offertorio usque ad finem erat *Missa fidelium,* teste ALCUINO Lib. de Offic. Eccles. et celebrat. Missæ c. 40. (al. L. de divinis officiis.) Sicut namque ante Offertorium Catechumeni, sic Officio toto peracto fideles dimittebantur, clamante Diacono : *Ite, Missa est.* Totum vero Missæ officium cum singulis, quibus constat, ceremoniis a Græcis λειτουργία nuncupatur.

Missam in sensu Catholicorum sic dictam verum ac proprie dictum novæ Legis sacrificium esse, Novatores posteriorum temporum una voce pernegant, contendentes : non aliud in Lege nova, post peractum cruentum illud a Christo in cruce, dari sacrificium, quam improprie dictum ac spirituale *laudis, precum, bonorum operum.* Contra quos hic instituitur disputatio, præscindendo adhuc, in qua Missæ parte reperiatur veri ratio sacrificii, ac

335. *Dico.* Missa est verum ac proprie dictum novæ Legis sacrificium. Est de fide juxta Concilium TRIDENT. Sess. 21. Can. 1.

Prob. I. Ex MALACHIA Prophetarum ultimo, per quem cum reprehendisset Deus sacerdotes veteris Legis, quod in contemptum suum obtulissent *panem pollutum,* pecus *claudum et cœcum,* Malach. 1. v. 7. et seq., prædicit, se reprobaturum eorum sacrificia, et substituturum oblationem mundam, ibidem vers. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Unde *subs.* : atqui per illam oblationem novam, vel sacrificium novum, quod hic prædicit Deus, successurum repudiatis Judæorum sacrificiis, nullum aliud intelligi potest, quam Missæ sacrificium ; ergo.

Prob. subs. 1°. Nullum enim aliud assignari potest ; non 1. aliud novum sacrificium Judaicum ; hæc enim simpliciter omnia reprobanda dicuntur a Deo : *Non suscipiam munus de manu vestra.* 2. Non sacrificium aliquod paganorum ; sacrificium enim falsis gentilium Diis oblatum quomodo respectu Dei *oblatio munda* dici potest? 3. Non cruentum sacrificium Christi in cruce ; hoc enim nonnisi semel, et uno in loco Hierosolymis nec inter gentes, sed Judæos oblatum fuit. 4. Non demum sacrificium spirituale precum, etc. ; hoc enim sacrificium novum non est quod ab initio mundi fuit ; nec preces, orationes, eleemosynas similiaque opera pia abrogavit Deus. Nec refert, quod dicatur in præsenti, *offertur ;* nam familiare est Prophetis, res futuras proponere in præsenti, et præterito, ut Ps. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea,* etc. Et vero hic in futuro debere accipi, ipsa res clamat ; quænam enim ista *oblatio munda,* quæ Malachiæ tempore offerebatur in toto mundo inter Gentes idololatras vero Deo ?

2°. Hanc Malachiæ prophetiam de novæ Legis sacrificio Eucharistiæ, quod in Missa offerimus, semper intellexerunt Patres.

S. JUSTINUS M. in Dialogo cum Tryphone Judæo (opp. p. 260. B.) *De nostris gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, et poculo similiter Eucharistiæ jam tum locutus Malachias, prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.*

S. Irenæus L. 4. cap. 32. (opp. p. 249. c. 17. n. 5. edit. Massuet.) *Eum, qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit dicens : Hoc est corpus meum, et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta præstat... De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit : Non est mihi voluntas in vobis,* etc. Cf. eumd. ibid. c. 34. (al. 18. n. 2. et 4.).

Similia S. Cyprian. habet L. 2. contra Judæos cap. 16., S. Aug. L. 18. de Civit. cap. 25., S. Chrysostom. in Ps. 95., aliique apud Bellarmin.

336. *Prob. II.* Christus Ps. 109. dicitur *Sacerdos in æternum secundum ordinem* (hebraice ritum vel morem) *Melchisedech.* Quod ex Ps. hoc repetit Apostolus ad Hebr. 5. v. 6., et cap. 7. amplius urget ob vaticinium illud, necessarium esse, ut exsurgat sacerdos alius secundum ordinem, non Aaronis, sed Melchisedech v. 11. 14. Ergo Christus offerre debuit sacrificium simile ei, quod obtulit Melchisedech : atqui Melchisedech obtulit sacrificium incruentum in pane et vino, Gen. 14. *Melchisedech Rex Salem proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi ;* ergo et Christus tale sacrificum incruentum sub speciebus panis et vini offerre debuit. Et quoniam Ps. 109. vocatur *Sacerdos in æternum* secundum ordinem Melchisedech, et Hebr. 7. 26. sine successore, hæc ratio, vel hic sacrificandi ritus debet ab eo servari usque ad finem mundi ; quod facit per sacerdotes sui vicarios, quibus idcirco dixit in ultima cœna : *Hoc facite,* etc.

Nec dici potest, Christum præfiguratum fuisse in Melchisedecho, quia 1° Melchisedech fuit *Rex Salem,* id est, pacis, quod Christo convenit. 2°. Quia dicitur *sine genealogia,* quibus Christi significatur divinitas ; hæc enim evincunt quidem, Christum etiam quoad illa præfiguratum fuisse in Melchisedecho ; sed nondum fuisse *Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Sed hoc Davidis vaticinium plerique Patres ad Missæ sacrificium interpretantur.

S. Cyprian. L. 2. epist. 3. ad Cæcilium in laudata verba Ps. 109. *Quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.*

Clemens Alexandrin. L. 4. Stromat. (opp. p. 392. E.) *Melchisedech Rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.*

S. Aug. epist. 95. (al. 177.) ad Innocent. Papam : *Melchisedech prolato sacramento mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium figurare.*

Paria habent S. Hieron. in QQ. in Genes. ad cap. 14., Euseb. Cæsareensis L. 5. Demonstrat. Evangel. cap. 3., Theodoret. Comment. in. Ps. 109. ; aliique plurimi relati a Bellarmino.

337. *Prob. III.* Rationibus theologicis. 1°. Datur in Ecclesia altare, dicente Apostolo ad Heb. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt ;* sed altare nonnisi ad offerenda sacrificia vera erigi-

tur; spiritualia enim sacrificia precum, piorum operum altari non indigent. 2°. Nulla unquam extitit Religio sine sacrificio sibi proprio, ut patet inductione Legis naturæ, et scriptæ; imo Gentilium: unde et S. Aug. L. 19. contra Faustum c. 11. ait: *In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur;* ergo cur sola Religio nostra eo careat? Nec dicant adversarii, quia Christus in cruce abunde satisfecit pro peccatis nostris; nam 1. etiam pro hominibus in Lege naturæ, et scripta satisfecit. 2. Sacrificium principaliter ordinatur ad cultum Dei, supremum ejus testandum dominium. 3. Satisfecit quidem quantum ad sufficientiam soluti pretii; sed quantum ad efficaciam debet per sacrificium Missæ, sicut per sacramenta nobis applicari.

Demum sacrificium Missæ habet omnia, quæ ad sacrificium verum requiruntur: 1°. Sacerdos Christus principalis offerens sacerdotum ministerio; 2°. altare; 3°. oblatio externa rei visibilis, nimirum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini; 4°. immutatio materiæ, scilicet mystica, quatenus vi verborum corpus et sanguis separantur.

Objectiones quæ afferri solent partim probationes ex Scriptura desumptas impugnant; partim aliunde ex S. Scriptura et ratione petuntur contra sacrificii in nova Lege existentiam.

338. *Obj. I.* contra prophetiam Malachiæ. 1°. S. Scriptura loquens de Christianorum sacrificiis sæpe ea improprie accipit, scilicet pro spiritualibus, ut 1. Petr. 2. 5. omnes dicuntur *Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias.* Ad Philipp. 2. 17. sacrificia dicuntur fides, laus Dei, liberalitas; ergo et tale per Malachiam prædictum fuisse dici potest.

2°. Malachias utitur voce *Mincha;* sed hæc non semper sacrificium proprie dictum sonat. *Prob. min.* Nam vox hæc etiam simpliciter prolata donum quodcumque significat, a radice deperdita *manach* donavit, vel *nacha* adduxit; sed non omne donum est sacrificium.

3°. *Mincha* proprie dicta, est simila conspersa oleo et mixta thure, qualis oblatio non offertur ullibi a Christianis; ergo oblatio illa futura nonnisi improprie talis est, consistens in precibus, etc.

4°. Dum in Vulgata nostra legitur: *in omni loco sacrificatur;* LXX. habent Θυμίαμα προσάγεται *Thymiama offertur;* et hebræus textus (muqtar) *suffimentum; incensum fiet.* Unde sic: atqui *incensum* hic sumitur metaphorice pro orationibus; ergo etiam *Mincha.*

5°. Etiam Theologi Catholici hunc Malachiæ locum interpretati sunt de sacrificiis spiritualibus, ut Arias Montanus, Clarius, qui Concilio Tridentino interfuere, aliique, ut Athaide, Forrerus in eod. Concilio.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Ex eo enim, quod in Testamento novo pia Christianorum opera vocentur aliquando *hostiæ,* non sequitur: ergo in Testamento novo nullum plane datur verum sacrificium. Præterea quando S. Scriptura de sacrificio improprio loquitur, semper adjicit tales particulas limitantes, e quibus hoc colligitur, ut fit in textibus objectis, velut: *spirituales hostias,* etc. Sed dum in S. Scriptura sacrificium, oblatio, victima simpliciter sine limitatione ponuntur, sumuntur proprie; sic ob hanc rationem *Mincha* munus hic vers. 10. ab omnibus sumitur proprie pro certo sacrificio, confecto ex simila, oleo et thure, juxta Levit. 2. et 6.; ergo et *Mincha tehora, obla-*

tio munda, quæ futura prædicitur vers. 11. non de spirituali, sed vero externo sacrificio accipi debet. Unde et LXX. vertunt : θυσία καθαρὰ, *victima munda.*

Ad 2um. R. *C. Maj. N. min. Ad hujus prob. D. Maj.* Si offeratur, mittatur hominibus, ut Jacobus misit Esau Gen. 32. v. 14. 19. 21. *C.* secus *N.*

Ad 3um. R. *N. Cons.* Etsi enim nunc talis oblatio non fiat; poterat tamen per *Mincha* Leviticorum sacerdotum prædici sacrificium Legis novæ, quatenus hoc et illud in propria ratione veri sacrificii conveniunt : sicut videlicet sacrificium ovium, arietum Legis veteris significabant sacrificium Christi mactandi in cruce, quatenus hoc vera fuit victima et verum sacrificium; licet aliud esset corpus, quod in cruce offerretur.

Ad 4um. R. *Tr. subs. N. Cons.* Disparitas est; quia hic pro gemino Leviticorum sacerdotum defectu prædicitur substituenda gemina perfectio in Lege nova. In veteri *Mincha* deerat 1°. ex parte offerentis pietas juxta illud Malach. 1. vers. 6. 7. 8. *Despicitis nomen meum.* Unde ait Deus v. 10. *Non est mihi voluntas in vobis.* 2°. Ex parte rei oblatæ bonitas et integritas v. 7. *offertis panem pollutum,* in aliis sacrificiis *cœcum, claudum, languidum;* ob quod dicit Deus : *Non suscipiam munus de manu vestra.* Pro hoc secundo defectu promittitur substituenda *oblatio munda,* omni carens defectu, scil. Christus in Eucharistia. Primum defectum vero compensabunt sacerdotes novi Testamenti, qui majore cum devotione, ut ait S. Chrysostom. in Ps. 95. hanc oblationem Deo litabunt. Sicut vero pietas, quæ in Leviticis sacerdotibus deerat, sacrificium proprie dictum esse non poterat, sic neque thymiama seu incensum hoc, *muqtar,* ut proprium sacrificium non prædicitur. Secus vero *oblatio munda, mincha tehora,* quæ veris Judæorum sacrificiis prædicitur successura.

Ad 5um. R. Ariæ Montani auctoritate et opinione singulari haud detinemur, nixi melius auctoritate Patrum, quos in conclus. retulimus. De Athaide vero et Forrero id quidem dixerat Sarpius, Servita schismaticus, sub nomine Petri Suavis in depravata sua Concilii Tridentini historia; sed falso, ut ostendit Cardin. Pallavicin.

339. *Obj. II. contra prob.* 2am. ex Ps. 109. 1°. Pro eo, quod in Vulgata legatur *Sacerdos,* in hebræo est *Cohen;* sed hoc in S. Scriptura, etiam principem significat; sic enim 2. Reg. 8. 18. filii Davidis dicuntur *Cohenim,* id est, principes; ergo dici potest, Christum fuisse principem secundum ordinem Melchisedech.

2°. Licet Melchisedech sacerdos fuerit; non tamen evincitur ex Scriptura, eum sacrificasse panem et vinum; ergo. *Prob. Ant.* Gen. 14. tantum dicitur : *Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum;* ergo non sequitur, quod sacrificarit.

3°. Paulus epist. ad Hebr. cap. 7. describit omnia, quæ ad figuram Melchidesech pertinebant, quin verbo meminisset, eum sacrificasse panem et vinum; ergo Melchisedech non fuit figura Christi oblatione panis et vini.

4°. Etiam sacerdotes Aaronici adhibebant sacrificium panis et vini Exod. 29., Num. 28.; ergo non erat hoc proprium Melchisedecho.

340. *Ad* 1um. R. *D. min.* Etiam principem significat aliquando *C.* semper

et communius *N.* Proprie sacerdotem significat; derivatur enim a *Kihen*, sacerdotio functus est. Quod vero Gen. 14. per *Cohen* intelligi debeat verus sacerdos, constat 1°. ex hebræo, ubi habetur: *ve hu cohen elion*, id est, *et ipse sacrificans Deo altissimo.* 2°. Ex LXX., qui habent: *Sacerdos Dei altissimi*: Ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου. 3°. Quid novi narrasset Moyses, si, quem jam *regem* prædicaverat, postea principem dixisset? Sed 4°. Paulus in epist. ad Hebr. aperte supponit, Melchisedechum sacerdotem fuisse; ex hujus enim sacerdotio probat præcellentiam sacerdotii Christi præ Aaronico.

Ad 2um. R. *N. Ant. Ad prob. N. Cons.* Nam τὸ *proferens* hic idem sonat, quod *offerens.* Pro quo

Observa: In Hebræo legi *hotsi*; *produxit*, a *iatsa*; sed cum hæc vox varie accipiatur, vertenda est, prout loci sensus et circumstantiæ poscunt. Sic Exod. 12. 51. *hotsi* sumitur pro *eduxit*, scilicet filios Israel ex Ægypto. Is. 42. v. 1. pro *judicium protulit.* Sed Jud. 6. 18. pro *sacrificium offerre*; et ita hic sumitur, ut patet ex Hebræo cit. *et erat sacrificans Deo altissimo*, vel ex Vulgata nostra, quæ vertit: *erat enim sacerdos Dei altissimi*; quæ causalis alioqui inepte adderetur.

Nec dicas 1°. Hæc: *erat sacerdos Dei*, non est necesse referre ad præcedentia, sed potius pertinent ad hæc sequentia: *benedixit ei*; ergo illa: *erat sacerdos*, non adduntur ut causa producti panis et vini.

R. *N. Ant.* Nam in Hebræo post illa verba: *erat sacerdos*, ponitur accentus *soph pasuch*, qui indicat, periodum ibi terminari; eaque interpunctio est in chaldaico, græco et latino textu; ergo hæc: *erat sacerdos*, ad præcedentia adhuc pertinent.

Nec dicas 2°. in Hebræo non haberi particulam causalem *ki*, *enim*, sed copulativam *ve*, quæ *et* vel *autem* significat; nam particula *ve* frequentissime ab Hebræis et in Scriptura pro *causali* adhibetur; cujus rei plurima exempla exhibet noster Perrerius in illum locum Genes. velut Gen. 30. *Experimento didici*, *quia benedixerit mihi Dominus*, ubi pro *quia* habetur *ve.* Quod vero et hic sumatur ita, inde patet, quia redditur ratio, cur Melchisedech panem et vinum protulerit; *quia erat sacerdos*, ut habet Samaritana editio.

Sed neque obstare debet Complutensis editio LXX. quæ habet ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους καὶ οἶνον, *obtulit ipsi*, scilicet Abrahæ, *panes et vinum*; nam 1°. τὸ *ipsi* nec in Hebræo legitur, nec in græca editione Romana LXX., ut proinde hinc corrigenda potius sit editio Complutensis; præsertim, quod τὸ *ipsi* non insit versionibus aliis, chaldaicæ, samaritanæ, etc. 2°. Hinc id solum probabile fit, Melchisedechum dedisse de pane et vino ante sacrificato ipsi Abrahæ et militibus in victoriæ et lætitiæ signum, more non tantum apud ethnicos, sed etiam Hebræos usitato, ut tum religionis, tum lætitiæ causa vescerentur omnes de iis, quæ fuerant sacrificata. De Hebræis id conficitur ex 1. Reg. 9. ubi: *Ipse benedicet hostiæ*, *et comedent, qui vocati sunt.* Et 1. Paral. 16. 3. post oblata pacifica *divisit universis per singulos a viro usque ad mulierem*, etc. De ethnicis ex Act. 15., ubi prohibentur vesci de idolothytis.

Ad 3um. R. Cur Paulus explicitam ejus mentionem non faceret, causa erat, quia nihil faciebat ad ejus intentum, quod erat, monstrare præcellentiam sacerdotii Christi præ Aaronico, hoc argumento: Melchisedech fuit sacerdos

excellentior Aarone : sed Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech ; ergo. *Maj. probatur* his rationibus : 1°. Quia Melchisedech benedixit Abrahæ ; et consequenter Aaroni, qui tunc continebatur in lumbis Abrahæ ; majoris autem est benedicere minori. 2°. Melchisedech accepit decimas ab Abrahamo, et sic quoque ab Aarone. 3°. Melchisedech quamdam quasi æternitatem habere videtur, *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* At Aaronis ac Levitarum familias, ortum, finem Scriptura refert. Sacrificium vero panis et vini hisce non additur, eo quod non videretur quid majus esse, quam alia sacrificia Mosaica, in quibus præter panem et vinum etiam animalia offerebantur.

Ad 4um. In Aaronicis sacrificiis offerebatur panis et vinum tanquam pars, aut condimentum, non ut materia integra, aut sacrificium præcipuum ; sed præcipua Aaronis sacrificia offerebantur in animalibus, quibus immolationes et libamina panis ac vini solum accedebant. Sed oblatio panis et vini solius Melchisedechi *præcipuum,* et integrum fuit.

Dices : Præcipuum sacrificium Christi cruentum fuit, quod in cruce obtulit ; ergo vel Melchisedech etiam cruenta sacrificia obtulit ; vel Christus non erat sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, sed potius secundum ordinem Aaronis.

R. *N. Cons.* Sacerdos enim secundum ordinem Aaronis nasci debebat de Tribu Levi ; ergo, etsi se Christus cruente obtulerit in cruce ; non tamen ideo vel sacrificium hoc, vel ipse dici poterat sacerdos secundum ordinem Aaronis, quod solerter notat Paulus ad Hebr. 7. 14. *Manifestum est enim, quod ex Juda ortus est Dominus noster : in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.* Præterea Aaronica sacrificia cruenta quidem erant, sed typica ; sacrificium contra crucis equidem cruentum, sed non typicum fuit, cum esset ipsa veritas in prioribus præfigurata. Pariter sacrificium crucis non erat secundum ordinem Melchisedechi, quia hoc, etsi typicum esset, non tamen cruentum fuit. Proinde Christus se ipsum in cruce offerens nec erat sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, nec Aaronis, quia tunc nec sub forma panis, nec vituli alteriusve animalis, sed in forma humana se obtulit. Sequitur igitur necessario, ut sit Sacerdos *in æternum* secundum *ordinem Melchisedech,* cum debere habere sacrificium incruentum aliud sub forma panis et vini, quod jugiter offeratur in Lege nova ; nec aliud est, quam istud Eucharistiæ.

Nec tamen inde adversarii inferant : ergo in Eucharistia est mera panis substantia, vinique, quia panis, quem produxit Melchisedech, erat talis quoad substantiam suam ; nam figuratum non debet suæ figuræ esse in omnibus æquale ; alioquin pariter inferam : sicut Melchisedech purus homo fuit ; ita Christus per eum, Pauli testimonio, præfiguratus. Quousque igitur se figura hæc sacrificii Melchisedechi extendat, e verbis Christi discimus : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus ;* quibus utriusque substantiæ in corpus et sanguinem Christi conversio intimatur ex dictis cap. 2. Ut igitur Melchisedech ratione sacrificii sui figura fuerit sacrificii nostræ Legis, vel Christi, sufficit panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi, remanentibus panis et vini speciebus.

341. *Obj. III.* In Lege nova datur tantum unum sacrificium, scilicet cruentum crucis; ergo. *Prob. Ant.* ex Apostolo ad Hebr. 9. 12. *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* v. 28. *Semel oblatus est ad exhaurienda peccata.* Et cap. 10. 12. *Unam pro peccatis hostiam offerens, sedet ad dextram Dei*; ergo.

R. *D. Ant.* Datur tantum unum sacrificium quoad substantiam hostiæ *C.* quoad modum offerendi *N.* Sacrificium missæ non differt quoad substantiam sacrificii in cruce, quia idem Christus, qui se obtulit in cruce, offertur in missa, sed modo tantum diverso; ille in cruce cruentus erat, alter incruentus est.

Ad prob. R. *D.* et explico: Hæc de Christo dicuntur relative ad sacrificium cruentum in cruce *C.* ad sacrificium missæ *N.* Apostolum loqui in cap. 9. de sacrificio cruento, constat ex vers. 26. *Alioquin eum oportebat frequenter pati ab origine mundi.* Pariter in cap. 10. opponit sacrificium Christi sacrificiis Testamenti veteris, quod, cum hæc ob imperfectionem hostiarum non potuerint auferre peccata, Christus se ipsum obtulerit; quæ oblationem in cruce respiciunt, quæ una suffecit plenissime ad redemptionem omnium.

342. *Obj. IV.* Ex Apostolo ad Hebr. 7. nunc in Lege nova nonnisi unus Sacerdos est: *Alii quidem facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Ergo etiam, si nullus præter Christum sacerdos sit, non datur sacrificium aliud præter illud, quod ipse in ara crucis obtulit.

R. *D. Ant.* Nonnisi unus sacerdos principalis et æternus est *C.* excludendo alios temporales, ministeriales *N.* *Una est hostia,* ait Trident. Sess. 22. cap. 2. *idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Apostolus vero differentiam sacerdotii Christi et Levitici in eo statuit, quod hi omnes fuerint tantum temporales, suosque haberent successores in eadem potestate et dignitate; sic Aaroni successit Eleazarus, huic Phinees, et sic porro; at Christus, cum æternum maneat, non habet successores in eadem potestate et dignitate; unde ejus sacerdotium longe præcellit Aaronico, quod in cap. 7. ostendere erat scopus Pauli. Etsi vero Christus non habeat successores in sacerdotio; potest tamen habere ministros temporales, quod non derogat summo ejus sacerdotio; tales enim et habebant summi sacerdotes in Lege veteri. Imo habere debet, cum alias non appareat, quomodo sit sacerdos *in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Dices: Juxta Apostolum ibidem Christum dici sacerdotem æternum, quia 1°. æternum vivit; 2°. quia *semper interpellat pro nobis* v. 25.; 3°. quia se semel obtulit in cruce, cujus sacrificii fructus æternum durat; 4°. quia per ipsum accessum habemus ad Deum Patrem, et accedentes per ipsum ad Deum semper salvare potest; ergo.

R. *N. Ant.* Cum enim Apostolus dicat cap. 8. v. 3. omnem Pontificem ad offerendum munera et victimas constitui, ideoque necessum esse, eum *habere aliquid, quod offerat;* inde infert, quia Christus sacerdos in æternum est, debere perpetuo offerre hostias, non terrenas, ut animalia, sed cœleste quid, scilicet Eucharistiam; continuo enim v. 4. subdit: *Si ergo esset super terram,* id est, si immolare deberet hostiam terrenam, animalia, etc.

nec esset sacerdos, sive non esset necessarium ejus sacerdotium, *cum essent, qui offerrent secundum legem, qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium.*

Nec aliquid evincunt *rationes*. Non 1ª; quia sicut ex vita secundum non sequitur sacerdotium; sic neque ex vita æterna sacerdotium æternum, sed ex functione sacerdotali. Non 2ª; quia interpellare pro alio non est character primarius sacerdotii, sed oblatio hostiæ juxta Apostolum: *necesse est, et hunc habere aliquid, quod offerat.* Ad Hebr. 8. 3. Non 3ª; nam quod aliquando sacrificium obtulerit, cujus fructus æternus est, non ideo vere ac proprie est sacerdos æternus; sicut licet et meritum Christi per nativitatem ejus, circumcisionem, etc. æternum duret, illud tamen offerendo Patri non ideo vere nasci, circumcidi dici potest. Sed sicut, ut sacerdos vere talis quis sit, veram debet habere hostiam, quam offerat; ita ut vere sacerdos æternus sit, debet perpetuo habere hostiam, quam offerat. Non 4ª; quia hæc ex se non arguunt sacerdotem, sed mediatorem. Demum quomodo, etsi gratis ea singula darentur, Christus esset sacerdos *æternus*, non qualiscumque, sed *secundum ordinem Melchisedech.*

343. *Obj. V.* Supervacaneum est sacrificium missæ; ergo. *Prob. Ant.* ex Apostolo ad Heb. 9. 12. 28. ut supra; item ad Hebr. 10. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*; ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* R. *D.* Quoad sufficientiam pretii soluti pro redemptione et sanctificatione omnium *C.* Quoad applicationem etiam *N.* Sicut enim, non obstante ea oblatione valoris infiniti, vult per sacramenta, orationes, aliosque actus nobis applicari passionis suæ merita, et peccata remitti, ita et per sacrificium missæ incruentum.

344. *Obj. VI.* Eucharistia est sacramentum, quod Deus nobis dat; ergo non est sacrificium, quod nos damus Deo. Præterea Eucharistia est testamentum habens promissionem; sed ridiculum est, per testamentum dari ab hærede aliquid testatori: sed hoc fieret, si esset sacrificium; ergo.

R. 1°. Male supponitur ab adversariis, sacrificium esse actionem nostram, ut contradistinctam ab actione Christi; sed Christus se nobis per Eucharistiam dat, et simul semetipsum offert Patri in missa per ministros.

R. 2°. Sub diversa consideratione idem esse potest sacramentum nobis conferens gratiam, et sacrificium, quatenus actione aliqua immutatur, Deoque offertur. Demum 3°. Eucharistia, ut est testamentum, non est formaliter sacrificium, sed signum ultimæ voluntatis; neque ut sacrificium consideratur, sic est actio hæredis propria, sed Christi, qui testator est.

ARTICULUS II.

QUALE SACRIFICIUM MISSA SIT, ET IN QUO ILLIUS ESSENTIA SITA?

345. *Præmitto.* Sacrificium dividitur varie: 1°. Ratione *status* in sacrificium Legis naturæ, quale illud Abelis fuit; Legis mosaicæ; Legis evangelicæ.

2°. Ratione *materiæ,* in victimas, immolationes et libamina. *Victimæ* vel *hostiæ* erant sacrificia, in quibus animalia, non quælibet, sed in lege præscripta offerebantur, oves, boves, capræ, hædi, vituli, columbæ, passeres, turtures. *Immolationes* sacrificia erant, quæ ex rebus inanimatis fiebant, sed solidis ex fructibus terræ, pane, simila, sale, thure. *Libamina* in rerum liquidarum oblatione consistebant, vini, aquæ. Animalia mactatione et aliquando concrematione offerebantur, liquida effusione; solida alia, varia immutatione; nam panis dissecabatur in frusta; simila coquebatur clibano, vel sartagine; sal urebatur; thus incendebatur; spicarum manipulus torrebatur; triticum conterebatur.

3°. Ratione *formæ,* sive actionis, qua res immutabatur, in holocaustum, sacrificium pro peccato, hostiam pacificam. *Holocaustum* perfectissimum sacrificium erat, in quo res oblata concremabatur tota, ut nihil inde cederet in humanos usus. *Sacrificium pro peccato* cremabatur partim, partim cedebat sacerdotum usui; unde, qui de his comedebant, dicebantur comedere *peccata populi*, id est, hostias pro peccatis oblatas. *Hostia pacifica* offerebatur vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, vel eorumdem impetratione. Hostia hæc dividebatur in partes tres; prima comburebatur in honorem Dei; altera cedebat sacerdotibus; tertia offerenti.

4°. Ratione *finis,* in latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, et impetratorium. *Latreuticum,* quod solummodo dirigebatur ad cultum Dei, et contestandum supremum ejus in creaturas dominium, nostramque servitutem; idque fiebat in holocausto. *Eucharisticum* in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium* pro obtinendis. *Propitiatorium* ad placandum Deum, pro peccatis condonandis, et avertendis pœnis. Quæritur hic, cæne species sacrificio missæ conveniant? Tum in quo præcipue hujus essentia sita sit.

346. *Dico I.* Quatuor illæ recensitæ species Missæ sacrificio omnino insunt. Est latreuticum, in quantum offertur Deo in agnitionem supremi ejusdem in omnia creata dominii: eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis: impetratorium, quatenus pro gratiis obtinendis offertur: propitiatorium, quatenus in remissionem peccatorum, ac debitæ iis pœnæ peragitur. *Hujus veri sacrificii*, ait S. Aug. L. 10. de Civ. cap. 20. *multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum; cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur;* ergo diversæ illæ quatuor species sacrificiorum Legis veteris singulæ sunt in uno nostro sacrificio, de quo ibi loquitur S. Doctor. Unde et Trident. Can. 3. anathema pronuntiat in asserentem: *Sacrificium Missæ nudam esse commemorationem sacrificii in cruce peracti.*

347. *Dico II.* Sacrificium Missæ formaliter spectatum pro ipsa offerendi et sacrificandi ratione in sola consecratione consistit.

Prob. I. Refutatione sententiarum aliarum; nam 1°. non consistit in *oblatione panis et vini*, quæ consecrationem antecedit; quia sacrificium ex definitione et essentia sua non consistit in nudis verbis, sed in actione, qua immutatur et immolatur hostia: atqui oblatio illa prævia fit nudis verbis, nec destruit, vel immutat ullo modo hujus sacrificii hostiam, quæ Christus

est. 2°. Nec dici potest consistere in *sumptione;* quia de fide est, Christum in ultima cœna sacrificasse; sed non est de fide, Christum in ultima cœna etiam sumpsisse corpus suum proprium et sanguinem, etsi ita aliqui opinentur tantum. Unde

Prob. II. Sola illa actio est essentialis oblatio hujus sacrificii, adeoque formaliter sacrificativa, quæ sola usurpata est a Christo, et fit ejus nomine ceu offerentis principalis; sed sola consecratio peracta fuit a Christo, ut constat ex Evangeliis, eaque sola fit a Christo ceu offerente principali; cum in Christi persona dicat sacerdos : *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus;* ergo. *Maj.* videtur certa; cum enim Christus sit offerens principalis, illa actio formaliter sacrificativa dici debet, quæ a Christo ut Sacerdote fuit exercita, ejusque nomine fit, dum sacrificatur.

Prob. III. Sola consecratio habet essentialia omnia ad verum sacrificium requisita; est enim 1°. *oblatio externa rei sensibilis;* cum per consecrationem corpus Christi sistatur præsens sub speciebus sensibilibus panis et vini, et offeratur æterno Patri actione soli sacerdoti propria. 2°. Habetur *immutatio* vera hostiæ, et aliquo modo ejus destructio, quatenus vi verborum Christus immolatur mystice, dum vi verborum sanguis separatur a corpore. Deinde ponitur sub speciebus modo quodam mortuo et ordinato ad destructionem, cum ibi ponatur per modum cibi et potus ordinati ad consumptionem, eoque fine, ut consumptis et corruptis speciebus ibi esse desinat; quæ destructio, licet non sit perfecta et physica, sed solum imperfecta et moralis, sufficit tamen ad rationem veri sacrificii, ut patet ex sacrificio libaminis, in quo non destruebatur vinum physice, sed effundebatur in terram, qua effusione moraliter censebatur destructum. Item ex capro *emissario,* qui non occidebatur, sed abigebatur in desertum. De cæteris requisitis ad sacrificium constat examinanti.

348. *Dico III.* Sacrificium hoc Missæ objective sumptum, sive pro re oblata, quæ etiam materia sacrificii dici solet, est Christus, prout per consecrationem sub utraque specie modo quodam mortuo et indivisibili ponitur.

Sequitur ex modo dictis. Ac constat ex Trid. Sess. 22. cap. 2. ubi inquit: *In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit... Una enim, eademque hostia est, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola ratione offerendi diversa.* Idem tradunt unanimiter Patres cum S. Greg. Nyss. orat. 1. Paschali (opp. t. 2. p. 821. D.) : *Arcani sacrificii idem sacerdos et agnus.* Quos vide apud Bellarmin.

Dixi in concl. *prout sub utraque specie ponitur.* Corpus enim et sanguis Christi, quatenus in hoc sacrificio sunt victima, necessario species panis et vini postulant; non quidem ut partem sacrificii intrinsece constitutivam, sed ut conditionem necessariam, vel ut quid connexum. Ac ratio primi est; quia, si sacrificium hoc nullo modo dependeret a speciebus panis et vini, nihil esset, in quo sacrificio Melchisedechi responderet. Ratio alterius est; quia eadem est sacrificii missæ victima, quæ sacrificii crucis, sola ratione offerendi diversa: sed sacrificium crucis ut sic non includebat species panis et vini tanquam partem sui constitutivam; ergo.

349. *Obj.* 1°. Sacrificium essentialiter est actio rei, quæ sacrificatur, destructiva; ergo non potest esse ejusdem rei productiva. *Subs.* Atqui consecratio est actio productiva rei, quæ sacrificatur, scilicet corporis et sanguinis Christi; ergo.

2°. Consecratio non supponit, sed ponit hostiam, sive Christum sub speciebus : atqui res oblata in sacrificiis præexistere debet oblationi; ergo.

3°. In die Parasceves apud Latinos, et apud Græcos per Quadragesimam sæpius, scilicet exceptis die Dominica, Sabbati, festo Annuntiationis, dum celebrantur Missæ *præsanctificatorum,* habetur verum sacrificium per solam sumptionem sine consecratione; ergo. *Prob. min.* Nam apud Latinos sacerdoti more solito dicenti : *Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium,* etc. populus respondet : *Suscipiat Dominus sacrificium*, etc.

4°. Saltem negari nequit, quin ipsa etiam sumptio sit aliquo modo destructio Christi; ergo.

5°. Si sumptio non esset pars sacrificii, non esset necessarium, ut sacrificans communicaret, et sumeret ipse hostiam a se consecratam.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Consecratio enim est actio simul productiva et destructiva Christi, scilicet sumpta diverso modo. Productiva est, quatenus ponit sub speciebus Christum vivum, non mortuum; quia non amplius moritur. Destructiva est, quatenus Christum vivum ponit mortuo modo, dum, quantum est ex vi verborum, formaliter separat corpus a sanguine.

Ad 2um. R. *N. min.* universaliter sumptam; nam hoc tantum verum est in sacrificiis, quæ rei oblatæ sunt destructiva tantum, et non productiva; in illis vero, quæ illius productiva sunt, hoc non requiritur; hujusmodi vero sacrificium missæ est; corpus enim et sanguis Christi moraliter destruuntur sub speciebus panis et vini actione eadem, qua sub iis producuntur; quatenus scilicet ponuntur modo mortuo ordinatoque ad consumptionem. Dum vero a Patribus subin missæ sacrificium *oblatio* dicitur, non eam *verbalem* intelligunt, sed ipsam consecrationem, quæ est exercite oblatio.

Ad 3um. R. *N.* in die Parasceves, et in Missis *præsanctificatorum* verum offerri sacrificium defectu consecrationis; Ecclesia vero usurpat ibi *sacrificium* pro hostia, quæ præcedenti die fuerat immolata; et quia tunc recitantur nonnullæ preces, adhibenturque ceremoniæ, quæ ordinarie in sacrificio missæ adhiberi solent. Igitur in Parasceve non fit sacrificium verum, quia hac ipsa die Christus occisus recolitur. Hinc et sacerdos in Missa *præsanctificatorum* nihil agit in persona Christi, quod tamen fieri deberet, si esset sacrificium verum; quia principalis offerens est Christus.

Ad 4um. R. *N. Cons.* Non quæcumque consumptio, aut destructio rei sacrificium est; nam et in Lege veteri de multorum sacrificiorum hostiis comedebant sacerdotes et laici, nec tamen sacrificabant edendo; sicut nec modo laici, dum Eucharistiam sumunt.

Ad 5um. R. *D. seq.* Non esset necessarium necessitate sacrificii *C.* necessitate præcepti *N.* Debet ergo celebrans ipse sumere hostiam, imo sumere sacramentum sub utraque specie; quia de hoc datur præceptum graviter obligans. Utrum vero præceptum hoc divinum sit, an mere ecclesiasticum? sunt, qui disputant. At verosimilius est, divinum esse, insinuatum a Christo in ultima cœna per hæc : *Hoc facite.*

ARTICULUS III.

QUÆ SINT CAUSÆ, QUANTUS VALOR ET EFFECTUS SACRIFICII EUCHARISTICI? PRO QUIBUS OFFERRI POSSIT? TUM AN IN HONOREM SANCTORUM?

350. *Dico I.* Christus est Sacerdos et offerens principalis; secundarius vero et ministerialis est solus et omnis sacerdos legitime ordinatus.

Prob. pars 1ª. ex S. Scriptura Ps. 109. ubi ad Christum dicitur : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; ea enim Apostolus de Christo intelligit ad Hebr. 6. 20. *Præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.* Idem Patres et Concilia tradunt, nominatim Florent. in Decr. dicens : *Sacerdos in Christi persona loquens hoc conficit sacramentum.* Ac Trident. Sess. 22. cap. 2. supra art. præced. laudatum. Ratio quoque est, quia sacerdos hoc sacrificium peragit ut minister Christi, ejus sustinens et repræsentans personam, ut patet ex forma consecrationis; ergo Christus est, qui, moraliter loquendo, principaliter loquitur; itaque principaliter consecrat, et sacrificat, seque ut homo submittit Deo per volitionem creatam, qua se ipsum Deo offert in contestationem supremi ejus dominii.

Pars 2ª. sequitur ex dictis; si enim Christus offerens principalis est, sequitur, sacerdotes cæteros nonnisi secundarios esse. Quod vero etiam *omnis* sacerdos sacrificet valide, licet hæreticus, excommunicatus, inde constat; quia, si quid in tali obstaret valori, esset defectus vel potestatis, vel jurisdictionis: non primum; quia potestas ordinis cum conferatur a Deo inauferibiliter per ordinationem legitimam, a nullo homine tolli potest, nec peccato amitti. Non secundum; cum sacrificium actus jurisdictionis prorsus non sit. Demum quod *solus* sacerdos legitime ordinatus sit minister, ex iis constat, quæ cap. præc. de ministro Eucharistiæ dicta sunt.

351. *Dico II.* Valor sacrificii secundum se, in actu primo, simpliciter infinitus est; quia merita Christi, quæ sacrificium continet, et res oblata sive Christus, sunt valoris infiniti, et actio, qua Christus se ipsum offert, infinitam dignitatem participat a dignitate personæ offerentis. Unde docet Trident. laudata Sess. 22., sacrificium hoc de se condignitatem habere ad omne bonum possibile obtinendum.

Dixi : *secundum se, in actu primo*; nam valor sacrificii, ut impetratorium et satisfactorium est, non est infinitus in actu secundo, sive non causat infinite. Atque hoc quidem certum esse, constat ex praxi Ecclesiæ, plura sacrificia pro uno eodemque offerentis; ex communi fidelium sensu, qui putant, majorem se fructum consequi, si plures celebrari missas faciant; ex sacerdotum cura, ut tot missas celebrent, quot se personis obligarunt; quibus omnibus haud opus esset, si sacrificium, quod de se infinitum valorem continet, etiam in actu secundo effectum suum infinito modo causaret. Unde vero hæc limitatio causalitatis pendeat, non æque certum. Eam passim repetunt ex voluntate Christi sic ordinantis, et Patris non aliter, quam ad effectus finitos acceptantis, ut tanto frequentius divinissimum hoc sacrificium celebraretur.

352. *Dico III.* Effectus sacrificii, qua propitiatorium est, est peccatorum tam mortalium, quam venialium remissio; pœnæ item peccatis condonatis adhuc debitæ; eamque remissionem causat ex opere operato.

Pars prima habetur ex Trident. Sess. 22. cap. 2. et Can. 3., ubi anathema iis dicit, qui dixerint, missæ sacrificium offerri non debere pro vivis et defunctis, peccatis, pœnis et aliis necessitatibus.

Pars altera itidem doctrina est Concilii ejusdem Sess. ead. Tum inde patet; quia Christus in hoc sacrificio non tantum est victima, sed principalis offerens, adeoque magis est actio Christi, quam sacerdotis; ergo habet vim movendi Deum ad effectum prædictum utrumque, independenter a sacerdotis fide et probitate; itaque ex opere operato.

353. *Dico IV.* Non tamen causat ex opere operato immediate gratiam habitualem, vel hujus augmentum, nec remissionem peccatorum quoad culpam, saltem mortalium; eo scilicet modo, quo sacramenta causant gratiam primam vel secundam; sed mediate tantum.

Ratio est; quia nullo ex capite immediata hæc causalitas potest colligi: non enim 1°. ex natura sacrificii; quia de essentia hujus tantum est supremi Dei dominii contestatio. Non 2°. ex dignitate hujus sacrificii; quia nec sacrificium in cruce immediate causavit peccatorum remissionem. Non 3°. ex promissione aliqua speciali Christi, aut Dei; hujus enim promissionis fundamentum neque in Scriptura sacra, neque in Traditione reperitur. Quin e contrario communiter docent Concilia et Patres, culpam præsertim mortalem non deleri immediate, nisi per contritionem perfectam, vel attritionem cum sacramento.

Effectus igitur immediatus, quem proprie ex operato causat, sunt auxilia gratiæ, quibus peccator excitatur ad pœnitentiam; ipsa vero peccatorum remissio ex pœnitentia peccatoris, et per sacrificium ex opere operato mediate, mediantibus scilicet auxiliis gratiæ, quæ dantur infallibiliter sacrificii intuitu. Remissio tamen pœnæ temporalis immediatus est sacrificii effectus, ut tenet communis cum S. Thoma; ac colligitur ex Trident. supra, dum inquit, offerri etiam pro defunctis, iisque prodesse.

354. *Dico V.* Sacrificium Missæ offerri potest 1°. pro omnibus fidelibus non excommunicatis, ut constat ex liturgia latina: *Tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica... et omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus.* Quo etiam reducas catechumenos juxta Ordinem Rom. feria 4. Dominicæ IV. Quadragesimæ: tametsi enim Ecclesiam nondum sint actu ingressi per baptismum; eam tamen jam suo modo ingressi censentur per fidem et baptismi desiderium.

Dixi: *non excommunicatis*; quia excommunicatos non toleratos, id est, ut tales per sententiam judicis declaratos nominatim, Ecclesia suis ab orationibus excludit, prohibetque cap. *A nobis*, de sent. excomm., ne ad altare nominentur. Possunt tamen pro his et fideles, et sacerdos celebrans orare privatim; imo offerre indirecte, ut nunc dicetur.

2°. Potest offerri saltem indirecte pro non baptizatis, hæreticis, schismaticis. Constat ex communi usu Ecclesiæ, quæ semper oravit pro tranquillitate publica Ecclesiæ, ejus propagatione, extirpatione hæresum, schisma-

tum extinctione; quæ preces directe bonum Ecclesiæ publicum respiciunt; sicque indirecte conversionem infidelium, hæreticorum, etc. Et vero ita saltem pro his offerri posse sacrificium, ex liturgia nostra evincitur, juxta quam in oblatione calicis ait sacerdos : *pro nostra et totius mundi salute.* Et vero pro omnibus Christi sanguis effusus est.

3°. Pro defunctis fidelibus in purgatorio detentis; hoc enim diserte Trident. docet Sess. 22. cit. et definit Can. 3. Tum constat ex 2. Machab. 12., ubi Judas Machabæus *duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Ac Traditione, de qua testantur Patres, e quibus

Tertullian. L. de Cor. militis cap. 3. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis annua die facimus.*

S. Cyprian. epist. 66. ad clerum et plebem Furnitanorum, de Victore quodam, qui jamjam moriturus ad tutelam quemdam Presbyterum nominaverat, inquit : *Episcopi antecessores nostri... censuerunt, quod... si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur;* ergo supponit pro defunctis aliis celebrari.

S. Chrysost. homil. 69. ad popul. Antioch. (opp. t. 5. p. 174. A. edit. latina Fronton-Duc.) *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuere, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio.*

S. Ambros. orat. funebr. in obitu fratris sui Satyri (al. de excessu Satyri L. 1. n. 80.) : *Tibi nunc*, inquit, *omnipotens Deus, innoxiam commendo animam; tibi hostiam offerro; cape propitius ac serenus fraternum munus sacrificium sacerdotis.*

S. Epiphan. L. Anacephaleos, S. Aug. L. de hæres. cap. 53. Aerium inter hæreticos damnatum aiunt, quod negaret pro mortuis offerendum sacrificium. Consentiunt Patres reliqui tam Græci, quam Latini. Cæterum hæc assertio dari purgatorium supponit.

355. *Dico VI.* Sacrificium Missæ offertur Deo soli; non Sanctis; licite tamen et laudabiliter offertur Deo in memoriam et honorem Sanctorum, juxta sensum et mentem Ecclesiæ. Est de fide.

Prob. pars 1ª. Sacrificium enim Missæ latreuticum est, quod soli Deo offerri potest; non vero Sanctis. Unde Trid. Sess. 22. cap. 3. docet : *Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit : unde nec sacerdos dicere solet : offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Et S. Aug. L. 22. de Civit. cap. 10. *Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et martyrum et nostro.*

Prob. pars 2ª. Ex liturgiis tam græcis, quam latinis antiquissimis, quæ memoriam faciunt Sanctorum, *ut assiduas preces pro nobis offerant*, inquit liturgia S. Basilii. *Intercessionibus omnium Sanctorum misereatur nostri Jesus Christus*, ait liturgia S. Chrysostomi. Ac S. August. L. 20. contra

Faustum cap. 21., postquam dixisset, a Christianis coli Martyres, et immerito redargui Catholicos a Manichæis idololatriæ, inquit eos coli, ita tamen, *ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit : offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane;* ergo juxta Aug., altaria erigebantur, in ipsis sacrificabatur, non ipsis martyribus, sed Deo, quamvis in memorias martyrum.

Si quæras, quomodo in honorem Sanctorum ex mente Ecclesiæ fiant sacrificia?

R. cum Trident. ante, *ut Deo de illorum victoriis agantur gratiæ;* quod simul in eorum laudem cedit, quod fuerint velut instrumenta, per quæ Deus, virtutum auctor, tam gloriosa operatus est. Nominantur, invocantur etiam, non ut oblatio sit perfectior et majoris meriti, sed, juxta S. Cyrillum Hierosolymit. catech. 5. mystag. *Cum hoc sacrificium offerimus, mentionem facimus eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, et deprecationibus suscipiat preces nostras.* Juxta S. Aug. Tract. 84. in Joan. n. 1., *non ut etiam pro ipsis* (Martyribus) *oremus, sed magis ut ipsi pro nobis.* Unde fulta perpetua traditione Ecclesiæ merito Trident. Synodus Sess. 22. can. 5. definit : *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

DIGRESSIO BREVIS

THEOLOGICO-CRITICA

DE LIBRIS S. DIONYSIO ATHENIENSI, SIVE AREOPAGITÆ PASSIM INSCRIBI SOLITIS. UTRUM VERE EUM AUCTOREM HABEANT?

---

§. I.

Opera S. Dionysio Atheniensi adscribi solita.

Cum plurimum lucis ex operibus Dionysianis accedat doctrinæ catholicæ, illustreturque traditio circa varia dogmata; Doctores Protestantes vero eo ex capite sententias inde desumptas conentur eludere, quod libri illi non sint genuinus hujus Dionysii fœtus, memor datæ fidei in Parte 1ª. de Sacram. in gen. libros hosce huic Dionysio nunc paucis assertum eo.

Varia igitur sunt, diversique argumenti opera, ac sublimia plane, sive materiam spectemus, sive sententias, quæ sub Magni Dionysii Atheniensis nomine, a Paulo Apostolo conversi Act. 17. nobis antiquitas tradit.

1°. *Liber de cœlesti Hierarchia*, quindecim constans capitibus, ad Timotheum, Ephesiorum episcopum scriptus; quo primo docet, Hierarchiam in genere esse regimen quoddam, quo quis sancte regit inferiores, et regitur a superioribus, cujus finis unio cum Deo est; officia vero expiare, illuminare, perficere. Deinde Angelorum naturam, nomina, ordines, munia describit.

2°. *Liber de ecclesiastica Hierarchia*, in septem divisus capita, ad eumdem scriptus Timotheum, quo hujus Hierarchiæ cum cœlesti et convenientiam et differentiam exponit: tum varios Ecclesiæ ritus explicat circa Sacramenta, Monachorum sive Therapeutarum institutionem ac ordinationem; defunctorum sepulturas.

3°. *Liber de divinis Nominibus*, in tredecim digestus capita, quo varia Dei nomina, seu attributa, quibus Deus, qui alias supra omne nomen est, nominatur in divinis Scripturis: veluti, quomodo dicatur bonus, vita, virtus, etc. Scriptus dicitur rogatu Timothei, ob Philosophorum in Ionia hæreses et argutias, Timotheum, ut apparet, infestantium.

4°. *Liber de Mystica Theologia*, quo, quomodo ad divinam contemplationem sit assurgendum, docet.

5°. *Epistolæ undecim.* E quibus 4. ad Caium Monachum. 1. ad Dorotheum. 1. ad Sosipatrum. 1. ad Polycarpum Smyrnæ episcopum. 1. ad Demophilum monachum, sive therapeutam. 1. ad Titum, ipsum illum, quem Cretensibus episcopum præfecerat Paulus Apostolus. 1. ad S. Joannem Apostolum. Demum 1. ad Apollophanem, gentilem Philosophum, quocum, simul cum Heliopoli degerent, solarem eclipsin, quæ in Christi morte contigerat, observasse dicitur.

§. II.

Operum S. Dionysio Atheniensi inscriptorum antiquitas et auctoritas.

Antiquissima ea opera esse, cujuscumque sint, etiam ii affirmant, qui ea S. Dionysio abjudicant. Et vero in Collatione habita Constantinopoli in palatio Justiniani I. Imperatoris an. 533. Catholicos inter et Severianos sive Acephalos, ab his provocatum fuit ad ea ipsa opera, ac quidem sub nomine Dionysii Areopagitæ (Labb. t. 4. p. 1766. B.) reclamantibus quidem initio Catholicis, sed postea eadem ipsa opera agnoscentibus ceu verum hujus Dionysii partum. Unde Morinus L. de sacram. Ordin. cap. 27., Erasmus in cap. 17. Act., aliique, qui ea opera denegant Dionysio Atheniensi, eorum natales inferius, quam ad IV. vel V. seculum rejici non posse existimant; Scaliger vero manifesti erroris convincitur, dum auctorem, tempore Justiniani II. in seculo VII. ad annum circiter 690. vixisse putat.

Diffiteri tamen etiam haud possum, plures ex iis, qui opera ista S. Dionysio Atheniensi vindicant, uti subin argumentis ab antiquitate sumptis partim infirmis, partim falsis, partim dubiis. Quo forsitan factum, ut, cum facilis esset ad illa responsio, sententia negans Protestantium scriptorum plures, etiam e Catholicis, sectatores haberet.

Sic allegant 1°. Dionysium Corinthiorum episcopum, qui anno circiter 174. floruit, quique teste S. Maximo martyre in Præfat. ad sua in Dionysium scholia, meminit Dionysii Areopagitæ (opp. S. Dionysii t. 2. p. x. Edit. Corderii et Lansselii.) : sed aliud est meminisse Areopagitæ, aliud scriptorum ejus. In quo vero Corinthius meminerit Areopagitæ, Euseb. refert Lib. 3. Histor. cap. 4. scilicet : *fuisse primum Ecclesiæ Atheniensis episcopum.* Sed hoc non controvertitur.

2°. Clementem Alexandrinum, qui L. 1. et 5. Stromat. quibusdam sententiis utitur, quæ plane iis consonant, quas habet Dionysius Areopagita. Sed, præterquam quod Clemens Dionysium nusquam laudet, quomodo inde evincet quis, Clementem potius ex Dionysio, quam auctorem illorum operum eas sententias ex Clemente hausisse.

3°. Origenem homil. 2. in diversos (al. hom. 1. in Joannem inter spuria.) qua citat Dionysium : *Et ut ait magnus Dionysius Areopagita; esse omnium est superessentia et divinitas.* At notorium est, hanc homiliam esse recentioris ævi, quam fuit Origenes; proinde huic suppositam; in ea enim mentio Manichæorum et Arianorum fit, qui post Origenem exorti.

4°. Dionysium Alexandrinum, qui ad annum 270. floruit, quique teste S. Maximo martyre in scholiis ad cap. 5. libri de cœlesti Hier. (opp. S. Dionys. t. 2. p. 19. A.) commentarios in Dionysium Areopagitam edidit. Verum non sic inquit illustris martyr et theologus S. Maximus *in Dionysium Areopagitam*; sed : *in beatum Dionysium sibi cognominem.* Utrum vero per *Dionysium cognominem* intelligat Areopagitam, vel Romanum, aut Corinthium, qui duo pariter scriptis celebres ætate Dionys. Alexandrinum præcesserant, non satis planum fieri inquiunt, qui negativam sententiam tuentur. Et vero, aiunt, cur S. Maximus, qui opera illa Areopagitæ contra alios asserebat, cum hi operum eorum antiquitatem subvertere conarentur, eo quod

nec Origenes, nec Euseb., nec quis alius antiquus scriptor eorum meminisset, non opposuit Dionysii Alexandrini auctoritatem, si hic in Areopagitam commentarios edidisset. Hinc etsi, spectato textu S. Maximi, perquam verosimile fiat, ab eo per *Dionysium cognominem* indicari Areopagitam; argumentum tamen hoc inde petitum dubii valoris, nec stringens est.

5°. S. Athanasium in Tract. de naturali communione similis essentiæ inter Patrem, Filium, et Spiritum sanctum (opp. t. 2. initio. Edit. Patavin. 1777.) Item: Quæst. 8. ad Antioch. (opp. t. 2. p. 219. B.) *Novem sunt ordines* (Angelorum), *ut Theologiæ peritissimus docet Dionysius.* S. Gregorium Nazianz., qui simillimas Areopagitæ sententias recitant. Verum responderi potest, quod supra ad Clement. Alexandrinum. Præterea librum, sive epistolam ad Antioch. S. Athanasio abjudicant plerique; in eo enim laudantur S. Gregor. Nazianz. et Nyssenus, qui post Athanasium floruere. Item: Quæst. 29. et 40. Iconoclastarum refutatur hæresis, diu post Athanasium orta. Igitur opus illud recentius est, quam ut tribui huic S. Patri possit.

Demum S. Chrysostomum homil. de Pseudoprophetis (opp. t. 8. p. 79. in app.) a Gerardo Vossio primum divulgata, qua inquit: *Ubi Dionysius Areopagita volucris cœli?* quibus ad sublimem Dionysii doctrinam alludit. Sed eruditi omnes hanc homiliam negant esse Chrysostomi.

Hinc quicumque istorum operum Auctor sit, in quem mox inquiremus, illud certum conficitur, ante seculi V. initium ea laudata fuisse a nemine, nec sub Dionysii Areopagitæ, nec Patris alterius, vel Scriptoris nomine.

§. III.

Opinionum quoad Auctorem istorum Operum diversitas.

Honos, qui a sec. V. et VI. his operibus a magni Dionysii Areopagitæ nomine accesserat, cum eo a tempore non sub alio, quam hujus nomine citarentur in Ecclesia, integer iis permansit usque ad orti Lutheranismi et Calvinismi ævum. Equidem etiam a Criticis quibusdam VII. seculi lis quædam excitata fuerat, quibusdam illa Dionysio Corinthiorum episcopo, aliis Alexandrino tribuentibus, aliis juniori Apollinari a Damaso an. 373. hæreseos damnato; at solide iis respondit S. Maximus in Prologo ad sua in Dionysium scholia: ac postea Theodorus presbyter relatus a Photio in Biblioth. Cod. 1., ut deinceps nemo unus contradicere auderet.

At sepultam controversiam resuscitarunt lapso seculo Theodorus Gaza, Laurentius Valla grammatici; Magdeburgenses Centuriatores, suo nimirum compendio, ut se gravissimis hujus S. Patris sententiis, quibus sua dogmata premi tam clare videbant, expedirent. Accessit Desiderius Erasmus, ambiguæ fidei homo; Blondellus, Dallæus, negantes opera illa parentem habere Areopagitam, pluresque postea Protestantium scriptores eamdem variis diatribis sunt causam tuiti: Humfredus Tom. 3. Doctrinæ jesuiticæ, Rivetus in Critica, Scaliger, etc. Atque ex Catholicis Cajetan., Morin. L. de Sacram. Ordinat. cap. 27., Launoius, nonnullique alii.

Verum cum horum argumenta commodam omnino facilemque solutionem patiantur; affirmativa vero sententia, libros illos genuinum S. Dio-

nysii Areopagitæ partum contendens, longe majoribus sit munita præsidiis, ac duodecim seculorum roborata consensu, eam non possum non cum tot SS. Patribus, œcumenicis Conciliis tueri præ adversa, quæ duces habet Gazam et Vallam grammaticos, Dallæum et Blondellum heterodoxos, qui ad hanc tuendam necessitate potius compulsi videntur, quam veritate, quod erroneis eorum dogmatibus nimium officeret tanti Patris, Apostolorum discipuli, eorum doctrinæ genuini hæredis tam manifesta auctoritas.

§. IV.

Opera S. Dionysio Atheniensi, sive Areopagitæ inscribi solita, genuinus ejusdem partus sunt.

Prob. I. Argumento a præscriptione. Jam a duodecim prope seculorum lapsu opera illa habita sunt ut genuinus hujus Dionysii partus a Patribus, Conciliis, Pontificibus, illa constanter sub Areopagitæ nomine evulgantibus, in controversiis citantibus et laudantibus : atqui salvis modestiæ et debitæ reverentiæ legibus, dici non potest, tot Concilia, summos Pontifices, Patres tam sagaces et expertos, omnesque ad unum scriptores Ecclesiasticos ea in re aberrasse, fuisse tam parum sani politique criterii, ut de alio auctore nunquam circumspicerent; etiam quando id poscebant circumstantiæ, hæreticis non raro ex libris illis ob Dionysii Areopagitæ nomen et auctoritatem sua dogmata probare conantibus. Mirum profecto, quosdam posterioris ævi grammaticos Gazam et Vallam vidisse, quod tam illustria duodecim seculorum lumina non perspexerunt.

Maj. constat inductione. Juvenalis Hierosolymitanus, qui circa Concilium Chalcedon. an. 451. floruit, postulantibus Martiano Imperatore et Pulcheria Augusta, ut legere est apud Nicephorum Callistum Hist. Eccl. L. 15. cap. 14. traditionem de funere beatissimæ Virg. referens, inquit : *Tunc aderant cum apostolis sanctissimus Timotheus, primus Ephesiorum episcopus et Dionysius Areopagita, sicut hic ipse magnus testatur Dionysius in his, quæ de beato Hierotheo scripsit ad Timotheum.* Testatur vero id Dionysius L. de divin. Nominib. cap. 3. (opp. t. 1. p. 343. C.).

Opera illa laudarunt sub Areopagitæ nomine Leontius Byzantinus, qui ad annum 540. floruit L. de sectis hæretic. Act. 3. et L. 2. contra Nestor. et Eutychetem; Anastas. Sinaita, qui eodem tempore floruit L. 7. anagog. contemplat. in Hexaemer.; S. Gregor. M. circa finem sec. VI. homil. 34. in Evangelia; S. Sophronius epist. ad Sergium, qui ad annum 630. floruit, cujus epistolam approbavit Synodus gener. VI. Act. 2.; S. Maxim. Martyr, qui floruit ad annum 630. in disputatione cum Pyrrho Monotheleta non modo provocabat ad epistolam Dionysii Areopagitæ, ad Caium; sed et singula ejus opera illustravit scholiis, eidemque vindicavit in Prologo.

Sub eodem Areopagitæ nomine ad opera illa provocarunt summi Pontifices : S. Gregor. M., de quo ante, S. Martin. I. in concilio Lateran. Secret. 1. et 3., Agatho epist. ad Imperat. Constantinum, Heraclium; Adrian. 1. epist. ad Carolum Magnum; Nicol. I. epist. ad Michaelem Imperator.

Provocarunt Synodi œcumenicæ : Synod. VI. Act. 8., Synod. VII. Act. 2.

Porro in Synod. VI., ut passim alias, ad libros Areopagitæ provocabant Monotheletarum duces, non reclamantibus Catholicis, sed exponentibus objectos ex Areopagita textus, aliosque ex eodem opponentibus. Act. 2. et 8.

Operosum foret, et contra propositæ brevitatis in hac Digressione institutum recensere Scriptores innumeros, qui a seculis VII. VIII. IX. et sequentibus, libros hosce Dionysio Areopagitæ tribuerunt, quorum plures exhibet Natal. Alex. Diss. 22. sec. 1. Prætermitti tamen non debet Photius, qui, etsi schismaticus, perpensis utriusque partis momentis, quæ in Theodori vindiciis legerat, libros singulos Areopagitæ, ceu verum partum, non obscure attribuit Biblioth. Cod. 1. Nec omitti Lutherus, qui, etsi Areopagitam sugillet L. de captiv. Babyl., ejus tamen esse ea opera censet.

Hinc sacra Facultas Parisiensis an. 1527. die 17. Sept. decreto censorio confixit hanc propositionem Erasmi: *Dionysius, qui in secunda Hierarchia, i. e. Ecclesiastica, priscos Ecclesiæ ritus satis copiose describit, eruditus recentior quispiam fuisse videtur, quam fuerit Areopagites ille.* Judicium vero censorium sic tulit: *Non vere eruditis, sed temerariis et novitatum studiosis videtur non esse Dionysius Areopagites, qui libros Ecclesiasticæ Hierarchiæ conscripsit, quandoquidem ab ipso Dionysio fuisse conscriptos, constat, primum ex ipsis Ecclesiasticæ Hierarchiæ, et aliis ejusdem auctoris libris; deinde clarorum virorum testimonio comprobatur; postremo septima generali Synodo id fit dilucidius, in qua magnus Dionysius appellatur is, qui libros scripsit Ecclesiasticæ Hierarchiæ.*

Prob. II. Ex libris ipsis, e quibus perspicue intelligitur, eorumdem auctorem virum esse primi seculi; nam L. de divin. Nomin. cap. 2. et 3. se vocat Pauli Apostoli discipulum. Epistolam scripsit ad Timotheum pariter Pauli discipulum; aliam ad Titum condiscipulum Timothei; aliam ad S. Joannem Apostolum in exilio versantem, qua ei in Asiam reditum vaticinatur; rursus aliam ad Polycarpum Joannis Evangelistæ discipulum: in epistola ab Apollophanem se observasse inquit eclipsin solis, quæ contigerat in Christi morte. L. de divin. Nomin. cap. 3. ait, se cum Petro, Jacobo fratre Domini interfuisse beatissimæ Virginis exequiis, etc. Atqui hæc commonstrant auctorem illorum operum fuisse I. seculi virum, proinde illa non posse esse fœtum Dionysii Corinthii, qui altero seculo primum floruit, an. 174., quo jam Apostoli, ac recensiti horum discipuli discesserant omnes, minus vero Dionysii Alexandrini, qui sec. III. an. 259. floruisse dicitur; minime demum alterius sec. IV. vel V. scribentis. Ergo Dionysii Areopagitæ sunt, ut volebat *Prob. I.* traditio, quæ pro hoc solo stat.

Prob. III. Argumento S. Maximi in Prologo ad scholia in Areopag., sumpto ex auctoris probitate. Si opera illa non sint Dionysii Areopagitæ, sed alterius, Corinthii, Alexandrini, vel alterius adhuc posterioris, ut vult pars adversa, fateri necesse erit, auctorem eorum operum inter homines fallacissimum, mendacissimum, ac desperatæ fuisse salutis, cum tanta de se referat, quæ ante vidimus, quæ omnia falsa essent: atqui hoc nec dici, nec cogitari potest de auctore istorum operum, quæ meram spirant pietatem, modestiam, gravitatem, sanctimoniam; nec ullum prorsus vel minimum aut levitatis, aut vanitatis, quæ a mendacibus abesse non possunt, fumum redolent: neque tantæ imposturæ et mendacia cadere possunt in Dionysium, sive Corinthium, sive Alexandrinum, probatæ sanctitatis viros; nec ullum,

qui Deum timet. Accedit sublimitas materiæ, quam pertractat auctor, quæ sane digna est Pauli discipulo, estque Deus, Trinitas, Angeli, Ecclesia, Pontifices, etc. et respondens materiæ stylus, ita in sublime assurgens, res cæteroquin vix explicabiles novis ac singularibus vocibus adeo ad rectæ fidei normam dilucidans, ut Hugo Victorin. angeli potius esse verba putet, quam hominis. Hæc impostori alicui et perditissimo homini non conveniunt.

§. V.

Respondetur ad argumenta contraria.

Argum. I. Auctor istorum operum nunquam se Areopagitam nominat, vel episcopum, sed presbyterum, ut apparet ex inscriptionibus, quibus Timotheo sua opera dedicat : *Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter.*

R. Etiam S. Joannes Evangelista ad Electam scribens, reticito Apostoli, Episcopi, Evangelistæ nomine, presbyterum solummodo se vocat. Deinde Dionysius Timotheum compresbyterum vocat; ergo ejusdem cum eo ordinis et dignitatis erat; sed Timotheus ille episcopus erat ex L. de cœlesti Hierarchia cap. 9. et de Eccles. Hierar. cap. 7.

Argum. II. 1°. Horum librorum sub Dionysii Areopagitæ nomine nemo ante sec. V. e SS. Patribus meminit. 2°. Sed nec Euseb., nec Hieronymus, etsi ex industria scriptorum Ecclesiasticorum catalogos contexerint. 3°. Imo nec Athanasius eos citavit unquam contra Arianos, etsi contra eos Theognostum, Origenem, utrumque Dionysium Alexandrinum et Romanum laudet; et tamen Areopagita unitatem in tribus personis subsistentem tam perspicue docet L. de cœlesti Hier. cap. 7., ac toto cap. 2. L. de divin. Nomin., ubi et Christi divinitatem adeo luculenter exponit.

Ad 1um. R. Argumentum hoc pure negativum esse. Deinde, cur ante sec. V. hi libri sub Areopagitæ nomine non reperiantur citati, ratio esse potest 1°. quod non omnibus ea opera constarent; vel, etsi de his constaret, non omnes haberent præ manibus. 2°. Quia non omnes eamdem tractabant materiam, quam Areopagita, qui argumenta pertractavit plane remota ab his, quæ tractabant Patres alii. 3°. Quia quatuor primis seculis Patres potissimum dogmata confirmabant e Scripturis sacris, rarius proferendo Patres, nisi id circumstantiæ, hæreticorum pertinacia exposceret.

Ad Eusebium R. cum S. Maximo in Prologo ad scholia (loc. cit. p. 11.) *Eusebium quam plurima omisisse, quæ ad ejus manus non pervenerunt. Etenim nec prorsus omnia se collegisse ait: imo fatetur libros, qui ad ipsum non pervenerunt, esse numero superiores. Et sane multorum meminisse possem, quos minime habuit; et hos quidem suæ regionis, ut Hymenæi, et Narcissi, qui sacerdotes Hierosolymis fuerunt; ego sane in aliquos Hymenæi libros incidi. Item neque Pantæni opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum tantum epistolarum, sed neque plurimorum aliorum... Diaconus vero quidam Romanus nomine Petrus narravit mihi, omnia divini Dionysii opera, Romæ in sacrorum scriptorum bibliotheca servari.* Et vero nequidem Athenagoræ meminit, qui tamen pro Religione christiana apologiam scripsit percelebrem. Quid mirum igitur, si nec Areopagitæ memine-

rit? Sed neque Theognosti meminit, quem tamen ut virum disertum, priscum et admirandum Athanasius prædicat epist. de decretis Nicænæ Synodi contra Euseb. Quod dolo malo factum putat Baronius, quia Theognostus vocem *consubstantialis* asserit. Unde idem conjicit, quod eadem de causa Eusebius Areopagitæ prætermiserit opera.

Hieronymus vero ipse in præfat. ad Dextrum (sive Prolog. ad L. de viris illustribus. Opp. t. 2. p. 822. edit. Vallarsi.) profitetur, se ex antiquis Scriptoribus eos duntaxat referre, quos collegisset Eusebius. Quod et fecit, iis duntaxat exceptis, et superadditis, qui post Eusebium floruerunt. Non mirum igitur, si nec Hieronymus Dionysii Areopagitæ meminerit.

S. Athanasius tandem nec hujus Dionysii, nec aliorum meminit contra Arianos, quod contra hos ex Scripturis divinis decertandum vellet, reprehendens etiam Arianos, quod præter Scripturas divinas ad auctores provocarent, et Synodos postularent, L. de decret. Nicænæ Syn., *cum vis Scripturæ potentior sit*. Unde Athanasius contra Arianos non advocabat Patres, nisi quando Ariani ad illos provocarent, ut his illos eriperet. Sic ipsis Origenem, Dionysium Alexandrinum eripuit, illosque vindicavit Catholicis. Areopagitam vero nemo Arianus ei objecerat.

Argum. III. Auctor eorum operum varios ritus recenset L. de Eccles. Hierarch, qui sensim et per longa annorum spatia primum obtinuerunt; ergo ea opera, necesse est, alterius Areopagita posterioris sint.

R. Negari, ritus illos, qui ibidem referuntur, non fuisse jam in usu ab Apostolis usque, etsi non cum eâ solemnitate, itaque publice, ut postea, ob persecutiones celebrarentur. Id planum fit ex Basilio M. L. de Spir. S. cap. 27. (opp. t. 3. p. 55. B.) dicente : *Benedicimus aquam baptismatis, et oleum unctionis, præterea ipsum, qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita, secretaque traditione?... Jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item, quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ et angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minime publicata, et arcana traditione?* Tum inferius (ibid. D.) : *Ad eum profecto modum, et qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli et Patres, in occulto silentioque, mysteriis suam servavere dignitatem.* Tales sunt ritus, quos refert hic Dionysius.

Argum. IV. L. de cœlesti Hierar. cap. 7. et Lib. de divin. Nomin. cap. 1. Deum τρισυπόστατον vocat, per *tres hypostases* intelligens tres personas; ac voce *hypostasis* utitur pro persona : atqui tamen vocem *hypostasis* Græci primum post Conc. Alexandrin. habitum an. 362. pro persona sumere cœperunt, cum ante ipsis nonnisi *essentiam, substantiam, naturam* significaret. Late Morinus hoc argumentum prosequitur : at revera immerito; nam

R. Falsam esse min. inde constat, quod etiam e Græcis plures ante istud Concilium ὑπόστασιν pro persona sumerent. Certe ea voce pro persona S. Dionys. Alexandrinus, item S. Alexander ejusdem Ecclesiæ episcopus, qui tamen multis ante istud Concilium annis floruerunt, usi sunt : prior epist. contra Paulum Samosaten. (Labb. t. 1. p. 866. A.) ad hujus hæretici propositionem quartam respondens, de personis Patris et Filii inquit, *duæ hypostases*. Posterior epist. ad Alexandrum Constantinop. episcopum, quam Theodoretus exhibet L. 4. Hist. Eccl. cap. 3. (al. 4.) *Proprio modo*, inquit, *constantem hypostasin Filii significasse Joannem his verbis : in principio*

erat Verbum, etc. Vox igitur *hypostasis* ab antiquis jam ante dictum Concilium sumebatur diversimode, aliis hac voce substantiam, aliis personam intelligentibus; unde ea voce abutebantur hæretici ob ejus diversam acceptionem; Sabelliani quidem dicebant, unicam esse in Deo hypostasin, h. e. personam; Ariani contra tres esse hypostases; h. e. substantias : ipsi etiam Catholici quoad usum vocis inter se dissidebant, aliis in Deo unam hypostasin, sive substantiam, aliis tres hypostases, sive personas tres asserentibus; quo factum, ut priores a posterioribus ceu Sabelliani; posteriores a prioribus ceu Ariani traducerentur : Quæ res huic ipsi Alexandrino Concilio sub S. Athanasio Præsule celebrando causam dederat. In quo cum compertum esset utramque partem catholice sentire, Patres liberam cuilibet ex Catholicis potestatem fecerunt, eo quo vellet sensu hypostasin sumendi, modo Nicænam fidem, h. e. Trinitatem personarum in unitate substantiæ profiteretur. Inclinant tamen magis Patres eam in sententiam, ut tres in Deo hypostases dicantur; quod Latinorum pluribus displicuit; præsertim S. Hieronymo, qui, non obstante Concilio isto, nunquam ob Arianos tres in Deo hypostases dici sustinuit, adeo ut cum Paulino sibi amicissimo, quod is post Alexandrinum Concilium hypostasin pro persona sumeret, omnem abrumperet amicitiam, scribens ad Damasum : *Paulinum ignoro*. Unde cum Hieron. epist. 57. (al. 15. n. 4. opp. t. 1. p. 40. edit. Vallarsi.) scripserit, *totam secularium litterarum scholam nihil aliud hypostasin, nisi* οὐσίαν *novisse*, æstu illius contentionis abreptus exaggerative ita scripsit.

Argum. V. Auctor librorum istorum L. de divin. Nominib. cap. 4. ex epistola S. Ignatii martyris, paulo ante ejus martyrium ad Romanos scripta, hæc citat verba : *Amor meus crucifixus est*. Atqui tamen longe ante Ignatium Dionysius Areopagita passus fuit; Dionysius enim sub Domitiano: Ignatius vero sub Trajano Imperatore passus est.

Verum huic argumento jam pridem occurrit S. Maximus in scholiis ad cap. 4. L. de divin. Nomin. (opp. S. Dionysii t. 2. p. 138-139.) ubi respondet 1°. fictionem esse, quod Dionysius Ignatium morte prævenerit. Et revera S. Ignatius anno Trajani undecimo; Dionys. vero anno imperii ejusdem ultimo et primo Hadriani, h. e. novem post Ignatium annis martyr obiit, quia Trajanus imperasse dicitur in annum vicesimum, ut tradunt Michael Syncellus Hierosolymit., Martyrologium Romanum vetus, Ado Viennensis, Beda in suis Martyrologiis. Sed

Respondet 2°. ibid. verba illa : *Amor meus*, etc. non fuisse inserta a Dionysio, sed ad marginem notata a Glossatore sciolo irrepsisse in textum; *quod*, inquit, *in multis accidisse novimus*. Et sane ita se res habet. Id ut pateat, necessum est, textus integer referatur. Prænoscendum tamen ante, quis cit. loc. Dionysii scopus sit. Cum Dionysius voce ἔρως *amor* frequens utatur in divinis rebus; hoc vero quidam putarent esse *contra Scripturæ sacræ auctoritatem*, quæ vocem illam *amor* in malam semper partem accipiat; Dionysius sibi contra probandum sumit, vocem illam in Scripturis sacris in bonam quoque partem accipi. Inquit igitur (opp. t. 7. p. 363. p. 11. et 12.) : *Audiant divina scripta, qui nomen amoris criminantur : Ama illam, inquit Proverb. 4.*, *et custodiet te*, *et quæcumque alia in amatoriis de Deo sermonibus* (h. e. Canticis) *celebrantur. Atqui visum est* (ea sensum, de quo controvertitur) *quibusdam sacrarum Scripturarum Tractatoribus*, *nomen*

amoris divinius esse, quam nomen dilectionis; scribit enim divinus Ignatius, meus amor crucifixus est. Et in iis, quæ aditum ad Scripturam præparant (h. e. Liber Ecclesiastæ et Sapientiæ) *quemdam invenies de divina Sapientia aientem : Amator factus sum formæ illius* Sap. 8. v. 2. *Quare non metuamus nomen amoris; nec ullus de hoc nomine sermo nos moveat, aut terreat.*

Hic manifeste perspicitur, sensum illum, *atqui visum est*, etc. intrusum esse, 1°. ob subsequentia, *et in iis, quæ aditum*, etc. quæ solum ob particulam *et* connectuntur cum his antecedentibus; *et quæcumque alia in amatoriis*, etc.; transit enim ab uno Scripturæ libro ad alterum. Igitur impertinenter huc se habent Tractatores Scripturarum et S. Ignatius.

2°. Solum, ut ex scopo Dionysii constat, intendit probare, nomen *amoris* in partem bonam, ad res divinas *in Scripturis sacris* usurpari, quomodo ergo in librorum S. Scripturæ, quos adducit, medio Ignatius ponitur?

3°. Quia illa verba Ignatii : *Amor meus crucifixus est*, prorsus nihil faciunt ad intentum et scopum Dionysii; vult enim ostendere nomen ἔρως *amor* sæpe in Scripturis sacris pro charitate et dilectione spirituali sumi, inque rebus sacris et divinis : atqui in epistola Ignatii minime sic accipitur; sed pro concupiscentia, et amore terrestri, quem dicit in se crucifixum, h. e. extinctum, mortuum esse; nec se amare jam aliud, quam Deum, extincto penitus concupiscentiæ igne, et rerum terrenarum desiderio; hoc enim planum faciunt verba Ignatii integra : *Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis rei ullius terrenæ amans; aqua autem alia viva monet in me intrinsecus clamans, veni ad Patrem.* Unde illa Ignatii sententia non modo non inservit auctoris scopo, sed directe huic officit.

His simul alteri anachronismo occurritur, quem objicit Morin., quod liber de divin. Nomin., in quo laudantur verba Ignatii ex epist. ad Romanos; nuncupatus sit Timotheo, S. Pauli discipulo Ephesiorum episcopo, quem tamen pridem ante Ignatium defunctum fuisse ex hujus ad Philadelphos epistola intelligitur.

Argum. VI. Auctor ille L. de Eccl. Hier. cap. 6. et alibi monachorum meminit; eos a clero et populo distinguit; specialem iis vestitum tribuit; multaque alia de iis velut certum et publicum in Ecclesia statum habentibus disserit : atqui diu post Areopagitæ discessum orti primum sunt monachi; ergo.

R. Monachorum nomine apud Dionysium non venire eos, qui Eremitæ, vel Cœnobitæ dicti in Ecclesia, qui a plebe ac societate hominum penitus avulsi in sylvis, montibusque degebant, in sec. III. S. Pauli et S. Antonii temporibus exorti; sed singulare genus hominum, jam Apostolorum vigens tempore. Philo Judæus eos *Therapeutas* vocat, a puro Dei famulatu, cui se, neglectis terrenis, mancipabant. Erant pars populi; degebant inter laicos, vel privatim suis in ædibus, vel in collegiis; et quibus in sacra synaxi primus inter laicos assignatus erat locus. Ritus, quo quasi consecrabantur, in eo situs erat quod sacerdos ad altare certas pro consecrando orationes diceret; cruce signaret, ac veteri exutum veste novo indueret vestimento. Hos therapeutas non Judæos fuisse, ut quidam adversarii putant, sed veros Christianos, refert Euseb. L. 2. Hist. cap. 7., S. Epiphan. Hær. 29., S. Hieron. in Catalogo, c. 11., Sozomen. L. 5. cap. 12.

Argum. VII. Auctor libri de Eccl. Hierar. cap. 7. de baptismo infantium agens, se id scribere ait, *quod divini præceptores nostri ab antiqua traditione edocti ad nos usque produxerunt* (opp. t. 1. p. 271. B.). Qui vero hi præceptores? Quæ antiqua traditio, si hæc Areopagita Pauli discipulus scripserit?

At facile respondetur, præceptores illos (alii legunt Pontifices) fuisse Apostolos, vel horum discipulos Hierotheum, Justum, Antipam, similesque. Deinde in textu græco habetur : πρὸς τῆς ἀρχαίας παραδόσεως; sed ἀρχαῖον non modo *antiquum*, sed etiam *primum*, sicut ἀρχὴ *principium* significat. Unde is esse sensus potest : *quod divini præceptores, vel pontifices nostri* (Apostoli) *a prima*, scilicet Christi, *traditione ad nos usque produxerunt.*

Argum. VIII. Tandem auctor L. de Eccl. Hier. cap. 1. 2. et 7. Timotheum vocat *filium;* atqui tamen episcopus erat L. eod. cap. 7. Item ibidem Millenariorum refutat errorem, ortum a Papia episcopo Hierapolitano circa annum Christi 118. Item meminit Apocalypsis S. Joannis contra morem Græcorum.

Ad primum jam respondit S. Maxim. in Prologo, Dionysium hoc fecisse ad imitationem Domini, discipulos suos *pueros* compellantis Joan. 21. Deinde solent seniores filiorum nomine juniores compellare; Dionysius vero ætate multum superabat Timotheum; nam S. Paulus ad eum jam episcopum, Nerone imperante, scribens, eum vix adolescentiam fuisse egressum, indicat dicens : *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Sed Dionysius maturæ jam ætatis fuerat, præterea auctoritatis maximæ, tum ob dignitatem, quam in Areopago tenuerat; tum ob eruditionis famam; tum ob suam a Paulo conversionem et ordinationem. Demum etiam Dionysius Alexandrinus Basilidem episcopum Pentapolitanum *filium* vocat, epistola ad eumd. *Dionysius Basilidi dilecto mihi filio, et fratri*, etc. Extat Tom. 1. Concilior. Labbæi pag. 931. Ita et Montanus archiepiscopus Toletanus Polibium episcopum filium vocavit adhuc sec. VI. epist. ad eumd. Extat Tom. 4. Concil. pag. 1736, etc. ut proinde phrasis illa inter episcopos satis usitata fuerit, ut se invicem et episcopos, et fratres, et filios compellarent, scilicet vel respectu Patris cœlestis; vel ad imitationem Domini; vel ad tanto magis exprimendum vinculum charitatis.

Ad alterum : Nihil impedit, quo minus Dionysius, qui juxta antiqua Martyrologia, Romanum, Bedæ, Adonis, juxta Suidam, aliosque sub Hadriano passus est, refutaverit errorem sub Trajano exortum. Deinde insuper tempus, quo scripsit Papias, incertum est. Ac tandem Papias non fuit hujus erroris auctor; sed ipse testatur apud Euseb. L. 3. Histor. cap. ult., se hanc doctrinam ab aliis *ex viva traditione* accepisse. Omnino igitur jam Dionysius confutare hunc errorem poterat.

Falsum demum, a Græcis non factam fuisse Apocalypsis mentionem, vel eam ab his non annumeratam fuisse libris canonicis; nam ut canonicum habuit S. Justinus martyr Dial. cum Tryphone, Theophil. Antiochenus apud Euseb. L. 4. Histor. cap. 23., S. Irenæus L. 4. cap. 37. et 50., Clemens Alexandrinus in Pædagogo, Origenes homil. 7. in Josue, aliique.

O. A. M. D. G.

CONSPECTUS TOMI QUINTI

PARS PRIOR.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Pag.

Decretum Concilii Florentini, et canones Concilii Tridentini de Sacramentis generatim. 2

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS EXISTENTIA ET QUIDDITATE.

CAPUT I. — DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS ESSENTIA ET EXISTENTIA.

ARTIC. I. — *Quid sit sacramentum?* 7

Sacramentum in genere est signum sensibile, sacrum, a Deo permanenter institutum ad significandam gratiam, et conferendam sanctitatem illud rite suscipienti. 8

ARTIC. II. — *An et quot novæ Legis sacramenta sint?* 16

I. — Habet et Lex nova sacramenta sua, eaque numero septem, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium. . 16

II. — Sacramenta novæ Legis et quoad substantiam, et quoad numerum perquam convenienter instituta sunt. 19

ARTIC. III. *Quis auctor et institutor sacramentorum novæ Legis, et quæ eorum tum ad se invicem, tum ad subjectum comparatio?* 25

I. — Omnia et singula novæ Legis sacramenta Christus immediate et per seipsum instituit. 26

II. — Sacramenta novæ Legis non sunt omnino paria dignitate et necessitate. 28

III. — Comparative ad subjectum sacramenta novæ Legis alia dicuntur *sacramenta mortuorum*, alia *vivorum*. 29

CAPUT II. — DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS CAUSALITATE ET EFFECTU.

ARTIC. I. — *An sacramenta novæ Legis ex se, sive ex opere operato conferant gratiam omnibus obicem non ponentibus?* 30

Omnia sacramenta novæ Legis ex se, sive ex opere operato conferunt gratiam omnibus obicem non ponentibus. 31

Pag.

ARTIC. II. — *Quomodo sacramenta novæ Legis causent gratiam, physice, an moraliter?* 40

I. — Quidquid sit de eo, utrum sacramenta elevari a Deo possint ad producendam physice gratiam, verosimilius est, ea de facto esse causas instrumentales tantum morales, non physicas gratiæ. 41

II. — Vis causandi gratiam moraliter in sacramentis est specialis eorum dignitas et excellentia, quæ potest movere Deum ad conferendam infallibiliter gratiam. 45

ARTIC. III. — *An et antiqua sacramenta causarint gratiam ex opere operato?* 48

I. — Nec remedium Legis naturæ, nec circumcisio, nec ullum aliud sacramentorum veterum contulit gratiam ex opere operato. 48

II. — Remedium Legis naturæ nonnisi mera conditio erat, qua posita Deus solus vi promissionis suæ et intuitu meritorum Christi conferebat parvulis gratiam deletivam peccati originalis, citra recipientis et ministrantis meritum, ac proinde ne quidem ex opere operantis hoc remedium parvulis gratiam contulit. 52

ARTIC. IV. — *Quid sit gratia sacramentalis?* 53

I. — Singula sacramenta præter gratiam sanctificantem specialia conferunt auxilia gratiæ, sivè gratias excitantes peculiares, diversas pro diversitate finis, ad quem obtinendum singula sacramenta instituta sunt. 54

II. — Gratia sacramentalis habitualis non differt entitative et intrinsece a non sacramentali; multo minus dicit habitus speciales, a gratia sanctificante communi, et virtutibus cum hac infundi solitis realiter distinctos. 54

ARTIC. V. — *Quam gratiam causent sacramenta novæ Legis? præsertim an sacramenta vivorum possint causare gratiam primam per accidens?* 56

Sacramenta vivorum per accidens causare possunt gratiam primam. . 57

ARTIC. VI. — *Quantam gratiam novæ Legis sacramenta causent? an æqualem æqualiter, inæqualem inæqualiter dispositis?* 62

I. — Sacramenta ejusdem speciei conferunt ex opere operato æqualem gratiam æqualiter dispositis; inæqualem dispositis inæqualiter. . . . 62

II. — Dispositio illa, cui sacramentalem gratiam commensurat Deus, maxime actualis est, sita in actibus charitatis, spei, pœnitentiæ, etc. quibus se homo ad recipiendum devotius sacramentum disponit. 63

ARTIC. VII. — *An sacramenta ficte suscepta sublato obice reviviscant, gratiamque et quam producant?* 64

I. — Sacramentum Baptismi cum fictione sive materiali sive formali susceptum, remoto per subsequentem dispositionem obice, reviviscit. . . 65

II. — Probabilius etiam est, sacramenta Confirmationis, Ordinis, imo Matrimonii et Extremæ unctionis ficte suscepta, recedente fictione reviviscere. 67

ARTIC. VIII. — *An et quænam sacramenta imprimant characterem, quæque hujus natura?* 72

I. — Datur character sacramentalis; isque per tria duntaxat sacramenta imprimitur, Baptismum, Confirmationem et Ordinem. 72

II. — Character sacramentalis non est pura relatio rationis, nec realis; sed quid reale et absolutum est. 75

DISSERTATIO II.

DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS CAUSIS INTRINSECIS ET EXTRINSECIS, ET SUBJECTO.

CAPUT. I. — DE SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS CAUSIS INTRINSECIS, SIVE MATERIA ET FORMA.

Pag.

ARTIC. I. — *An omnia sacramenta novæ Legis constent rebus ut materia, et verbis ut forma?* 82

Omnia novæ Legis sacramenta constant ex rebus et verbis, et quidem ceu materia et forma, ac ut intrinsecis et essentialibus. 82

ARTIC. II. — *Utrum verba sacramentorum sint promissoria et concionatoria, an consecratoria?* 86

I. — Ad nullius sacramenti collationem tanquam pars essentialis præmitti vel adhiberi concio debet, quæ sit divinarum promissionum, tum quarumvis, tum de sacramentorum institutione vel effectu explicatio. . . 87

II. — Verba sacramentorum, quibus forma constat, sunt vere consecratoria, sic, ut consecrent, et sanctificent elementum vel rem, ac etiam efficiant id, quod significant, sive gratiam. 88

ARTIC. III. — *An materiæ et formæ sacramentorum omnium novæ Legis sint a Christo determinatæ, et quomodo?* 91

I. — Christus aliquo modo determinavit sacramentorum omnium materiam et formam. 91

II. — Non tamen determinavit sacramentorum omnium materias et formas eodem modo, sed alias magis specifice, alias magis generice. . . . 92

III. — Etsi Ecclesia possit determinare, mutare accidentales quosdam sacramentorum ritus; nequit tamen immutare eorum materias et formas quoad substantiam, sive sub ea ratione, sub qua eas Christus instituit . . 93

CAPUT II. — DE CAUSA SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS EFFICIENTE MINISTERIALI, SIVE MINISTRO.

ARTIC. I. — *Quis sacramentorum novæ Legis minister sit?* 96

I. — Solus homo, ac quidem viator de lege Dei ordinaria, non vero angelus, sive bonus sive malus, nec anima separata a corpore, minister sacramentorum est. 96

II. — Non tamen quilibet viator homo est minister sacramenti cujuslibet. . 98

ARTIC. II. — *An ad sacramenti valorem requiratur fides ministri?* . . . 99

§. I. — Origo controversiæ rebaptizantium. 100

§. II. — Gesta S. Stephani cum legatis Cypriani, et episcopis afris, tum Firmiliano et huic adhærentibus episcopis orientalibus. 100

§. III. — Gesta a S. Cypriano et Firmiliano post Stephani Papæ responsum. 102

§. IV. — Utrum tandem Stephanus Papa in Cyprianum et Firmilianum excommunicationis tulerit sententiam? 103

§. V. — An S. Cyprianus, eique adhærentes Episcopi controversiam hanc putarint pertinere ad fidem? 104

§. VI. — Quis controversiæ exitus? An Cyprianus ante mortem, aliique errorem deposuerint? 106

§. VII. — Asseritur dogma catholicum. 107

Ad valorem sacramenti fides ministri non est necessaria. . . . 107

Pag

ARTIC. III. — *An ad valorem sacramenti saltem requiratur in ministro probitas?* 116

In ministro ad sacramenti valorem probitas, h. e. sanctitas, vel status gratiæ non requiritur. 117

ARTIC. IV. — *Quid requiratur in ministro, ut sacramentum ministret licite?* 120

I. — Minister ex officio talis, sive specialiter consecratus et deputatus, per se loquendo peccat mortaliter, sacramentum in statu peccati mortalis conficiens. 120

II. — Probabilius est, non peccare graviter ministrum, qui in statu peccati Eucharistiam solummodo distribuit. 121

III. — Per se loquendo, citra peccatum grave ex parte ministri sacramentum indigno ministrari non potest. 122

ARTIC. V. — *Utrum in ministro ad sacramenti valorem aliqua necessaria sit intentio?* 124

Ad valorem sacramenti necessaria est in ministro intentio perficiendi sacramentum, sive faciendi quod facit Ecclesia. 124

ARTIC. VI. — *Quæ intentio ex parte ministri requiratur et sufficiat ad valorem sacramenti?* 130

I. — Non est necessarium ad valorem sacramenti, ut minister intendat explicite conferre sacramenti effectum, sive gratiam; nec ut sic intendat efficere rem in se absolute sacram, seu sacramentum; nec ut intendat facere, quod facit Ecclesia Romana; sed horum intentio implicita sufficit, contenta in hac generali explicita, faciendi id, quod facit vera Ecclesia, vel quod novit ut sacrum fieri in Ecclesia. 131

II. — Ad valorem sacramenti sola intentio externa non sufficit, sed seria interna necessaria est. 132

ARTIC. VII. — *Qualis interna intentio ad veritatem sacramenti sit, vel non sit sufficiens?* 138

I. — Ad valorem sacramenti nec intentio interpretativa, nec pure habitualis, nec indirecta sufficiens est. 139

II. — Intentio actualis sufficientissima est, et optima; non tamen absolute necessaria; sed etiam intentio virtualis omnino sufficiens est. . . . 140

ARTIC. VIII. — *Utrum intentio ministri absoluta esse debeat, vel an etiam aliquando conditionata sufficiat?* 143

Non sufficit ad valorem sacramenti intentio stricte conditionata, scilicet sub conditione de futuro, uno excepto matrimonio. 144

CAPUT III. — DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

ARTIC. I. — *Quid requiratur ex parte subjecti, ut sacramentum recipiat valide?* 146

I. — In adultis ad suscipiendum sacramentum valide requiritur, et sufficit, positiva aliqua voluntas et intentio illud suscipiendi; nec sufficit sola negatio voluntatis contrariæ, excepto sacramento Eucharistiæ et Pœnitentiæ. 146

II. — Hæc tamen intentio sive voluntas ad validam sacramenti susceptionem requisita, non est necessario actualis, vel virtualis; sed sufficit habitualis, quæ fundatur in voluntate aliqua priori non retractata, ratione cujus susceptio sacramenti moraliter adhuc censeatur voluntaria . . 147

III. — Non tamen in suscipiente fides requiritur ad valorem sacramenti, excepto sacramento Pœnitentiæ. 150

Pag.

ARTIC. II. — *Quid requiratur ex parte subjecti, ut suscipiat sacramentum fructuose?* 150

I. — Ut sacramentum Baptismi conferat gratiam adulto qui præter peccatum originale habet peccatum mortale personale, præter actus fidei et spei necessario etiam requiritur actus doloris, qui tamen non est necessario contritio perfecta. 151

II. — Ut obtineatur effectus sacramenti Pœnitentiæ, in peccatore requiritur 1°. dolor supernaturalis de omni peccato mortali commisso, cum proposito non peccandi de cætero; 2°. integra peccatorum gravium confessio, saltem in voto. 151

III. — Sacramenta vivorum per se ad fructuosam sui receptionem in suscipiente statum gratiæ prærequirunt : secus sacramenta mortuorum. . 151

TRACTATUS DE SACRAMENTIS TRIBUS PRIORIBUS

DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE ET EUCHARISTIA.

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Decretum Concilii Florentini ad instructionem Armenorum. 156

Canones Concilii Tridentini de Baptismo. 155

CAPUT I. — DE ESSENTIA BAPTISMI, INSTITUTIONE, MATERIA AC FORMA.

ARTIC. I. — *Quid sit Baptismus? quando a Christo institutus ?* 158

I. — Sacramentum Baptismi spectatum physice recte definitur : *Ablutio corporis sub præscripta verborum forma.* Sumptum metaphysice vero : *Sacramentum regenerationis*, sive institutum ad fidelium regenerationem spiritualem. 158

II. — Christus Baptismum ante passionem suam instituit. 160

III. — Quo tempore Christus instituerit Baptismum, controversum est : probabilius tamen non instituit Baptismum antequam ipse baptizaretur a Joanne, nec quando ab eodem baptizabatur in Jordane, nec in colloquio cum Nicodemo; sed quando ipse Apostolos et discipulos ad prædicandum et baptizandum misit. 161

ARTIC. II. — *De materia remota Baptismi?* 166

Materia remota Baptismi, eaque necessaria absolute, sola aqua naturalis seu elementaris est. 166

ARTIC. III. — *De materia proxima Baptismi?* 170

I. — Ritus immersionis non est necessarius necessitate sacramenti; sed valet Baptismus collatus sive per immersionem, sive per affusionem, sive per aspersionem. 171

II. — Nec est de necessitate sacramenti trina sive immersio, sive affusio, sive aspersio; sed unica sufficit. 172

Pag.

ARTIC. IV. — *De forma Baptismi. Quæ verba in hac essentialia sint? et utrum necessaria sit distincta personarum SS. Trinitatis expressio?* . 175

I. — Ad valorem sacramenti requiritur, ut in forma exprimatur actus Baptismi; proinde non satis est dicere, *in nomine Patris*, etc. sed verba hæc, *te baptizo*, aut *baptizatur*, vel æquivalentia de essentia formæ sunt. 177

II. — De essentia formæ est, proinde de necessitate sacramenti, distincta trium personarum SS. Trinitatis expressio, ut nec valeat, nec valuerit unquam aliis sub verbis, etiam Christi nomine Baptismus collatus. . . 177

CAPUT II. — DE NECESSITATE BAPTISMI.

ARTIC. I. — *An et quomodo Baptismus aquæ sit hominibus singulis, etiam fidelium liberis, necessarius ad salutem?* 185

I. — Secluso casu martyrii, Baptismus aquæ est omnibus ad salutem necessarius necessitate medii; adultis quidem in re, vel in voto, si in re suscipi non possit; infantibus vero in re. 185

II. — Adultis Baptismus insuper necessarius est necessitate præcepti. . . . 186

ARTIC. II. — *An Baptismus aquæ suppleri possit per Baptismum flaminis?* 191

Baptismus flaminis, sive perfecta in Deum charitas, perfectave contritio, vices Baptismi aquæ in adultis supplet quoad effectum ejus principalem, gratiam peccatorum remissivam 191

ARTIC. III. — *An et quomodo Baptismus sanguinis, sive martyrium, suppleat vices Baptismi aquæ?* 195

I. — Martyrium supplet vices Baptismi aquæ in infantibus et in adultis, tam quoad remissionem omnis culpæ, quam pœnæ. 196

II. — Martyrium supplet Baptismum aquæ, quoad remissionem culpæ omnis et pœnæ quasi ex opere operato. 197

III. — In adultis ad obtinendum martyrii effectum necessario debita requiritur dispositio. 197

IV. — Probabilius est per se, et speculative loquendo, Baptismum sanguinis, sive martyrium, vim justificandi adultos habere independenter ab actu charitatis vel contritionis perfectæ, idque ex privilegio singulari ac velut ex opere operato. 198

ARTIC. IV. — *An ex lege aliqua ordinaria, vel clementia aliqua speciali, suppleat Deus defectum Baptismi in parvulis ob parentum vota, vel fidem?* 201

De facto, sive in præsenti providentia, Deus nec ex lege aliqua ordinaria, nec ex peculiari clementia ob parentum vota, vel fidem, in parvulis supplere defectum Baptismi, secluso martyrio, dici potest. . . 201

CAPUT III. — DE BAPTISMI MINISTRO, SUBJECTO, EFFECTIBUS.

ARTIC. I. — *Quis sit minister Baptismi?* 205

I. — Minister solemnitatis ordinarius et primus est episcopus; secundus post hunc et velut minus principalis omnis sacerdos; tertius diaconus, sed nonnisi extraordinarius. 206

II. — Minister necessitatis omnis homo viator est; 1°. laicus fidelis, 2°. et sive vir sive femina; 3°. hæreticus et schismaticus; 4°. imo infidelis et Judæus; ut proin, adhibitis essentialibus, et valide et licite baptizare queant. 208

Pag.
ARTIC. II. — *Quodnam Baptismi subjectum sit?* 214
Infantes non modo capaces Baptismi sunt, sed et eos baptizari expedit, ac necesse est. 214
ARTIC. III. — *An pueri Judæorum, aliorumque infidelium licite baptizentur non consentientibus parentibus?* 219
Illicitus est talis Baptismus. 220
ARTIC. IV. — *Quinam Baptismi effectus sint? quæ proprietates?* 224
I. — Veri effectus Baptismi recensentur. 225
II. — Proprietates Baptismi sunt 1°. necessitas ejusdem, 2°. unitas, 3°. initerabilitas. 227

DISSERTATIO II.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Decretum Concilii Florentini de Confirmatione pro Armenis. 229
Canones Concilii Tridentini de Confirmatione. 230

CAPUT I. — DE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS EXISTENTIA, MATERIA ET FORMA.

ARTIC. I. — *Utrum Confirmatio sit verum ac proprie dictum novæ Legis sacramentum?* 231
Confirmatio est verum ac proprie dictum novæ Legis sacramentum. 231
ARTIC. II. — *Quæ sit sacramenti Confirmationis materia?* 239
Materia essentialis Confirmationis est 1°. chrismatio; 2°. impositio manus; 3°. eaque chrismationi annexa; sic ut ex duabus his partialibus constituatur una adæquata materia. 240
ARTIC. III. — *Qualis chrismatio sit ad Confirmationem, et quomodo necessaria?* 249
I. — Momenta sententiæ negantis balsamum, necessitate sacramenti, oleo miscendum esse. 250
II. — Momenta sententiæ affirmantis. 252
ARTIC. IV. — *Utrum chrisma necessario debeat esse benedictum ab episcopo? An chrismatio necessario facienda in fronte?* 254
I. — Chrisma benedictum esse debet; et quidem jure saltem ordinario, ab Episcopo; idque necessario, necessitate ad minus præcepti. . . . 254
II. — Unctio in fronte fieri debet; ac quidem ad modum crucis. 256
III. — Probabilius est, utrumque, unctionem *in fronte*, ac in modum *crucis*, esse de necessitate sacramenti. 257
ARTIC. V. — *Quænam sacramenti Confirmationis forma sit?* 262
I. — Oratio respondens præviæ extensioni manus super confirmandos nullo modo ad formam essentialem pertinet. 262
II. — Forma Confirmationis sunt apud Latinos tantum verba, quæ unctioni respondent, hæc vel æquivalentia: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, etc.* Apud Græcos: *Signaculum doni Spiritus sancti.* 262

CAPUT II. — DE MINISTRO, SUBJECTO, PROPRIETATIBUS CONFIRMATIONIS.

Pag.
ARTIC. I. — *Quis minister Confirmationis ordinarius?* 273
Minister Confirmationis est solus Episcopus. 267
ARTIC. II. — *Utrum sacerdos simplex possit esse minister Confirmationis extraordinarius?* 273
Potest sacerdos simplex ex dispensatione Sedis Apostolicæ administrare sacramentum Confirmationis; proinde hujus esse extraordinarius minister.
ARTIC. III. — *Quodnam subjectum? quæ necessitas? proprietates et effectus Confirmationis?* 281
I. — Subjectum Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus. 281
II. — Confirmatio non est necessaria necessitate absoluta, vel medii. . . . 282
III. — Effectus Confirmationis principalis est augmentum gratiæ sanctificantis, qua in perfectione christiana perficimur, cum jure ad auxilia specialia ad fortiter profitendam fidem. 282
IV. — Alter hujus sacramenti effectus est character. 283

DISSERTATIO III.

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Decretum Concilii Florentini de Eucharistia pro Armenis. 289
Canones Concilii Tridentini de sacrosancto Eucharistiæ sacramento. 290
Canones ejusdem Concilii de communione sub utraque specie et parvulorum. . 291
Canones ejusdem Concilii de sacrificio Missæ. 292

CAPUT I. — DE EUCHARISTIÆ INSTITUTIONE.

ARTIC. I. — *Prænotanda ad præsentem controversiam.* 294
ARTIC. II. — *Qua die Christus Eucharistiam instituerit?* 296
I. — Pascha ex præscripto legis a Judæis celebrari debuit mensis luna decima quarta, eaque exeunte, sive ad vesperam ejus secundam, quæ erat initium decimæ quintæ, et primæ azymorum. 297
II. — Christus ultimo vitæ suæ anno vere celebravit pascha judaicum? nec solummodo cœnam communem habuit, in qua Eucharistiam instituit. 299
III. — Judæi anno Christi morientis pascha legale non transtulerunt in lunam decimam quintam; nec eo tempore apud Judæos duplex neomenia in usu fuit; nec subsistit systema de duplici paschate Judæorum et Galilæorum. 300
IV. — Christus non anticipavit ultimum pascha, ut schismatici Græci volunt; sed hoc celebravit, et proinde Eucharistiam instituit luna decima quarta exeunte, h. e. feria quinta ad hujus vesperam. 301

CAPUT II. — DE VERITATE EUCHARISTIÆ, SIVE REALI CHRISTI IN EADEM PRÆSENTIA.

ARTIC. I. — *An ex cap. 6. Joannis recte probatur Christi in Eucharistia realis præsentia?* 310
Ex cap. 6. Joannis a vers 52. realem Christi in Eucharistia præsentiam invicte inferunt, et probant Catholici 312

Pag.

ARTIC. II. — *An realis substantialis præsentia corporis et sanguinis in Eucharistia probetur efficaciter ex verbis institutionis?* 318

Verba Christi : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus*, in sensu proprio ac naturali debent intelligi; ut proinde ex iis efficaciter et invicte probetur realis ac substantialis præsentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. 318

ARTIC. III. — *An ex non interrupta traditione habeatur realis corporis et sanguinis Christi in Eucharistia præsentia?* 327

Dogma catholicum de reali Christi in Eucharistia præsentia invicte ex SS. Patrum omnis ævi consensu elucet. 327

ARTIC. IV. — *An et quomodo realis Christi in Eucharistia præsentia evincatur argumento a præscriptione?* 337

Nemo in Ecclesia ante sec. IX. vel inficiatus est, vel impugnavit præsentiam realem Christi in Eucharistia ; sed ea omnium Ecclesiarum constanti et unanimi fide credita fuit; ut adeo sic solo argumento a præscriptione constet de veritate catholici dogmatis. 337

CAPUT III. — DE MODO, QUO CHRISTUS IN EUCHARISTIA REALITER PRÆSENS EXISTIT.

ARTIC. I. — *An in Eucharistia corpus et sanguis Christi sistantur præsentia per transsubstantiationem? et qualem?* 345

Vi verborum consecrationis totalis fit transsubstantiatio, sive totius substantiæ panis in corpus Christi, et totius substantiæ vini in sanguinem Christi conversio. 345

ARTIC. II. — *Quo modo Christus existat in Eucharistia? Et quæ circa mysterium hoc insuper tenenda?* 353

I. — In Eucharistia accidentia vel species panis et vini sunt sine subjecto. . 353

II. — Christus sub qualibet specie totus continetur, et totus sub qualibet parte speciei. 356

III. — Corpus Christi in Eucharistia cum sua quantitate existit, sine tamen impenetrabililate actuali, et extensione ad locum. 358

CAPUT IV. — DE NATURA EUCHARISTIÆ, MATERIA, FORMA.

ARTIC. I. — *An Eucharistia in re permanente, vel tantum in usu consistat?* 361

Eucharistia non consistit præcise in usu, sed in re permanente. . . . 361

ARTIC. II. — *Quæ sit materia consecrationis primæ?* 366

I. — Materia remota consecrationis primæ est panis triticeus. 366

II. — Materia sufficiens est panis triticeus tam azymus, quam fermentatus ; Latini tamen tenentur ex præcepto uti azymo, Græci fermentato. . 366

III. — Ecclesia latina ab origine sua usque nunc nonnisi in pane azymo consecravit. 367

IV. — Longe probabilius est, etiam Ecclesiam Græcorum in prioribus saltem quinque seculis consecrasse in azymo. 370

ARTIC. III. — *Quæ sit secundæ consecrationis materia?* 375

I. — Materia necessaria, necessitate sacramenti, in secunda consecratione est vinum de vite, id est, vinum vere et proprie dictum, quodcumque, qualecumque deinde sit. 375

II. — Vino tamen miscenda est aqua in modica quantitate. 375

Pag.

III. — Admixtio tamen aquæ non est de necessitate sacramenti; neque præcepti divini, sed tantum ecclesiastici. 376
IV. — Etiam aqua vino mixta in Christi sanguinem convertitur. 376

ARTIC. IV. — *Quibus præcise verbis contineatur forma Eucharistiæ?* . . . 377
I. — Verba essentialia, quæ ad consecrationem primam requiruntur et sufficiunt, sunt hæc sola, vel his æquivalentia : *Hoc est corpus meum.* . 378
II. — Verba consecrationis secundæ, sive calicis, itidem hæc sola sunt : *Hic est calix sanguinis mei*, vel : *Hic est sanguis meus.* 379

CAPUT V. — DE PROPRIETATIBUS EUCHARISTIÆ, MINISTRO, SUBJECTO.

ARTIC. I. — *An et quomodo necessaria Eucharistia sit?* 381
I. — Eucharistia non est necessaria necessitate medii. 381
II. — Eucharistia adultis necessaria est necessitate præcepti divini et ecclesiastici. 382

ARTIC. II. — *An sumptio Eucharistiæ sub utraque specie ex præcepto divino necessaria sit non sacrificantibus?* 384
Sumptio Eucharistiæ sub utraque specie non est fidelibus non sacrificantibus ad salutem ex præcepto divino necessaria. 384

ARTIC. III. — *De ministro et subjecto Eucharistiæ.* 389
I. — Sacerdotes soli Eucharistiæ consecrandæ ministri sunt, nec id ulli alteri mortalium competit. 389
II. — Minister Eucharistiæ dispensandæ ordinarius jure divino est solus sacerdos, extraordinarius vero diaconus. 390
III. — Subjectum Eucharistiæ solus et omnis homo baptizatus est, et capax, si a gravibus peccatis immunis est, ad Eucharistiam suscipiendam cum fructu. 391

CAPUT VI. — DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIUM EST, SIVE DE SACRIFICIO MISSÆ.

ARTIC. I. — *Utrum in Missa offeratur Deo verum ac proprie dictum sacrificium?* 392
Missa est verum ac proprie dictum novæ Legis sacrificium. 393

ARTIC. II. — *Quale sacrificium Missa sit, et in quo illius essentia sita?* . . 400
I. — Missæ sacrificium est latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium. 401
II. — Sacrificium Missæ formaliter spectatum pro ipsa offerendi et sacrificandi ratione in sola consecratione consistit. 401
III. — Sacrificium hoc Missæ objective sumptum, sive pro re oblata, quæ etiam materia sacrificii dici solet, est Christus, prout per consecrationem sub utraque specie modo quodam mortuo et indivisibili ponitur. . 402

ARTIC. III. — *Quæ sint causæ, quantus valor et effectus sacrificii eucharistici? Pro quibus offerri possit? Tum an in honorem sanctorum?* . . . 404
I. — Christus est sacerdos et offerens principalis; secundarius vero et ministerialis est solus et omnis sacerdos legitime ordinatus. 404
II. — Valor sacrificii secundum se, in actu primo, simpliciter infinitus est. . 404
III. — Effectus sacrificii, qua propitiatorium est, est peccatorium tam mortalium, quam venialium remissio; pœnæ item peccatis condonatis adhuc debitæ; eamque remissionem causat ex opere operato. 405
IV. — Non tamen causat ex opere operato immediate gratiam habitualem, vel

Pag.
hujus augmentum, nec remissionem peccatorum quoad culpam, saltem mortalium; sed mediate tantum 405
V. — Sacrificium Missæ offerri potest 1°. pro omnibus fidelibus non excommunicatis; 2°. saltem indirecte pro non baptizatis, schismaticis; 3°. pro defunctis fidelibus in purgatorio detentis. 405
VI. — Sacrificium Missæ offertur Deo soli, non Sanctis; licite tamen et laudabiliter offertur Deo in memoriam et honorem Sanctorum, juxta sensum et mentem Ecclesiæ. 406

DIGRESSIO BREVIS THEOLOGICO-CRITICA

DE LIBRIS S. DIONYSIO ATHENIENSI, SIVE AREOPAGITÆ PASSIM INSCRIBI SOLITIS. UTRUM VERE EUM AUCTOREM HABEANT?

---

§. I. — Opera S. Dionysio Atheniensi adscribi solita. 409
§. II. — Operum S. Dionysio Atheniensi inscriptorum antiquitas et auctoritas. 410
§. III. — Opinionum quoad auctorem istorum operum diversitas. 411
§. IV. — Opera S. Dionysio Atheniensi, sive Areopagitæ inscribi solita, genuinus ejusdem partus sunt. 412
§. V. — Respondetur ad argumenta contraria. 414

THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS.

EXCUDEBANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS

TOMUS QUINTUS.

DE POENITENTIA ET EXTREMA UNCTIONE.

DE ORDINE ET MATRIMONIO.

LUTETIÆ PARISIORUM,

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.

4. VIA DICTA DE BUCI.

1854.

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS POENITENTIÆ
ET EXTREMÆ UNCTIONIS

AUCTORE R. P. UDALRICO MUNIER S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS ORDINIS
ET MATRIMONII

AUCTORE R. P. THOMA HOLTZCLAU S. J.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
DE
SACRAMENTIS PŒNITENTIÆ
ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

In doctrina de sacramentis Pœnitentia quartum locum obtinet, non dignitate, sed usu Scholarum, quem Concilium Tridentinum sua auctoritate confirmavit Sess. 7. can. 1. et Sess. 14. Ac revera etiam Pœnitentia quartum usu sacramentum est: nam quod Baptismus præcedat, per se patet: Confirmatio item et Eucharistia cum sint sacramenta vivorum, peccatum non supponunt. Quia vero spiritualis vita sæpe vel culpis gravibus amittitur vel levioribus inquinatur, Pœnitentiæ usus sacramenta prædicta excipit. Pœnitentiæ autem mysterio sacramentum Unctionis Extremæ apte subjungitur: ut enim illa ad delenda peccata; ita hæc ad tollendas peccatorum reliquias tanquam consummativa pœnitentiæ adhibetur.

DISPUTATIO I.

DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

CAPUT I.

DE NATURA VIRTUTIS POENITENTIÆ.

1. De Pœnitentia disputat S. Thomas 3. parte a quæst. 84. usque ad finem 90ae : et in Supplemento ejusdem 3. partis, quam beata morte præventus non absolvit, ex aliis S. Doctoris sui lucubrationibus idem argumentum a discipulis ipsius continuatur et ad finem deducitur quæstionibus 28. Quoniam vero idem S. Doctor q. 85. pœnitentiam, in quantum virtus est, fusius explorat, opus est, ut eamdem methodum observemus : nam sicut in lege gratiæ virtus pœnitentiæ sine sacramento vel ordine ad sacramentum prodesse non valet, ita nec sacramentum sine virtute eadem potest consistere.

ARTICULUS I.

AN ET QUALIS VIRTUS SIT POENITENTIA?

2. *Nota I.* Pœnitentia sensu laxiore accepta dicitur retractatio quælibet voluntatis prioris, etiamsi mala non fuerit : quo modo per metaphoram Gen. 6. v. 6. Deum *pœnituit*, *quod hominem fecisset in terra.* Et jurisperiti aiunt aliam esse pœnitentiam contractus, aliam criminis. Glos. ad lit. *Qui ea.* ff. de furtis. Quanquam non quælibet pœnitudo criminum laudetur, ut in Juda Iscariote patet, qui Matth. 27. v. 3. *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* Igitur ad pœnitentiam, de qua nunc loquimur, et quæ sit virtus, requiritur, ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est. Quod quidem duobus modis accidere potest, primo quidem per honestam retractationem peccati ex motivo peculiari cujuscumque virtutis : omnis enim virtus uti ex motivo proprio fertur in actus bonos; ita ex eodem malos detestatur. In hac *philosophica* acceptione pœnitentia dicitur generalis virtus, eo quod ad omnes virtutes simul se extendat. Si vero pœnitentia consideretur *theologice*, est habitus virtutis specialis et distinctæ a cæteris omnibus, quæ ex motivo sibi proprio, peculiari, et generatim se ad omnia peccata extendente crimen perpetratum aversatur ac

destruit. Dari talem habitum specialem virtutis pœnitentiæ negant Altisiodorensis L. 4. Summæ tract. 6. q. 3. et Franciscus Maironis in 4. d. 14. q. 2. dicentes sufficere pœnitentiam quæ sit collectio virtutum omnium, quarum quælibet ex suo motivo peccatum sibi oppositum detestetur.

Nota II. Hæretici nolunt pœnitentiam esse afflictionem animi peccata præterita detestantis, et abolere cupientis; sed aiunt, esse meram resipiscentiam et mutationem vitæ in melius. Ita Lutherus et Beza in cap. 3. Matth.; quibus in errore præiverunt Laurentius Valla in c. 7. posterioris ad Corinthios, et Erasmus in c. 3. Matth. putantes, se id ex etymologia vocis græcæ μετανοεῖν et hebraicæ *shoub* eruisse. Verum Scriptura et Patres contrarium nos docent, etsi eisdem verbis utantur. Job c. ult. v. 6. ait: *Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam* (heb. *nihamthi*) *in favilla et cinere.* Joël c. 2. v. 12. *Convertimini* (hebr. *shubou*) *ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et convertimini* (hebr. *shoubou*) *ad Dominum Deum vestrum.* Matth. 11. v. 21. Luc. 10. v. 13. de Tyriis et Sidoniis ait Christus: *Olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent,* μετενόησαν. Ex pluribus Patrum, quos lege apud Bellarminum L. 1. de Pœnit. c. 7. S. Augustinus epist. 108. ad Seleucianum (al. 265. n. 8.) *Est*, inquit, *pœnitentia bonorum et humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: dimitte nobis debita nostra.* Quin et ipse Tullius, etsi pœnitentiæ nomen non usurpet, vim tamen eamdem verbo tribuit L. 4. Tusculan. qq. sub finem, ubi, *ut Alexandrum*, inquit, *regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta fuit vis pœnitendi.* Et Ovidius L. 1. de Ponto, Eleg. 1. *Pœnitet; et facto torqueor ipse meo.* His prænotatis

3. *Dico.* Pœnitentia, prout in præsenti argumento accipitur, est vera virtus distincta a virtutum omnium collectione, eaque non theologica, sed moralis.

Partem 1^{am}. S. Thomas q. 85. a. 1. ita a posteriori probat. *Præcepta legis dantur de actibus virtutum: quia legislator intendit cives facere virtuosos, ut dicitur* 2. *Ethic.* 1. *sed præceptum divinæ legis est de pœnitentia, secundum illud Matth.* 4. *v.* 17. *Pœnitentiam agite, etc.; ergo pœnitentia est virtus.*

Eamdem thesin S. Doctor mox a priori ita demonstrat (ibid. in θ.: *Dicitur enim in* 2. *Ethicorum* (cap. 6. vel 8.): *quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine, quo dolendum est. Quod quidem observatur in pœnitentia de qua loquimur: nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est, quod pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.* Hactenus S. Thomas, cujus doctrina Patrum testimoniis firmatur. Nam S. Joan. Chrysostomus hom. 23. in Matth. (al. 22. opp. t. 7. p. 281. A.) *Non est*, inquit, *aliquod omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti.* S. Gregorius M. L. 2. Registri epist. 39. *Magna*, inquit, *est contra peccatum virtus pœnitentiæ.* Et homil. 34. in Evang. n. 15. (opp. t. 2. p. 1609.) dum ait, pœnitentiam non esse aliud, quam *perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare*, dolorem et propositum pœnitentiæ actibus compre-

hensum indicat. Cui concordat S. Gregorius Nyss. oratione contra eos, qui alios acerbius judicant (opp. t. 2. p. 969. C.): *Quid*, inquit, *aliud est pœnitentia, nisi dissolutio et eversio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa?*

Denique pœnitentia, de qua nunc loquimur, *est habitus bonus, qui facit habentem bonum, et opus ejus bonum: est bona mentis qualitas, qua recte vivitur, qua nemo male utitur*; est ergo virtus: nam ita virtutem definiunt Aristoteles 2. Ethic. 5. et S. Augustinus L. 1. retract. c. 1.

Partem 2am. conclusionis idem S. Thomas art. 2. hoc argumento declarat. *Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa: quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod pœnitentia est specialis virtus.* Præsertim quod sit specialis honestas in superanda difficultate objecti formalis pœnitentiæ, deturque præceptum speciale legis de pœnitentiæ actibus exercendis.

Conf. Si non detur specialis habitus pœnitentiæ, ergo qui pœnitentiam vellet agere de pluribus diversisque peccatis, deberet speciatim meminisse eorum omnium, et ex peculiari virtutis cujusque motivo, cui peccatum quodlibet adversatur, singula quæque detestari. Hoc autem perquam absurdum est: forte enim nimis arduum, imo impossibile, rudibus præcipue; neque uspiam præceptum tale extat; ergo.

Pars 3a. est etiam S. Thomæ a. 3. ubi negat, pœnitentiam esse virtutem theologicam, et eamdem ad justitiæ commutativæ analogiam reducit. Nam virtus theologica habet pro objecto formali immediato perfectionem aliquam Dei. Pœnitentiæ autem objectum formale est honestas actionis, qua peccator jus illud Dei pro viribus cum divina gratia adæquat, delendo peccatum et compensando offensam. Quod quidem motivum cum creatum sit, virtutem ethicam constituit.

4. *Obj. I.* Verecundia non est virtus, quia supponit turpe factum, ut habet Philosophus 4. Ethic. c. ult.; ergo etiam pœnitentia non erit virtus: nam et ista peccatum supponit.

R. *D. Ant.* Verecundia non est virtus, quia simpliciter supponit turpe factum *N.* non est virtus, quia est mera passio, neque efficaciter aversatur turpitudinem *C.* Verecundia est motus appetitus sensitivi indeliberate consurgens ex apprehensione dedecoris ob turpe factum, quod menti objicitur, atque saltem intentionaliter præsens est, pudoremque excitat, a quo sanguis subito in faciem propellitur. Quamvis autem S. Thomas 2. 2. q. 144. a. 1. verecundiam laudabilem esse pronunciet, recte tamen negat eam esse virtutem, tum quia est passio; tum etiam quod talis timor, ut art. 2. prosequitur, primo et principaliter respicit vituperium seu opprobrium: quod cum vitio debeatur, ideo tantum ex consequenti respicit turpitudinem vitiosam, seu deformitatem mali actus voluntarii, idque dupliciter, primo, ut quis desinat vitiose agere propter timorem vituperii; deinde, ut in turpibus, quæ agit, vitet conspectus publicos ob timorem vituperii: quorum prius pertinet ad erubescentiam, posterius ad verecundiam: neutro autem

modo sic agitur ex virtute. Aliter res habet in pœnitentia : nam etsi odium, dolor et tristitia, in quantum sunt passio appetitus sensitivi, virtutes esse non possint, et hoc sensu pœnitentia sit mera passio; prout tamen affectio ista est in voluntate, quæ deliberate tristatur de peccato præterito, illudque ex fine honesto detestatur, ac destruit, vera et propria virtus erit.

Inst. 1. S. Thomas q. 85. a. 6. ait, pœnitentiam tantum præsupposito peccato præexistente necessariam esse ad bonum hominis; unde a. 1. dixerat, de illa magis dici posse, quod sit virtus, quam de verecundia; ergo est tantum virtus ex supposito, non autem simpliciter. Ita Cajetanus.

R. *N. Cons.* Suppositio peccati non prohibet, quo minus actus pœnitentiæ sint deliberati, recti, et naturam rationalem ex fine honesto decentes; ergo neque rationem absolutam virtutis ab habitu pœnitentiæ tollet. Sicut suppositio causæ producentis, ut Petrus in rerum natura detur, non impedit ne idem sit absolute homo, eo quod illa rationem absolutam hominis Petro non demit. Deinde S. Thomas ibidem ait, pœnitentiam se ad virtutes cæteras habere quoad necessitatem, sicut se habet ad sacramenta cætera; at respectu horum nihilominus est vere ac simpliciter sacramentum; ergo respectu aliarum virtutum est vere et simpliciter virtus.

Inst. 2. Virtus est dispositio perfecti ad optimum, ut habetur 7. Phys. text. 17. At pœnitentia non est dispositio perfecti, cum supponat peccatum in subjecto; ergo.

R. *Explico textum.* Virtus est dispositio perfecti semper præsuppositive *N.* perfecti saltem constitutive *C.* Virtus ex ipsa ratione nominis importat quamdam perfectionem potentiæ, quia de ratione virtutis est, quod ponat potentiam in ultimo quoad actum, quoad objectum, et quoad modum operandi. Ultimum autem et finis cujusque potentiæ est actus; ergo dum virtus rite determinat potentiam ad actum, disponit illam ad optimum in suo genere : finis enim cujusque potentiæ et optimum idem est. Vide S. Thomam 1. 2. q. 55. a. 1. et seqq. Sicut ergo albedo est forma albi, non præsuppositive, sed constitutive : ita pœnitentia perfectionem suam potentiæ communicat, eamque determinat ad actus honestos sibi proprios, qui sunt finis potentiæ, et optimum in linea hujus virtutis.

5. *Obj. II.* Nulla virtus essentialiter præsumit peccatum in suo subjecto; ergo pœnitentia non est virtus.

R. *N. Ant.* Ars medica præsumit morbos saltem possibiles in proprio et alieno corpore. Habitus justitiæ vindicativæ præsumit delicta possibilia aliorum. Justitia commutativa habet pro objecto debitum restituendi etiam ex delicto proprio contractum. Harum etiam virtutum actus expeti queunt, sed facta hypothesi, quin ideo morbi, aut crimina expetantur. Simpliciter item negandum est, quod pœnitentiæ vel alius virtutis actus contrarium sui exigant in subjecto : nam exigere est esse quodammodo prius, cum sit quasi causa illius quod exigitur : item quod exigitur debet esse bonum exigenti; pœnitentiæ autem actus necessario posterior peccato est : neque peccatum est ejus bonum, sed terminus tantum, et occasio.

Inst. Pœnitentia conatu stulto vult factum infectum reddere; ergo non habet voluntatem absolutam virtutis : nullus enim est stultus eorum, qui sunt secundum virtutem, ut 4. Ethic. habet Philosophus.

R. *N. Ant.* cum S. Thoma a. 1. ad 3. Dolor pœnitentiæ est displicentia seu reprobatio peccati præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum pœnæ : itaque animum comparat, ut si integra res adhuc esset, non jam admitteretur peccatum, quod stultum non est : nam prudenter odimus, quod insipienter egeramus.

6. *Obj. III.* Fides est virtus theologica, licet motivum ejus inadæquatum, scilicet revelatio divina, sit creatum aliquid; ergo licet æqualitas cum jure divino sit quid creatum, tamen pœnitentia virtus theologica esse potest; in ea enim, ut S. Thomas art. 2. hujus quæst. notavit, *invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est offensa Dei*; quod motivum videtur esse caritatis.

R. *N. Cons.* Fidei theologicæ objectum formale præcipuum et immediatum est auctoritas Dei revelantis. E contra nec pœnitentia nec virtus alia moralis objectum proximum et immediatum habet perfectionem aliquam divinam : neque enim pœnitentia destructionem peccati et offensæ Dei intendit ex motivo divinæ bonitatis; sed tantum ob honestatem actus, quo injuria Deo illata compensatur, ut S. Thomas art. sequenti ostendit. Sicut religio non est virtus theologica, quia immediate movetur ab honestate cultus Deo exhibiti ob supremam ipsius excellentiam, mediate autem et remote tantum ab eadem Dei excellentia determinatur. Quapropter etiam non satisfaciunt dicentes, motivum formale *quod* pœnitentiæ esse destructionem peccati quoad effectus morales demeritorios : et motivum formale *propter quod* esse bonitatem et honestatem in destructione peccati mortalis quoad esse morale : nam ejusmodi motivum vel nimis commune est, cum virtus quælibet oppositos actus quoad esse morale destruere nitatur; vel spei soli convenit : sicut enim objectum spei sunt merita, ita ejusdem est destruere peccatum quoad actus demeritorios. Multo minus ratio virtutis pœnitentiæ constitui potest in eo, quod pœnitens propter studium pacis cum Deo destructionem peccati desideret; nam si peccator sua causa Deum amicum velit, amor erit concupiscentiæ et virtus spei; si autem Dei causa amicitiam et pacem illam expetat, erit amor amicitiæ et caritas, quæ virtus theologica est.

ARTICULUS II.

DE MOTIVO FORMALI VIRTUTIS PŒNITENTIÆ.

7. *Nota.* Motivum seu objectum formale virtutis cujuscumque est propria ratio, propter quam fertur in objectum materiale, et qua a virtutibus reliquis discernitur : est enim finis intrinsecus et primarius, quem sola illa virtus per suos respicit, et propter quem amat, odit, desiderat, fugit, tristatur, gaudet, etc.

Si pœnitentia generatim et quasi philosophice accipiatur, non habet definitam et specificam rationem formalem objecti, sed universim et confuse illi respondet motivum honestum ad detestandum peccatum, ut ex nuper dictis liquet. Nam objectum debet esse proportionatum virtuti seu facultati, cui assignatur : pœnitentia autem modo illo sumpta non est una definita virtus, sed plures sub illa confusa ratione comprehendit; ergo et pluribus ex motivis peccata diversa detestatur.

Cum vero secundum S. Thomæ et Theologorum plurimorum sententiam peculiaris detur virtus, quæ ex motivo proprio, et a cæterarum virtutum collectarum motivis distincto peccata præterita aversatur et delet, quodnam illud motivum sit, breviter dispiciamus.

8. *Dico.* Motivum specificum et proprium pœnitentiæ virtutis peculiaris, est jus divinum quatenus ex peculiari debito justitiæ servandum: prout autem exercet pœnitentia peculiare munus detestandi peccata, proprium ejus munus est resarcire divinam injuriam. Ita cum Thomistis Suarez disp. 2. sect. 3., de Rhodes, Coninc et plures alii.

Prob. S. Thomas q. 85. a. 3. *Pœnitentia*, inquit, *non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato* (*ad hoc enim sufficeret caritas*) *sed ex eo, quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio. Utrumque autem ad materiam justitiæ pertinet: quia utrumque est commutatio quædam. Unde manifestum est, quod pœnitentia secundum quod est virtus, est pars justitiæ.*

Ex his ita argumentamur: Juxta sanctum Doctorem, pœnitentia est quædam justitia ad Deum: atqui jus est objectum justitiæ, ut habet idem S. Doctor 2. 2. q. 57. a. 1.; ergo pœnitentiæ objectum formale est jus divinum exæquandum.

Hinc Paludanus, Sotus, Canus ac Thomistæ passim dicunt, objectum formale pœnitentiæ esse peccatum ut destruendum, ut expiabile, et ut compensabile. Quæ quidem vox *compensationis* peropportune in argumento præsenti adhibetur: offensa enim et injuria non tollitur, quantum est ex se, nisi per satisfactionem, qualem saltem exhibere potest is, qui injuriam intulit: sicut inæqualitas non tollitur nisi per æqualitatem.

9. *Obj.* Si pœnitentia habet pro motivo formali jus divinum quatenus ex peculiari debito justitiæ servandum: et si in quantum exercet munus detestandi peccata, proprium ejus motivum sit resarcire divinam injuriam; ergo nihil differet ab habitu justitiæ. Hoc autem dici non potest: nam in Christo et SS. Angelis justitia erat, in quibus tamen pœnitentia locum non habebat.

R. *D. seq.* Pœnitentia nihil differet a justitia, quæ inter Deum et hominem intercedit *C.* nihil differet a justitia commutativa et stricta illa, quæ est inter homines privatos *N.* Equidem jus divinum tam proprietatis, quam jurisdictionis altius est et excellentius quocumque jure creato, ut peccatum quodlibet sit vera offensa, et altioris ordinis injuria, quam sit omnis offensa et injuria humana: nihilominus compensatio, quæ per pœnitentiam fit, justitia vere ac proprie talis dici non potest: nam quidquid homo in compensationem peccati Deo exhibuerit, multis nominibus inabdicabiliter jam Dei est, adeoque jus divinum coæquari nunquam poterit; ut abunde ostendimus in Tract. de Incarnatione.

Quare S. Thomas 3. p. q. 86. a 3. cum ex Philosopho 5. Ethic. c. 6. docuisset, aliud esse justum simpliciter, politicum seu civile, quod sit inter cives æquales, et fundet justitiam stricte commutativam: aliud vero justum

secundum quid, inter illos nempe, quorum unus est sub potestate alterius; sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro, addit : *Et tale justum consideratur in pœnitentia. Unde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum*, Ps. 122. v. 2. et seqq.; *sicut filius ad patrem*, Luc. 15. v. 21.; *sicut uxor ad virum*, Jerem. 3. v. 2. Pœnitentia igitur est tantum pars potentialis, non autem subjectiva justitiæ proprie acceptæ, cujus umbram aliquam refert.

Inst. 1. Pœnitens Deo satisfacturus, se ipsum affligit et cruciat; ergo habitus pœnitentiæ pertinet ad justitiam vindicativam.

R. *N. Cons.* cum S. Thoma nuper cit. ad 3. Nam 1°. justitia vindicativa residet in superiore habente jurisdictionem, et animadvertit in crimina aliena : peccator pœnitens se ipsum ob culpam propriam discruciat. 2°. Vindex publicus pœnam sontis sceleri commensuratam secundum leges necessario infert : pœnitens autem labore modico odium Dei et æternam damnationem, damna et supplicia peccato mortali debita ab se amolitur. 3°. Judex criminosos puniendo reipublicæ quærit commoda : pœnitens mœrendo et adversum se sæviendo, sibi soli consulit.

Inst. 2. In pœnitentia sunt duo actus, alter primarius consistens in compensatione culpæ : alter secundarius, quo satisfit pro pœna. In priore actu pœnitens se habet tantum ut reus et debitor solvens prout potest : in posteriore autem se habet ut minister judicis puniens seipsum tanquam sontem; ergo posterior actus pertinet ad distinctam virtutem a pœnitentia, nempe ad justitiam quamdam vindicativam, quam S. Thomas ait speciem aliquam esse justitiæ commutativæ.

R. *N. Cons.* Cajetanus hic immerito virtutes multiplicat : nam voluntaria hæc et amicabilis vindicta tota refertur ad pleniorem compensationem et destructionem culpæ : ac potest quis ex virtute pœnitentiæ in semet animadvertendo, ministerium Dei vindicantis antevertere. Quid? quod Suaresio, in hunc S. Thomæ art. probabile videatur, justitiam vindicativam prout servat æqualitatem commutativæ non esse realiter distinctam a communi virtute justitiæ commutativæ, licet fortasse addere possit imperium justitiæ legalis. Quod de habitibus supernaturalibus audentius dicimus : nam cum hi per actus frequentatos non acquirantur, sed infundantur una divinitus, ad plura sese ac diversissima objecta porrigunt, ut in fidei divinæ habitu videmus. Quapropter non opus est habitus infusos realiter ab se mutuo distingui, nisi quatenus pro nullo casu seu illicito reddi possint otiosi, ita ut non possint etiam volenti esse usui; prout recte Haunoldus adnotat L. 4. n. 894. Ex dictis hactenus

Collige, habitum pœnitentiæ secundum pressiorem vocis hujus significationem, et prout peccati proprii retractationem notat, in Christo nec fuisse, nec esse potuisse; quippe cui peccare omnino repugnabat, quod universim docent Theologi cum S. Thoma in 4. d. 14. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. ad argum.

Si vero pœnitentiæ virtus materialiter, ut ita dicam, consideretur, et in suo conceptu adæquato, in quantum est habitus justitiæ ad Deum, cujus jus illæsum servare studet, dubitari non potest, et in Christo illam fuisse, et in quacumque voluntate creata recte disposita reperiri. Nam si pœnitentia generatim sumpta pertinet ad caritatem, et suo modo ad quamlibet virtutem, ut aliquoties ostendimus : et virtutes istæ omnes citra dubium in

Christo fuerunt, quamvis non sub generalis pœnitentiæ notione; plane consequitur, pœnitentiam, quæ virtus eadem, quæ justitia, locum in Christo habuisse, quatenus animum duntaxat disponit ad jus divinum servandum.

Atque hisce satisfactum ex iis, quæ pro objectione firmanda supra afferebantur. Soluta item est quæstio de subjecto remoto pœnitentiæ : nam ejus proximum subjectum esse voluntatem per se claret.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM MATERIALE VIRTUTIS PŒNITENTIÆ?

10. *Nota.* Pœnitentia dupliciter spectari potest : 1°. adæquate secundum completam rationem suam, et secundum actus omnes, quos exercere valet : in qua acceptione cum varia illi incumbant officia, materiam quoque universaliorem habet, in quam per actus tam prosequentes, quam aversantes fertur : sicut delectatio illicita est materia, quam fugit castitas; e contra puritas corporis est ejusdem virtutis materia amplectenda.

2°. Eadem virtus pœnitentia plerumque in sensu arctiore sumitur, prout ex notione nominis retractationem facti prioris significat : quo in sensu exercet munus detestandi peccata a pœnitente commissa, deque illis dolendi, eaque omnino destruendi, atque in actibus istis præcise sistit. Secundum hanc acceptionem pœnitentiæ objectum maxime considerari solet : ex hujus enim materiæ notitia virtutis ejusdem laxius sumptæ officia reliqua promptius conjici possunt.

11. *Dico.* Objectum materiale pœnitentiæ virtutis proprie magis spectatæ est peccatum; mortale præsertim, a pœnitente ipso ante commissum, prout detestandum ac destruendum.

Prob. I. S. Scriptura objectum hoc pœnitentiæ designat : Lev. 5. v. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato.* Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est.* Et multa alia id genus testimonia in sacris litteris passim occurrunt. Ubi etiam pœnitentia, ita proprie accepta, peccatoribus attribuitur, ut Luc. 5. v. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Et Manasses in oratione, quæ sacrorum librorum canoni subnecti solet : *Non posuisti,* inquit, *pœnitentiam justis, qui tibi non peccaverunt.*

Prob. II. His concordant sententiæ Patrum, quas art. 1. attulimus. Accedit S. Ephrem, qui L. de judicio extremo c. 5. *Compunctio,* inquit, *remissionem delictorum nobis acquirit.* Et iterum S. Joan. Chrysostomus homil. 5. de Pœnitentia (al. 7. opp. t. 2. p. 327. B.) vocat pœnitentiam *peccati conflatorium*; et (p. 331. B.) *medicinam peccata nostra delentem.* Et Theologi cum Magistro dist. 14. et 17. et S. Thoma q. 85. art. 1. et 2. et q. præcedente a. 2. ubi dicit, actus peccatoris pœnitentis esse proximam materiam sacramenti pœnitentiæ : materiam autem illorum actuum esse ipsa peccata. Actus vero tales sunt virtutis pœnitentiæ.

Prob. III. Objectum materiale virtutis aversativæ est, quod opponitur honestati, quam virtus prosequitur : atqui peccatum violat jus divinum,

quod reparare sibi honestum ducit pœnitentia; ergo peccatum est objectum materiale pœnitentiæ, cujus virtutis actus præcipuus est retractatio peccati.

12. Ex modo disputatis sequentia porismata deducimus: 1°. Peccata venialia etiam objecta esse virtutis pœnitentiæ: nam si virtus ita in sensu largiore consideretur, displicet virtuti cuilibet peccatum veniale propter turpitudinem, quam unumquodque in specie propria habet: ut leve mendacium, prout veracitati repugnat, ab hac virtute odio habetur ac detestationi: caritas peccatum veniale quodvis luget, in quantum Deo amico invisum est, et virtutis hujus theologicæ fervorem imminuit.

Quod si etiam virtus pœnitentiæ speciatim et in acceptione magis propria spectetur, sub objecto suo adæquato peccata venialia comprehendit: quamvis enim hoc peccatum non tam propria Dei sit offensio, ac est culpa lethalis; revera tamen aliqualis est injuria, tum quod aliquo modo pugnet cum voluntate et lege Dei, tum etiam quod nec ordinetur, nec possit ordinari ad Deum ut finem ultimum, quo nostra omnia referri debent: quapropter etiam ab ingressu beatitudinis hominem retardat.

2°. Peccata habitualia ipsius pœnitentis objectum materiale proximum esse hujus virtutis. Nam, ut S. Thomas q. 85. a. 2. ad 1. ait, proprium virtutis hujus munus est, intendere destructionem peccati: solum autem habituale peccatum in peccatore resipiscente adhuc hæret quoad maculam et reatum; ergo hoc potest solum destruere, utut de actu præterito doleat, eumque detestetur: neque enim virtus ista solum fugit committere actum peccati, sed etiam statum ipsum peccati detestatur; cum peccatum habituale et actuale in eodem genere deformitatis conveniant, sicut actus et habitus bonus conveniunt in eadem honestate virtutis.

3°. Ejusdem virtutis pœnitentiæ objectum materiale proximum ac directum est peccatum omne, quod committi adhuc potest. Nam actus pœnitentis præcipui sunt tristitia de peccato commisso, ejusque detestatio, qui actus ambo sunt de malo præsenti, atque oriuntur ex odio, qui affectus malum secundum se respicit, præscindendo, præsensne illud sit, an absens. Ergo sicut hoc odium in pœnitente tristitiam ciet de peccato præsenti ejusque abominationem: ita in eodem excitat aversionem et fugam a peccatis absentibus et quasi ingruentibus. Id quod constat ex Conc. Tridentino Sess. 14. c. 4. ubi dicitur, veram pœnitentiam includere propositum non peccandi de cætero. Et ex illo 2. Cor. 7. v. 10. ubi Apostolus: *Quæ*, inquit, *secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: nam cum pœnitentia ipsa sit tristitia, pœnitentiæ actum alium operatur, hoc est, perpetuum odium et fugam peccatorum, quæ committi deinceps possent.

4°. Peccatum originale non est objectum pœnitentiæ virtutis proprie sumptæ. *Nam de peccato actuali est pœnitentia proprie*, inquit S. Th. q. 84. a. 2. ad 3. *quia proprie dicimur pœnitere de his, quæ nostra voluntate commisimus...* sed *peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apostolus Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In quantum tamen large accipitur pœnitentia pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali.* Ex quibus conficitur, peccata aliena multo minus ad objectum pœnitentiæ pertinere, nisi prout sensu latiore accepta

tanquam simplex affectus justitiæ erga Deum ab omni injuria in Deum commissa abhorret.

5°. Cum habitus quilibet potentiæ appetitivæ primo ac proxime tendat in bonitatem finis, et propter hanc in objecta cætera ; virtus quoque pœnitentiæ per suos actus fertur prius in bonum cui, videlicet in jus divinum salvum servandum, tanquam in objectum suum proprium et immediatum, ac postea peccatum bono illi contrarium præcise ac generatim *odit*. Quod si peccatum præsens fuerit, excitatur maculæ hujus eruendæ *desiderium*. Porro suboritur *dolor* ex malo præsente, et *detestatio* seu voluntas efficax peccatum destruendi. Sequitur deinde *consultatio* de mediis, et commodiorum mediorum electio. Hæc excipit *voluntas satisfaciendi* læso Deo, et semetipsum puniendi, qua voluntate malum pœnæ amatur. Denique *propositum* peccata quovis modo deinceps vitandi, totam actuum istorum seriem claudit. Ad quam quidem actuum plurium consecutionem pœnitentiæ habitus absolute et in tota sua latitudine spectatus sese extendit.

Si autem pressius, ut in præsens consideratur pœnitentia, prout in peccatum fertur per modum resipiscentiæ, tristitiæ, atque detestationis laboriosæ, quæ respiciat malum quodammodo præsens; actus ejus tendunt in peccatum tantum a nobis aliquando admissum, et quodammodo adhuc perseverans vel ratione maculæ habitualis, vel ratione reatus, pro quo nondum satisfactum sit, vel denique ratione denominationis extrinsecæ, qua vere dicitur olim fuisse a nobis perpetratum, licet quoad maculam et reatum sit jam expunctum.

13. *Obj. I.* Pœnitentia proxime versatur circa destructionem peccati, quam potissimum intendit ; ergo objectum pœnitentiæ proximum et immediatum non est peccatum.

R. *N. Cons.* Ut objectum aliquod materia proxima virtutis esse dicatur, sufficit, hanc per actum aliquem circa illud immediate versari : at pœnitentia per actus suos elicitos displicentiæ ac tristitiæ proxime aversatur peccata. Deinde si bonum ut obtinendum dicitur esse proximum objectum intentionis, seu spei, aut desiderii, cur non etiam respectu intentionis pœnitentiæ peccatum, ut destruendum, sit objectum actus illius? Neque enim ibi sunt proprie duo objecta, sed unum cum respectu ad subjectum, cui obtinendum est, vel a quo est expellendum. De formali autem intentione vel expulsione loquor, de qua procedit objectio : nam respectu subjecti vel mediorum alia ratio esse potest.

Inst. Quando detestor peccatum, quia jus Dei violat, simul amo æqualitatem cum jure divino, quod peccato tollitur : atqui idem actus nequit esse amor et odium ; ergo per actum pœnitentiæ mediate tantum detestor peccatum.

R. *D. M.* Exæquationem juris divini simul amo formaliter *N.* virtualiter *C.*

D. etiam assumpt. Idem actus nequit esse amor et odium formaliter et respectu eodem *C.* virtualiter ac diverso respectu *N.* Potest etiam duplex actus esse, quorum prior sit voluntas satisfaciendi et compensandi illatam Deo injuriam, unde actus subsequens, aversio a peccato, imperetur : ubi nihilominus uterque actus ferretur in idem motivum formale, nempe in æqualitatem cum divino jure.

14. *Obj. II.* Peccatum actuale præteritum non amplius est: quod autem non est, non possum retractare; ergo pœnitentia non retractat peccatum præteritum.

R. *D. M.* Peccatum præteritum amplius non est actu et physice *C.* non est habitu ac moraliter *N.* In peccato sunt actus et malitia. Actus gignit habitum vitiosum inclinantem ad actus similes. Malitia post se relinquit culpam habitualem, et reatum pœnæ. Culpa habitualis complectitur maculam, offensam, et injuriam. Et macula quidem est duplex animæ peccatricis deformitas: altera, quæ consistit in respectu ad actum peccati præteritum moraliter permanentem; altera est privatio gratiæ, ut habet S. Thomas 1. 2. q. 86. a. 1. Offensa vero in eo sita est, quod homo per voluntariam defectionem a Deo, ipsi displiceat, et amicitia ipsius indignum se reddat. Injuria autem, quod violetur jus divinum, quo tenetur homo Deo fini ultimo plus adhærere, quam creaturis. Denique reatus est ortum ex peccato actuali morale debitum subeundi pœnam. Ex hisce habitus vitiosus physice hæret in peccatore, cætera moraliter, vere tamen, et sunt omnia cum actu ipso præterito adhuc objective menti obversante objectum materiale proximum pœnitentiæ, quæ illa aversatur, et quibus potest modis conatur abolere. Ac licet habitus peccati, ac reatus etiam omnis essent sublati, justus tamen pœnitens odit adhuc peccatum aliquando a se admissum, de actu hoc tristatur, optatque, nunquam illud a se admissum fuisse, quo modo illud detestatur et retractat.

Inst. 1. Peccatum habituale non est liberum, cum necessario sequatur ex actuali; ergo non est objectum pœnitentiæ.

R. *D. Ant.* Peccatum habituale non est liberum antecedenter *N.* consequenter *C.* Qui deliberate eligit transgressionem legis, etiam culpam habitualem et reatum censetur velle. Quanquam et ista ambo liberum sit peccatori tollere; cum Deus pœnitenti veniam spoponderit.

Inst. 2. Si peccatum habituale est objectum proximum et immediatum pœnitentiæ; ergo etiam peccatum originale erit tale objectum, cum et ipsum sit peccatum habituale.

R. *N. Illat.* Peccatum habituale est homini voluntarium per proprium actum: et ideo vere pertinet ad pœnitentiam præcise consideratam, ut exercet actum contritionis et retractationis facti prioris. Peccatum autem originale non respicit actum proprium, per quem sit voluntarium. Igitur pertinet tantum ad pœnitentiam largius sumptam, quæ est simplex affectus justitiæ ad Deum, et odit omnem statum injustitiæ, quacumque ratione contractum.

ARTICULUS IV.

UTRUM OMNE PECCATUM SIT OBJECTUM VIRTUTIS PŒNITENTIÆ?

15. *Nota.* Dubitationem istam S. Thomas q. 96. a. 1. ita proponit: *Utrum per pœnitentiam omnia peccata removeantur?* ac duobus modis, ait, intelligendum hoc esse, *uno,* an omnis peccator possit agere veram pœnitentiam; an vero ob multitudinem et gravitatem peccatorum quidam ita a Deo deserantur, ut nunquam sint auxilium gratiæ ad recte pœnitendum habituri?

Altero, an tanta detur peccatorum multitudo aut enormitas, ut, licet quis veram agat pœnitentiam, hæc tamen non sufficiat ad peccata illa tollenda? Prior quidem quæstio decisa jam fuit in 1. 2. et in 3. partem, cum tractaretur de gratia et meritis Christi : nam si ex Christi meritis omnibus adultis detur gratia ad salutem assequendam sufficiens, etiam peccatoribus ea dabitur ad pœnitendum de peccatis utcumque ob copiam vel atrocitatem enormibus; cum sine pœnitentia salutem obtinere non possint.

Restat ergo hic solum decidenda quæstio posterior, ubi passim reprehenduntur Novatianus et ejus sequaces Cathari aliique hæretici, quod docuerint, aliqua Christianorum peccata post baptismum commissa deleri per pœnitentiam non posse : et hujus erroris testes citantur Epiphanius hæresi 59., Theodoretus in epitome divinorum decretorum cap. penultimo, Cyprianus epist. 52. In eodem errore dicuntur fuisse Montanistæ et cum ipsis Tertullianus.

Verum, ut recte advertit Suaresius disp. 8. sect. 1. n. 3. hæretici isti, quando graviora peccata idololatriæ, homicidii et adulterii per pœnitentiam non remitti posse dicebant, sacramentum absolutionis putaverunt, non vero pœnitentiæ veræ virtutem. Quod pluribus ex locis demonstrari potest, aliqua hic producam. Tertullianus jam Montanista libro de pudicitia, quem contra Catholicorum disciplinam scripsit, cap. 2. (opp. p. 556. C.) Delicta, inquit, *dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia.* Et c. 18. (p. 571. A.) *Quod si clementia Dei ignorantibus adhuc et infidelibus competit, utique et pœnitentia ad se clementiam invitat, salva illa pœnitentiæ specie post fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut majoribus et irremissibilibus a Deo solo.*

De Novatianis autem scribit Socrates, et ipse Novatianus L. 4. Hist. Eccles. c. 13. (al. 28.). Novatianus ad omnes Ecclesias scripsit, *ut lapsos minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest et habet auctoritatem peccata remittendi.* Et B. Ambrosius L. 1. de pœnitentia, c. 2. n. 6. (opp. t. 2. p. 391. B.) de eisdem Novatianis non absolventibus a peccatis illis gravibus, *aiunt,* inquit, *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent.*

Post hosce, seculo XIV. mediante, Richardus archiepiscopus Armachanus L. 9. quæstionum Armenorum cap. 27. tradidit, probabile esse, ob quædam ingentia crimina non posse veniam impetrari, etiamsi peccatorem vere pœnituerit.

16. *Dico.* Certum est, omnia peccata, etiam post baptismum commissa, utut multa sint aut atrocia, per veram pœnitentiam expiari. Hæc thesis certa est omnibus Theologis Catholicis, ejusque oppositum S. Thomas dicit esse erroneum, Suaresius hæreticum, eo quod Conciliorum definitioni repugnet, et sensui communi Patrum.

Prob. 1ª. *pars* ex Lege vetere et nova. Sapientia Adamum *custodivit,* ne mox in peccato suo moreretur et interiret, Sap. 1. v. 2. *et eduxit illum a delicto suo,* inspirando illi pœnitentiam, qua veniam peccati obtinuit, ut Patres omnes unanimiter docent contra Tatianum, cui hæretico solus Ruper-

tus L. 3. in Gen. c. 31. (opp. t. 1. p. 24. Edit. Venet. 1748.) adhæret. Quare etiam cap. 11. v. 24. mox additur : *Misereris omnium... et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam* : patienter exspectas, donec pœnitentiam agant, et veniam consequantur. Ac propterea Cain tam graviter reprehenditur, quod veniam desperaverit, Gen. c. 4. v. 13.

Postea Jerem. 18. v. 8. Deus ait : *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo : agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei.* Isaiæ 55. v. 7. *Derelinquat impius viam suam... et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus*, etc.

In Lege nova prædicatur pœnitentia tanquam fructuosa et necessaria ad remissionem peccatorum, Matth. 3. v. 2. et 4. v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Luc. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

Petrus peccati post baptismum acceptum commissi veniam pœnitendo consecutus est, Luc. 22. v. 32. Et Act. 8. v. 22. Simonem magum jam baptizatum, ad pœnitentiam agendam hortatur, spem veniæ ipsi exhibens. Sed et Apostolus Galatas post baptismum lapsos, et Corinthios itidem baptizatos, ac præsertim illum incestu contaminatum ad pœnitentiam provocat epistola priore, et veniam peccatorum ob pœnitentiam datam scribit epistola 2. c. 2.

Testimonia Scripturæ alia, uti et Patrum supra non pauca jam sunt allata.

Prob. 2ª. *pars* ex verbis Christi Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* : ubi Christus potestatem indefinitam remittendi peccata Apostolis impertit; ergo nec nos oportet illam arctare ad unicum tantum lapsum, aut unam et alteram duntaxat remissionem.

Idem clarius exprimitur apud Matthæum. Nam cum Christus conditionem posuisset c. 6. v. 14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra* : et Petrus c. 18. v. 21. rogaret : *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus : Non dico tibi, usque septies; sed usque septuagies septies.* Ubi numerus ille pro indefinito ponitur, indicaturque infinita Dei misericordia, quæ hominem pœnitentem semper in gratiam recipit, ut in illum locum adnotarunt SS. Hieronymus, Hilarius cap. 18. n. 10. (opp. t. 1. p. 760.) et Chrysostomus hom. 62. (opp. t. 7. p. 611. A.) Et homil. 2. in Ps. 50. circa principium (opp. t. 5. p. 586. A.) : *Peccasti?* inquit, *pœnitere; millies peccasti? millies pœnitere.* Ac deinceps late confirmat, neminem dum vivit, ab hoc remedio exclusum esse. Eadem repetit hom. 24. et 40. ad populum. Et apud Nicephorum L. 12. hist. c. 36. idem Chrysostomus. *Vel decies millies per pœnitentiam resipiscens*, inquit, *Ecclesiam ingredere, ego paratus sum pœnitentes admittere.* Tertullianus de Pœnitentia c. 7. (opp. p. 125. D.) *Nemo*, inquit, *deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo quotiens ignoscitur.* Et paulo ante c. 4. *omnibus delictis... qui pœnam per judicium destinavit Deus, idem et veniam per pœnitentiam spopondit.*

Consentiunt his S. Dionysius Corinthius apud Nicephorum L. 4. hist. c. 22. Damascenus L. 2. Parallelorum c. 83. et Hieronymus epist. 46. et 48.

Prob. 3ª. *pars.* Ezechielis 18. v. 22. Deus peccatori ad pœnitentiam et ad mandatorum observationem converso ait : *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet.* Et

c. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Atqui ibi recensentur peccata gravissima idololatriæ, homicidii, adulterii. Ps. 50. v. 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me: et convertar ad vos.* Deut. 4. v. 29. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris et tota tribulatione animæ tuæ.* Et c. 30. v. 4. *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus.* Testimoniorum talium plenæ sunt sacræ paginæ, quibus Deus pœnitentibus veniam peccatorum citra restrictionem promittit. Atqui indignum foret, pollicitationes amplissimas dandæ veniæ a Deo factas restringi ab hominibus sine sufficiente ratione; cum ad gratiam pertineant, quæ extendenda magis, quam coarctanda omnibus videtur, præsertim in lege gratiæ, ubi *misericordia superexaltat judicium*, Jac. 2. 13. hoc est, jactat se, effert se, gloriatur et cervicem extollit adversus judicium, prout secundum phrasin græcam, κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, legunt Augustinus epist. 29. *superexultat judicium*, et epist. 89. *superexultat judicio* : cum Beda, Erasmo, Gagneio, qui ita legendum esse suspicantur.

Hanc divinæ pietatis abundantiam Christianis commendat B. Joannes epistola priore c. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ubi peccatores in spem veniæ erigens, nullum genus peccatorum, quantumvis enormium, nullam eorum copiam excipit, ut SS. Hieronymus L. 2. contra Jovin., Basilius L. 2. de Pœnit. c. 4. monent.

Sed et exempla in novo Testamento id evidenter evincunt. Nam eadem peccata, quæ hæreticis irremissibilia videbantur, remissa fuisse legimus, ut in Evangeliis negatio Petri : incestus ille turpissimus 2. Cor. c. 2. et 7. Et posteriore ad Timotheum c. 2. v. 25. jubet Paulus monendos esse hæreticos, si forte *Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis.*

Confirmantur dicta hactenus ex usu perpetuo Ecclesiæ, quæ peccatores quoslibet ad pœnitentiam admisit. Tertullianus Montanista L. de pudicitia, c. 9. in Zephyrinum Papam et Catholicos invehitur, quod *mœchiam et fornicationem pœnitentia donent.* Ex can. 8. Conc. Nicæni I. novimus lapsos in idololatriam, post exactam pœnitentiam præscriptam, venia donatos, et in Ecclesiæ communionem fuisse receptos. Hosce, uti et alios gravissimos peccatores in Ecclesia primitiva post præscriptam pœnitentiam, veniam consecutos fuisse testatur Eusebius L. 5. Histor. c. 2. et L. 6. c. 34. Accedunt Concilia Milevitanum, Arausicanum, et Lateranense sub Innocentio III. cap. 1. (Labb. t. 11. p. 144. A.) *si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari.* Et Tridentinum Sess. 6. cap. 14. et can. 29. et Sessione 14. tota : ut et ea, quæ Gratianus in decretis de Pœnitentia, et distinctione 50. in hanc rem profert testimonia Patrum. Inter quos S. Hilarius cap. 18. in Matth. n. 10. (opp. t. 1. p. 760. D.) *Neque fas est,* inquit, *nos et præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Deo fuerit indulta.* S. Ambrosius L. 2. de pœnit. c. 4. n. 26. (opp. t. 2. p. 422. B.) *Omnibus conversis* (Ecclesia) *pollicetur veniam, quia scriptum est : Omnis, qui-*

cumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. S. HIERONYMUS in epist. ad Oceanum, de digamia (epist. 69. al. 83. n. 1.) *Frustra,* inquit, *mortuus est Christus, si aliquos vivificare non potest,* etc. Et S. AUGUSTINUS id, quod L. 1. de sermone Domini dixerat, esse peccatum, quod remitti non possit, L. 1. Retractat. c. 19. n. 7. ita corrigit: *Addendum fuit si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam : quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.*

17. *Obj. I.* Matth. 12. v. 31. ait Christus : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum (qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum* Marc. 3. v. 28.), *non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro;* ergo peccatum aliquod pœnitentia expiari non potest.

R. *D. A.* Blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur, quia absolute per pœnitentiam expiari nequit *N.* quia difficilior est pœnitudo de hoc peccato, quam de cæteris *C.* Hic duplex quæstio movetur.

I. Quodnam sit hoc peccatum blasphemiæ in Spiritum sanctum? Præteritis autem Patrum quorumdam et Scholasticorum expositionibus, probabilius cum S. Athanasio in libello de hac re scripto (al. epist. 4. ad Serapionem, opp. t. 1. parte 2. p. 556. et seqq.) et orat. 2. in Arianos : cum Chrysostomo homil. 42. in Matth., Hilario, Hieronymo, Anselmo, Theophylacto, Beda in c. 12. Matth., aliisque Patribus dicendum, probabilius illos in Spiritum sanctum blasphemare, qui Spiritu sancto illustrante cognitam veritatem manifestam improbant ex malitia, et signa ac prodigia virtute Spiritus sancti facta malo dæmoni tribuunt. Hunc loci illius sensum esse constat ex occasione qua Christus id dixit, et ex causali, quam Marcus adjungit : *Quoniam dicebant : Spiritum immundum habet.* Id nimirum est Spiritui sancto resistere, ut aliis in locis Scriptura loquitur : nam Spiritui sancto tribuitur operatio miraculorum, 1. Cor. 12. v. 9. et seqq., et illustratio animorum ad cognoscendam veritatem, Joan. 16. v. 13. At vero blasphemia in Filium hominis erat eorum, qui opera Christi, quem merum hominem esse putabant, calumniabantur, dicentes : *Ecce homo vorax, et potator vini,* Matth. 11. v. 19. De horum numero se fuisse scribit Paulus 1. Timoth. 1. v. 13. *Prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.*

II. Quæstio altera est, cur peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur? Ad quam optime omnium respondent SS. Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Anselmus in dictum locum Matthæi, peccatum quidem istud vere pœnitentibus remissum iri, tamen peccatores tales ad pœnitentiam nunquam perventuros, quod justo Dei judicio deserti, et in sensum reprobum dati sint. Quam sententiam nonnihil attemperant SS. CHRYSOSTOMUS in eumdem locum, et AMBROSIUS L. 2. de pœnit. c. 4., aiuntque fortasse nonnullos ex Judæis hisce, quos Christus reprehendebat, Christi et Apostolorum prædicatione conversos ad pœnitentiam, et salutem consecutos fuisse. Igitur secundum horum doctorum expositionem, peccatum in Spiritum sanctum non remitti dicitur, quia ordinarie et ut plurimum est incurabile,

idque primo ex parte subjecti, nam talis peccator directe resistit et repudiat gratiam Dei : quemadmodum morbus illius dicitur incurabilis, qui medicamentum unicum, quo curari posset, respueret. Deinde ex parte actus, cum peccatum tale non ex ignorantia aut infirmitate, sed ex mera malitia commissum excusari nequaquam possit, nec misericordiam mereri. Peccato tali plures hæretici laborant, qui veritatem ex Scriptura et Patribus sibi perspectam de industria oppugnant, odio, invidia, aut commodis privatis inducti.

Aliam etiam ob causam S. Joan. Chrysostomus blasphemiam in Spiritum sanctum ait esse peccatum irremissibile tam in hoc, quam in altero seculo : Deus enim quædam peccata dissimulat in hac vita, ut in altera plectat; quædam in hac vita punit, ne puniat in altera : peccatum vero in Spiritum sanctum in hoc et in futuro seculo punit. Sicut Judæis accidit, quos in hac vita Hierosolymorum excidio, atque innumeris aliis malis afflixit, et postea damnatione æterna.

Inst. 1. S. Joannes epistola 1. c. 5. v. 16. scribit : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Peccatum autem, pro quo remittendo non licet rogare, non est objectum pœnitentiæ; ergo aliquod peccatum non pertinet ad pœnitentiam.

R. *N. Supp.* Quod pro peccato illo non liceat rogare. Hic iterum dubitationi geminæ est occurrendum.

I. Quale hoc sit peccatum ad mortem? Crimen autem tale non est omne peccatum mortale, ut auctor libri de vera et falsa pœnitentia, c. 4. putavit. Nam peccatum quod ibidem dicitur, *non ad mortem*, etiam vita privare dicitur : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Repugnat etiam huic expositioni consuetudo Ecclesiæ, quæ pro peccatoribus frequenter preces fundit. Neque etiam peccatum ad mortem est eorum, qui in peccatis suis usque ad mortem perseverarunt, ut SS. Augustino de correpl. et gratia, c. 12. n. 35., et Gregorio L. 6. Moral. c. 31. videbatur; ante enim dixerat Apostolus : *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat,* etc.; ergo potest tale peccatum sciri, et discerni ab altero, adhuc vivente fratre : finalis autem impœnitentia, nisi post mortem, cognosci nequit. Hinc non dixit : *Si quis scit fratrem suum peccasse.* Peccatum ergo ad mortem est, quod ob sui enormitatem est quasi immedicabile, saltem per ordinariam Dei gratiam, quæ dari solet. Uti etiam morbi et plagæ lethales dicuntur, quæ ægrotanti mortem corporalem via ordinaria inferunt, et quorum desperata est curatio. Tale peccatum esse quod in Spiritum sanctum committitur, docet Augustinus L. 1. de serm. Dom. in monte c. 43. (al. 22. n. 73.) Et Christus ipse Pharisæis in malitia obstinatis prædicit Joan. 8. v. 24. *Moriemini in peccato vestro.*

II. Ut dubitationi alteri satisfiat, advertendum est, S. Joannem non prohibere absolute orare pro hujusmodi peccatore, sed per quamdam exaggerationem ad declarandum periculum talis peccatoris dixisse, *non dico, ut pro illo oret quis.* Ita S. Thomas in 2. d. 43. in fin. et q. 28. de Veritate a. 11. ad 8. et q. 3. de malo a. 5. ad 3. post S. Ambrosium L. de Pœnit. cap. 8. et 9. (al. 9. et 10.) qui addit, non quemlibet de populo, at virum apprime sanctum esse aptum ad orandum pro hujusmodi peccatore. Quod Heli 1. Reg. 2. v.

25. innuit, his verbis : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Non inquit : *Nullus orabit pro eo,* sed quærendus est insignis Dei amicus, qui oret, qualis fuit Moyses, qui pro populo idololatra oravit, et exauditus est, Exod. 31. v. 11. Probat hoc inductione Ps. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* et ait : *Non enim nullus, sed probatus habitabit,* etc.

Exemplo autem B. Stephani doctrina ista magis illustratur : nam hic pro persecutoribus suis oravit, Act. 7. v. ult. quos sciebat, blasphemia in Spiritum sanctum teneri : cum enim viderent tot prodigia et signa magna, quæ fecerat ipse in populo, nec possent resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur ; nihilominus dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus semper Spiritui sancto resistebant. Atqui non Saulum modo, sed alios etiam Stephani lapidatores hac ipsius precatione veniam, gratiam et salutem adeptos fuisse, Œcumenius ex Patribus aliis testatur. De eorum ergo salute S. Martyr non desperavit : ne imprudenter pro eorumdem salute videatur orasse, ut ex S. Augustino supra laudato intelligimus.

Igitur sensus citati testimonii is est, quem S. Hieronymus L. 2. in Jovinianum (opp. t. 2. p. 372. B.) nobis aperit, precationes pro peccato ad mortem perquam difficulter a Deo exaudiri : ac viros etiam sanctissimos pro peccatoribus hisce interdum frustra rogare, ut Deus Jeremiæ dixit : *Noli orare pro populo hoc : quia non exaudiam te.* c. 7. v. 16.

Inst. 2. Proverb. 1. v. 28. ait Deus : *Invocabunt me, et non exaudiam : mane consurgent, et non invenient me.* Et Ps. 17. v. 42. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ; ad Dominum : nec exaudivit eos.* Jerem. 14. v. 12. *Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum,* etc. Ergo peccata quædam non possunt pœnitentia expiari.

R. *N. Cons.* Loquitur Deus 1°. de pœnitentia quam post hanc vitam in die judicii et in inferno acturi sunt impii, qui Dei adhortationes in hac vita spreverunt : nam in eodem capite Proverbiorum præmittitur v. 24. *Quia vocavi et renuistis... Ego quoque in interitu vestro ridebo... Quando venerit super vos tribulatio et angustia. Tunc invocabunt me,* etc. Et Sap. 5. v. 3. *Dicentes intra se, pœnitentiam agentes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum,* etc. Et Matth. 25. fatuæ virgines sero venientes et admitti ad nuptias postulantes, rejicientur. Et clarius Luc. 13. v. 25. *Cum intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine aperi nobis. Et respondens dicet vobis : Nescio vos... discedite a me omnes operarii iniquitatis,* etc. 2°. Quæ ex Davide, Jeremia et prophetis aliis adducuntur, videntur accipienda de invocatione Dei ad arcendas pœnas, non vero de seria pœnitentia, quæ culpas detestatur. Qualis etiam erat pœnitentia Antiochi regis 2. Machab. 9., et Esavi, de qua Heb. 12. v. 17., qui jacturam tantum juris primogenituræ lugebat : nam statim ita proposuit : *Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Gen. 27. v. 41.

Inst. 3. S. Paulus Heb. 6. v. 4. scribit, esse *impossibile, eos, qui semel sunt illuminati, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Illuminatio autem ista est baptismi sacramentum. Ergo peccata post baptismum commissa non sunt objectum pœnitentiæ.

R. 1°. cum S. Hieronymo L. 2. adversus Jovinianum (opp. t. 2. p. 345. B.)

lapsos post baptismum in peccata enormia rursus renovari est impossibile, seu valde difficile *C.* est impossibile in absoluto rigore *N.* Impossibile interdum in SS. Scripturis idem est ac perquam difficile. Matth. 19. v. 24. ait Servator : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum* : qui tamen modo ante dixerat : *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum* : et mox discipulis mirantibus, *apud homines*, inquit, *hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et licet Jerem. 13. v. 23., sicut æthiops colorem cutis suæ mutare nequit, ita Judæos non posse mores suos malos mutare, eo quod malefactis assueverint; tamen toto illo libro eos ad pœnitentiam hortatur, et veniam eis pollicetur. Alii aliter textum illum interpretantur, sed non ad mentem Apostoli. Igitur

R. 2°. cum SS. Chrysostomo, Thoma, et aliis in hunc locum, item Ambrosio L. 2. de pœnit. c. 2., Augustino, aut si quis auctor est, L. de vera et falsa pœnit. c. 3., Athanasio orat. de blasph. in Spir. S. (al. ep. 4. ad Serapionem opp. t. 1. parte 2. n. 13.) non longe a principio : Impossibile est, lapsos post baptismum renovari iterato baptismo, et consequi illam liberalem remissionem culpæ et pœnæ, eo modo, quo in baptismo conceditur *C.* Impossibile est, eos per virtutem et sacramentum pœnitentiæ veniam peccatorum et salutem obtinere *N.* Sensum istum ipsa Pauli verba nobis aperiunt : *Qui semel sunt illuminati,* i. e. baptizati : illuminari enim veteribus, baptizari est. *Rursus renovari* : renovamur enim per baptismum. *Rursum crucifigentes* : nam baptismum esse symbolum mortis Domini, ait Apostolus Rom. 6. v. 3. Quod idem Heb. 10. v. 26. indicans : *voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,* i. e. non alia mors Christi, quæ iterato baptismate repræsentetur. Hinc S. Athanasius (loc. cit.) advertit, non dici a Paulo, impossibilem esse pœnitentiam, sed esse *impossibile per causam pœnitentiæ quempiam renovari iterato baptismate.* Et S. Justinus, si tamen harum quæstionum auctor est, quæst. 97. ad Orthodoxos, ait, licet in lege Evangelica unicum sit lavacrum, relinqui tamen relapsis spem salutis, si pœnitentiæ remedio uti velint. Vide S. Thomam q. 84. a. 10.

Inst. 4. Sicut baptismus habet efficaciam suam ex passione Christi, ita et pœnitentia; ergo si baptismus non iteratur propter unitatem passionis ac mortis Christi, nec iterabitur pœnitentia.

Ad hanc objectionem, qua et sacramentum pœnitentiæ et virtus æqualiter impugnantur,

R. S. Thomas q. 84. a. 10. ad 3. et 5. negat conseq., aitque, baptismum habere virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis generatio quædam cum spirituali morte præcedentis vitæ : statutum autem esse homini semel mori et semel nasci; ideoque baptismum semel tantum conferri, pœnitentiam autem posse iterari, quia virtutem suam ex passione Christi habet tanquam medicina. Et Christus Matth. 9. v. 12. se comparat medico, cujus est sæpius recidivos sanare.

Sed potissimam rationem idem S. Doctor in argumento et conclusione hujus articuli, et a. 1. q. 86. reddit, benignam scilicet Dei voluntatem ex sacris litteris nobis manifestam : nam cum homo dum hanc vitam vivit,

semper sit in via, et peccatis obnoxius, ad divinam providentiam pertinebat, ei de medio consulere, quo peccatorum veniam consequi posset.

18. *Obj. II.* SS. Patres tradunt, pœnitentiam tantum semel esse concedendam : ut Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 10. (opp. p. 436. C.), Augustinus epist. 53. et 54. (al. 152. et 153.), Clemens Alex. L. 2. Stromatum, Chrysostomus hom. 1. in epist. ad Ephes. (opp. t. 11. p. 6. F.). Item Tertullianus L. de Pœnit. c. 7., Origenes hom. 15. in Levit. (opp. t. 2. p. 262. C. edit. Ruæi.). Ergo peccata hanc pœnitentiam consequentia non pertinent ad objectum pœnitentiæ.

R. *D. A.* Patres semel tantum pœnitentiam publicam et solemnem concedunt *C.* concedunt tantum semel pœnitentiam privatam virtutem vel sacramentum *N.* Ritus pœnitentiæ publicæ olim ab Ecclesia injungebatur peccatoribus gravioribus ac notoriis ad publicam satisfactionem et ædificationem, idque semel tantum ad majorem terrorem, tum ne iterata sperneretur, tum etiam ne scandalo cæteris esset, qui sæpius pœnitentiam egisse notaretur. Certo autem constat, præsertim e Syricii Papæ decretali 1. c. 5. (al. epist. ad Himerium Labb. t. 2. p. 1019. A. B.) relapsos post publicam pœnitentiam privatim posse pœnitere, eisque absolutionis sacramentum debere impertiri.

19. *Obj. III.* Si Deus Petro revelaret decretum, nullum ei peccatum remittendi, et hic culpabiliter nollet credere hanc esse revelationem factam : tale peccatum, cum Dei locutionem essentialiter veram et nullo modo fallibilem supponat, foret intrinsece irremissibile; ergo.

R. *N. Supp.* quod Deus possit ejusmodi nugatoria decreta, quæ hominem sanum etiam dedecent, condere, ex quibus apertæ contradictiones sequuntur. Nam si Deus diceret : *Nolo remittere Petro peccatum ullum intrinsece remissibile,* et Petrus culpabiliter revelationem hanc credere nollet, committeret peccatum remissibile et irremissibile in hac nugaci hypothesi. Est igitur manifesta repugnantia in complexo ex hisce tribus, videlicet ex decreto Dei de non remittendo peccato ullo, ex decreti hujus revelatione, et ex subsequente peccato essentialiter connexo cum tali decreto. Deus enim nihil decernit non facere, nisi possibilia.

CAPUT II.

DE ACTIBUS ELICITIS POENITENTIÆ.

ARTICULUS I.

QUOMODO DETESTATIO SIT ACTUS POENITENTIÆ AVERSATIVUS?

20. *Nota I.* Pœnitentia stricte ac proprie accepta sex potissimum actus elicit, odium, detestationem, dolorem, voluntatem delendi peccatum, desiderium Deo satisfaciendi, et propositum nunquam deinceps peccandi.

Ex actibus hisce *odium* est simplex aversio a peccato, quæ etiam *abominatio* dicitur. Huic *detestatio* addit desiderium quoddam, quo cupimus, peccatum nunquam a nobis admissum fuisse : qui quidem actus in pœnitentia non distinguitur ab odio. Ex detestatione præsentis mali oritur in subjecto capaci *afflictio,* seu lucta quædam et inquietudo animi, malum exosum excutere et fugere conantis : in quo consistit doloris hujus ratio : sicut gaudii ratio sita est in oblectatione animi quiescentis in bono præsenti et possesso.

Nota II. Vera pœnitentia necessario requirit utrumque actum formaliter elicitum : neque enim viator peccatum habitualiter adhuc sibi adhærens vere ac serio detestari potest, nisi una doleat se peccasse; neque de eo dolere ita potest, nisi idem detestetur. Sicut gaudium necessario sequitur ex vehementi amore boni præsentis : et amor abesse non potest a gaudio, quo quis in bono præsenti conquiescit. Quare sicut amor et gaudium in hoc casu censentur perinde ac unus actus, ita detestatio etiam et dolor in pœnitente. Imo pœnitentia secundum rationem suam omnino intrinsecam formaliter ac præcipue consistit in utroque actu detestationis ac doloris, ita ut neuter præ altero sit præcipuus, quem virtus ista primario eliciat. Nam præterquam quod pœnitentiæ nomen afflictionem animi significet, Sancti in cœlo vere detestantur peccata ab se olim commissa, quin tamen vere pœnitentiæ actum eliciant : detestatio vero est dolore perfectior tam in ratione virtutis, cum sit magis libera, quam dolor; quam in ratione repugnantiæ cum peccato : continet enim virtute dolorem; et quod dolor sit talis aut talis virtus, contritio vel attritio, habet solum a modo detestationis.

Igitur non consistit formaliter in sola detestatione, quæ dolorem necessario subsequentem tantum ut connotatum extrinsecum respiciat : neque præcipuus actus pœnitentiæ est dolor connotans præviam detestationem, ut Scholasticis quibusdam videtur. Nam Synodus Tridentina Sess. 14. c. 4. æqualiter ait, contritionem esse dolorem et detestationem peccati.

Hac scholastica altercatione breviter delibata, operæ pretium erit contemplari, quomodo detestatio hæc, quæ tristitiam antecedit, peccatum aversetur? quam quæstionem ut expediam

21. *Dico.* Detestatio peccati ex motivo alicujus virtutis et ipsiusmet etiam caritatis potest esse actus formaliter tantum aversativus, quin amorem formalem includat.

Prob. I. In actu amoris formalis bonum non tantum concurrit ut motivum formale, et ut ratio amandi, sed etiam ut objectum materiale et tanquam res amata. Atqui in detestatione peccati ex motivo caritatis vel alterius virtutis bonum concurrit tantum ut quo, ut objectum formale et motivum odii; ergo detestatio non est formalis amor, sed actus formaliter tantum aversativus; prosecutivus autem virtualiter et æquivalenter.

Prob. II. Non possum eodem actu formaliter detestari peccatum, et amare simul bonum, propter quod peccatum detestor; quia repugnat simpliciter, ut idem actus sit formaliter amor et odium; sicut actus intellectus idem nequit esse simul assensus et dissensus.

Quod si dixeris, actu priore formaliter amari bonum, et altero actu detestationem peccati exerceri propter bonum, cui adversatur : verum affirmas, sed nihil contra thesin nostram. Id enim passim ac ordinarie, non tamen necessario in pœnitentia contingere Suarez aliique nostræ sententiæ patroni fatentur.

22. *Obj. I.* SS. Scriptura et Patres ad gratiam et justificationem recuperandam exigunt conversionem ex toto corde per amorem Dei mutuum, et per contritionem caritate perfectam : atqui hæc sine actu formali caritatis esse nequeunt; ergo.

R. *D. M.* Scriptura et Patres exigunt amorem Dei necessario formalem *N.* saltem virtualem *C.* et *D. etiam min.* Hæc esse nequeunt sine actu formali caritatis saltem aversantis *C.* sine actu caritatis prosequentis *N.* Detestatio peccati ex motivo caritatis est actus hujus virtutis formaliter quidem aversantis, sed virtualiter et æquivalenter prosequentis; nam æquivale, actui prosecutivo : peccatum enim odimus ex motivo bonitatis, quia adversatur juri divino, aut Deo summe amabili displicet. Nec enim malum causare dicitur, nisi per vim, quam a bono accipit.

23. *Obj. II.* Omnis actus tendit in objectum suum formale; ergo etiam contritio tanquam actus theologicus tendit in bonitatem divinam, non quidem hanc aversando, sed amando.

R. *D. A.* Actus tendit in objectum suum formale directum et immediatum *C.* indirectum et mediatum *subdist.* illud amando formaliter et ut quod *N.* virtualiter, et ut quo *C.* Peccati malitia movet ad detestationem, quatenus peccatum malum Deo est, eique displicet. Quapropter peccati malitia movet proxime ac immediate; Dei autem bonitas mediate et remote movet, et amatur tantum ut quo, virtualiter, actu simplicis complacentiæ, qualis ipsam Dei dilectionem formalem præcedit.

Inst. Actus pœnitentiæ imperans amorem Dei aut contritionem, etiam remote attingit divinam bonitatem, quin sit actus virtutis theologicæ; ergo ad actum virtutis theologicæ non sufficit, quod mediate attingat perfectionem divinam.

R. *N. Cons.* In actu detestationis peccati ex motivo bonitatis divinæ, hæc revera est motivum formale intrinsece perficiens et complens actum contri-

tionis : ad actum autem pœnitentiæ aut alius virtutis imperantis, actus contritionis imperatus nihil intrinsece confert.

24. *Obj. III.* Cum alicui volo malum, quia ipsi malum est, ipsum formaliter odi; ergo cum alicui nolo malum, quia ipsi malum est, formaliter ipsum amo.

R. *N. Cons.* In Antecedente subjectum, cui malum cupimus, est simul objectum materiale et formale directum, proximum et immediatum : e contra in detestatione peccati, eo quod Deo summe bono displiceat, objectum materiale est peccatum, formale proximum ejus malitia, Dei autem bonitas, cui peccatum adversatur, est motivum remotum et mediatum.

Inst. 1. Recessus a termino a quo est formalis accessus ad terminum ad quem; ergo cum contritio sit recessus a creatura ad Deum, erit formalis amor.

R. *N. Cons.* Detestatio et alii actus potentiæ appetitricis sunt tantum æquivoce et metaphorice motus intuitu motionis localis; quare illis sufficit virtualis accessus et recessus : neque enim amor omnis est formale odium, tametsi sit accessus ad bonum.

Inst. 2. Nullus actus intellectus est pura negatio et dissensus, sed semper est assensus formalis; ergo nullus actus voluntatis est mera fuga, sed simul erit persecutio formalis.

R. *N. Ant.* Cum dico : homo non est lapis, non affirmo negationem, ut quidam fingunt; nam negatio formalis, seu actus intellectus non affirmat, neque affirmatur, sed est id, quo negatur de subjecto prædicatum : negatio autem objectiva seu non identitas subjecti et prædicati etiam in illo actu non affirmatur formaliter, sed tantum dicitur, prædicatum non esse subjectum. Ad quod sufficit, si apprehensionibus variis antea cogitaverimus hominem, lapidem, et distinctionem termini utriusque, idque adhuc habitu sciamus. Sicut sufficit ad assensum conclusionis, quod ejus motivum seu præmissæ adhuc virtualiter in intellectu hæreant, et attingantur virtualiter, et ut quo. Dabuntur igitur actus voluntatis, qui mera fuga sint. Nam sicut se habet voluntas appetendo bonum : ita se fere habet aversando malum. Si ergo bonum movere potest ad meram sui prosecutionem, malum etiam movebit ad puram a se aversionem.

ARTICULUS II.

QUOMODO DETESTATIO SIT ABSOLUTA, EFFICAX, ET UNIVERSALIS?

25. *Nota 1.* Actus *conditionatus* dicitur, cujus efficacia pendet ab adjecta conditione. Conditio ista, si sit ex parte subjecti seu potius voluntatis, suspendit seu tollit in præsens omnem actum voluntatis; adeoque actus talis improprie conditionatus vocatur, quia revera nullus est, sed esset, si conditio poneretur; v. g. si Petrus me rogaret, vellem illi dare eleemosynam : qui quidem actus magis ad intellectum quam ad voluntatem spectare videntur.

Igitur actus voluntatis vere ac *proprie conditionatus* petitur magis ab

objecto, quia licet voluntas in præsenti illum exerceat, per illum tamen non tendit in objectum absolute sumptum, sed conditioni alicui adstrictum : ut cum testator legat Petro centum, si hoc fecerit, revera vult donare, sed cum conditione. Cujus signum est, quod conditione expleta, voluntas illa effectum sine novo actu sortiatur.

Huic contrarius actus dicitur *absolutus*, quod solutus sit ac liber ab omni conditione, quæ vel ex parte subjecti vel ex parte objecti adjici posset.

Nota II. Detestatio peccati dupliciter potest esse *universalis* : primo formaliter, cum eam antecedit distincta vel confusa omnium peccatorum recordatio : deinde virtualiter, quando unum quidem solum peccatum menti obversatur, ratio tamen illud detestandi sufficit, ut voluntatem a cæteris omnibus avertat. Quod si motivum non excederet crimina uni tantum virtuti adversantia, detestatio ex motivo tali profecta, esset tantum particularis. Nam cum quis adulterium detestatur, quod honestati castitatis repugnet, ejusmodi actus non foret detestatio furti, aut alius virtutis.

26. *Dico I.* Detestatio, quæ respicit actum peccati præteritum, est voluntas efficax et absoluta ex parte subjecti, sub conditione afficiente objectum : ex parte autem peccati habitualis absoluta est et efficax utrinque.

Prob. 1ª. *pars,* quæ est S. Thomæ in 4. d. 17. q. 2. a. 1., q .1. ad 3. et aliorum. Licet enim objectum illud sit tantum impossibile ex suppositione, voluntas tamen non versatur circa illud per talem actum, nisi ex suppositione prædicta : et ideo perinde se habet, ac simpliciter impossibile. Actus ergo ille non est absolutus, sed includit hanc ex parte objecti conditionem, *si mihi esset possibile.* Fieri enim non potest, ut absolute et efficaciter velimus nunquam peccasse, cum sciamus, hoc jam omnino esse impossibile.

Prob. 2ª. *pars,* quæ etiam est S. Thomæ, et caret difficultate. Peccator enim pœnitens non tantum odit peccatum habituale, sed retractat etiam positive, et mediis utitur efficacibus, queis ab illo se penitus expediat.

27. *Dico II.* Tametsi detestatio peccati esset particularis formaliter et in objecto materiali, si tamen ratio detestandi sit peccatis mortalibus omnibus communis, detestatio erit universalis virtualiter, et absolute voluntatem avertet ab affectu omnis peccati mortalis. Ita S. Thomas q. 86. a. 3., Suaresius disp. 4. sect. 8. assert. 3. et Theologi communiter.

Prob. Detestatio virtualis omnium peccatorum est actus omnino incompossibilis cum affectu ad quodlibet peccatum ex motivo sufficiente ad detestanda omnia peccata. Atqui si ratio detestandi unum particulare peccatum sit mortalibus omnibus communis, erit actus omnino incompossibilis cum affectu ad quodlibet peccatum mortale, eritque motivum sufficiens ad detestanda omnia mortalia peccata. Ergo. *Min. constat.* Nam cum sit idem omnino motivum in omnibus, quod est in singulis peccatis, et adæquata ratio detestandi omnia perinde ac unum mortale, non potest voluntas eodem tempore odisse unum, et complacere in aliquo alio. Virtualiter igitur detestatur omnia mortalia, qui unum detestatur ex eo, quod per hoc incurratur pœna æterna, aut amicitia Dei dissolvatur, aut talis Deo injuria inferatur, ut ratio finis ultimi censeatur ipsi adimi. Habet enim hic res sicut in fide : nam qui unum articulum credit, quia Deus summe verax eum revelavit, virtualiter

credit alios omnes, et qui negat formaliter unum, virtualiter cæteros omnes inficiatur.

Conf. Efficax detestatio peccati venialis ex motivo communi pœnitentiæ, caritatis, spei aut alius virtutis non tantum est virtualis detestatio omnium venialium peccatorum, sed etiam mortalium ; quia ejusmodi motiva communia sunt non tantum peccatis venialibus, sed etiam mortalibus, ita ut sit legitima consecutio ex comparatione a minore ad majus. Nam qui efficaciter odit caritatis remissionem, leves offensas et injurias, pœnam temporalem, ægritudinem, multo magis oderit caritatis amissionem, offensas et injurias graves, et supplicium æternum.

28. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* Hi sunt tantum actus intellectus : si Petrus adesset, darem ei eleemosynam : si adesset, ipsum viderem ; ergo etiam hic : si res adhuc esset integra, jam non amplius peccarem.

R. *C. Ant. N. suppos. Conseq.* Sicut hi sunt veri actus voluntatis : vellem dare Petro eleemosynam, modo adesset : vellem ipsum videre, modo adhuc viveret; ita et hic : *vellem nunquam peccasse, şi res adhuc integra esset.* Si quis nunc optaret, olim peccasse, peccaret utique : sed actu intellectus nemo peccat ; ergo ejusmodi desideria sunt veri actus voluntatis.

Inst. Talis actus eo tendit, ut, quod factum fuit et præteritum, fuerit infectum et non præteritum ; ergo est inutilis et otiosus.

R. *D. Ant.* Eo tendit prorsus absolute etiam ex parte objecti præteriti *N.* eo tendit absolute ex parte subjecti, et conditionate ex parte objecti *C.* Talis actus est odium simul ac detestatio, prout odium recte explicatur per verbum indicativi modi : *Nolo peccatum;* quo modo est absolutus, est efficax ad separandam et avertendam voluntatem ab affectu peccati : impossibile enim est, cum tali actu ex deliberata voluntate concepto affectum peccandi animo inhærere. Idem odii actus simul est detestatio absoluta et efficax ad destruendum peccatum commissum, quatenus hoc aliquo modo permanet habitualiter seu moraliter : quantum autem se habet detestatio ad objectum proprium, quod est, facere ut peccatum commissum non fuerit, non caret simpliciter omni conditione, neque habet efficaciam ; tametsi sit affectus eatenus absolutus, quatenus revera inest voluntati. Ex quibus apparet, quo sensu verum sit, quod Alexander et Albertus dicunt, actum pœnitentiæ absolutum esse : S. Thomas vero eum vult esse conditionatum : Adrianus vero putat illum nec esse absolutum, neque conditionatum, sed ad simplicem affectum displicentiæ peccati commissi revocat. Vide supra num. 5. Inst. ad obj. 2.

29. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* Possum ex pœnitentiæ vel caritatis motivo dolere de uno peccato graviori ob tantum gravitatis gradum, quin de cæteris minus gravibus doleam. Ergo detestatio ex motivo pœnitentiæ vel caritatis non necessario est universalis virtualiter.

R. *N. Ant.* Talis non haberet motivum verum et principale harum virtutum : hoc enim necessario non se extendit ante ad gradum, quam ad substantiam peccati. Igitur in dato casu non eliceretur actus pœnitentiæ vel contritionis.

Inst. 1. Potest quis amico succurrere in aliquo negotio ex motivo amici-

tiæ, qui eidem non succurreret in gravi et periculoso casu : dat aliquis stipem moderatam pauperi ex misericordia, obedit quis superiori in rebus obviis ex obedientiæ motivo, qui tamen pauperi non daret stipem amplam, nec largiretur sæpius neque pauperibus pluribus; item qui in rebus difficilibus non obtemperaret. Ergo potest aliquis ex motivo pluribus virtutibus communi unum grave peccatum aversari, quin cætera virtualiter detestetur.

R. *D. Ant.* Potest quis edere actus mediocres amicitiæ, misericordiæ, obedientiæ, quin data occasione ederet illorum plures et difficiliores, si prudentia dictet, ipsum in hisce circumstantiis obligari ad plures et difficiliores actus exercendos *N.* secus *C.* In actibus fugæ motivum est indivisibile : nam quodlibet mortale peccatum secundum se totam motivi rationem destruit ; igitur vi ejusdem motivi omnia et singula ei adversantia peccata simpliciter et absolute aversari oportet. E contra ratio actuum prosequentium divisibilis est : etsi enim universim jubeamur virtutum actus exercere ; quia tamen præceptum hoc affirmativum non quovis tempore, nec quacumque alia circumstantia nos adstringit ad agendum; crebro actiones illæ bonæ omitti queunt, quin contra rationem virtutis peccetur. Si quis nihilominus, cum teneri se ad actuum horum exercitium prudenter existimat, ab actibus difficilioribus abstineat, hic vel ante, cum faciliores eliceret, non agebat ex motivo primario virtutis, vel difficultate victus intentionem priorem abjicit. Id quod idem sæpe accidit iis, qui ex motivo generali virtutis peccatum antea efficaciter detestati, postmodum tentationi succumbentes in peccata relabuntur.

Inst. 2. Voluntas libera est ; ergo ex motivo universali poterit unum peccatum detestari, quin detestetur alia.

R. *D. Ant.* Voluntas libera est ad detestandum vel non detestandum peccata *C.* est libera ut possit simul detestari et non detestari objectum idem *N.* Hoc eveniret virtualiter saltem ex motivo æque communi peccatis omnibus, si unum tantum detestaretur, et alia quædam exciperet. Vellet finem, et non vellet, quia medium necessarium nollet, quod est fuga peccati : quodvis enim lethale crimen virtutis generalis fini obstat.

Inst. 3. Qui unius peccati præteriti recordatione oblectatur, non continuo idem virtualiter præstat erga cætera, quorum non meminit; ergo neque detestatur virtualiter peccata omnia, qui ex generali motivo unum detestatur.

R. *N. Cons.* Ad perfectam delectationem de peccato uno concipiendam non opus est complacentia peccatorum omnium : e contra detestatio virtualis peccatorum cæterorum idem motivum participantium simpliciter exigitur ad conservationem et efficaciam pœnitentiæ vel virtutis alius.

Inst. 4. Qui ex motivo universali detestatur peccatum mortale, non detestatur semper omnia venialia; ergo non semper detestabitur simul omnia mortalia.

R. *N. Cons.* Venialia peccata non semper continent motivum peccatorum mortalium : nam cum pœnitentia odit ac detestatur peccatum mortale, quia ita injuriosum Deo est, ut ei tollat rationem finis ultimi; cum caritas peccatum aversatur, quia dissolvit Dei amicitiam ; cum spes ab eo abhorret, quia privat divina gratia, et pœnas sempiternas accersit; motiva isthæc solis peccatis mortalibus sunt propria, minime vero venialibus communia ; ad quæ affectum retinere potest, qui peccata mortalia efficaciter detestatur.

ARTICULUS III.

AN PŒNITENTIÆ ACTUS SIT HONESTUS?

Nota : Joannes Wigandus et Lutherani rigidi docuerunt, pœnitentiæ actum ac præcipue contritionem non esse actionem liberam, sed potius passionem extortam divinitus injecto terrore et minis legis. Unde aiunt, illam pertinere ad Legem veterem, non ad Evangelium, quod nos tantum fide remissionis peccatorum solatur. Denique eodem actu pœnitentiæ hominem omni bono spoliari, et peccatis ac maledictionibus repleri. Igitur bonum eum esse non posse concludunt, ut videre est in Colloquio Altenburgensi, collatione quarta, argumento 21. ad tertium scriptum Wittenbergensium mollium sive Electoralium Lutheranorum. Docti sunt errores istos a Luthero, qui eos propugnat disputatione 1. contra Antinomos, propositione 2. et 30. Item in Articulis Schmalcaldicis tit. de Pœnitentia. Cui adhæret Calvinus L. 4. instit. c. 3. §. 20.

30. *Dico.* Actus pœnitentiæ tam elicitus quam imperatus est honestus.

Prob. I. Quod Deus jubet, et viri sancti faciunt, honestum est. Atqui pœnitentiam Deus ipse jussit Ps. 4. v. 5. *In cubilibus vestris compungimini.* Jerem. 2. v. 19. *Scito et vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum*, etc. Christus Matth. 4. v. 17. jussit agere pœnitentiam : et ante ipsum Joannes Baptista, Matth. 3. v. 2. Pœnitentiam egerunt Job c. 42. v. 6., David Ps. 50., Ezechias Isa. 38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Petrus Matth. 26. v. 75. *flevit amare;* ergo pœnitentiæ actus est honestus.

Prob. II. Turpe est peccare; ergo honestum est peccata præterita detestari et expiare. In quam rem Tertullianus L. de Pœnitentia c. 4. *Bonum est pœnitere an non? quid revolvis? Deus præcipit.* Et Augustinus L. de duabus animabus contra Manich. c. 14. n. 22. *Utile est pœnitere peccati. Quid ego nunc in hanc rem divinarum Scripturarum testimonia, quæ usquecumque diffusa sunt, colligam? Vox est etiam ista naturæ.* Et Aristoteles 7. Ethic. c.7. *Quem non pœnitet*, inquit, *inemendabilis est.* Merito ergo doctrina Lutheri et rigidorum ejus discipulorum proscribitur a Conc. Trid. Sess. 14. Can. 5. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

31. *Obj. I.* Lex vetus intentatis minis terret peccatores, qui transgrediuntur legem Dei : Evangelium autem eos consolatur. Hinc Christus Marc. 1. v. 15. *Pœnitemini*, inquit, *et credite Evangelio;* ergo pœnitentia,

quæ in terroribus divinitus incussis consistit, ad legem pertinet, non ad Evangelium.

R. *N. Cons.* Terrores isti non a lege tantum, sed etiam ab Evangelio peccatoribus incutiuntur : nam Joannes, Matth. 3. v. 12. de Christo ait : *Paleas comburet igne inextinguibili.* Et Christus ipse Matth. 5. v. 22. c. 13. v. 41. c. 24. v. 51. c. 25. v. 46. gehennam et supplicia sempiterna minatur. Terrores autem isti sunt tantum actus, qui gignunt pœnitentiam, non vero pœnitentia ipsa. Pœnitentia autem tota secundum se proprie ad Evangelium spectat : nam Christus Luc. 5. v. 32. ait, se duntaxat venisse vocatum peccatores ad pœnitentiam. Et Luc. ult. v. 47. ait : oportere *prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Quod ipsum affirmant Petrus Act. 5. v. 31. Et cæteri Apostoli, Act. 11. v. 18. Et Paulus Act. 17. v. 30. c. 20. v. 21. c. 26. v. 20.

Adhæc sola lex Evangelica promissionem habet gratiæ; ergo cum pœnitentiæ promissa gratia sit Ps. 50. v. 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Isai. 66. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos.* Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam... vita vitet :* pœnitentia, non tantum prout ex fidei consolatione et spe veniæ exoritur, sed etiam in quantum præsumit terrores divinitus injectos, et ex vera perfectaque cordis contritione perficitur, ad Evangelium potissime pertinet.

32. *Obj. II.* Conc. Trid. Sess. 6. c. 6. docet, pœnitentes, excitante divina gratia, a divinæ justitiæ timore concuti : sed actus gratiæ excitantis non est liber ; ergo actus pœnitentiæ non est liber, sed per illum homo magis agitur a Deo, quam agit.

R. *N. Cons.* 1°. Tridentinum non ait, timorem illum, quo peccatores *utiliter* concutiuntur, esse pœnitentiam, sed dispositionem ad justitiam esse. 2°. Non quilibet terror ac timor justitiæ divinæ est dispositio talis : nam *et dæmones credunt et contremiscunt* Jac. 2. v. 19., nec tamen peccatum suum oderunt, nec tumorem et obstinationem deponunt : et Felix ille Syriæ Præfectus, Act. 24. v. 25. audiens Paulum de judicio futuro disputantem tremore concussus cor lapideum retinuit. 3°. Tametsi salutaris ille terror, quo divinitus primo percelluntur peccatores, nemini liber sit, utpote gratia excitans : hujus tamen quasi effectus, timor divinæ justitiæ, quem adjuvante Dei gratia concipiunt, liberrimus est, eoque bene dispositi libere moventur in spem, dilectionem Dei, et in odium ac detestationem peccati.

33. *Obj. III.* Vere pœnitentes ipsi se contemnunt, detestantur, nihilque in se boni, sed multa mala agnoscunt, atque idcirco se indignos gratia, dignos odio et suppliciis judicant ; ergo actus pœnitentiæ hominem omni opere bono spoliat, et replet maledictionibus : et consequenter opus bonum esse non potest.

R. *N. Cons.* Quod peccator se videat malis repletum, ac pœnis dignum reputet, non oritur a pœnitentia, sed a cognitione sui, et humilitate : neque pœnitentia aut virtutes istæ reddunt hominem spoliatum bonis, et plenum maledictionibus, sed talem præsumunt, et tam male affecto superveniunt. Ideo enim dolemus, quia in Deum peccavimus : nemo autem

peccat, quia admissa peccata deflet. Sicut nemo vulneribus aut morbis repletur, quia ex vulneribus et morbis dolet : sed ideo dolet, quia vulnera morbosque sentit. Nec facinorosi flagitiis replentur, quia supplicia et judicem timent : sed ideo supplicia et judicem timent, quia se flagitiis obstrictos esse noverunt.

34. *Obj. IV.* Actus pœnitentiæ oritur ex voluntate destruendi peccatum, et satisfaciendi Deo, ac si nobis hoc esset possibile ; ergo est præsumptuosus.

R. *D. Cons.* Est præsumptuosus, si viribus humanis id assequi conaretur *C.* cum per Dei gratiam id concedi sibi pœnitens credat *N.* Pœnitentia non agitur animo satisfaciendi Deo ad æqualitatem, aut ex justitia perfecta; sed solum cum divino auxilio faciendi quantum in nobis est, ut a Deo misericordiam obtineamus. Quod rationi oppido congruit.

ARTICULUS IV.

UTRUM ACTUS PŒNITENTIÆ SIT SUPERNATURALIS ?

Nota. Approbarunt quidam olim Pelagiani pœnitentiæ actus tanquam honestos, sed eos naturalibus liberi arbitrii viribus attribuerunt, dixeruntque, hoc modo gratiam, qua liberamur a peccato, secundum merita actionis naturalis nobis dari : ut testatur S. Augustinus L. de Hæresibus c. 88. et in epist. 106.

Errorem istum Catholicis impudenti calumnia affinxit Kemnitius in 2. parte examinis c. 4. de Pœnitentia, pag. 963. scribens, Concilium Tridentinum stabilire voluisse dogma illud : quod humanis viribus sine speciali Dei auxilio pœnitentiam illam tribuit, quæ sit sufficiens dispositio ad peccccatorum remissionem.

35. *Dico.* Actus Christianæ pœnitentiæ hoc sensu est supernaturalis, quod sine speciali et supernaturali Dei gratia exerceri non possit. Thesis hæc est de fide.

Prob. I. Sicut fides et caritas in Scriptura S. dicitur donum Dei, ita et pœnitentia ; ergo si ex hoc argumento fides et caritas demonstrantur esse actus supernaturales, etiam ex eodem argumento constabit, pœnitentiam actum esse supernaturalem. *Prob. Ant.* 2. Tim. 2. v. 25. ait Apostolus : *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis.* In quæ verba S. Leo epist. 91. ad Theodorum Episc. (al. 108. et 83. c. 4.) : *ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo : Ne quando Deus det illis pœnitentiam.*

Act. 5. v. 31. Apostoli *hunc*, aiunt, *Principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli et remissionem peccatorum.* Ergo æqualis est conditio pœnitentiæ et remissionis peccatorum : hanc autem supernaturale donum esse nemo dubitat ; erit igitur et pœnitentia.

Ezechielis 36. v. 26. Deus ait : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* Quod testimonium in hanc sententiam adducit S. Augustinus L. 1. contra 2. epistolas Pelagian. c. 20.

In multis item S. Scripturæ locis petimus, ut Deus nos convertat; ut Jerem. 36. v. 18. *Converte me, et convertar... Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* In quem locum commentans HIERONYMUS (opp. t. 4. p. 1066. B. edit. Vallarsi.): *Vide*, inquit, *quantum sit auxilium Dei, et quam fragilis humana conditio, ut hoc ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi nos Dominus ante converterit, et nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.*

Prob. II. AUGUSTINUS epist. 166. (al. epist. 186. ad Paulinum. c. 9. n. 33.) ait, in Concilio Palæstino, ubi Pelagius errores suos compulsus est revocare, declaratum fuisse, pœnitentiam esse donum Dei. S. FULGENTIUS L. de Fide c. 31. seu regula 28. (opp. p. 528. C.) ait: *Firmissime tene et nullatenus dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita sua miseratione converterit.* Et Concilium ARAUSICANUM II. Can. 4. (Labb. t. 4. p. 1667. D.): *Si quis*, inquit, *ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto dicenti: Præparatur voluntas a Domino.*

Conc. TRIDENT. Sess. 6. c. 5. *Declarat* (Sª. Synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum prævenientе gratia sumendum esse.* Cap. 6. *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum... ac propterea moventur... per pœnitentiam*, etc. Cap. 14. *Rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint.* Et Can. 3. *Si quis dixerit, sine prævenientе Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Et Sess. 14. c. 4. diserte ait, etiam imperfectam contritionem, quæ attritio appellatur, *donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum.*

36. *Obj. I.* Scotus in 4. d. 14. q. 2. a. 1. tradit, actum pœnitentiæ secundum se et totam entitatem suam esse naturalem; adeoque viribus naturæ solius posse exerceri. Ergo Kemnitius vere errorem suum tribuit Catholicis: cum Scoti opinioni adhæreant Scotistæ; item Gabriel quæst. 1., Durandus in 2. d. 28. q. 5., Cajetanus Tom. I. Opusc. Tract. 4. q. 1.

R. 1°. *N. Ant.* Scotus in 1. d. 44. q. un. scribit, ideo posse quemlibet peccatorem salvari, quia potest eum Deus sua gratia prævenire. In 4. d. 14. q. 3. negat, ab homine solis naturæ viribus posse cognosci, peccatum esse detestandum ut offensivum Dei, aut aversivum ab eo: et d. 22. art. 2. extremo, pœnitentiam a Deo inspirari fatetur. Hinc et Scotus et Theologi nuper citati dicunt, licet actus aliquis pœnitentiæ naturalis esse possit, ut tamen exerceatur, prout exigitur a Deo ad salutem, supernaturale aliquid ad ipsum necessarium esse, quod a divina gratia pendet.

R. 2°. *Omisso antecedente N. Cons.* Si unus et alter Theologus exerraverit, aut obscurius fuerit locutus, non continuo Catholicis ipsorum erratum adscribi oportet: multo minus Concilio generali, quod veritatem oppositam manifestis atque iteratis explicationibus proponit.

37. *Obj. II.* Ad assequendam Conciliorum mentem sufficit dici cum modo laudatis Theologis, pœnitentiam, quatenus fidei et caritati conjunctam, esse supernaturalem, non quia in se supernaturalis sit, sed quia vel directio fidei, vel amoris imperium seu ordinatio supernaturalis est.

R. *N. Assert.* Alias eodem modo dicam, spem vel caritatem secundum se actus supernaturales non esse, sed quoad directionem fidei : vel fidem in se supernaturalem non esse, sed ut caritate informatam. Sed et Concilium Trid. non tantum copulatim seu complexive definit, gratiam esse necessariam ad collectionem illorum actuum, sed divisim et copulative ad singulos illos actus gratiam requiri; et ideo non sine causa utitur particula disjunctiva, *aut.* Non potest ergo secundum fidem negari, pœnitentiam simpliciter loquendo, actum supernaturalem esse. Denique cum actus pœnitentiæ, juxta Concilium Trident. Sess. 6. c. 6. et Sess. 14. c. 4. sit ultima ad gratiam dispositio, actum eumdem necessario supernaturalem esse convincimur.

Inst. 1. Sufficit, si proxima ad gratiam dispositio ex directione caritatis sit supernaturalis : talis enim dispositio extra sacramentum includit detestationem peccati propter Deum summe dilectum. Ergo non solide concluditur, actum pœnitentiæ esse supernaturalem, nisi quoad hanc relationem.

R. *N. Ant.* Nam nuper jam ostendimus, singulos actus dispositione illa comprehensos, ex Synodi Tridentinæ doctrina, supernaturales esse.

Deinde ad ultimam dispositionem ad gratiam non solum non sufficit actus naturalis, verum ne quidem ullus eorum est necessarius : tum quia tota ultima dispositio est ordinis ejusdem, cujus est forma, ad quam disponit ; tum quia si aliquis actus naturalis per se necessarius foret ad dispositionem talem, homo illum solius naturæ viribus inchoare et perficere posset, per se loquendo et seclusis extrinsecis impedimentis vel difficultatibus ; atque ita per illum salutis suæ initium posset capere, quod sanæ doctrinæ in Conciliis, Arausicano præsertim, traditæ repugnat.

Inst. 2. Naturali lumine mentis cognosci potest, quod honestum sit detestari offensas Dei ; ergo voluntas ex se sufficit ad peccatum detestandum, modo pœnitens gratia Dei instructus per virtutes theologicas sufficienter ad Deum ordinetur.

R. *D. Ant.* Naturaliter ista possunt cognosci utcumque *T.* naturali lumine cognosci hæc possunt utiliter et prout oportet ad consequendam justificationem et vitam æternam *N. Ant. et Cons.* Actus, ad quem producendum necessario requiritur principium gratiæ, est simpliciter et quoad substantiam supernaturalis : atqui ad pœnitentiam, quæ sit dispositio ad justitiam, requiritur necessario fides supernaturalis, inspiratio sancti Spiritus et auxilium peculiare divinæ gratiæ, ut hactenus ostendimus; ergo. *Confirmantur* hæc ex can. 6. Concilii Arausicani (Labb. t. 4. p. 1668. B.), qui ita habet : *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus... pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : Quid habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. v. 7. Et can. 7. *Si quis per naturæ*

vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere... posse confirmat hæretico fallitur spiritu, etc. Pœnitentiæ vero actus est electio bona, quæ proxime ad salutem pertinet vitæ æternæ.

Inst. 3. Intentio suscipientis sacramentum non debet esse supernaturalis; ergo neque actus pœnitentiæ.

R. *N. Cons.* Intentio nec est dispositio proxima ad gratiam, nec hujus impetratio : est enim eadem sive sacrilege, sive cum fructu sacramenta frequententur. Secus res habet in actibus pœnitentiæ, de quibus S. Thomas q. 85. a. 5. in 0. *Ad pœnitentiæ*, inquit, *actus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Threnorum ult. v.* 21. *Converte nos Domine ad te, et convertemur.* Et paulo ante dixerat, habitus pœnitentiæ *immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus : non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus.* Ergo actus pœnitentiæ salutaris non est naturalis : naturalium enim actuum habitus non infunduntur a Deo, sed nostra opera efficiuntur.

CAPUT III.

DE CONTRITIONE.

ARTICULUS I.

IN QUO CONSISTIT ESSENTIA CONTRITIONIS PERFECTÆ?

38. *Nota I.* Efficacissimum pœnitentiæ actum esse perfectam contritionem SS. Litteræ et perpetua Ecclesiæ traditio nos docent. Contritionis hujus genus est detestatio dolore mixta, ut Theologi omnes fatentur : per hunc enim actum convenit cum imperfecta contritione, quæ recentiore vocabulo attritio appellatur. Cum vero Suaresius disp. 4. sect. 2. scribat, sibi post Sotum aliquando visum fuisse, contritionem extra sacramentum justificantem concipi posse ex motivis justitiæ, religionis, gratitudinis et aliarum virtutum, quæ præmium aut pœnam non intuentur; camdemque opinionem ex recentioribus plures secuti fuerint : quæritur in præsens, utrum differentiam perfectæ contritionis statui oporteat in solo motivo caritatis Dei super omnia dilecti?

Nota II. Caritas generatim accepta quemlibet boni et recti amorem significat. Quo sensu B. Augustinus L. de gratia Christi c. 21. n. 22. *Quasi aliud sit bona voluntas quam caritas. Quid est*, inquit, *caritas, nisi bona voluntas?* et L. de morib. Eccl. c. 15. n. 25. *Nihil omnino virtutem esse affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Quælibet virtus*, inquit, *est ordo amoris.* Nimirum, ut S. Thomas 1. 2. q. 62. art. 2. ad 3. notat, *quælibet virtus dici-*

tur esse ordo amoris, in quantum ad quamlibet cardinalium virtutum requiritur ordinata affectio; omnis autem affectionis radix et principium est amor.

Pressius sumpta caritas est amor, quo in Deum ferimur. *Est autem amor quidam perfectus, quo aliquis secundum se amatur; utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum. Amor vero imperfectus est, quo quis amat aliquid non secundum se ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat; sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad caritatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum : sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.* Hactenus S. Thomas 2. 2. q. 17. a. 8. in 0. Ex qua doctrina constat, solo amore caritatis perfectæ ac proprie dictæ amari Deum super omnia simpliciter et absolute, scilicet cum quis se ipsum explicite in Deum ita refert, ut suum ultimum finem tam objectivum, quam subjectivum positive et explicite in Deo constituat; qui actus caritatis, amor benevolentiæ et amicitiæ nuncupatur.

Quanquam autem actu spei etiam Deum, tanquam ultimum finem objectivum, super omnia diligamus, in quantum ita comparati sumus, ut rerum omnium, ac vitæ quoque subire dispendium malimus, quam Deum offendere : quia tamen actu spei nondum nos ipsos in Deum expresse referimus, nec simul ultimum finem subjectivum in ipso explicite ac positive reponimus; caritas ista est imperfecta, amor concupiscentiæ, dilectio Dei super omnia secundum quid, et in aliquo tantum genere.

39. *Dico.* Perfecta contritio, qua extra sacramentum justificamur, debet esse detestatio peccati ex motivo perfectæ caritatis, qua Deus super omnia amatur. Est communis Theologorum cum S. Thoma q. 85. a. 6. et q. 86. a. 3. in 0. ubi ait, ad rationem veræ pœnitentiæ esse, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.

Prob. I. S. Scriptura vim omnem, quam pœnitentia habet ad delenda peccata, caritati tribuit. Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ergo non diligenti nihil dimittitur. Nam *qui non diligit, manet in morte.* 1. Joan. 3. v. 14. et cap. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* 1. Petr. 4. v. 8. *Caritas operit multitudinem peccatorum.*

Talem autem amorem debere esse caritatem perfectam, quo Deus super omnia amatur, eadem S. Scriptura locis variis ostendit. Deut. 4. v. 29. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ.* Joel. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra.* Matth. 22. v. 37. *Ait Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Isai. 31. v. 6. *Convertimini sicut in profundum recesseratis.* Atqui talis conversio solum fit per caritatem perfectam : nam sicut peccator ante averterat se a Deo, et ad creaturam converterat, hanc præferendo amicitiæ divinæ et pro fine ultimo *cui* constituendo : ita vicissim perfecte debet a creatura averti, et converti ad Deum, hunc solum pro ultimo fine *cui* constituendo. Hoc autem fit tantum per caritatem : virtutes enim cæteræ, quia ipsi homini

suam honestatem amant, hunc eumdem hominem habent pro fine cui, etsi ulterius a caritate ad Deum tanquam finem ultimum referendo.

Prob. II. Ex Patribus. S. Augustinus L. 2. contra Cresconium c. 12. ait : *Mundantur* (peccata) *sacrificio contriti cordis... mundantur ipsa quæ supereminet omnibus caritate... quæ una si adsit, omnia recte fiunt; si autem desit illa, omnia frustra fiunt.* Et serm. 7. de temp. (al. in appendice serm. 117. in natali Domini 1.). *Pœnitentiam*, inquit, *certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei.* Et L. 21. c. 27. de civit. n. 2. *Si pro uno scelere omnia sua distribuant indigentibus membris Christi, nisi desisterent a talibus factis* (peccatis), *habendo caritatem, quæ non agit perperam, nihil eis prodesse potest.* Et auctor libri de vera et falsa pœnit. c. 9. n. 24. Quomodo aliquis *sine amore Dei consequeretur indulgentiam, sine quo nemo unquam invenit gratiam.*

S. Gregorius homil. ult. in Ezechielem circa finem L. 2. hom. 10. n. 20. (opp. p. 1428. B.) docet, compunctionem alteram ex timore proficisci, saltem ex amore : et hanc quidem esse perfectam, ad quam prior viam parat.

His accedit Concilium Trident., quod Sess. 14. cap. 4. tradit, solam contritionem, quæ caritate perfecta est, sufficere ad remissionem peccatorum extra sacramentum re ipsa susceptum : non vero eam, quæ ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ et pœnarum concipitur. Atqui contritiones seu peccati detestationes ex motivo justitiæ, religionis, aut alius virtutis moralis obortæ concipiuntur ex motivo turpitudinis : detestatio vero peccati ex spei motivo pœnam damni metuit; ergo secundum doctrinam Synodi Tridentinæ non sufficiunt ad perfectæ contritionis effectum.

40. *Obj. I.* Veræ pœnitentiæ promissa est peccatorum remissio : atqui detestatio peccati ex motivo justitiæ, religionis, gratitudinis est vera pœnitentia; ergo.

R. *D. M.* Pœnitentiæ, quæ sit perfecta ad Deum conversio, promissa est venia *C.* si non sit perfecta ad Deum conversio *N.* Hac explicatione plures adhuc objectiones expediuntur : nam licet nonnullæ virtutes detestentur peccata universim suo modo super omnia, etiam appretiative : licet avertant hominem a peccatis, et ad Deum convertant; multo tamen hæc imperfectius præstant, quam caritas. Nec sufficit, illarum actus a caritate informari aut imperari : hoc enim casu ad peccatorum remissionem non disponerent, sed hanc præsumerent.

Inst. In baptismi et pœnitentiæ sacramentis peccata dimittuntur sine caritate perfecta; ergo de hac sola non sunt intelligenda S. Scripturæ et Patrum testimonia.

R. *N. Cons.* Tametsi S. Scriptura loquatur generatim, excipiuntur tamen casus ab eadem indicati; ut ex pluribus aliis constat. Christus enim ministris suis potestatem absolvendi non contulit gratis, sed consulere voluit infirmitati humanæ sacramenta instituendo, quæ ex attritis contritos facere dicuntur, non quidem formaliter, sed æquivalenter, substituendo aliquid æquivalens dilectioni, nempe sacramentum, quod effectum eumdem præstaret.

41. *Obj. II.* Amor, quo S. Paulus Philipp. 1. v. 23. cupiebat *dissolvi et esse cum Christo*, erat amor perfectæ caritatis : atqui amor ille includebat motivum propriæ felicitatis : unio enim cum Christo necessario supponit et objectum quod diligitur, et subjectum quod diligit ; ergo ex motivo spei actus perfectæ caritatis et contritionis potest concipi.

R. *N. min. cujus prob. D.* Unio cum Christo supponit objectum seu Deum qui diligitur propter summam suam perfectionem in se absolute consideratam *C.* propter suam bonitatem spectatam relative ad nostram beatitudinem *N.* Explicatio ista petitur ex S. Augustino, qui L. 3. de doctrina Christiana c. 10. n. 16. ait : *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter seipsum, et se atque proximo propter Deum.* Cum quis amat beatitudinem tanquam bonum sibi, ita ut beatitudo sit proxima ratio amandi tale bonum, est amor proprius concupiscentiæ, specie alius ab amore caritatis. Quando autem quis sibi amat beatitudinem immediate et proxime propter gloriam Dei, ut hunc tanquam amicum præsentem habeat, ac de bonis ejus gaudeat, amor iste, licet materialiter possit denominari concupiscentiæ ob beatitudinem, quam quis sibi amat, formaliter tamen et quoad motivum est amor amicitiæ : cujusmodi erat desiderium Pauli ad Philip. 1. v. 23. Ita Suar. L. 2. de necessit. grat. c. 13. n. 23.

Inst. 1. Deus per caritatem diligitur ut beneficus et beatificus : atqui non potest ita diligi sine respectu ad bonum quod ex ipso speramus ; ergo sine motivo spei caritas non elicitur.

R. *D. M.* Deus per caritatem diligitur, ut beneficus ratione principii *C.* ratione termini *N.* Diligitur Deus ens a se, principium omnium perfectionum, inter quas continentur etiam benignitas et ratio finis ultimi seu beatitudo objectiva : quamvis beneficia in nos derivanda, item possessio et fruitio summi boni, qui sunt termini divinæ benignitatis, ac Deitatis beatificantis, a caritate directe non spectentur. Secundum hactenus dicta accipi debet, quod S. Thomas 1. 2. q. 65. a. 5. ad 1. et q. 114. a. 4. scribit, caritatem esse amorem Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum : nimirum ratione summæ suæ perfectionis, ob quam non solum est principium omnium rerum, sed etiam illarum finis et beatitas.

Inst. 2. Non potest homo se exuere desiderio naturali, quo in beatitudinem fertur; ergo desiderium istud in omnem caritatis actum se insinuat.

R. *D. Ant.* Non potest se homo exuere desiderio, quo in beatitudinem fertur vel formaliter, explicite, vel virtualiter tantum, implicite, materialiter ac præsuppositive *C.* quo in beatitudinem semper feratur formaliter et explicite, quasi actus quilibet sit formale beatitudinis desiderium *N.* In actibus liberis mentem a beatitudine ita avocare possumus, ut non formaliter propter hanc, sed propter absolutam objecti excellentiam operemur. Quoniam autem innatum nobis est erga beatitudinem generatim desiderium, hoc ipsum semper virtualiter, materialiter vel præsuppositive nobis inest, etiam quando ex caritate purissima agimus : quæ quidem caritas desiderium beatitatis adeo non rejicit, ut illud una cum spe etiam imperet. Nam et amor quo in Deum ut nobis bonum ferimur, castus, purus et gratuitus dici meretur intuitu amoris mercenarii, quo Deum ob temporalia bona diligimus ; non vero caritati perfectæ comparatus, etsi simpliciter sit castus et purus hoc sensu, quod bonus, honestus, necessarius et supernaturalis sit.

Distinctione data explicanda sunt, quæ S. Bernardus epist. ad Guigonem n. 8. (opp. t. 1. p. 31. edit. Mabill.) de quarto amoris gradu disserit : *Nescio, si a quoquam hominum in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt : mihi, fateor, impossibile videtur.* Hoc est, nemo tam pure Deum diligere potest, ut in corde suo propriæ beatitudinis desiderium extinguat.

Inst. 3. S. Th. 2. 2. q. 23. a. 5. ad 2. *Una sola*, inquit, *ratio diligendi attenditur principaliter a caritate divina bonitas, quæ est ejus substantia.., Aliæ autem rationes ad diligendum Deum inducentes sunt secundariæ, et consequentes ex prima.* Ergo ratio qua Deus intuitu beatitatis nostræ diligitur, est motivum saltem secundarium caritatis.

R. *N. Cons.* Rationes illas secundarias, ait S. Doctor, esse tantum dispositiones, queis ad perfectam dilectionem præparamur : cujusmodi sunt *beneficia, præmia sperata, aut pœnæ* evitandæ, *quibus disponimur ad hoc ut in dilectione proficiamus*, ut exponit ibidem q. 27. a. 3. In quem sensum antea q. 23. a. 1. et 5. et q. 25. a. 10. *Amicitia caritatis*, inquit, *fundatur super communicationem beatitudinis,* nimirum tanquam super dispositionem excitantem ac moventem ad caritatem.

Inst. 4. S. Bernardus L. de diligendo Deo c. 1. n. 1. et c. 7. n. 17. (opp. t. 1. p. 584. A. et 591. C.) ait, *ob duplicem causam Deum dixerim propter seipsum diligendum : sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest... Dubitari namque potest quid potissimum dubitetur : utrumnam, quo suo merito Deus, aut certe quo nostro sit commodo diligendus.* Ergo.

R. *N. Cons.* Explicatio data jam est in responsione ad obj. 2. et ad ejus instantiam. Quam doctrinam magis adhuc illustrat Suaresius disp. 1. de objecto materiali et formali caritatis, ubi ait, S. Thomam 2. 2. q. 23. a. 4. *hoc sensu dixisse, speciale objectum caritatis esse donum divinum, ut est beatitudinis objectum : quia Deus ut objectum beatitudinis non amatur propter aliud tanquam propter finem : finis enim ultimus ut sic, non amatur propter alium.* Sive ergo S. Bernardus Deum caritate pura, sive affectu spei diligendum esse pronuntiaverit, ex modo dictis patet, semper *propter seipsum diligendum.*

ARTICULUS II.

DE QUANTITATE CONTRITIONIS.

42. *Nota I.* Postquam de contritionis essentia disputavimus, juvat nunc ejus quantitatem expendere. Hæc vel est intensiva ob vehementiam actus ipsius : vel spectatur ratione temporis quo actus durat : vel ad objecta plura sese extendit, prout detestatio debet esse universalis. De quo argumento jam pluribus egimus : nam cum contritio perfecta caritate peccatum deleat extra sacramentum, ut nuper ostensum fuit, atque alias adhuc probabitur : caritatis autem motivum sit vel maxime universale ; sequitur plane actum omnem perfectæ contritionis omnibus et singulis peccatis adversari, quod concl. 2. a. 2. cap. præcedent. demonstravimus.

Nota II. Restat nunc demum, ut de intensione et duratione actus, quo ex caritatis motivo peccata detestamur, breviter disseramus. Ubi singularis omnino est Adrianus in 4. q. 2. de pœnit., ad veram contritionem exigens

summam actus intensionem, quam homo conatu omni sibi possibili possit exhibere.

Huic proxime accedit Petrus Sotus, qui lect. 14. et 15. de pœnit. docet necessariam esse intensionem maximam, non absolute, sed comparative, ut scilicet pœnitens majore voluntatis conatu et ardore feratur in peccati odium et amorem Dei, quam horreat quodvis aliud malum, aut bonum creatum quodlibet diligat. Quod idem videntur putasse S. Bonaventura in 4. d. 16. a. 2. q. 1., Durandus d. 17. q. 4., Richardus a. 1. q. 5. ad 3., et Joannes Morinus de administrat. sacram. Pœnit. L. 1. c. 14.

Alii dicuntur maximam quidem detestationis intensionem non exigere, certum tamen gradum, quem Deus solus novit.

Nota III. Scotus in 4. d. 14. q. 2. scribit, actum detestationis non habere rationem contritionis, nisi prius tempore aliquo, quod Deus determinavit, duret. Opinionem istam probabilem judicat Jacobus Almainus ibidem. Sed et Cajetanus tom. 1. Opusc. tract. 4. q. 1. ait, Deum aliquando exspectare hujusmodi durationem, priusquam acceptet actum in ratione contritionis, et dispositionis ultimæ ad gratiam.

Nota IV. Contra hos omnes Theologi passim contritioni perfectæ nec certam moram temporis, nec modum intensionis præscribunt, aiuntque ad magnitudinem ipsi debitam sufficere, si detestatio fuerit *appretiative* summa. Nam sicut Deum amore summo appretiative amare, est ipsum diligere super omnia, h. e. plus ipsum diligere, quam quodvis bonum aliud, et creatis rebus omnibus anteferre: ita contritione appretiative summa detestamur peccatum, quando tali amore Dei incensi, peccatum majus et gravius malum æstimamus esse, quam cætera omnia, et præ his omnibus illud magis aversamur, ita ut, data optione, malimus omnia damna et dolores subire, quam peccato consentiendo Deum offendere. Detestatio ista uti ab rationis judicio oritur, ita in parte animæ superiore potissimum residet, et est dolore intensive magno præstantior: nam intensio detestationis ac doloris major aut minor sæpe oritur ex commoda humorum temperie, qua appetitus inferior facilius afficitur ad objectum, quod imaginationi vivacius quandoque occurrit. Secundum hanc explicationem

43. *Dico I.* Ad perfectam contritionem non requiritur certus modus aut gradus intensionis, sed sufficit detestatio peccati summa appretiative, ex caritatis motivo profecta.

Prob. I. Dum Christus Matth. 22. v. 37. et Marc. 12. v. 31. recitat præceptum, Deut. 6. v. 5. latum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua;* sine dubio summam Dei dilectionem requirit: atqui dilectio Dei secundum intensionem summa est impossibilis; cum actus caritatis infusæ versus maximum in intensione non habeat terminum. Igitur tantum præcipitur Dei dilectio summa appretiative, quæ etiam est mensura contritionis.

Neque causari potest Adrianus, requiri tantum contritionis intensionem summam respective, seu intuitu præsentis auxilii gratiæ: hoc enim sensu peccator eliciens contritionem intensam ut duo cum auxilio ut duo justificaretur: alius e contra, concipiens dolorem intensum ut quatuor cum auxilio intenso ut quinque, maneret in statu peccati; quod est absurdum.

Eadem difficultas occurrit in opinione Petri Soti et aliorum quorumdam. Nam si detestatio affectus intensione debet excedere præsentem de aliis malis dolorem, evenire potest, ut contritio minus intensa justificet quandoque, cum alias magis intensa non justificaret : quia minus intensa excedere facile potest dolores de malis aliis admodum remissos; dum vicissim intensior contritio crebro ne attingit quidem vehementiam gravissimorum dolorum de malis aliis. Actus enim voluntatis intensio sequitur vehementiam objecti; objectum autem sensibile naturaliter vehementius movet et afficit animos, quam objectum spirituale et non sensibile.

Denique gratis omnino recentiorum quidam certum intensionis gradum ad contritionem extra sacramentum justificantem poscunt. Est enim grave præceptum eliciendi quandoque contritionem : at nullum datur præceptum de re ignota, cujusmodi sunt contritionis intensæ certi gradus; ergo sine sufficiente ratione exiguntur.

Prob. II. S. Scriptura et Patres caritati tribuunt vim justificandi peccatores, quin ullum intensionis gradum adjiciant; ut liquet tum ex testimoniis supra adductis, tum Eccli. 3. v. 4. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis suis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur.*

Leo M. epist. 91. ad Theodorum episc. (al. 108. c. 4.) *Misericordiæ Dei*, inquit, *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera conversio.* S. Joan. Chrysostomus L. 1. n. 6. (opp. t. 1. p. 8. A.) ad Theodorum lapsum. *Brevem pœnitentiam et ad modicum exhibitam non abnuit, sed magnam ei mercedem tribuit*; et ibid. D. *Non ex temporis longitudine, sed ex animi affectu pœnitentia æstimatur.* S. Augustinus tract. 9. in Joan. n. 8. *Caritatem*, inquit, *cum habere cœperit* (homo), *Spiritum sanctum habebit.* Et tract. 5. in epist. Joan. n. 5. ait : *Non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi caritate. Qui habent caritatem, nati sunt ex Deo; qui non habent, non sunt nati ex Deo.*

Concilium etiam Tridentinum dum Sess. 14. cap. 4. ait, *contritionem caritate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu suscipiatur*, discrimen utriusque contritionis non ab intensione diversa actuum, sed a solis amborum motivis commonstrat.

Prob. III. Caritas habitualis, utcumque remissa, excludit peccatum mortale; ergo etiam caritas actualis. *Consequentia patet ex eo, quod minima caritas plus diligat Deum, quam cupiditas millia auri et argenti*, ut inquit S. Thomas 3. p. q. 70. a. 4. Sicut enim quæcumque aversio a Deo ut fine ultimo, et conversio ad creaturam, etiam in gradu remisso, sufficit ad peccatum mortale et ad jacturam gratiæ sanctificantis; ita et quilibet actus dilectionis Dei super omnia peccatum destruit, cui non ratione intensionis opponitur, sed ex natura sua.

Quapropter Pius V. et Gregorius XIII. merito damnarunt Baii propositiones 31. 32. 66. et 68., queis doctor hic Lovaniensis statuit, quod caritas perfecta et sincera, caritas vera, contritio cum caritate perfecta possint extra casum necessitatis aut martyrii sine susceptione sacramenti esse absque remissione criminis. Atqui per caritatem perfectam Baius non intellexit intensam caritatem, sed eam solum qua Deus propter se super omnia diligitur, hoc est, caritatem veram : neque enim negabat, caritatem intensam justificare

extra casum necessitatis et susceptionem sacramenti. Ergo juxta mentem Pontificum, caritas etiam minus intensa, modo vera adhuc, ad justificationem sufficit.

44. *Obj. I.* Peccatum super omnia mala detestari est illud cum malis cæteris conferre : atqui hoc foret admodum periculosum, et dissuadendum infirmioribus; eo quod objectis præsentibus et corporeis facile moveamur; ergo non quælibet contritio perfecta detestatur peccatum super omnia mala.

R. *D. M.* Peccatum super omnia mala detestari est illud conferre semper explicite et formaliter, expendendo mala cætera singillatim, aut omnia confuse, et ea præ peccato eligendo *N.* est illud conferre saltem implicite et virtualiter cum malis cæteris *C.* Utique formalis comparatio est dissuadenda, ne malorum præsentium imaginatione viva nimium obversante terreantur imbecilli, et ad illa fugienda peccare malint. Quando autem detestamur peccatum ut summum malum, virtualis ad minimum instituitur comparatio; neque enim voluntas detestari potest peccatum tanquam malum gravissimum, quin illud saltem obiter et implicite comparet cum malis cæteris, quæ peccati intuitu minus atrocia et enormia esse videntur. Modus vero ita detestandi ex perfectæ caritatis motivo habetur : sicut enim ex hoc Deus ut summum bonum, et consequenter super omnia amatur : ita ex eodem peccatum ut summum malum, utpote summo illi bono unice contrarium, aversamur; ac vi hujus quidem actus voluntas ita disposita manet, ut malit quodvis malum ante pati, quam lethali culpa Deum offendere. Porro quamvis peccator ex animi perversitate bona præsentia et sensibilia quandoque virtualiter præferat omnibus bonis reliquis, ac ipsi quoque Deo, idque ob rationem valde vilem; depravatio isthæc nihil sententiæ nostræ detrahit, sed eam confirmat amplius : inde enim palam fit, Deum amari nunquam posse ex præstantissimo puræ caritatis motivo, quin virtualiter bonis omnibus anteferatur.

Inst. 1. Contritio non potest peccatum detestari super omne malum Deo intrinsecum, quale esset perfectionis cujusdam divinæ destructio; ergo non potest detestari peccatum super omne malum.

R. *N. supp.* Quod possit malum Deo intrinsecum dari, et comparatio de eo fieri : contritio ergo, cum sit actus proæreseos, non fertur, nisi in objecta possibilia.

Inst. 2. Si per contritionem perfectam detestamur peccatum super omne malum; ergo is, quem gravioris peccati pœnitet, ita est affectus, ut malit peccata leviora committere, quod perquam absurde dicitur, cum nullum peccatum sanæ electionis objectum sit.

R. *N. Illat.* Pœnitens ex amore puro Dei detestatur peccatum secundum se super omnia physica mala, et super omnes pœnas sensus et damni, et comparatione saltem virtuali fertur in illa actu etiam prosecutivo eadem præ peccato eligendo, ac dicendo : malim omnia ista potius subire, quam peccando Deum offendere. E contra cum peccata prudenter appeti nequeant, in eorum nullum fertur actu prosecutivo, minus grave præ graviori eligendo; sed tantum actu aversante magis abhorret graviora, quam minus gravia, cum peccata inter se mutuo comparantur : eo quod illa sint majus Dei dilecti malum.

45. *Obj. II.* Peccator summe offendit Deum; ergo, cum contritio sit dispositio proxima ad gratiam, summa illius intensio requiritur.

R. *D. Ant.* Peccator Deum summe offendit, considerata dignitate personæ offensæ *C.* semper cum summo intensionis conatu *N.* Et quamvis hoc fecisset, tamen in dispositione ad gratiam similis intensio detestationis non exigeretur : nam cum minima gratia ad remissionem cujuscumque culpæ sufficiat, sufficiens quoque et proportionata gratiæ dispositio est dolor secundum substantiam et essentiam summus, seu ex puræ caritatis motivo conceptus; et consequenter erit etiam contritio ista culpæ proportionata.

Inst. 1. Pœnitens non potest Deo pro peccatis condignum reddere; ergo merito ab ipso exigitur quantum potest ex toto conatu sibi possibili.

R. *D. Cons.* Exigitur quantum potest quoad dolorem ex sua substantia perfectissimum *C.* quantum potest quoad doloris ejusdem intensionem *N.* Intensio hæc summa accidentaria est : nec expediebat salutis viam adeo difficilem reddi.

Inst. 2. Ignis licet in minimo gradu essentialiter perfectus, impar tamen est expellendo frigori; ergo etiam caritas non opponitur peccato, nec illud destruit ratione suæ essentiæ, sed ratione gradus duntaxat.

R. *N. Cons.* Actio physica calefaciendi et comburendi fit successive applicando activa passivis : actio vero spiritualis caritatis et virtutum supernaturalium non est successiva, sed instantanea ac indivisibilis.

Inst. 3. Quod movet ad appretiationem, movet quoque ad intensionem actus; ergo contritio non potest esse summa appretiative, et remissa intensive; nam intensio doloris in voluntate sequitur magnitudinem doloris ex objecti æstimatione.

R. *N. Ant.* Appretiatio oritur ex dignitate et præstantia objecti : intensio vero actus ex magna et vehementi applicatione facultatis ab objectum. Dictum autem est supra, vehementius appetitum nostrum moveri ab objectis sensibilibus, quæ nihilominus ob suam vilitatem honestis et præstantioribus objectis postponimus. Exemplum præbent nobis matres, quæ vehementiore amore feruntur in filios parvulos, licet conservationem vitæ filiorum ætate grandiorum præferant.

46. *Obj. III.* S. Scriptura et Patres requirunt, ut magno conatu enitamur ad contritionem peccatis proportionatam : probant id testimonia art. 1. recitata. Et Michææ 4. v. 10. *Dole et satage quasi parturiens.* Apoc. 3. v. 16. reprehenduntur tepidi : hi autem sunt qui remisse operantur. S. Cyprianus tract. de lapsis, ad finem (opp. p. 178. edit. Parisina. 1666.) *Quam magna,* inquit, *deliquimus; tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit : pœnitentia crimine minor non sit.* S. Cæsarius Arelatensis homil. 1. *hæc,* inquit, *principalia mala ingenti rugitu et gemitu, et fonte indigent lacrymorum,* etc. In eumdem modum scribunt S. Ambrosius ad Virginem lapsam c. 8., et L. 2. de pœnit. c. 10, S. August. serm. 34. c. 12., S. Gregorius L. 4. Moral. c. 17., aliique, quorum sententias coacervat Morinus. His accedit, quod Catechismus Concilii Tridentini part. 2. de Pœnit. n. 46. *ut doloris,* inquit, *acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit.* Et S. Thomas in 4. d. 17. q. 2. a. 7. quæstiunc. 3. ait, dolo-

rem voluntatis adeo remissum esse posse, ut non sufficiat ad contritionem; ergo.

R. *N. Cons.* 1°. S. Scriptura et Patres frequenter nos docent, quid fieri deceat : optanda nimirum est et optima contritionis quoad gradus intensa magnitudo; eaque laudatur in regibus Davide et Manasse, uti in B. Petro aliisque pœnitentibus. Nam cum Deus sit summe bonus ac diligendus, peccatum vero maxime detestabile, timeri nullus excessus debet aut in amore Dei, aut in odio peccati.

2°. Eadem S. Scriptura, Patres et Catechismus laudatus indicant, qua ratione peccatum summe appretiative detestari debeamus : ad hoc enim sæpe magnus conatus requiritur, ut inclinetur voluntas ad detestandum peccatum, cujus amore tantopere prius exarserat.

3°. Idem Catechismus, Scriptura, et Patres loquuntur ut plurimum de remissione peccati quoad reatum : nam pœna temporalis post culpam condonatam residua non remittitur, nisi in hac vita numero et gravitati peccatorum satisfactio adæquetur. Quanquam quæ B. Cyprianus modo recitatus scribit, pœnitentiam solemnem, quæ in Ecclesia fieri solebat, concernunt : graviter enim ibidem reprehendit illos, qui crimina sine delectu æqualiter puniebant.

4°. Liber ille ad Virginem lapsam non videtur S. Ambrosii, nam cap. illo 8. ad finem (opp. p. 315. C. D.) : *inhære*, inquit, *pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die posse veniam dari : quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die judicii exspectare remedium.* Quæ quidem sententia Novatianum errorem continet, contra quem disputat S. Ambrosius duobus libris de Pœnitentia. Vide Bellarminum de Script. Eccles.

5°. In Apocalypsi non vocatur tepidus, qui remisse operatur, sed qui mala opera bonis admiscet; ac præsertim qui cum fidem habeat, caritate caret, ut declaravit S. Thomas q. 3. de malo a. 13. ad 1.

6°. S. Thomas cum S. Bonaventura et aliis antiquis, tunc solum, ait, contritionem minus intensam non sufficere ad justificationem, cum destituitur intensione, ut ita dicam, essentiali, objectiva, seu, quod idem valet, appretiativa, quando non est verus et efficax Dei amor, nec inducit ad detestandum peccatum super omnia. Nam ibidem manifeste pro nobis ita concludit : *Quantumcumque sit parvus dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.*

Sed et B. Augustinus dum L. de Natura et Gratia c. 70. n. 84. ait : *Caritas inchoata, justitia est : caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est;* vult solum, quod qui incipit habere caritatem, incipiat etiam juste vivere; et crescente caritate, justitia vitæ augeatur. Idem enim Augustinus caritati simpliciter tali peccatorum remissionem tribuit, ut tract. 5. in epist. Joan. n. 2. *Per dilectionem*, inquit, *peccata solvuntur.* Et tract. 9. n. 9. *Anima nostra fœda est per iniquitatem; amando Deum pulchra efficitur.*

47. *Dico II.* Detestatio peccati ex motivo caritatis concepta, ut sit contritio perfecta, nulla eget certa temporis duratione.

Prob. I. In S. Scriptura Deus pœnitenti justitiam et peccati remissionem

promittit ratione conversionis suæ absque ulla mora temporis. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam*, etc. v. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua... ipse animam suam vivificabit.* Et c. 33. v. 12. *In quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*, etc. Perinde ac si diceret, *eodem momento.*

Ex eisdem Prophetæ locis argumentum petitur a contrario : *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis.* c. 18. v. 26. *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit.* c. 23. v. 12. Hoc est, consensus in peccatum mortale statim ac fit, est peccatum mortale, gratiam destruens ; ergo etiam actus contritionis statim ac fit, est vera et perfecta contritio seu ultima ad gratiam dispositio.

Isai. 30. v. 15. dicitur : *Cum ingemueris, tunc salvus eris.* Et quamvis Vulgata latina, proprius ad hebraicum textum accedens, habeat : *Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis ;* sanctus tamen Cyprianus epist. 8. et L. de lapsis circa finem, S. Chrysostomus orat. de S. Philogonio, aliique Patres Latini et Græci, priorem LXX. Interpretum lectionem tenentes, nullam veræ contritioni moram temporis statuunt, quo minus illico Dei gratiam obtineat, quemadmodum ex SS. Leonis et Chrysostomi testimoniis nuper intelleximus. Quibus accedunt Tertullianus L. de pœnit. c. 4., Hieronymus epist. 46. et 48., Pacianus epist. 3. ad Sympron., et Cælestinus Papa epist. ad Episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis paucis omnia complectens, *Vera*, inquit, *ad Deum conversio... mente potius est æstimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente : cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Ecce idem Isaiæ testimonium ex vetere Italica versione prolatum, et sensum eumdem reddens. Eum nostra Vulgata v. 19. manifeste confirmat his verbis : *Miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.*

In quam rem B. Augustinus Enchiridii c. 65. *In actione pœnitentiæ*, inquit, *non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris.*

Nec tantum apud Isaiam conditionate illa dicuntur : sed etiam Zachariæ 1. v. 3., Jeremiæ 15. v. 19., Apocalypsis 3. v. 20. absoluta fit promissio : *Convertimini, et convertar ;* ergo hæc duo inseparabiliter sunt conjuncta, quia veritas conditionalis postulat, ut posito antecedente, infallibiliter ponatur consequens : atqui homo convertitur, cum primum peccata per contritionem detestatur ; ergo.

Prob. II. Ratione. Actus pœnitentiæ, qui extra usum sacramenti, tanquam sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum, habet gratiam infallibiliter conjunctam, est vera contritio : atqui omnis actus, qui ex sua essentia et motivo est perfecta conversio ad Deum, et aversio a peccato, ejusque detestatio super omnia, habet infallibiliter et sine mora adjunctam gratiam et peccatorum remissionem, ut testimonia hactenus allata ostendunt ; ergo omnis talis actus continuo est vera contritio.

Conf. 1. Peccator lege naturali et positiva tenetur aliquando Deum super omnia diligere, et ex caritatis hujus motivo peccata sua detestari : at enim certam temporis moram in continuando, aut repetendo hoc actu præscriptam esse nullus docere potest.

Conf. 2. Actus fidei et spei supernaturalis sunt veri et perfecti actus virtutum theologicarum, licet non sint admodum intensi et vehementes,

aut prolixi, dummodo ex motivo sibi proprio concipiantur; ergo etiam actus caritatis ex motivo proprio conceptus, vere erit actus virtutis theologicæ; et detestatio peccati ex ejusdem motivo profecta, erit vera contritio, quin certa intensio, aut prolixitas ad pias hasce affectiones requiratur.

Conf. 3. Posset homo in fine vitæ detestari peccatum ex motivo caritatis perfectæ, quin ei supersit tanta mora temporis, quantum Scotus exigit, ut ille actus sit contritio; adeoque peccator in eum posset statum redigi, in quo per verum pœnitentiæ actum peccati remissionem consequi non posset: consequens autem hoc damnatur ut erroneum a Gennadio Massiliensi, in libro de Ecclesiast. dogmatib. c. 80. (Patrolog. t. 58. p. 998. D.). Idemque refert ex Concilio Moguntino cap. 2. Ivo in suo decreto, part. 15. c. 32.

48. *Obj.* Actus contritionis est dispositio ad gratiam: atqui dispositio debet antecedere formam; ergo contritio aliqua saltem temporis duratione eget.

R. *D. M.* Contritio est dispositio ad gratiam qualiscumque *N.* est dispositio ad gratiam perfecta et ultima *C.* Hujusmodi dispositio non antecedit formam tempore, sed natura.

Nec paulo magis probat alterum Scoti argumentum, quod contritio debeat perfici usque ad certam intensionem: nam præterquam quod nulla certa ad actum contritionis requiritur intensio; ut ex hactenus dictis palam fit: intensio ista si requireretur, posset in instanti perfici in actu immanente, ut in qualibet forma, quæ sine resistentia contrarii producitur. Ex his quæ hucusque disputavimus

49. *Colliges* 1°. Contritione nos magis detestari peccata graviora quam leviora: in peccatis enim gravioribus magis apparet ratio motiva, puta malum Dei; unde majus odium et dolorem ac detestationem in nobis excitant.

2°. Propria item peccata magis detestamur, quam aliena: nam quia cuivis homini speciatim injunctum sit, Deum ex toto corde amare, amori huic peccata propria vel maxime adversantur. Quam ob rem magis aversamur peccatum veniale a nobis commissum vel committendum, quam peccatum originale: per peccatum enim veniale homo actu proprio facit, ut Deo nonnihil displiceat, eique mali aliquid inferat; cum e contra originali peccato incurrat tantum et patiatur malum, nec se ipsum a Deo avertat, sed ipse voluntate aliena avertatur a Deo. Hinc etiam magis detestandum peccatum nostrum veniale actuale, quam mortale habituale: per hoc enim toleramus malum a Deo nobis illatum; cum e contra per illud novum Deo malum inferamus.

Nec refert, quod peccata aliena gravia sint majores Dei offensæ, quam nostra levia: ordinata enim erga Deum caritas præcipit, ut, antequam de aliis cogitemus, ipsi prius maximum illud præceptum implere satagamus; præsertim negativum, magis absolutum a tempore, loco, aliisque circumstantiis, ut ne quid adversus Deum committamus. Quapropter licet S. Thomas recte probet, B. Virginem Mariam in utero matris sanctificatam fuisse, quia majus est privilegium, immunem a peccato originali esse, quam a peccato veniali: ob hoc tamen privilegium non oportebat ut eadem B. Virgo minus

detestaretur, voluntate propria vel tantisper averti a Deo per peccatum veniale, quam aliena voluntate per originale peccatum, quod nobis tantum est proprium moraliter : caritas enim non tam commoda propria, quam Dei bonum intendit.

3°. In contritione excedi dupliciter potest, sed tantum per accidens. Ac primo quidem quando quis falso sibi persuadet, peccatum tam grande malum esse, ut ejus remissionem obtinere nequeat. Hunc nimium dolorem antevertit Apostolus 2. Cor. 2. v. 7. scribens : *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est.* Quanquam actus ex errore illo profectus pœnitentia proprie dici non possit.

Altero modo exceditur, si ex nimio voluntatis conatu valetudo graviter lædatur. Ubi Richardo, in 4. d. 17. a. 1. q. 8. dicenti, non teneri pœnitentem ad capitis contentionem remittendam, si noxia prævisa non fuerit, assentiri non possumus. Sufficit enim damnum prævisum fuisse : quia præcepto naturali tenemur ita moderari nostro fervori, ut ne quid gravioris detrimenti salus corporis patiatur ; maxime quando id ad animæ salutem opus non est, ut in casu præsenti accidit. Atque ideo sapienter Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Corinth., et ad naturam et ad conditionem peccatorum pœnitentiæ labores monet esse temperandos.

ARTICULUS III.

AN AD CONTRITIONEM PERFECTAM STATIM REMITTANTUR PECCATA?

Nota I. Lutherus tradidit, neminem per contritionem Deo reconciliari, sive ante sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, sive in ipso sacramento Pœnitentiæ : nam in assertione articuli 6. ex sermone de Pœnitentia, *ego*, inquit, *peccatum assero, quidquid ante gratiam fit in homine, tantum abest, ut præparet ad gratiam.* Ait autem, contritionem esse effectum justificationis, quæ prius habita sit per fidem, qua certo sibi persuadet, remissa sibi per Christum esse peccata.

Nota II. Ex Catholicis vero Theologis Baius, Jansenius, Estius, Gaspar Juenin, aliique Novatores appellant caritatem imperfectam, si quis actu remisso Deum propter se ac super omnia diligat, neque putant contritionem ex caritate hac imperfecta conceptam sufficere ad remissionem peccatorum ante susceptum Pœnitentiæ aut Baptismi sacramentum, nisi in casu necessitatis : sed opus esse contritione perfecta, hoc est, ea quæ ex caritate Dei admodum intensa proficiscatur.

50. *Dico.* Qualiscumque contritio, quæ propter Deum super omnia dilectum concipitur, continuo justificat pœnitentes, etiam ante usum sacramenti. Hæc est communis sententia Doctorum Catholicorum, qui contrariam opinionem gravissimis censuris proscribunt.

Prob. S. Scriptura simpliciter promittit gratiam Dei, et justificationem puræ caritati Dei, et peccatoribus vere ad Deum ex toto corde conversis, ut constat ex testimoniis art. proxime præcedente adductis : atqui contritio quævis propter Deum super omnia propter se delictum, est pura Dei caritas

et vera conversio ad Deum ex toto corde, sive intensa sive remissa fuerit; ergo illico ante usum sacramenti justificat.

Conf. 1. In vetere Testamento contritioni ex pura Dei caritate profecta veniam et gratiam continuo concedendam Deus pollicitus est, atque etiam impendit; ut Scriptura et Patres nuper recitati docent : quibus accedit S. Fulgentius, qui L. 1. de Remissione peccat. c. 12. (Patrol. t. 65. 369. B.) *Quia*, inquit, *ingemuit David, ex toto corde conversus, continuo salvus est factus, atque ita in eo completum est quod per prophetam præcipitur : si conversus fueris et ingemueris, salvus eris.* Cur ergo non idem accidat in lege Evangelica, ubi largior Dei gratia ex fontibus Salvatoris manat? Id quod exemplum latronis pœnitentis declarat, qui eodem temporis momento veniam peccatorum a Christo impetravit, quo ad eum se convertit Luc. 23. v. 44.

Conf. 2. Ex damnatione propositionum Baianarum supra memorata. Ubi adversarii gratis causantur, tres primas proscribi intellectas de caritate habituali : quartam autem, quia videtur significare, nullam contritionem extra casum sacramenti aut necessitatis justificare; nam propositiones illæ damnantur in sensu a Baio intento, hoc est, in ejus scriptis expresso, in quibus manifeste agit de caritate actuali; et propositione 31. ait : *Caritas, quæ ex corde puro est*; habitus autem non est ex corde, sed in corde.

His accedit judicium S. Facultatis Parisiensis, quæ ab Episcopis Belgii commotis hac doctrinæ novitate consulta, an. 1560. 7. Junii plures propositiones censura confixit, inter quas hæc erat decima. *Homo existens in peccato mortali, potest habere veram caritatem; et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. Hæc propositio*, ait censura, *est hæretica.* Undecima vero hujus tenoris : *Per contritionem, non adhibito realiter sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ, non dimittitur peccatum extra casum martyrii aut necessitatis*, hac censura notatur : *Quæ propositio est hæretica et schismatica.*

51. *Obj. I.* Si contritio ante susceptionem sacramenti statim justificet; ergo gratis ait Christus, Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo frustra Patres dicunt, quod sententia Petri præcedat sententiam cœli; ergo injuste damnarunt Pius V. et Gregorius XIII. dicentes, non justificari pœnitentem ministerio sacerdotum : et Augustinus epist. 180. (al. 228.) ad Honorat. falso docet, ministerium sacerdotum esse ad salutem necessarium : perire eos, qui de hoc seculo exeunt vel non regenerati, vel ligati : et dum tract. 13. in Joan. n. 7. ait : *quantumcumque catechumenus proficiat*, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, non illi dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum. Id quod etiam habet Ambrosius L. de iis qui initiantur, c. 4. n. 19. (al. de mysteriis. p. 330. B.).

R. 1°. Sequelas istas omnes etiam recidere in sententiam adversariorum, qui putant, caritate valde intensa remitti peccata extra sacramentorum usum, aut casum martyrii, vel necessitatis.

R. 2°. *N. has seqq.* Vere a sacerdotibus absolvuntur, aut baptismi sacramento expiantur, qui tantum attriti ad sacramenta ista accedunt. Quare necessarium est sacerdotum ministerium, et qui decedunt non regenerati, aut etiamnum ligati pereunt, ob culpabilem horum mysteriorum negle-

ctum. Quare etiam Petri sententia præit sententiam cœli : ideo enim Deus absolvit, quia minister absolvit, et non vicissim.

R. 3°. *D. easd. seqq.* Si contritio ante sacramentum justificet absolute ac citra votum et onus suscipiendi sacramenta, sequuntur hæc absurda *Transeat*, ob modo dicta. Si justificet conditionate, cum voluntate suscipiendi hæc sacramenta, etc. *N.* Nimirum contritus justificatur quatenus adjunctum habet votum, saltem implicitum, sacramenti. Quod si deinde data occasione, votum istud explere culpabiliter neglexerit, ob novam culpam peribit, etsi regeneratus. Dixi *culpabiliter*; nam sacerdos non habet facultatem negandi pro sua libidine solutionem aut regenerationem postulantibus. Quod si contrito id officii negaret, non ideo ille peribit; sed sua caritate et pœnitentia regenerabitur, aut solvetur.

Inst. Falsum fuisset Christi effatum cum tempore præsente prolatum, cum Luc. 7. v. 47. ait : *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, si ipsa dilectio jam antea mulieris peccata absterserat.

R. *N. Illat.* Alias postea eidem mulieri v. 48. falso dixisset : *Remittuntur tibi peccata.* Habuit ergo se illa Christi enuntiatio sicut declaratio illa Marc. 5. v. 34. mulieris jam prius sanatæ facta : *Esto sana a plaga tua.* Vere enim exprimuntur tempore præsenti, quæ paulo ante gerebantur, eo quod moraliter adhuc præsentia censeantur. Sed et Christus publica illa testificatione quasi ratam voluit esse sententiam priorem, afflictamque mulierem solari, et docere præsentes perfectæ pœnitentiæ pretium. Qua ratione explicantur, quæ de eadem muliere scripserunt B. Augustinus et Patres alii : *Accessit immunda*, scilicet ante dilectionem, *ut rediret munda*, post pœnitentiam et dilectionem. Ubi caritas remissionem peccatorum non præit tempore, sed natura, sicut quælibet ultima dispositio, quæ cum forma simul tempore existit.

52. *Obj. II.* Saulus per pœnitentiam jam perfecte erat conversus ad Deum, et impositione manuum Ananiæ acceperat Spiritum sanctum Act. 9. v. 5. 6. 9. 11. 17. ei tamen Ananias ait : *Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua*. Act. 22. v. 16. Cornelius item et ejus amici, licet Spiritus sanctus super eos ceciderit, jussi sunt a B. Petro baptizari; ergo hisce non remittebantur peccata, nisi per sacramentum baptismi.

R. *N. Cons.* Ananias Paulum ad baptismum hortabatur, tum quod internam ejus dispositionem ignoraret; tum quod sciret, ipsum non fuisse justificatum, nisi cum obligatione suscipiendi baptismum. Caritas enim, qua contritio perficitur, mandatorum divinorum observationem urget, adeoque votum sacramentorum præceptorum comprehendit, ut ex Sess. 14. cap. 4. Concilii Tridentini novimus. Neque sacramentum baptismi Saulo et Cornelio erat supervacaneum : nam et gratiam prius acceptam adauxit, et tanquam symbolum externum ambos Ecclesiæ Christi et fidelium cæterorum cœtui inseruit. Quam ob causam B. Augustinus L. 4. de Baptismo contra Donat. c. 21. n. 28. *Ne secura*, inquit, *esset justitia cathecumeni, dictum est : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Rursus ne percepto baptismo secura esset iniquitas baptizatorum, dictum est : Nisi abundaverit justitia vestra*, etc.

Inst. 1. Idem S. Augustinus L. 1. de diversis qq. ad Simplicianum q. 2.

n. 2. scribit, in Cornelio veram fuisse caritatem, nec tamen illum justificatum fuisse antequam baptismum susceperat. Quod etiam ibidem de catechumenis asserit, uti et tract. 4. et 13. in Joan. et L. 4. de Bapt. contra Donat. c. 21. ergo.

R. *N. Ant.* S. Doctor ait illos sine baptismo non assecuturos salutem, non quod per pœnitentiam peccata non fuerint ipsis remissa, sed quod baptismum divinitus præceptum neglexerint : Siquidem *non solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam,* inquit cad. q. 2. De Cornelio quidem L. 4. de baptismo contra Donat. c. 21. n. 28. *Si,* inquit, *Cornelius etiam Spiritu sancto jam accepto, baptizari noluisset, contempti tanti sacramenti reus fieret.* Et c. 25. n. 32. de catechumenis universim : *Neque enim,* inquit, *ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur.* Cæterum perquam probabile est, veterum quosdam, inter quos S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in S. Bapt., Gennadius L. de dogmat. Eccl., S. Fulgentius epist. 12. ad Ferrandum diaconum, tam austeros baptismi propugnatores fuisse, ut ejus vices ne in necessitate quidem per pœnitentiam caritate perfectam suppleri posse contenderent.

Inst. 2. Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 7. prohibet peccatores absque sacramento Pœnitentiæ ad Eucharistiam accedere, quantumvis sibi contriti videantur. Et Sess. 6. c. 6. inter dispositiones eorum, qui ad Baptismum, et consequenter etiam ad Pœnitentiæ sacramentum accedunt, exigit, ut Deum *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.* Ergo ex mente Concilii contritio non videtur ante horum sacramentorum usum justificare.

R. *N. Cons.* 1°. Ad sacram synaxin accessuris, aut etiam sacerdotibus sacrificaturis, si peccati conscii fuerint, præcipit Concilium, ut se sacra confessione ante probent, ob sacramenti Eucharistiæ reverentiam; cum nemo de sua contritione certus sit, et facilior ad justificationem via sit per Pœnitentiæ sacramentum. 2°. Inter dispositiones ad Baptismi gratiam, Sess. 6., recenset tantum caritatem inchoatam, ut verba Concilii indicant : nam Sess. 14. c. 4. eadem Synodus docet, *contritionem caritate perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum recipiatur.*

Inst. 3. Dum intellectus scientia perfectus dicitur, non intelligitur scientia qualiscumque, sed excellens; ergo Concilium Tridentinum commendans contritionem caritate perfectam, valde intensam prædicat.

R. *N. Cons.* Concilium ideo contritionem dicit perfectam caritate, quia caritatis puræ motivum perfectius est motivis omnibus virtutum reliquarum, ex quibus attritio concipitur, ut ex eodem cap. 4. Sess. 14. legere est.

Quæstio alia adhuc moveri solet. *Utrum per pœnitentiam peccatum unum sine alio remitti possit?* Repugnare hoc docet S. Thomas q. 86. a. 3. tam ex parte actus pœnitentiæ, quam ex parte gratiæ. Et contritionis quidem actus, cum ex universali suo motivo peccata omnia detestetur, necessario expellet omnia, si vel ab unico abhorruerit. Ex parte vero altera constat, nullum peccatum remitti sine regeneratione et renovatione per gratiam, ac sine nova admissione pœnitentis ad jus hæreditatis et gloriæ æternæ capiendæ : at gratia, qua renovamur, et in filios atque hæredes regeneramur, ex æquo peccatis omnibus adversatur; igitur omnia simul eliminat, secundum illud Apostoli Rom. 8. v. 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

ARTICULUS IV.

QUOMODO CONTRITIO PECCATUM EXPELLAT?

53. *Nota I.* Forma vetus expelli formaliter dicitur a forma nova, eo quod hæc cum illa componi in eodem subjecto nequeat : causa autem formam novam producens, aut in subjectum induceus, dicitur efficienter expellere formam veterem. Ita calor superveniens subjecto frigido, frigus expellit formaliter; ignis vero efficiens causa caloris, idem frigus efficienter expellere dicitur.

Nota II. Gabriel Vasquez et nonnulli alii tradunt, contritionem, licet sola non sit sufficiens seu tota formalis causa remissionis peccati, esse tamen partialem, quia ex illa et habituali gratia consurgit integra et proportionata forma excludens peccatum. Opinionem istam laudant Sotus uterque, et Suaresio probabilis videtur : nihilominus ipse cum pluribus aliis contritionem vult esse dispositionem ad remissionem peccati, atque insuper ad genus causæ efficientis illam reducit, eo quod impetret gratiam incompossibilem cum peccato.

Nota III. E diverso Lutherus in assertione art. 12. ait, fidem justificare, etiamsi per impossibile homo non esset contritus. *Volo*, inquit, *eam, sed dico, non operari justificationem aut remissionem peccatorum : fides enim in verbum Dei justificat et purgat.* Eodem modo Calvinus L. 3. Inst. c. 4. §. 3. ait, remissionem peccatorum non fieri sine pœnitentia, sed hanc illius non esse causam. Huic errori consentiens Kemnitius 2. part. Examinis p. 960. ait : Catholici *impetrationem veniæ et reconciliationem cum Deo manifeste tribuunt actui seu operi contritionis nostræ : et quidem ante absolutionem... Quid vero aliud est hoc, quam reconciliationem cum Deo et remissionem peccatorum adimere Evangelio et fidei, imo gratuitæ misericordiæ Dei et merito Christi : et transferre illam in merita nostrorum operum?*

54. *Dico I.* Peccatum lethale non expellitur formaliter per contritionem.

Prob. I. Quod tantum disponit et præparat ad justificationem, eamque impetrat, non potest esse forma justificans : dispositiones enim ad formam nequeunt esse ipsa forma, et impetrare est officium causæ moraliter efficientis. Atqui contritio ad justificationem tantum disponit et præparat, eamque impetrat; ergo non est ejus forma ne partialis quidem. *Min.* liquet ex Concilio Tridentino Sess. 6.; postquam enim cap. 6. inter actus varios ad justificationem disponentes recensuisset etiam dilectionem Dei, cap. 7. ita prosequitur : *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur.* Et Sess. 14. cap. 4. *Fuit*, inquit, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus necessarius, et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum*, etc.

Deinde ex S. Scriptura novimus, justificationem et remissionem peccatorum promitti pœnitentiæ ex toto corde actæ; ergo pœnitentia ista est id, quo impetratur justificatio, et consequenter hac prior, et ab hac distincta.

Præterea contritio a S. Scriptura et Patribus dicitur actus hominis ad

Deum se convertentis; justificatio vero actus Dei convertentis se ad hominem : atqui hi duo actus diversi sunt.

Prob. II. A Concilio Trident. eadem Sess. 6. cap. 7. unica formalis causa justificationis dicitur esse gratia et caritas, quæ diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret ut forma permanens; ergo justificationis causa partialis nequit esse contritio, quæ nec diffunditur in corde, neque inhæret, est enim actus transiens.

Porro ibidem dicimur justitiam recipere in nobis secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem : atqui pro majore vel minore contritione, major etiam minorve obvenit nobis remissio et justificatio, ut Christus Luc. 7. v. 47. docet; ergo contritio est mera dispositio ad peccatorum remissionem et ad justificationem.

Conf. Cum in sacramentis ex opere operato justificantur parvuli, et adulti contritione imperfecta tantum dispositi, justificatio istorum est formalis effectus solius gratiæ sanctificantis; ergo idem habitus gratiæ solus erit forma justitiæ ex opere operato acceptæ. Quapropter etiam S. Thomas q. 86. et 1. 2. q. 113. et in 4. d. 17. ubi ex professo de hoc disputat, nunquam tribuit pœnitentiæ hanc causalitatem. Et q. 28. de Veritate, a. 8. excludit omnem aliam, præter dispositivam.

55. *Dico II.* Contritio non tantum est dispositio, sed etiam se habet ut causa moraliter efficiens remissionem peccatorum.

Prob. I. S. Scriptura pœnitenti et ejus pœnitentiæ peccatorum remissionem et justificationem adscribit tanquam effectum. Ezech. 18. v. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua... ipse animam suam vivificabit.* Et paulo inferius : *Convertimini et agite pœnitentiam... projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, et facite vobis cor novum.* Quæ quidem omnia actionem peccatoris indicant, qui, a Dei gratia excitatus et adjutus, se avertit, se convertit, agit pœnitentiam, facit sibi cor novum, animam suam ipse vivificat.

Jonæ 3. v. 10. *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est,* etc. Ubi conversioni Ninivitarum tanquam causæ tribuitur venia. De quibus S. Augustinus in Ps. 50. *Pœnitentiam,* inquit, *egerunt, et certam misericordiam meruerunt.* Et S. Gregorius L. 3. c. 4. in L. 1. Regum : *Pœnitentia omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt.*

Ps. 50. v. 19. dicitur *sacrificium Deo spiritus contribulatus* : sacrificio autem placatur Deus, et gratia impetratur, et ideo mox subjungitur : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.*

Dan. 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* Tob. 12. v. 9. *Eleemosyna a morte liberat, purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.* Ex persona autem Nabuchodonosoris, cui Daniel consilium illud dederat, et ex verbis Angeli intelligimus, hos effectus tribui eleemosynis peccatorum, in quantum sunt actus vere pœnitentium et contritorum. Quam rationem etiam reddit Christus Luc. 7. v. 47. insignem mulieri peccatorum veniam fieri prædicans, *quia dilexit multum.*

Prob. II. Explicantur ista testimoniis Patrum. Tertullianus L. 4. contra Marcionem (opp. p. 420. D. edit. Paris. 1675.) scribit, *Achab, reum idolo-*

latriæ et sanguinis, veniam meruisse, pœnitentiæ nomine. Et L. de pœnitent. (p. 127. A.) *Pœnitentia*, inquit, *Dominus mitigatur.* ORIGENES homil. 11. in cap. 20. Levit. (opp. t. 2. p. 248. D.) *Purgatio*, inquit, *peccati non per corporale supplicium constat, sed per pœnitentiam: quam utrum quis digne gerat, ut mereri pro ea veniam possit, videto.* A S. CYPRIANO L. de lapsis (ad finem), pœnitentia dicitur medicina peccati, per quam Deus placatur: *nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam.* Et de S. Petro S. BASILIUS serm. de pœnit. (opp. t. 2. p. 607. A.). *Flexerunt*, inquit, *lacrymæ eum, qui nostri misertus est.* S. AMBROSIUS L. 10. in Lucam, in illud Luc. 22. v. 61. (opp. t. 1. p. 1523. A.). *Dominus respexit Petrum*, etc. *Lacrymæ*, inquit, *veniam non postulant, et merentur.* Et L. 2. de Pœnit. c. 3. (opp. t. 2. p. 420. A.) *Tam cito*, inquit, *veniam meretur*, scilicet filius prodigus. Et præfat. in Ps. 37. (opp. t. 1. p. 815. B.) de Davide ait: *Solvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati.* S. HIERONYMUS L. 2. contra Pelagian. n. 11. *Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris.* S. JOAN. CHRYSOSTOMUS L. 2. de Compunctione cordis (opp. t 1. p. 141. A. B.), cordis compunctionem vocat ignem, *qui humanam omnem infirmitatem solet absumere.* S. AUGUSTINUS epist. 54. ad Macedonium (al. 153. c. 3. n. 6.). *Ut pœnitentia placare possint, quem peccando contempserant.* Igitur, cum abluere, purgare, Deum placare, mereri, pretium exhibere, efficientiam quamdam significent, contritio, ex Patrum doctrina, est quædam causa efficiens remissionem peccatorum.

Prob. III. Concilium TRIDENTINUM Sess. 6. cap. 6. actum pœnitentiæ inter dispositiones ad justificationem numerat: dispositio autem in tali casu non solum tenet se ex parte materiæ, sed etiam ex parte agentis seu pœnitentis; ergo idem pœnitens gratia Dei adjutus active concurrit ad justificationem.

Deinde idem Conc. TRIDENTINUM Sess. 14. c. 4. docet, contritionem omni tempore necessariam fuisse ad veniam impetrandam: quam doctrinam hausit ex S. Scriptura, ubi spiritus contribulatus sacrificio comparatur, peccata dicuntur redimi, purgari, extingui per pœnitentiam. Atqui hæc omnia vim quamdam causæ efficientis significant. Quapropter B. THOMAS q. 85. a. 2. ad 3. *Pœnitentia*, inquit, *expellit omne peccatum effective: in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia homine cooperante.* Et cum Magistro in 2. d. 27. q. 4. ad 4. docet, per contritionem nos peccatorum remissionem et justificationem de congruo mereri: quod idem dist. 28. S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel, et in 1. d. 41. a. 2. ad 5. Albertus M. et ex recentioribus Suarez disp. 8. sect. 3. n. 14. et quam plurimi alii tuentur; obnitente Capreolo in 2. d. 40. q. un. et Dom. Soto L. 2. de nat. et grat. c. 4. qui pœnitentiam, uti et actum fidei et dilectionis, volunt tantum esse dispositiones ad peccati remissionem et ad justitiam.

56. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* Juxta Synodum Tridentinam Sess. 6. cap. 7. justificatio est *sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum*; in illo autem verbo, *voluntariam*, actus contritionis includi videtur; ergo hic saltem ex parte est forma sanctificationis et renovationis.

R. *Explic.* Conc. Trid. Justificatio est sanctificatio per voluntariam

susceptionem gratiæ, ita ut voluntaria hæc susceptio indicet causalitatem formalem in actu *N.* ut significet dispositionem requisitam in adultis, quod nimirum suæ justificationi consentiant *C.* Doctrina ista Patrum cohæret cum iis, quæ cap. 5. dixerant : adultos ad sui conversionem divinitus excitatos et adjutos ; *ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponi ; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens,* etc. Et cap. 6. idem Concilium ait, disponi eos ad justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, *libere moventur in Deum,* credentes, timentes, sperantes, diligentes, pœnitentes, etc. ; quæ infra can. 4. repetuntur. Agit scilicet Concilium contra errorem Lutheri, qui in digressione libri, Operationes in Psalmos inscripti, *error,* inquit, *est, quod liberum arbitrium habeat aliquam activitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Tum addit : Velle illud, quod credere, sperare, diligere dixîmus... semper est passio. Ut in luto, quando forma ei affingitur, mera passio est.* Adducit autem testimonium Jerem. 18. v. 6. *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Calvinus item L. 2. Instit. c. 3. §. 7. et 11. et L. 3. §. 6. contra Pighium, et in Antidoto Sess. 6. Conc. Trident. et Kemnitius ad eamdem Sess. 6. aliique hæretici docent, voluntatem nostram in bonis operibus sic agi a Deo, ut non possit non agere, et quamvis ipsa producat actum, concurrere tamen tantum ut merum instrumentum Dei naturale, non vero ut causam liberam et dominam sui actus.

Inst. Concilium Trident. nomine dispositionis, Sess. 6. cap. 6. et alibi, intelligit tantum caritatem inchoatam et imperfectam, quæ in sacramento ad accipiendam gratiam disponit.

R. *N. Assertum.* Sess. 14. c. 4. dum ait, modum hunc contritionis quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse, procul dubio de contritione perfecta loquitur, ac statim subjungit, contritionem istam præparare ad remissionem peccatorum : igitur peccatorum remissio non est effectus formalis contritionis ; actus enim non impetrat effectum suum formalem, sed per sese confert illum.

57. *Obj. II.* Peccatum includit actum vel moralem habitudinem ad illum; ergo formalis causa expellens illud, debet actum oppositum, id est, actum pœnitentiæ includere.

R. *N. Cons.* In peccato habituali, ut diximus, est macula, offensa, injuria, reatus. Macula prout est privatio gratiæ, non nisi per formam istam realem tolli potest. Quia autem actus pœnitentiæ non est tam efficax ad reparandam injuriam satisfaciendo, sicut fuit peccatum ad offendendum Deum, propter dignitatem personæ offensæ; ideo necesse est, ut Deus offensam et injuriam gratis remittat ; ergo nihil in peccato habituali restat, quod per actum pœnitentiæ formaliter possit expelli.

Inst. 1. Dictum est supra num. 14. a malitia actus peccati duplicem in anima relinqui maculam, quarum prior sit privatio nitoris naturalis animæ, adhuc aversæ a Deo ob peccatum nondum retractatum. Atqui macula ista formaliter tollitur per contritionis actum : sicut enim albedo et nigredo sunt formæ repugnantes, ita aversio et conversio; per contritionem autem convertimur ad Deum; ergo non manemus ab eo aversi. Neque dici

potest, a contritione maculam hanc expelli dispositive : eadem enim forma non potest respectu sui esse dispositio ; ergo contritio saltem partialiter in genere causæ formalis concurrit ad remissionem peccati et ad justificationem.

R. *D. probat. Assumpt.* Conversio ad Deum per contritionem est forma aversioni repugnans prout hæc est actus et spectatur in ratione liberi *C.* repugnans aversioni prout hæc est proprie peccatum habituale, et resídua in peccatore macula, injuria, et offensa Dei *N.* et eodem modo distincta consecutione prima, alteram absolute nego. Remissio peccati non potest esse actus peccatoris offendentis. In macula enim peccati duo spectantur, alterum physicum, quod privatio gratiæ est ; alterum morale, seu respectus ad peccatum præteritum, quod moraliter permanet, donec remittatur : cujus remissionis tantum impetratio, exoratio, et qualecumque meritum est pœnitentiæ actus.

Inst. 2. Per amorem homo formaliter adæquatur primæ regulæ ; ergo per illum est formaliter justus et sanctus.

R. *D. Ant.* Adæquatur formaliter primæ regulæ adæquatione actuali et quoad actum præsentem *C.* adæquatione habituali, et quoad effectus ab actu præterito relictos *N.* Licet caritas formaliter tollat aversionem actualem, non tamen tollit aversionem habitualem, qua homo ob actum peccati præteriti caret habitu gratiæ et caritatis, Deoque invisus est. Nec enim amor quo homo in Deum fertur, est amor, quo Deus hominem vicissim complectitur, sed tantum ad hunc dispositio est et impetratio.

58. *Obj. cont.* 2am. *concl.* Si contritio efficit, et meretur justificationem; ergo non justificamur gratis, contra quod S. Paulus Rom. 3. v. 24. docet.

R. *D. seq.* Si contritio ex merito condigno efficit justificationem, non justificamur gratis *T.* si contritio efficit justificationem ex merito congruo, non justificamur gratis *N.* In peccato est macula, injuria, offensa. Macula est aversio a Deo, et privatio gratiæ : converti autem ad Deum non possumus sine præveniente et adjuvante Dei gratia. At licet cum gratiæ auxilio ad Deum convertamur, hæc tamen conversio pro injuria non satisfacit; igitur nec offensam tollit, nec infusionem gratiæ meretur. Sicut ergo maculæ prioris abstersio a Dei gratia pendet : ita et injuriæ remissio et condonatio offensæ ; neque enim effectus isti actui contritionis ex justitia debentur, eo quod hæc justificationem præcedat, quam meritum condignum et simpliciter tale demum subsequitur, ut scribit B. Augustinus in Psalm. 110. L. de fide et operib. c. 14. et alias. Hinc Tridentinum Sess. 6. cap. 8. tradit hominem justificari gratis : meritum enim ex justitia opponitur gratiæ, non autem meritum de congruo, quod non in justitia, sed in liberalitate fundatur.

ARTICULUS V.

QUOMODO PECCATA VENIALIA PER PŒNITENTIAM TOLLANTUR?

59. *Dico I.* Perfecta contritio sola ex opere operantis tollit omnia peccata venialia, ad quæ ex motivo suo saltem virtualiter extenditur.

Prob. 1a. *pars,* quæ est communis omnium. Si contritio perfecta tollit

omnia mortalia, ad quæ ex motivo suo virtualiter extenditur, quanto magis delebit venialia.

Prob. etiam 2ª. *pars,* quod peccata venialia extra usum sacramenti non tollantur contritione imperfecta, aut actibus virtutum aliarum. Si attritio ex se sufficit ad tollenda venialia; ergo hæc nunquam remittuntur per sacramenta pœnitentiæ, baptismi aut unctionis extremæ; quia horum usum dignum semper anteit attritio; ergo sacramentum pœnitentiæ ne secundario quidem institutum esset propter remissionem peccatorum venialium, cum hæc esset effectus, quem præsumit semper prius acquisitum: quod videtur repugnare Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. Deinde inutilis esset confessio venialium peccatorum: neque enim certior sum de veritate sacramenti, quam de conceptæ attritionis veritate sum certus. Præterea absurdum omnino videtur esse, quod a Deo medicina fuerit instituta, quæ supponit semper ante sui usum morbum jam sanatum.

Denique sicut attritio venialium opponitur peccatis venialibus, ita retractatio mortalium mortalibus; ergo si illa delet venialia, etiam hæc delebit mortalia. Sicut ergo attritioni de mortalibus, horum remissio non est promissa: ita neque attritioni de venialibus a S. Scriptura promissa ostendi potest remissio venialium. Ita Vasquez, Becanus et alii contra Suaresium, Lugonem et alios complures.

60. *Dico II.* Peccata venialia ex opere operato absterguntur non tantum a sacramentis Pœnitentiæ, Baptismi et Unctionis extremæ, sed etiam a quatuor reliquis, modo attritio aliqua non desit. Est sententia communis.

Partem primam omnino fide tenendam esse affirmat Vasquesius: in eum enim finem tria illa sacramenta instituta sunt, idemque effectus significatur per verba, *absolvo te, etc. baptizo te, etc. indulgeat tibi Deus, etc.*

Pars altera etiam probabilior esse videtur, quam cum S. Thoma q. 87. a. 3. in θ. passim amplectuntur Theologi. Certum enim est, quod hunc effectum habeat Eucharistiæ sacramentum, quippe quod a Tridentino Concilio Sess. 13. cap. 2. dicitur datum esse *tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis.* Ergo etiam tribui potest cæteris sacramentis vivorum, quæ, sublato obice, peccatum quoque mortale extinguunt; neque enim minore pollent virtute, tanquam actiones ipsius Christi, quam contritio, actio solius hominis gratiæ divinæ auxiliis excitati et adjuti.

61. *Obj. I. cont.* 1ªm. *concl.* Sicut unum est motivum fidei, ita et caritatis; ergo sicut unum credens articulum, cæteros omnes implicite credit ex motivo fidei; ita etiam detestans peccatum mortale ex motivo caritatis, ex eodem motivo necessario detestatur etiam venialia peccata; et consequenter remisso peccato mortali, remittuntur etiam semper omnia peccata venialia: quod videtur adversari iis, quæ supra num. 29. ad Inst. 4. diximus.

R. *N. paritatem Ant.* Fides non habet motivum, nisi unicam Dei loquentis auctoritatem: e contra licet caritatis motivum formale ultimum sit tota Dei infinita bonitas, quæ specie infima est unica, proximum tamen secundum rationem multiplex esse potest, videlicet perfectiones omnes, propter quas Deus amore dignus est, v. g. detestor peccatum mortale ex amore in Deum ut amicum, ut finem ultimum, etc.; quæ motiva ad peccatum veniale non

porriguntur, queis nec amicitia divina solvitur, nec homo a fine ultimo excidit. Quod si de peccatis dolcas, eo quod Deo summo bono displicueris per illa, etiam venialia dolore eodem comprehendis.

62. *Obj. II.* Si sola contritio perfecta delet ex opere operantis peccatum veniale, ergo plus ad hujus destructionem requiritur, quam ad expulsionem peccati mortalis : nam motivum contritionis, quod se ad venialia peccata extendit, perfectius est.

R. *D. Illat.* Plus requiritur ad veniale destruendum ex opere operantis *T.* ad illud destruendum simpliciter *N.* Contritio perfecta, qua peccatum veniale destruitur, non involvit votum illius sacramenti. Nec refert, quod contritio de venialibus perfectior sit ex suo motivo : nam et attritio de eis concepta perfectior ex motivo suo est, quam attritio, qua lethalia peccata detestamur. Nec adversatur nobis, quod Concilium Tridentinum Sess. 14. c. 5. doceat, peccatum veniale non sacramento solum Pœnitentiæ, sed multis adhuc aliis modis expiari posse : hoc enim contingit et per contritionem ex opere operantis, et per attritionem cuilibet sacramento vivorum adjunctam.

Inst. 1. Sicut voluntas peccati mortalis sufficienter per contritionem retractatur : ita voluntas venialis peccati retractatur per attritionem; ergo si sola contritio tollit mortale peccatum, sola attritio tollet veniale.

R. *N. Ant.* Voluntas ita mutanda est, ut restituatur in statum pristinum : cum ergo per veniale aliquo modo offendatur Deus, nisi tollatur offensa, non potest veniale tolli ; offensa autem contritione sola tollitur : nam attritione homo se non convertit ad Deum, sed ad pœnam vel ignominiam. Vide S. Thomam q. 87. a. 1. ad 2. ubi ostendit, ad delendum veniale peccatum non requiri actum formalem pœnitentiæ, requiri tamen virtualem quamdam peccati displicentiam per motum caritatis, qui continet virtualiter detestationem venialis, nimirum tunc, quando quis ita diligit Deum, ut si illi occurreret memoria peccati venialis, illud detestaretur ob Deum : talis enim actus constituit hominem contrarium peccato veniali. Quod si actus dilectionis esset tam insignis, quo quis statim detestaretur quodcumque veniale, si occurreret, deleret omnia simul.

Inst. 2. Opus bonum hominis justi magis Deo placet, quam peccatum veniale ejusdem displicuit; ergo si augmentum gratiæ Dei mereri potest, etiam remissionem peccati venialis obtinere poterit.

R. *C. Ant. D. Cons.* Potest etiam remissionem peccati venialis obtinere immediate et proxime *N.* mediate et remote *C.* Qui mereri potest finem, potest et media ad ipsum necessaria mereri, nisi quid aliud obstet, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 10. Justus autem potest de condigno mereri vitam æternam ; ergo etiam necessaria ad illam media, quorum unum est peccatorum venialium remissio : videlicet per attritionem vel alios virtutum actus meretur auxilium gratiæ, quo ad contritionem de venialibus excitetur.

63. *Obj. III. cont.* 2am. *concl.* Si quolibet sacramento dimittuntur omnia venialia, ergo inutile est confiteri venialia : nam si vel mortalia tantum confitearis, aut unum veniale, aut Eucharistiam suscipias, æque omnia venialia dimittuntur ac singula, ac si singula quæque confessus esses.

R. *N. Illat.* Si actus aliquis dilectionis perfectæ ita potest esse comparatus, ut aliqua tantum peccata venialia detestaretur, si occurrerent, non vero omnia, et consequenter non deleret omnia : quanto magis actus attritionis sacramento præmissus ad aliqua tantum peccata sese potest extendere! quo in casu sacramentum tantum illa remitteret peccata venialia, quæ per actum attritionis retractata fuerint. Deinde cum thesis quoad alteram partem adeo certa non sit, tutius agetur confessione singulorum. Ex dictis

64. *Collige* 1°. Merito S. Thomas vim remittendi peccata venialia non tantum contritioni, sed etiam ferventibus caritatis actibus tribuit q. 79. a. 4. ad 1. et q. 87. a. 1. ad 3.; nam licet peccata venialia caritati quoad habitum non repugnent, ei tamen adversantur secundum actus fervorem, qui peccatorum venialium detestationem virtute contineat.

2°. Tametsi peccata venialia nunquam deleantur sine infusa gratia, quam contritio, caritas aut sacramentum efficiat : formalem tamen suæ desitionis causam aliam non habent, quam Dei condonationem extrinsecam; eo quod non sint incompossibilia cum pœnitentia, caritate, sacramento, et habitu gratiæ sanctificantis. Ita S. Thomas q. 87. a. 2.

3°. Sacramentalia dicuntur actiones piæ, queis communiter adscribitur vis remittendi peccata venialia. Comprehenduntur hoc versu : *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens,* h. e. Oratio Dominica, Aqua benedicta, Panis benedictus, Confessio generalis, Eleemosyna, Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio. Quibus adhuc tria adduntur, scilicet Oratio in Ecclesia consecrata, Tunsio pectoris, et Unctio sacra ceremonialis : sed duo priora ad orationem, tertium ad tinctionem reduci possunt.

Horum signorum aliqua etsi Deus proxime instituit, aliqua Ecclesiæ pastores : Deus tamen voluit ipsis vim indere expellendi peccatum veniale ex opere operato; Ecclesia vero id non potuit. Ita S. Thomas hic art. 3. et in 4. d. 16. q. 2. a. 2. quæstiunc. 4. et d. 21. q. 2. a. 1. Alexander, S. Bonaventura, Durandus, Richardus et veteres, contra Franciscum de Victoria, Sotum utrumque, Canum L. 12. de locis cap. 23. ad 9., et recentiores quosdam, qui ceremoniis hisce effectum tribuunt ex opere operato ad modum sacramentorum, si non inveniant complacentiam contrariam, et homo vel pia actione, vel alio modo religiose illis utatur.

Remote tamen ad peccatorum venialium remissionem conducunt duplici de causa : nam imprimis si rite usurpentur, excitant in nobis pios motus pœnitentiæ vel reverentiæ in Deum et res sacras, queis nobis occasio præbetur de peccatis, ut par est, dolendi. Ita S. Thomas art. 3. citato nuper. Deinde ad eamdem exilium peccatorum veniam disponunt per modum impetrationis, non quidem proxime, sed prout juxta promissa divina, vel ad preces Ecclesiæ, ritus hosce adhibentibus gratiæ ad contritionem excitantes dispensantur.

Verum effectus isti non sunt adeo certi, partim defectu particularis promissionis divinæ, partim ex oscitantia utentium ceremoniis iis, partim etiam quod preces pro aliis fusæ non semper sint efficaces. Certius tamen signa illa et ritus movent ad pœnitentiam, quam piæ imagines, conciones, etc. quæ non ut Sacramentalia ab Ecclesia proponuntur.

4°. Culpas veniales residuas post hanc vitam justis remitti consentiunt

SS. Patres, ex illo 1. Cor. 3. v. 12. : qui peccata venialia, indicata per *ligna, fœnum, stipulam superædificat... ipse salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Ita S. Augustinus Enchirid. c. 69., et L. 21. de Civit. c. 26., et L. de Fide et operib. c. 15., et de vera et falsa Pœnit. c. 18. Et refertur dist. 25, can. penult. et in can. *Qualis;* refertur eadem sententia ex B. Gregorio L. 4. Dialog. c. 39. (opp. t. 3. p. 444. B.) qui eam colligit ex illo Matth. 12. v. 32. *Non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro* : nam inde infert, aliqua peccata remitti in futuro seculo : Non mortalia, inquit, sed venialia, quæ remittuntur in purgatorio. Quod necessario quoad culpam intelligitur : nam quoad pœnam dimissa culpa restantem, etiam mortalia ibidem remittuntur.

Absterguntur autem culpæ illæ veniales primo momento, quo anima corpore soluta est : tunc enim est omnino expedita ad cognoscendum optime statum suum, et ad cognoscendum perfecte et amandum Deum, et ad detestandum peccatum veniale; et cum habeat auxilium Dei efficacissimum, pro mensura suæ gratiæ sine mora perfectissime operatur. Ita S. Thomas q. 7. de Malo a. 11., Abulensis Matth. 25. q. 723., Richardus, Paludanus, Durandus, Major, Almainus dist. 21., Suaresius disp. 9. sect. 4. n. 13. contra S. Bonaventuram, Carthusianum, Dom. Sotum, et alios opinantes, id fieri toto tempore, quo durat pœna purgatorii. Neque horum opinio ex nuper laudatis Patrum testimoniis firmatur; nam a primo illo momento anima incipit purgari intrinsece a venialibus peccatis, ita ut vere dicantur remitti in purgatorio : præsertim quia plena remissio et quoad culpas et quoad pœnas non consummatur eo instanti, sed per purgatorium ignem.

ARTICULUS VI.

UTRUM MERITA PECCATO MORTIFICATA PER PŒNITENTIAM REVIVISCANT?

65. *Nota I.* Actio *effective mortua* seu *lethifera* est peccatum mortale, quia mortem animæ creat. Actiones *formaliter mortuæ* sunt actus virtutum supernaturalium in statu peccati lethalis exerciti, ac proinde nullum jus ad æternam gloriam tribuentes. Actiones *vivæ* dicuntur eædem actiones bonæ supernaturales, quæ in statu gratiæ fiunt, et jus ad gloriam auctori suo conferunt. Actiones istæ viventes, a peccato lethali superveniente dicuntur *mortificari*, et ita impediri ab effectu suo præstando, ut homini nullum jus ad gloriam tribuant, dum is in peccato perseverat.

De hisce operibus bonis disputatur, an peccato mortali omnino moriantur et usque adeo extinguantur, ut nunquam deinceps ad præmium supernaturale reviviscant; an vero tantum mortificentur peccato lethali, et quasi consopiantur, ita ut, resuscitata per pœnitentiam et justificationis gratiam anima, ipsa quoque priora opera reviviscant, et vim priorem exserant?

Nota II. Cum Catholici omnes unanimiter consentiant, merita peccato mortificata reviviscere, ut ostendit Suaresius in opusculis, Relectione 2., quoad modum tamen doctrinam istam explicandi, Scholastici Doctores multum inter se dissident. *Prima* opinio fert, pœnitenti ex meritis præce-

dentibus præmium duntaxat accidentale obventurum, gaudium videlicet de illis. Hujus sententiæ videtur fuisse S. Thomas q. 89. a. 5. ad 3. *Secunda* sententia putat, restitui quidem priora merita secundum præmium essentiale, non tamen proprium seu distinctum ab eo, quod debetur contritioni, qua homo a peccato resurgit; eo quod gratia non infundatur, nisi juxta dispositionem subjecti : subjectum autem per contritionem tantum disponitur ad tantam gratiam, quam per contritionem accipit; ergo hanc solam accipit, licet duplici titulo, nempe meritorum præcedentium, et contritionis præsentis. *Tertia* opinio asserit, merita mortificata reviviscere, etiam ad proprium præmium essentiale ac distinctum ab eo, quod contritioni præsenti respondet, proportionatum tamen præsenti dispositioni. Duæ priores opiniones sunt veterum Thomistarum; tertia est recentiorum, quibus accedit Gregorius de Valentia. *Quarta* sententia prioribus omnibus liberalior, affirmat merita mortificata cum toto præmio essentiali proprio per quamcumque contritionem perfectam, et actum amoris Dei reviviscere. Ita Scotus in 4. d. 22. q. 1. a. 2. Magister, Albertus, Richardus, Gabriel d. 15. Quibus accedunt Suaresius et plures alii.

66. *Dico I.* Opera bona peccato mortificata, denuo per pœnitentiam reviviscunt. Hæc sententia adeo certa est, ut contrarium vel sit erroneum, vel temerarium, imo multis videatur hæreticum.

Prob. I. Ezechiel 33. v. 12. ait Deus : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* Noceret autem plurimum, si opera bona omnino extingueret.

Cum Deus Joelis 2. Israelitas ad pœnitentiam hortatus fuisset, hunc pœnitentiæ fructum v. 25. ipsis proponit : *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca,* i. e. præteritarum actionum bonarum mercedem vobis restituam, ut exponit Hieronymus et Glossa in hunc locum.

Ad Galatas, c. 3. v. 4. scribit Apostolus : *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa :* ait nimirum Galatarum ærumnas, quas ante pro Christo pertulerant, non fore inanes et gratuitas, modo a Judaismo, in quem prolapsi erant, resipuerint. In quem locum S. Hieronymus (opp. t. 7. p. 421. C. edit. Vallarsi.) : *Simul et illa spes, quod quicumque ob fidem Christi laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat : sic rursus non perdit ea, si ad pristinam fidem, et ad antiquum studium revertatur.*

Eodem spectant adhortationes Apostoli ad Hebræos c. 6. v. 9. *Confidimus autem de vobis meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis.* Testimonium istud de resuscitandis operibus mortificatis intelligunt Ambrosius, Anselmus, Theophylactus, S. Thomas : imo ipsum Concil. Trident. Sess. 6. c. 16. non solum innocentes jubet verbis Apostoli 1. Cor. 15. v. 58. incitari : *Estote abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino*; sed etiam erigi pœnitentes ejusdem Apostoli sententia : *Non enim est injustus Deus.*

Prob. II. Idem Concilium l. c. et Can. 32. ad hoc ut opera nostra sint meritoria, et præmium suum re ipsa consequantur, tres conditiones requirit : 1. ut sint opera hominis justificati; 2. ut facta fuerint in Deo, i. e. per

auxilium divinæ gratiæ; 3. ut homo in gratiæ statu ex hac vita decedat. Atqui hæ conditiones omnes habentur, quando justus præstitis bonis operibus in peccatum lapsus, per pœnitentiam resurgit, et in Dei gratia decedit; ergo ejus opera priora manent meritoria, et præmium suum obtinent.

In quam sententiam B. Ambrosius L. 2. in Lucam num. 33. (opp. t. 1. p. 1292. C.) *Vide*, inquit, *quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Et Chrysostomus in dictum locum c. 3. ad Galatas (opp. t. 10. p. 697. C.) scribit, peccatorem prius suis actionibus bonis non frustra laborasse, si desistat a malo, et ad Deum per pœnitentiam revertatur. Eadem pluribus inculcat L. 2. ad Theodorum lapsum: et leguntur inter opera S. Augustini L. de vera et falsa pœnitentia c. 14.

67. *Obj. I.* Peccata priora per pœnitentiam et justificationem vere ita abolentur et extinguuntur, ut non reviviscant aut redeant per peccata subsequentia; ergo merita per peccatum subsequens etiam ita abolentur et extinguuntur.

R. *N. Cons.* Inter peccatum et bonum meritum non est par ratio. Nam 1°. bona opera Deo placent et perpetuo accepta ipsi manent, quia sunt dona Dei, ipsi præcipue tribuenda, quod ipso instigante et adjuvante fiant, qui pronior est ad miserendum, quam ad puniendum. Ita Scotus. 2°. Actiones bonæ vim habent a Christi meritis, quæ semper sunt grata et accepta coram Deo Patre: at Christi gratia plus valet, quam peccatum; ergo si peccatum mortificat merita, multo magis Christi meritum et gratia exsuscitabit merita mortificata. Hoc argumentum S. Bonaventuræ est. 3°. Ipsa Christi merita, exhibita quidem olim pro nobis, cum in peccato essemus, semper tamen in divina acceptatione manent, et quotidie effectum suum sortiuntur, quando a peccato resurgimus; ergo in eadem Dei acceptatione manebunt nostræ bonæ actiones in statu gratiæ factæ, et vim ac dignitatem suam omnem ex Christi meritis sortitæ. Quod exemplo baptismi declaratur, qui, licet cum obice sumptus, manet tamen in divino conspectu acceptus tanquam opus Christi, et obice remoto effectum suum obtinet.

Inst. 1. Principium supernaturalis vitæ caritas per peccatum deficit, ac interdum etiam fides; ergo merita bona simul cum caritate extinguuntur et emoriuntur, ac nihilo magis reviviscunt, quam opera bona formaliter mortua: a privatione enim non datur regressus ad habitum.

R. *N. Cons.* Licet principium supernaturalis vitæ caritas extinguatur peccato: quia tamen primitiva ac præcipua bonorum meritorum origo Christus, qui tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in opera pietatis influxit, perpetuo vivit; eadem bona opera manent in acceptatione divina, quousque potest homo ad gratiæ vitam resurgere, h. e. usque ad ultimum vitæ ejus momentum; quæ proinde, cum peccat, non annihilantur, nec emoriuntur, nec sunt opera mortua, sed melius dicuntur sopiri et mortificari. Habent enim se ad instar plantarum et arborum, quæ asperæ hiemis algore compressæ et coercitæ, ne folia, flores et fructus proferant; id postmodum præstabunt adspirante aura tepidiore, quam sponsa, Cant. 4. v. 16. invitat: *Veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius;* ut docet S. Augustinus in Ps. 125. (enarr. 125. n. 10.) Quapropter in hisce operibus

meritoriis non est vitæ privatio proprie, sed impedimentum, quo minus in actum secundum prodeant, quod amoto obice statim præstabunt. E contra actiones formaliter mortuæ id nunquam possunt, quod gratiæ vita nunquam vixerint.

Inst. 2. Deus Ezech. 18. v. 24. ait: *Si justus fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo merita priora non reviviscunt.

R. *N. Cons.* Loquitur Deus de eo qui non resipiscit; mox enim subjicit: *In prævaricatione et in peccato suo morietur.* Ex quo thesis nostra firmatur: nam ut talis se habet, ac si nunquam boni aliquid fecerit; ita ad frugem reversus se habet perinde atque si nunquam peccasset: ait enim Deus v. 22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

Inst. 3. Virginitas, teste Hieronymo, reparari non potest: quod idem dicendum de prima innocentia; ergo non omnia Dei dona per pœnitentiam reviviscunt.

R. *D. Ant.* Virginitas et innocentia recuperari non possunt, secundum substantiam, et secundum suum esse formale *N.* secundum esse suum materiale, quod ei ex obliquo accidit, reparari non possunt *C.* Formale virginitatis est propositum servandæ castimoniæ, et abstinendi ab omni oblectatione venerea: materiale vero est integritas corporis, expers omnis voluntariæ delectationis venereæ, qua pudoris integritas violetur. Gloria ista semel amissa recuperari nequit: fieri enim non potest, ut qui corruptionem talem admisit, corruptus non fuerit. Id quod etiam de innocentia dici debet, quæ peculiaris virtus non est, sed solum immunitas ab omni lethali peccato. Ex modo dictis de virginitate, liquet, quomodo Adamo pœnitenti justitia originalis tota fuerit reddita secundum rectum et entitatem, quæ est gratia sanctificans; non item quoad obliquum, seu quoad felicitatem illam, qua inferior appetitus superiori perfecte subjiciebatur.

68. *Obj. II.* Apostolus Hebr. 6. v. 10. loquitur tantum de operibus vivis hominum existentium in statu gratiæ, non vero de operibus mortificatis per peccatum; ergo ex illo Pauli testimonio non rite colligitur merita mortificata reviviscere. *Ant.* constat: hortatur enim Hebræos ad perfectionem, eosque deterret a peccatis, difficultate resurgendi proposita, si post tanta Dei beneficia laberentur; ergo loquitur ad eos qui nondum peccaverant, nam ait, *qui ministrastis et ministratis,* in tempore præsenti, in quo erant expertes peccati, ne ministrationes ipsorum sint opera mortua.

R. *N. Ant. Ad prob. D. Cons.* Loquitur ad aliquos, qui nondum peccaverant *C.* loquitur ad omnes qui nondum peccaverant *N.* Apostolus ad totam Hebræorum Ecclesiam scribit, atque eos quidem, qui post acceptam baptismi gratiam lapsi non erant, hortatur ad perfectionem et perseverantiam: lapsos vero in spem erigit, pollicitus, non solum fore, ut Deus præsentia justorum opera compenset, verum etiam memorem fore præteritorum, quæ ipsi aliquando fecerunt, atque remuneraturum, si per pœnitentiam a peccatis resurgant. Scripsisse vero Paulum ad Hebræos, qui post justificationem et multa bona opera rursus in peccatum lapsi sunt, patet ex dicto capite, in cujus initio insinuatur, ipsos, defectu sufficientis instructionis putasse, in lege Christi, ad instar ritus Mosaici, plura esse lavacra ad abluenda peccata;

unde remissiores in caritate facti facilius peccabant; ut Apostolus in progressu capitis compararet eos terræ producenti spinas et tribulos.

Inst. Quod merita mortificata reviviscant, misericordiæ divinæ est adscribendum : S. Paulus autem dicto c. 6. justitiam adducit; ergo tantum loquitur de operibus nondum mortificatis.

R, *D. Ant.* Effectus hic adscribendus est misericordiæ soli *N.* partim etiam justitiæ *C.* Solius misericordiæ effectus est, quod Deus peccatorem excitet ad pœnitendum, et quod pœnitentem justificet : item quod ad gloriam olim propter bona opera tribuendam non requirat continuam in statu gratiæ perseverantiam; poterat enim hoc exigere : sicut ad meritum in actu secundo opus est acceptatione divina ad hunc effectum, cum Deus aliis nominibus nostras actiones exigere possit. Positis autem hisce beneficiis merita habent eumdem effectum, quem habuissent, si mortificata non fuissent : atqui prius exigebant gratiam et gloriam ex justitia, quæ Deum inter et homines intercedit. Deinde si meritorum reviviscentia esset opus solius misericordiæ, non diceretur ab Apostolo Deus injustus fore, si præmium illis negaret : neque si operibus resuscitatis proportionatum præmium retribueret, hoc jam conferret propter ipsa merita, sed ex mero suo beneplacito; ergo revera non reviviscerent merita in ratione meriti.

69. *Dico II.* Merita mortificata reviviscunt ad totum præmium essentiale proprium, et consequenter ad totam gratiam sanctificantem et virtutes prius habitas : non vero ad accidentale tantum præmium, aut ad substantiale indistinctum realiter ab eo, quod debetur contritioni, qua homo a peccato resurgit.

Prob. I. Accidentale etiam ejusmodi gaudium percipiunt Beati de bonis operibus formaliter mortuis, h. e. in statu peccati exercitis : hisce enim sæpe de congruo acceperunt auxilia gratiæ conducentia ad resurgendum e statu lethalis peccati, et ad obtinendum finem suum ultimum. Atqui nemo dixerit, ejusmodi opera mortua reviviscere; ergo reviviscentia bonorum operum non satis explicatur per præmium illud accidentale ex ipsis percipiendum.

Prob. II. Opinio de reddendo tantum præmio realiter indistincto ab illo, quod actui perfectæ pœnitentiæ tribuitur, reviviscentiam meritorum tot argumentis operose stabilitam plane convellit ac subruit. Nam si nihil antiquæ gratiæ per merita priora comparatæ, re ipsa adjiciatur illi, quæ contritionis conatui respondet, nec majoris gloriæ gradum pœnitens intuitu veterum meritorum accipiat; tota reviviscentia meritorum in titulum sine re atque in denominationem extrinsecam desinit; dum gradus quatuor gratiæ et gloriæ novæ pœnitentiæ concessi, iidem omnino intuitu præcedentium meritorum conferuntur. Non ergo servabitur justitia distributiva præcipiens, ut habenti plura merita, pro ipsorum dignitate, gloria amplior, tanquam justitiæ corona rependatur : nocebit impietas impio iterum converso : non revertentur anni, quos comedit locusta et bruchus : obliviscetur operis boni Deus : revera *sine causa,* seu frustra, tanta passus est peccator pœnitens, quando adhuc justus multa, Dei gratia, tulit ac fecit; denique frigida nimium foret adhortatio, qua ex Tridentini jussu excitandi sunt peccatores resipiscentes ad strenuam bonorum operum exercitationem; fisi, se illis operibus, quæ in Deo facta sunt, divinæ legi pro hujus vitæ

statu satisfecisse, et vitam æternam olim, si in gratia decesserint, consequendam promeruisse.

Prob. III. Præmium essentiale proprium meritorum est certus ac determinatus gloriæ gradus, ad quem a Deo acceptantur sub conditione simplicis decessus in gratia; ergo quamdiu homo in gratia decedere potest, merita vim suam ad præmium essentiale proprium retinent, a peccato subsequente non imminutam; ergo peccato remisso, vis illa tota reviviscit, ac proin merita ad totum præmium essentiale proprium reviviscunt.

Cum vero gratia sanctificans proportionata huic præmio ordinarie sit inseparabilis ab eodem, tanquam causa ipsius; consectarium plane est, simul expergisci jus ad totam hanc gratiam, eamque una cum comitatu individuo virtutum extemplo restitui, ne promissiones divinæ nuper argumento recitatæ inanes esse videantur.

Hæc et alia argumenta evincunt etiam, redire gratias sine nostris meritis per sacramenta obtentas.

70. *Obj. I.* Merita mortificata reviviscere ad gaudium accidentale duntaxat, et ad solam gratiam fervori caritatis justificantis respondentem, quæ simul etiam detur intuitu meritorum præcedentium, adeo aperte a S. Thoma traditur q. 89. a. 5. ad 3., ut Suaresius ipse existimet, eum in partem alteram trahi non posse.

R. *N. Assert.* Sotus hanc Bannesii sententiam, ait, esse falsissimam, Ledesma erroneam: queis censuris præstantissimi Thomistarum illam non perstringerent, si sancti Thomæ esse judicassent. S. Thomas autem ibidem in conclusione et ad 1. aperte docet, opera bona per peccatum non aboleri, sed adhuc manere in acceptatione Dei; impediri tamen, ne sint efficacia ad perducendum hominem in vitam æternam: sublato tamen peccati impedimento per remissionem, recuperare efficaciam ad perducendum eum, qui illa fecit, in vitam æternam, Deumque implere illud, quod opera illa merebantur. Atqui opera bona non solum merebantur gaudium accidentale, sed præmium substantiale proprium, habebantque efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam per gratiam sanctificantem propriam, et in mensura gratiæ sanctificantis præmio illi determinato respondentem. Ergo juxta eamdem S. Thomæ doctrinam merita reviviscunt ad præmium essentiale, proprium et totale.

Quid Suaresius de mente S. Thomæ senserit, ipse commentario in dictum art. 5. ad 3. declarat his verbis: *Incredibile videtur, hoc sensisse D. Thomam, quia directe repugnat cum conclusione et ratione corporis articuli... Neque etiam verisimile est, per vitam æternam solum præmium accidentale intellexisse: neque efficacia meritorum alia est, quam consecutio præmii illis debiti. Præterquam quod doctrina illa in se valde falsa est, et parum consentanea doctrinæ ejusdem D. Thomæ in aliis locis. Et præsertim notandus est locus in quodl. 5. q. 12. a. 1.; dicit enim, aureolam semper præsupponere auream, et ideo qui non meretur auream, id est, præmium essentiale, non mereri aureolam, id est, præmium accidentale: quod intelligit non tantum respectu ejusdem subjecti, sed etiam respectu ejusdem operis: nam hinc concludit, eum, qui docet propter vanam gloriam, quia non meretur auream, neque aureolam mereri. Ex quo ulterius infert, quamvis postea illius peccati*

pœnitentiam agat, non recuperare aureolam : quia pœnitentia, inquit, restituit homini præmia prius habita, non tamen ea quæ non habuit, nisi in quantum motus ipse contritionis est meritorius. Pœnitentia ergo, ex mente D. Thomæ, restituit non tantum præmium accidentale, sed etiam essentiale, et, si hoc non restitueret, neque illud conferret : quia sicut a principio non potuit quis mereri aureolam sine aurea, ita nec postea potest vivificare meritum ad aureolam, si non potest ad auream : est enim eadem utriusque ratio, scilicet, quia aureola præsupponit auream, sicut comparativus positivum. Et paulo inferius : *Fateor,* inquit, *me non satis intelligere, quid D. Thomas in hac solutione sibi voluerit. Et libentius dicerem, non satis accurate hic respondisse, quam propter unum verbum, quod excidere solet in solutione unius argumenti, sententiam aliquam probabilem, et aliis principiis ejus repugnantem, illi imponere.* Hactenus Suaresius.

Inst. 1. Præmium a Principe pluribus nominibus collatum censetur majus esse, v. g. corona ob plures victorias imposita militi; ergo etiam majus præmium erit gratia et gloria collata ex meritis præcedentibus et præsente contritione.

R. *D. Ant.* Si sit præmium mere morale, cujusmodi sunt signa honorum *C.* si sit præmium reale, physicum *N.* Cum honor sit alienæ excellentiæ æstimatio, hujus autem æstimationis declaratio dicatur honorificatio, æstimationem illam unico signo majorem vel minorem possumus testari. E diverso realia præmia plura et majora non nisi mercedis pactæ multiplicatione et incremento exhibentur : nam si Rex militi delinquenti placatus, etiam residua priorum annorum stipendia rependere promiserit, non satisfaciet promissis, sequentis anni stipendia etiam titulo priorum numerando : neque acquiesceret operarius, si uno tantum nummo pro hodierno labore debito, volueris priorum etiam dierum labores compensare. Sicut si quis pœna uni peccato respondente afficeretur nomine plurium, non censendus hic esset, pœna pluribus digna plecti.

Inst. 2. Justo eadem gloria datur nomine mercedis et hæreditatis ; ergo potest idem præmium ex pluribus nominibus rependi.

R. *D. Cons.* Potest idem præmium ex pluribus nominibus rependi, si remunerationum tituli sint diversæ rationis eadem actione necessario comprehensi *C.* si sint tituli reales ejusdem rationis ob diversas actiones rependendi præmium *N.* Quælibet justi bona actio necessario continet titulos mercedis et hæreditatis : at nomen mercedis multiplex uti actiones plures requirit, ita præmium etiam peculiare atque ab alterius actionis similis præmio re ipsa distinctum, aut saltem secundum se præstantius, cujusmodi est habitus gratiæ et visio Dei intensior.

Inst. 3. Omnibus Christi meritis non datum fuit præmium, nisi quod singulis adæquate debebatur; ergo pluribus nostris actionibus bonis potest idem præmium ex titulis pluribus conferri.

R. *N. Cons.* Actiones Christi singulæ fuerunt pretii infiniti; ergo non poterat aliud præmium ab eo quod uni datum fuit, cæteris reddi. Quanquam nulla seorsim Christi actio erat in actu secundo meritoria ullius præmii; eo quod illarum omnes, ut morte solum consummatas, Christus una Patri ita jubenti obtulerit.

71. *Obj. II.* Juxta Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. pœnitens recipit gratiam suæ dispositioni respondentem; ergo cum dispositione languidiore non potest recipi gratia intensior ante peccatum acquisita.

R. *Explic.* Juxta Trident. pœnitens recipit dispositioni præsenti respondentem gratiam, quæ in justificatione per se infunditur *C.* quæ infunditur per accidens *N.* Contritio est causa gratiæ, quæ per se et ratione præsentis justificationis infunditur, et pœnitentiæ fervori tanquam dispositioni exæquatur. Ast intuitu gratiæ ob merita suscitata quasi postliminio reversæ, contritio non est proprie dispositio, multo minus causa illius, sed tantum conditio, qua impedimentum seu peccatum amovetur.

Inst. 1. Sacramenti efficacia major vel minor, pro pœnitentis dispositione reviviscit; ergo etiam efficacia meritorum antecedentium.

R. *N. Cons.* Sacramentum nihil antehac effecerat, sed incipit demum ad subjecti dispositionem vim suam exerere: actiones autem bonæ antea jam suum præmium meritæ et adeptæ fuerant, quod eis in justificatione restituitur.

Inst. 2. Si restituitur pœnitentiæ omnis gratia prius obtenta, ergo præstat peccare, et pœnitere, quam non peccare; eo quod pœnitens a lapsu ditior resurgat.

R. *N. seq. et ejus causalem.* In statu justitiæ nemo diu perseverat, qui se actionibus bonis assidue non exercet; ergo semper augetur meritum, et intenditur gratia, dum interea in peccatore, extincta gratia, quæ ante acquisivit, merita sopiuntur. Gratis autem assumunt Thomistæ, quod actus boni remissiores non intendant gratiam.

Inst. 3. Academia Parisiensis merito damnavit hanc propositionem: *Deus semper vocat hominem ab hac vita in optimo statu, quem in illa habuit:* ut testatur Joannes Major in 4. d. 22. q. 2. Atqui secundum thesin nostram, damnata hæc propositio esset vera; ergo.

R. *D. M.* Merito S. Facultas Parisiensis damnavit hanc propositionem, intellectam de omnibus hominibus *C.* intellectam de solis prædestinatis *N.* Electi ad certum gloriæ gradum prædestinantur; cum ergo ad certum gradum gratiæ, illi gloriæ proportionatum pertigerint, verosimile est, eos tum ex hac vita a Deo rapi serius aut citius, ne malitia mutet ipsorum intellectum.

ARTICULUS VII.

AN PECCATA DIMISSA REDEANT SUBSEQUENTE PECCATO NOVO?

72. *Nota.* Dupliciter cogitari potest, peccata prius dimissa posse homini recidivo ob novam culpam redire: primo formaliter, quoad maculam, offensam Dei, et reatum pœnæ; si nimirum reddant hominem eodem modo invisum Deo et æterna pœna dignum, quo reddebant antequam dimitterentur. Secundo virtualiter ac minus proprie, puta, in aliquo suorum effectuum. Peccata prius remissa, iterum per peccatum mortale subsequens redire olim docuerunt Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis p. 14. c. 9. Guilielmus Parisiensis tract. de Sacram. pœnit. et Gratianus d. 4. de Pœnit. in principio. Magister autem in 4. d. 22. non audet judicium ferre contra

hanc sententiam. Sed Medina Codice de Pœnitentia, tractatu 1. q. 8. argumenta opposita solvere conatur.

73. *Dico I.* Nullum peccatum semel remissum novo peccato subsequente reviviscit, nec quoad maculam et offensam, neque quoad reatum pœnæ. Ita S. Thomas q. 88. a. 1., Albertus M., S. Bonaventura, Scotus, Richardus, Gabriel et alii in 4. d. 22. quos sequuntur uterque Sotus, Suarez et recentiores Scholastici.

Prob. I. In sacris Paginis peccata dicuntur absolute dimitti : Isa. 1. v. 18. *dealbari ut nix.* ; Ps. 50. v. 3. *mundari, deleri* ; Michææ 7. v. 17. *projici in profundum maris* ; Joan. 1. v. 29. *tolli* a Christo. A Concilio autem Tridentino Sess. 5. Can. 5. peccatum originale ita dicitur tolli, ut nihil ejus remaneat. Matth. 18. v. 18. ait Christus : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Atque ideo sacerdotes sine ulla conditione futuri effectus a peccatis pœnitentes absolvunt : nam Rom. 11. v. 29. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* Nahum 1. v. 9. juxta editionem LXX. *Non puniet Dominus bis in idipsum.* Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

Quo spectant, quæ Gelasius Papa relatus apud Gratianum dist. 4. de Pœnit. cap. 24. final. : *Divina,* inquit, *clementia remissa peccata in ultionem ulterius vivere non patitur.* Et S. Prosper, resp. ad object. 2. Gallorum (patrolog. t. 51. p. 158.) : *Qui recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est, recidit, nec originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debebatur.*

Prob. II. Idem peccatum non potest redire, quando quis ex statu justitiæ in peccatum novum relabitur : nam peccatum alterum realiter a priore distinguitur ; hic enim vel maxime valet illud Philosophorum : a privatione non datur regressus ad habitum seu formam priorem ; ergo est alia macula, sive hæc consideretur ut aversio voluntatis a Deo ad creaturam, sive spectetur ut privatio gratiæ ; quia et actus privans est realiter alius, et forma gratiæ expulsa alia est. Consequenter est alia injuria Deo illata; alia item offensa. Igitur peccatum præteritum semel condonatum, neque secundum esse suum physicum, neque secundum esse morale redire unquam potest.

74. *Dico II.* Peccata dimissa quadruplici ex capite redire possunt sed minus proprie.

1°. Cum quis in ejusdem specici peccatum relabitur, redit peccatum, non quidem hoc ipsummet numero, sed idem specie, quoad similem Dei offensionem, privationem gratiæ, et reatum. Ita febris redire dicitur, cum quis sanatus, in eamdem recidit.

2°. Censentur redire peccata, quia ob ingratitudinem ex numero et enormitate dimissorum antea peccatorum, subsequens peccatum gravius æstimatur. Hinc illud Prov. 26. v. 11. et 2. Petr. 2. v. 22. *Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti :* ut advertit S. Gregorius L. 3. de cura Pastor. admonit. 31. (opp. t. 3. p. 85.)

3°. Modus sequitur ex priore, quod Deus tot novis peccatis offensus subtrahat gratias abundantes, ut homo relabatur in peccata pristina, atque etiam in graviora, obduretur in malo, et impœnitens ac reprobus decedat. Hæc nempe est *plaga illa inimici, et castigatio crudelis*, qua Israelem a se percussum ait Deus Jerem. 30. v. 14.

4°. Denique dicuntur priora peccata redire; quando Deus, mensura quam destinavit impleta per peccata sequentia, pœnas incipit infligere, quod ante distulerat, et quasi dissimulaverat. Quo modo recordari peccatorum dicitur, quæ ante videbatur oblitus esse.

75. *Obj. I.* Christus Matth. 18. v. ult. ait, idem nobis obventurum, si injurias non remiserimus, quod Rex fecit servo, cui ob crudelitatem erga conservum, revocavit donationem debiti prius factam. Quod etiam B. Augustinus, venerabilis Beda, aliique Patres eo interpretantur; ergo peccata præterita, novo subsequente redeunt.

R. *N. Cons.* cum S. Joanne Chrysostomo aliisque Patribus, qui docent, in parabolis non tam spectandam esse exactam similitudinem, quam Christi intentionem; qui quidem indicare hic voluit, Deum severissime acturum cum immisericordibus.

Inst. 1. Potest Deus peccatum remittere sub conditione, nisi novum accesserit; ergo hoc superveniente illud reviviscit.

R. *N. Ant.* Macula peccati vere ac formaliter per gratiam sanctificantem destruitur : neque eadem macula redire potest, nisi ex eodem peccato; quod neque ab homine naturaliter produci iterum potest, multo minus a Deo, cujus sanctitati hæc actio repugnat. Et quamvis talis actio physice esset eadem, tamen sic repetita quoad injuriam et reatum perinde se haberet, ac duo peccata numero distincta. Quod si ex opinione Scoti possent divinitus in alio decretorum ordine reverti peccata, vix habebitur firma ratio, cur jam non redeant; cum testimonia sacræ Scripturæ id non tam clare affirment, quin expositionem aliam admittant.

Inst. 2. Potest quis a se abdicare jus *sub modo*, ut Jurisconsulti loquuntur, h. e. sub pacto et conditione, ut jus illud redeat, si conditiones rerum mutentur; ergo etiam potest Deus abdicare a se jus odio habendi hominem propter peccatum A cum conditione, ut redeat idem jus accedente peccato B.

R. *N. Cons.* Jus ad fundum, qui pluribus nominibus possideri potest, potest redire accedente novo titulo : nam si abdicavi eum hac conditione, ut post mortem Caii jus ad me redeat, Caio mortuo illam possideo iterum titulo conventionis, quem ante possederam nomine hæreditatis aut emptionis. E contra jus Dei ad hominem odio habendum propter peccatum A non potest esse alio titulo nisi ipsius peccati A existentis; ergo cum peccatum A vere extinctum nunquam redire possit, impossibile omnino est, ut idem titulus ad odium reverti queat.

Inst. 3. Potest Deus peccatum originale ita suspendere, ut existat et non inficiat animam, nisi posita conditione; nam si crearet animam seorsim a corpore, et anno integro in tali statu separationis relinquat, toto hoc anno peccatum originale non inficit animam istam; cum tamen existat ejus peccatum originale : verum enim est dicere: anima hæc peccavit in Adamo;

nam tunc cum unitur, non primum peccat; ergo eodem modo posset a Deo suspendi peccatum mortale personale usque ad certam conditionem.

R. *N. Ant. Ad prob. N.* quod illo tempore existat peccatum originale illius animæ tanquam macula habitualis illam inficiens; quamvis verum tunc sit, illam peccasse in Adamo : alias etiam hodie peccatum originale Antichristi existeret. Tunc ergo solum peccatum Adami animæ illi et futuris adhuc hominibus est imminens, quod tamen nondum est actu peccatum hujus animæ, aut ullius hominis futuri. Ex quibus alteram probationem *Dist.* Vere dicitur : anima hæc peccavit in Adamo, h. e. gravata est debito contrahendi peccatum Adami, quamprimum unietur corpori *C.* quasi ante unionem cum corpore peccatum ejus jam existat *N.* Eodem modo et ultimam propos. *Dist.* Tunc cum unitur corpori non primum peccat, h. e. non primum ponitur causa peccati ejus originalis *C.* tunc non primum inficitur peccato originali *N. Consequentiam* autem absolute negamus, eo quod non sit par ratio peccati originalis, et personalium. Idem enim non dicit respectum ad voluntatem ejus, qui illud contrahit, sed ad peccatum Adæ, quod nunquam fuit plene et efficaciter ablatum, ut fuit peccatum totius naturæ, sed tantum ut fuit peccatum personæ. Quod si Deus peccatorem in nihilum redactum reproduceret, non ideo resuscitaret peccatum ejus habituale : hoc enim subjecto suo identidem adhæret, donec Deus liberali remissione illud non sustulerit.

76. *Obj. II.* Deus dicitur recordari peccatorum, quorum prius oblitus fuerat, Ps. 78. v. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Ps. 108. v. 14. *In memoriam redeat iniquitatis patrum ejus in conspectu Domini.* 3. Reg. 17. v. 18. *Quid mihi et tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorentur iniquitates meæ.* Deus autem dicitur oblivisci peccatorum, cum illa remittit; ergo cum illorum recordatur, remissionem revocat.

R. *N. Cons.* Deus remittendo peccata, et culpas, et reatum æternæ pœnæ, in perpetuum irrevocabiliter et absolute dimittit : quod decretum mutare non potest. Textus autem illi sunt accipiendi de pœnis temporalibus, quorum executionem Deus quandoque differt.

Inst. Patres, quos Gratianus et Abulensis referunt, docent redire peccata vetera, ob novorum malitiam.

R. *Explic.* Docent redire peccata vetera eadem numero *N.* eadem specie, ac plura adhuc diversæ speciei *C.* Nimirum ob ingratitudinem crebro subtrahitur gratiæ auxilium, ut conclus. 2. ostendimus. Unde S. Chrysostomus hom. 62. in Matth. (opp. t. 7. p. 617. A.) : *Licet gratia et dona Dei sine pœnitentia sint; at tantum valuit nequitia ut hanc legem solveret.* Et S. Hilarius cap. 18. in Matth. (opp. t. 1. p. 760. D.) *Per hoc voluntatis suæ vitium donum munificentiæ Domini amisit* (servus ille nequam de quo Matth. c. 18. v. 26. et seqq.). Licet autem omnia peccata ingratitudinem contra ipsum beneficium remissionis peccatorum retineant; quatuor tamen formæ ipsi beneficii præstiti etiam adversantur, ideoque speciali quadam ratione ob ingratitudinem redire dicuntur. Illa veteres hoc disticho comprehenderunt :

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget; pristina culpa redit.

Si enim forma accepti beneficii consideratur ex parte Dei, a quo nobis benigna peccati remissio proficiscitur; contra hanc peccant, qui fratri veniam poscenti injurias non remittunt. Ex parte autem hominis tres actus ad peccatorum remissionem potissimum concurrunt, puta, motus fidei, pœnitentiæ et propositum confitendi: quibus adversantur apostasia a fide, dolor de pœnitentia habita, et contemptus confessionis. Vid. S. Thom. a. 2. ex cujus art. seqq.

77. *Colliges* 1°. Reatus qui ob ingratitudinem sequentis peccati redit, major interdum est, interdum minor reatu peccati præcedentis: nam si contemplemur peccatum novum secundum suam speciem, potest ejus malitia major esse vel minor, malitia peccati prioris; circumstantia vero ingratitudinis gravitatem peccati alterius tantum auget intra suammet speciem. Sicut ergo peccatum repetitum pro specie sua potest esse minoris aut majoris malitiæ, quam peccatum antecedens, ita etiam circumstantia gravitatis ex adjuncta ingratitudine. S. Th. a. 3.

2°. Idem S. Doctor a. 4. ostendit, quod ingratitudo sequentis peccati non sit peccatum peculiare, sed circumstantia communis, nisi adjungatur expressa intentio contemnendi beneficium: peccatum enim accipit speciem suam ex intentione peccantis. Quod de peccatis accipi oportet, quæ consummantur in voluntate, quorum malitia actui interiori primum convenit, et ab hoc in opus exterius derivatur: ut sunt odium, inobedientia, atque etiam ingratæ mentis vitium.

3°. Si innocentia, et remissio peccati considerentur secundum se, majus est beneficium innocentia; cum præstet, nunquam peccasse. Si vero spectentur secundum gratiæ donum, amplius esse potest beneficium remissio peccati, quia fervide pœnitentibus major quandoque gratia in justificatione refunditur, quam quidam innocentes possideant. Denique si gratia utraque referatur ad subjectum, largius erit beneficium peccati remissio: nec enim tantum impenditur non merito, ut innocentia tribui solet, sed positive etiam indigno, et iram merenti. Quam ob causam S. Augustinus L. 50. homil. ait, æqualiter teneri ad gratiarum actionem et eum cui plura peccata dimissa sunt, et eum cui pauciora: debitorem enim hunc esse pro omnibus, a quibus præservatus est. Nempe licet remissio intuitu subjecti videatur majus esse beneficium; præservatio tamen, secundum se sumpta excellit. Par ergo quodam modo utriusque est ratio.

CAPUT IV.

DE NECESSITATE POENITENTIÆ.

ARTICULUS I.

QUAM SIT NECESSARIA POENITENTIA?

Nota. Hactenus explicavimus efficaciam pœnitentiæ : nunc restat, ejus necessitatem declaremus. Cum autem Catholici omnes fateantur, actum hujus virtutis esse medium ad veniam peccatorum obtinendam necessarium; disputant tamen Scholastici, utrum actus iste debeat esse pœnitentia formalis, an virtualis sufficiat? Scotus d. 14. q. 1. a. 3. Gabriel, Joan. Major in eamdem dist., Medina tract. 1. de Pœn. q. 2. ad 3. Navarrus in summa c. 1. n. 10. aliique censent sufficere pœnitentiam virtualem. Contrarium videtur Thomistis recentioribus; ac Melchior quidem Canus Relectione de Pœnit. part. 3. tam asseveranter hoc tenet, ut pronuntiet, posse esse actum dilectionis Dei super omnia in homine permanente in peccato mortali, ex defectu formalis pœnitentiæ.

78. *Dico I.* Per se loquendo actus formalis pœnitentiæ necessarius est ad remissionem peccati mortalis consequendam. Ita S. Thomas q. 86. a. 2. ac sæpe alias.

Prob. I. Testimoniis S. Scripturæ supra celebratis, ac præsertim Luc. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Quando autem talis conditio non præsumit subjectum gratum, sed indicat id, sine quo gratia non obtinetur, manifeste continet necessitatem medii et non tantum præcepti. Eccli. 2. v. 22. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.* Apoc. 2. v. 5. *Memor esto unde excideris : et age pœnitentiam... Sin autem, venio tibi*, etc. Ezech. 18. et 33. tam necessaria dicitur pœnitentia ad reparandam vitam spiritualem, quam peccatum est necessarium ad illam amittendam. Quapropter etiam Christus Matth. 4. v. 17. et Apostoli Act. 2. v. 38. initio suæ prædicationis semper requirebant pœnitentiam ad remissionem peccatorum, etiam cum baptismum essent suscepturi.

Joannes autem, Matth. 3. cum v. 7. dixisset : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* mox quasi unicum remedium ipsis suggerit : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.*

Hæc autem et similia Scripturæ testimonia possunt ac debent in sensu proprio accipi de pœnitentia formali, sicut cum actus fidei aut caritatis exiguntur : præsertim quia nominibus pœnitentiæ, doloris, tristitiæ,

gemitus, et aliis id genus proprietatem illam exprimentibus sacra pagina utitur.

Prob. II. S. Cyprianus L. de Lapsis, circa fin. (opp. p. 178. edit. Paris. 1668.): *Illi,* inquit, *sola superest pœnitentia, quæ satisfaciat : qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt.* S. Ambrosius L. 5. epist. 28. (al. epist. 51. ad Theodosium. opp. t. 2. p. 999. D.) : *Peccatum non tollitur, nisi lacrymis et pœnitentia.* S. Augustinus concione 1. in Ps. 30. n. 5. *Hanc confusionem*, inquit, de peccato commisso, *non formidet Christianus ; imo si hanc non habeat, æternam habebit.* Et epist. 50. circa finem (al. 185. ad Bonifacium seu L. de correctione Donatistarum c. 10. n. 43.): *Nisi egeris pœnitentiam, salvus esse non poteris : quomodo enim gaudebis fuisse correctum, nisi doleas fuisse perversum?* Gregorius M. homil. 20. in Evang. (opp. t. 1. p. 1519. D.) *Ventura*, inquit, *ira est animadversio ultionis extremæ, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit.* Eadem S. Chrysostomus hom. 10. et 11. in Matth. 9. ad Hebr. 21. 22. et 24. ad populum, aliique Patres confirmant. His accedit Concilium Tridentinum, quod Sess. 6. cap. 6. et 7. contritionem inter præcipuas dispositiones ad justificationem recenset : et Sess. 14. cap. 4. *Fuit autem*, inquit, *quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et habetur etiam in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, de summa Trinit.

Prob. III. Justitia exigit, jus Dei reparari, quod læsum fuerat, quando homo se a Deo fine ultimo avertit et ad creaturas peccando convertit; per pœnitentiam autem propriam formaliter se homo avertit a creaturis, et ad Deum convertit : licet enim homo possit se virtualiter avertere ab uno termino per conversionem ad contrarium; tamen in actibus animæ perfectiori modo fit hæc conversio et aversio, quando per formales actus ipsa anima accedit ad unum terminum, et ab alio recedit. Præterea pœnitentiæ actus formalis proxime tendit ad petendum veniam, et ad placandum personam offensam; estque medium maxime accommodatum ad vitæ emendationem, quam resipiscentiæ virtus potissimum spectat.

79. *Dico II.* Ad remissionem peccati pœnitentia virtualis per accidens sufficit.

Pars 1ª. est Theologorum nuper laudatorum, cum S. Thoma q. 70. a. 4. et q. 87. a. 1.; ac Petro Soto quidem adeo certa videbatur, ut eam de fide esse pronuntiaverit.

Prob. autem ex Scriptura Joan. 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* 1. Joan. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.*

Quam ob rem Gregorius M. hom. 33. in Evang. (opp. t. 1. p. 1595. B. C.) caritatem appellat ignem consumentem rubiginem peccati : *Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur.* Et B. Augustinus L. 2. contra Cresconium, c. 12. n. 15. scribit : Peccata *mundantur ipsa, quæ omnibus supereminet, caritate, quæ una si adsit, omnia recte fiunt.* Et L. 14. de Civit. c. ult. ait, caritatem dividere inter filios Dei et filios perditionis. Et L. de spir. et lit. c. 32. n. 56. dilectionem vocat justitiam, qua justi efficimur, quia actus caritatis est

secundum se connaturalis dispositio ad infusionem habitus caritatis, quam infallibiliter comitatur gratia sanctificans et remissio peccatorum.

Denique actus caritatis est perfecta ad Deum conversio, virtute continens actum pœnitentiæ; ergo infallibiliter secum affert conversionem mutuam Dei ad hominem per gratiam et peccatorum remissionem, prout Deus pollicetur, Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me : et convertar ad vos.* Quod autem non nemo dixerit, fore ut tunc Deus gratiam homini subtrahat, quo amoris actus tantum naturalis evadat; id gratis omnino confingitur : talis enim homo excitatur supernaturali consideratione fidei, quæ ex parte intellectus excitatio sufficiens est, et quantum est ex se, voluntatem etiam excitat. Auxilium autem comitans ad perficiendum actum salutarem voluntati Deus non negat, nisi defectus fuerit ex parte hominis, quem hic non intervenisse, ex peccati præteriti inculpata ignorantia constat.

Pars 2ª. traditur ab eodem S. Thoma cit. art. 1. in fine θ., postquam dixisset, solo actu caritatis deleri peccata venialia, mox subjicit : *Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.* Igitur, juxta S. Doctorem, per se opus est formali actu pœnitentiæ; estque solus casus oblivionis peccatorum, in quo pœnitentia virtualis remissionem illorum obtinet.

Prob. Pœnitentiæ præceptum non obligat nisi supposita conscientia peccati : atqui homo qui ignorat invincibiliter suum peccatum, et actum caritatis elicit, præcepta omnia quæ sibi ad salutem consequendam necessaria et sufficientia occurrunt, implet; ergo remissionem peccati, et salutem æternam consequitur. Quæ quidem assertio non tantum in oblivione habituali seu in actu primo locum habet, sed etiam in oblivione actuali seu in actu secundo, quæ naturalis inconsideratio dici solet : hæc enim dum est, æque causat involuntarium ac ignorantia vel oblivio, quandiu durat; nec enim ad volendum sufficit habitus, sed necessaria est actualis cogitatio; ergo hac naturali inconsideratione affectus peccator, si ad Deum actu dilectionis formalis convertitur, conversionem mutuam Dei ad se, et peccati veniam merebitur.

80. *Obj. I.* Patres aliis actibus Christianæ pietatis æque tribuunt remissionem peccatorum, ac pœnitentiæ : Origenes homilia 2. in Leviticum (opp. t. 2. p. 190. et 191. Edit. Ruæi), numerat inter hæc media baptismum, caritatem, martyrium, eleemosynam ex Dan. 4. v. 24., remissionem injuriarum Matth. 6. v. 14., et correctionem fratris a via mala Jac. 5. v. ult.; S. Augustinus L. 2. contra Crescon. c. 12. n. 15. addit verbum veritatis; S. Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Cor. (opp. t. 10. p. 464. D.) submissionem animi, gratiarum actionem in adversis, assiduam precationem : imo hom. 22. ad populum (opp. t. 6. p. 80. A. Edit. Latina Ducæi.) *non habes*, inquit, *compunctionem? ecce Propheta clamat, prohibe linguam tuam a malo,* etc. *et in salutem tibi sufficiet :* ubi videtur illi sola mutatio vitæ sine pœnitentia sufficere; ergo non sola pœnitentia formalis est medium per se requisitum ad peccatorum remissionem.

R. *D. Ant.* Patres æque tribuunt remissionem peccatorum aliis actibus piis, tanquam dispositionibus proximis et immediatis *N.* tanquam dispositionibus remotis æque tribuunt remissionem peccatorum quoad certitudi-

nem effectus, si rite usurpentur *C*. Nempe Deum movent per modum impetrationis, et meriti saltem congrui propter divina promissa, ut det motus perfectæ contritionis, queis peccata abstergantur. Martyrio quidem possunt peccata remitti sine actu contritionis perfectæ, modo antea retractatum fuerit peccatum actu attritionis, quæ est actus formalis pœnitentiæ, et dispositio sufficiens ad gratiam baptismi suscipiendam. Quod si quis mortem imminentem præviderit, et peccati lethalis recordetur, sine prævio contritionis perfectæ actu salvari non potest. S. Joan. Chrysostomus per compunctionem significat dolorem sensibilem, et per vitæ mutationem non solum propositum futuræ vitæ intellexit, sed etiam convenientem detestationem prioris: nam hom. 42. in Matth. (opp. t. 7. p. 451. A.) ubi eadem remedia ad remissionem peccati enumerat, compunctionem a contritione distinguit, aitque, cor contritum *apprime requiri*.

81. *Obj. II.* Etsi homo cogitet de Deo et peccatis suis, potest tamen concipere actum dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem sufficiat; ergo ad justificationem non opus est formali actu pœnitentiæ.

R. *N. Ant.* Hæc Medinæ opinio jure ab aliis Theologis rejicitur. Nam pœnitentia formalis, quando haberi potest, per se est medium necessarium ad remissionem peccati: potest autem facile exerceri actus pœnitentiæ ab eo qui sua peccata meminit, et bene in Deum est affectus: adeo enim talem Dei amor a peccatorum detestatione non impedit, ut vix a dolore se continere possit, præsertim si peccata sibi nondum remissa esse intelligit.

82. *Colliges* 1°. Pœnitentiam insuper ex divino præcepto positivo peccatoribus necessariam esse, demonstrant testimonia Scripturæ in conclusione 1. recitata. Ex aliis item divinis præceptis novimus, hominem teneri ad finem suum ultimum tendere, suamque salutem operari Rom. 6. v. 22. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Eccli. 30. v. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Actus vero pœnitentiæ re aut voto conceptus medium est peccatori simpliciter ad salutem necessarium, ita ut ejus defectum nec ignorantia nec impotentia excuset.

2°. Item *de jure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, et doloris remedium quærat per aliquem modum, et quod etiam aliqua doloris signa ostendat,* inquit S. Thomas q. 84. a. 7. ad 1. Non continetur autem lex ista in præcepto quinto Decalogi, ut putavit Andreas Vega L. 13. in Conc. Trident. Can. 20., quia præceptum illud prohibet tantum læsionem corporis, non animæ. Neque ista sola impœnitentia, sed quocumque alio peccato interimitur. Melchior Canus in Relect. de Pœnitentia part. 3. tradit, obligationem illam oriri ex præcepto diligendi Deum, et se ipsum. Quod verum est, si non tantum accipiatur præceptum illud generatim, ut nobis divinorum præceptorum observationem injungens, sed ut speciatim actum divinæ dilectionis præcipiens. Præterquam quod justitia ipsa divini juris reparationem per media congrua præstandam a peccatore exigat.

3°. Per se loquendo, semel tantum peccator tenetur conteri de peccato. Neque enim ad pœnitentiam iterandam eum adstringit justitia; eo quod Deus contritionem æque admittat, ac si esset æqualis satisfactio pro peccatis,

et debitum omne expunxisset : neque obligatur ex caritate ; cum fecerit quod sufficit ad recuperandam gratiam, amicitiam et salutem æternam. Iis tamen qui sciunt, se Deum offendisse, suadetur, ut actus pœnitentiæ identidem frequentent : caritas enim est insatiable desiderium placendi Deo. Quod si David, Petrus aliique Sancti, qui de venia obtenta certi erant, nihilominus omnem vitam suam pœnitentiæ impenderunt ; multo magis decet nos *de propitiato peccato non esse sine metu,* ut Eccli. 5. v. 5. monemur.

ARTICULUS II.

QUANDONAM PŒNITENDUM?

83. *Nota I.* Præceptum pœnitendi tempore aliquo determinato dupliciter potest obligare, per se nimirum, et per accidens. Ac per accidens quidem sive ex fine aliquo extrinseco et accidentario virtuti pœnitentiæ, aiunt nos obligari in tribus casibus.

Eorum primus est instans exercitium actionis ; quæ ob suam sanctitatem requirit statum gratiæ in operante, nec sine novo peccato exerceri in statu lethalis peccati potest : ut cum quis ex officio sacramentum est administraturus, aut sacramentum aliquod vivorum aditurus, hic ex omnium Theologorum sententia, si confessione prius non fuerit expiatus, ad perfectæ contritionis actum gravi præcepto obstringitur.

Alter casus a Soto et aliis Theologis ponitur vehemens tentatio et occasio peccandi, ad quam vincendam censeatur esse moraliter necessaria divina gratia et amicitia. Verum difficulter suadetur, contritionem esse medium ita necessarium, ut inde oriatur obligatio ad illam eliciendam : nisi forte peccandi occasio consideretur ut diuturnior futura, et status gratiæ dicatur esse dispositio ad constanter resistendum. Ad vincendam enim quamcumque tentationem auxilium gratiæ excitantis et adjuvantis sufficit : nullum autem est principium, quo sufficienter suadeatur, tale auxilium sine gratia habituali obtineri non posse, aut non contrito negatum iri.

Deinde contritio est ipsissima victoria de imminente tentatione, et effectus auxilii gratiæ ; ergo non potest esse medium ad obtinendum illud auxilium, quo tentatio superetur : imo cum minori gratiæ auxilio vinci tentatio posset, sola repudiatione vetiti actus vel objecti.

Tertium casum suggerunt Adrianus, Petrus Sotus, et Navarrus, malum reipublicæ impendens ; pro quo avertendo cives Deo supplicare tenentur. Quanquam autem opinio ista pia oppido sit et probabilis, raro tamen quisquam obligabitur ad judicandum, hoc medium ad assequendum finem illum ita necessarium esse, ut citra novum peccatum negligi non possit. Nam præterquam quod sufficere videatur oratio, quæ non tam justitia precantium nititur, quam Dei misericordia, qui peccatores etiam audit ; potest privatus quisque semper præsumere, in republica esse plures justos, quorum gratia Deus peccatores una orantes exaudiat.

Quidquid autem horum fuerit, indubitanter enuntiamus, in nullo illorum trium casuum committi duplex peccatum omissione contritionis, sed in primo tantum offendi in præceptum negativum non tractandi irreve-

renter sacramenta : in secundo committi peccatum tantum incontinentiæ, vel aliud, ad quod tentatio provocat; aut saltem delinqui a tentato, dum se talis peccati periculo exponit, omissione medii, quod ad evitandum peccatum existimabatur esse necessarium : in tertio demum casu adversus caritatem peccari, qua patriam diligere, et ejus saluti studere tenemur. Qualiscumque enim necessitas in casibus istis extrinseca tantum est, ex alio, quam pœnitentiæ præcepto orta.

Nota II. Per se autem obligari ad pœnitendum certo tempore possumus vel ex præcepto positivo, vel ex rei natura. Et quidem S. Antoninus 2. p. tit. 9. c. 1., Marsilius, Angelus et alii existimabant, peccatorem teneri ad contritionem concipiendam saltem singulis diebus festis. Ast sententiam istam Medina, Dom. Sotus et Canus merito falsam et fundamento destitutam censent. Nam quod Angelus verbo *Feriæ* n. 41. citat illud Levit. 23. v. 27. et seqq. *Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras; anima quæ non fuerit afflicta die hac, peribit,* ad rem non est : tum quod ritus iste tantum decimo die mensis septimi, ac semel in anno fuerit præscriptus, ut ex l. c. et c. 16. v. ult. intelligimus; tum quod externa tantum pœnitentiæ opera, ut ex c. 30. v. 14. Num. constat, injuncta fuerint. Quanquam hæc præcepta ceremonialia dudum cum lege ipsa desierint, et ex usu Ecclesiæ dies dominicus cæterique festi negative quidem sanctificentur vacando ab operibus servilibus, positive autem sacro Missæ officio, ut ex Conc. Agathensi præcipitur c. *Missas,* de Consec. d. 1., quod utrumque fideles peccatores sine contritionis actu præstare queunt.

Casum alterum affert Petrus Sotus Lect. 13. de Pœnit., eos qui præscriptam jure ecclesiastico confessionem annuam peragere non possunt, ex eodem annuæ confessionis præcepto teneri saltem ad contritionem eliciendam: quia licet excusentur ab eo, quod facere non possunt, non tamen ab eo, quod servare possunt, excusabuntur. Sed et ista Soti opinio a vero abludit. Ut enim Cajetanus verbo, *Contritio,* circa finem notavit, lex illa Ecclesiæ non requirit a fidelibus actum interiorem pœnitentiæ, nisi in quantum illo opus est ad Pœnitentiæ sacramentum vere obeundum : ad hoc autem perinde se habet contritio imperfecta sive attritio, ac perfecta contritio; ergo ubi copia confitendi toto anno non fuerit, non teneretur homo ad contritionem perfectam, sed sufficeret imperfecta : nam cum lex de Pœnitentiæ sacramento distincta sit a lege contritionis, hanc minime determinat, nisi prout contritio in Pœnitentiæ sacramento comprehenditur.

Ex eodem capite conficitur, fideles in dato casu ad neutram contritionem ecclesiastico præcepto teneri : nam cum actus interior secundum se non cadat directe sub Ecclesiæ jurisdictionem, Ecclesia præcipiendo, per se nec præcipit, nec determinat actum internum, nisi in quantum est necessarius ad actum externum; ergo cessante obligatione actus exterioris, cessat etiam obligatio actus interioris. Ita qui præscriptas ab Ecclesia preces vocales ob infirmitatem recitare non potest, non tenetur tunc temporis interius attendere ad Deum : qui vel ex voto vel ex præscripto sui ordinis qualibet hebdomade ad confessionem obligatur, et hoc præceptum defectu sacerdotis explere non potest, ad nullam contritionem tenebitur.

Nota III. Denique potest obligatio pœnitendi determinari per se ex vi ipsius præcepti tantum, solaque ratione naturali seu connaturali gratiæ et

fidei. Cum autem certum sit, peccatorem in mortis articulo ad pœnitentiam gravi præcepto teneri, eo quod hac neglecta post hanc vitam damnatio æterna instet; quæstione illa prætermissa, tres adhuc nobis sunt exponendæ, quarum *prior* est, utrum in mortis articulo teneatur peccator ad contritionem perfectam, etiamsi cum attritione cognita confessus fuerit, aut confiteri possit? *Altera* quæstio, an pœnitentiam usque ad mortis articulum differre liceat? *Tertia*, an pœnitentiæ præceptum statim post peccatum commissum ad contritionem obliget? τὸ statim hic non speculative, sed practice ac moraliter est accipiendum, hoc est, quamprimum patrati peccati occurrit cogitatio, atque sufficiens excitatio et opportunitas ad pœnitendum, sine necessario impedimento: quo in casu peccatorem continuo ad detestandum peccatum gravi præcepto teneri, censuerunt olim Guillelmus Paris. L. de Sacramentis, Thomas Argentinens. in 4. d. 17. a. 4. ad 4., S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 18. §. 2., Archidiaconus in c. *Ille Rex*, de Pœnit. d. 3. Innocentius in cap. *Omnis utriusque*, de Pœnit. et Remis., et plures theologiæ et juris canonici Consulti.

84. *Dico I.* Fideles in articulo mortis tenentur ad perfectam contritionem saltem virtualem de suis peccatis, licet norint, se illa cum attritione modo confessos eisque absolutos fuisse, aut adhuc confessuros. Ita Suaresius disp. 15. sect. 4. n. 19. contra aliquos, quibus adhærere videtur Becanus.

Prob. I. Tenetur homo, priusquam moriatur, Deum super omnia diligere: ac licet aliquando in vita Deum dilexerit, hoc tamen præcepto iterandæ caritatis sæpius ac præsertim in mortis articulo obligatur, postquam per peccatum subsequens caritatem priorem retractavit. Hæc ergo obligatio cum non tantum sit ratione peccati, sed etiam per se et ratione caritatis intrinseca, manet etiam in mortis articulo, ut obiturus se et omnia in Deum referat, non secus ac si denuo procreatus esset. Non potest autem esse, ut is, qui Deum vere amat, peccata, quorum recordatur, non illico detestetur. Quod si tamen actum caritatis Dei elicere conatus fuit, non videtur ad alium contritionis perfectæ actum obligari; quia obligationi pœnitentiæ formalis jam satisfactum fuit in sacramento Confessionis, et justificationem per actum amoris, qui pœnitentia virtualis dicitur, certius jam fuit assecutus.

Prob. II. Talis homo non tantum peccaret contra caritatem Dei, sed etiam contra amorem et misericordiam, quam sibi ipse debet, omittendo actum ad salutem necessarium. *Quod si*, inquit Suaresius, *contingeret, hominem in eo casu mori sine actu amoris, vel contritionis, et sine novo peccato, vel quia raptus est, priusquam hoc advertere posset, vel quia illos omisit ex probabili ignorantia obligationis seu juris aut facti: quia videlicet conatus est ad talem actum habendum, et putavit se habere, re tamen vera non habuit: in his, inquam, casibus, ille homo salvabitur: quia tum necessitas talis actus non est necessitas medii in re ipsa omnino requisiti, sed præcepti, a cujus transgressione tunc excusabitur propter aliquam ex dictis circumstantiis: et ideo non amittit justitiam, quam per sacramentum consecutus fuerat; ergo ex vi illius salvabitur.*

85. *Dico II.* Peccator gravi obligatur præcepto, ne pœnitentiam ad mortis

articulum differat; quamvis hoc præceptum non videatur obligare, nisi ratione caritatis.

Prob. 1ª. *pars.* Scriptura dilationem istam prohibet. Eccli. 5. v. 8. *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius.* Eamdem pœnitentiæ dilationem Deus graviter reprehendit Isaiæ 65. v. 12. *Omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocavi, et non respondistis.* Hinc S. Augustinus serm. 57. de tempore (al. 255. in app.) : *Pœnitentia*, inquit, *quæ ab infirmo petitur, infirma est : quæ autem a moriente petitur, timeo, ne et ipsa moriatur.* Et serm. 71. ad Fratres in eremo (opp. t. 10. p. 752. Edit. Lovaniensis.) : *Satis*, inquit, *alienus est a fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis exspectat.*

Deinde non licet rem omnium maximam et difficillimam, cujusmodi est salus æterna, per pœnitentiam recuperanda, in illius momenti angustias conjicere; cum hora mortis sit incertissima, vires corporis et animi fractæ, aut nimium debilitatæ, et homo ad actiones bonas minime omnium idoneus. Quare S. Hieronymus in illud Ps. 37. *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*, addit, *quia nolebam agere pœnitentiam.* (opp. t. 7. in appendice.)

Quod si homines sanctissimi continuis precibus, jejuniis et lacrymis id sollicite student, ut gratiam finalem a Deo obtineant : quomodo prudenter eam sperabit, qui flagitiis jugiter immersus dedita opera statuit, in ultimo mortis articulo demum per pœnitentiam ad Deum converti; cum tali homini pœnitentia tunc fere sit impossibilis : vix enim adduci in extremo illo momento potest, ut absolute et efficaciter detestetur, et proponat deinceps, si convalesceret, vere cavere peccata, quibus adeo pertinaciter adhæret. Quam ob causam B. Chrysostomus hom. 80. ad populum (opp. t. 6. p. 189. A. edit. latina Ducæi.) : *Tam bona*, inquit, *quam mala, cum fuerint nimium immorata, potentiora fiunt.* Et S. Bonaventura Tom. 1. Opusc. Collatione de contemptu seculi : *Hoc*, inquit, *teneo, hoc verum puto, quod ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita.*

Prob. 2ª. *pars.* Non licet differre expletionem præcepti de diligendo Deo usque ad finem vitæ; eo quod tanta dilatio aperte repugnet fini hujus præcepti, qui est convenienter conjungere hominem cum fine suo ultimo, eumque dirigere, ut possit vitam recte instituere. Non potest autem tempore debito servari præceptum dilectionis Dei a peccatore, per se loquendo, quin contritionem de peccatis eliciat; ergo ratione præcepti caritatis Dei nemini licet differre pœnitentiam usque ad mortis articulum.

Quod autem ratione solius caritatis non liceat tantum differre pœnitentiam, inde probatur : quia neque titulo justitiæ, nec caritatis propriæ tenemur ad pœnitentiam antevertendam : ratio enim, qua mox probabimus nos utroque hoc præcepto non statim a commisso peccato ad pœnitentiam obligari, probat etiam de quocumque determinato vitæ tempore, quamdiu non imminet mortis periculum.

86. *Dico III.* Præceptum pœnitentiæ non statim ab admisso peccato obligat ad actum, etiamsi opportunitas sit continuo id præstandi.

Prob. 1. S. Thomas in 4. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 4. ait quidem teneri hominem ad contritionem, quando peccata memoriæ occurrunt, ita tamen

sententiam suam moderatur : *Cum præcipue in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione peccatum oporteat eum incurrere.* Et in solutione ad 2. *Non est*, inquit, *de necessitate salutis corporalis, quod statim medicum quærat, nisi quando necessitas curationis incumbit : et similiter est in morbo spirituali.* S. Bonaventura ibidem scribit, teneri hominem ad contritionem, quando recogitat culpam commissam et Dei offensam, vel quando recogitare debet, sicut in hora mortis, vel in aliquo alio simili periculo. Eumdem casum mortis vel periculi assignat Durandus q. 10. n. 5., Alensis, Angelus, Adrianus, Sotus, Medina, Canus, et alii, quos refert et sequitur Suarez disp. 15. sect. 5.

Prob. II. Præcepta affirmativa, quale est præceptum pœnitendi, nec statim, nec semper obligant : neque ratio, neque S. Scriptura evincunt dari tale præceptum subitæ hujus pœnitentiæ. Ecclesia autem tantum semel in anno injungit suis Pœnitentiæ sacramentum, tanquam certissimum medium reconciliationis cum Deo : neque fideles etiam tenerioris conscientiæ se accusant dilatæ ad modicum tempus pœnitentiæ : neque Confessarii in hanc dilationem inquirunt.

Denique si qua esset talis obligatio, oriretur ex titulo triplici, justitiæ, caritatis Dei, aut caritatis propriæ : ex nullo autem horum capite obligatio statim pœnitendi proficiscitur ; ergo.

Prob. Assumpt. Lex justitiæ, in quantum affirmativa est, satisfactionem pro illata Deo injuria aliquando quidem per pœnitentiam, non autem continuo exhibendam præcipit : prout autem est negativa solum post factam primam injuriam, addi alteram, et priorem augeri vetat : atqui ex eo, quod non statim satisfiat, non augetur injuria prior, neque commissum ante peccatum crescit; ergo.

Eadem fere ratio apparet in præcepto caritatis, quod secundum se est affirmativum : quatenus vero negativum, prohibet duntaxat odium Dei, et actus divino amori repugnantes : nec ulla ratione sufficiente ostendi potest, extare præceptum peculiare, quod interdicitur, ut ne quis ullo unquam tempore statum illum inimicitiæ habitualis in se permittat.

Nec magis repentinæ hujus pœnitentiæ obligatio demonstratur ex lege caritatis, quam quisque sibi ipse debet : argumenta enim, quæ in hanc rem excogitata fuerunt, S. Thomas aliique Theologi satis commode dissolvunt.

87. *Obj. I.* Deus iis gravissima mala minatur, qui noluerunt resipiscere, ut apparet ex testimoniis in conclusione 2. allatis : item Jerem. 8. v. 6. et seqq.; ergo dilatio pœnitentiæ est peccatum.

R. *D. Cons.* Dilatio quælibet pœnitentiæ est peccatum *N.* dilatio pœnitentiæ usque ad mortis articulum est peccatum *C.* non quidem contra justitiam, aut contra præceptum caritatis propriæ, sed contra caritatem, quam Deo debemus. Duo sunt pœnitentiæ officia, primum desistere a peccato et ab affectu ad illud, alterum per veram contritionem ad Deum positive converti : prius dicitur aversio negativa a peccato, posterius est insuper aversio positiva per sufficientem retractationem. Prius statim fieri Deus jubet ; et quia obedire Israelitæ contempserunt, ideo minabantur Prophetæ mala, quibus deinde fuerunt obruti. Posterius nec Scriptura nec Patres imperant statim fieri, sed suadent tantum et hortantur. Quo etiam tendit S. Thomas 2. 2.

q. 62. a. 8. in θ. dicens : *Manifestum est, quod nec modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eccli.* 21. *Quasi a facie colubri fuge peccatum.* Item ex ejusdem S. Doctoris testimonio conclusione 3. adducto liquet, dari articulos, in quibus sine peccati remissione et contritione novum peccatum non incurritur.

Inst. 1. Non licet exponere se periculo æternæ damnationis et novorum peccatorum, aliisque malis gravissimis : neque enim potior nobis debet esse salus corporis quam animæ : atqui qui in peccato persistit, exponit se periculo damnationis et peccatorum, est objectum divinæ iræ, etc.; ergo.

R. *D. Ant.* Non licet se his malis exponere committendo ipsum peccatum primo *C.* perseverando ad tempus in statu peccati, in quo non est periculum proximum damnationis et novorum peccatorum *N.* Qui committit peccatum, malis hisce omnibus eisque gravissimis se reddit obnoxium : qui vero persistit in statu peccati, mala ista tantum supponit. Sicut ergo is solum peccat, qui sibi studiose mortem infert, aut morbum vel mutilationem; non vero qui cunctatur a morbo sanari, cum id fieri sine proximo vitæ, aut gravioris morbi periculo potest : ita licet peccator, speculative loquendo, differendo pœnitentiam, periculo alicui damnationis se exponat; quia tamen periculum istud non est proximum, sed remotum, non censetur ei se moraliter exponere, adeoque saltem non graviter peccare.

Inst. 2. Tenemur statim corripere fratrem, quem novimus esse in peccato; ergo multo magis non ipsos a peccato eximere : plus enim tenemur nos ipsos, quam proximum diligere, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 4.

R. *N. Ant.*, quod tantum duobus in casibus tenet. 1°. Quando peccatum proximi continuatur. 2°. Quando subit periculum aut occasionem peccati novi. Eodem modo pro casu priore tenetur peccator ab actu statim desistere; pro posteriore ad contritionem converti, si preces avertendo periculo non suffecerint. Præterea B. Augustinus L. 1. de Civit. c. 9. docet, posse nos aliquando correptionem fraternam differre, quando vel id fieret cum propria jactura, vel certe postea commodius fieret in utilitatem fratris.

88. *Obj. II.* Quilibet ex justitia obligatur proximo quamprimum restituere rem furto ablatam; ergo ex eadem virtute tenetur peccator per pœnitentiam perfectam Deo quamprimum restituere honorem peccato ablatum.

R. *Const.* Præceptum restituendi statim obligat, utpote negativum, et plane idem cum præcepto non furandi, quo non tantum rei alienæ contrectatio prohibetur, sed ejusdem etiam detentio : continuata enim carentia rei propriæ est quasi continuum proximi nocumentum, tantoque gravius moraliter, quanto privatio est diuturnior; facitque domino perpetuam injuriam, quem invitum ab rei suæ usu impedit. Ita S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 8. in θ., ubi ait, statim teneri hominem ad restituendum, quia statim tenetur peccatum deserere, et nunquam licet, vel per modicum tempus, in peccato morari, nimirum in peccato actuali; quia non restituere per se ac de se actuale peccatum est : licet enim non sit actio physica, est tamen actio moralis capax prohibitionis, perinde ac esse armatum contra præceptum principis. In cæteris autem peccatis diversa est ratio : nec enim ullum eorum continuatur, ut sit actuale, sed restat post actum sola macula per modum habitus. Quamvis enim Deus peccatis nostris offendatur, non tamen privatur re

aliqua sibi utili, nec detrimentum aliquod in genere patitur; sed solum privatur honore et jure sibi debito ut finis ultimus est, et supremus gubernator. Igitur post actum injuriæ nullum ipsi nocumentum accrescit ex eo quod satisfactio non continuo exhibeatur, nec peccator apud se proprie detinet quoddam bonum Deo utile, neque illum impedit ab usu rei suæ. Ex quibus conficitur, præceptum pœnitendi affirmativum proprie esse, quo jubemur, nos, abstersa peccati macula, Deo reconciliare; quod, sicut cætera affirmantia præcepta, non repente, sed suo tempore, ad executionem nos obstringit.

Inst. Qui cunctatur offensum patrem aut dominum placare, censetur offensam contemptu augere; ergo etiam videtur Dei amicitiam saltem virtualiter et interpretative spernere, qui pœnitentiam comperendinat.

R. *N. Cons.* Amissa Dei amicitia non censetur dilatione contemni, nisi eo tempore, quo lex urget eam quærere, aut recuperare. Idcirco etiam Deus, qui peccatoris animum probe inspicit a pravo affectu desistentis, non præsumit ex dilatione pœnitentiæ obstinatam voluntatem, et perseverantem actu contemptum offensi; nec se habet ut homines, qui a signis exterioribus tantum judicare solent. Unde etiam qui fide excidit, non tenetur per se, ad statim eam recuperandam, sed tantum per accidens, ut resistat tentationibus, quando opus est.

89. *Obj. III.* Sine gratia habituali nemo diu a peccatis lethalibus abstinere potest : *peccatum enim quod per pœnitentiam non deletur, est peccatum et causa peccati ;... justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quæ flendo et corrigendo noluit emendare quod fecerit, peccatum incipiat peccato cumulare,* ut inquit Gregorius M. hom. 11. in Ezech. (opp. t. 1. p. 1289. n. 24.); ergo ad vitandum relabendi periculum, tenetur peccator ex præcepto caritatis erga Deum et seipsum illico se divinæ gratiæ restituere.

R. *D. Cons.* Tenetur se gratiæ restituere quamprimum peccatum commisit *N.* quamprimum hoc periculum advertit proxime ingruere, et nullum aliud superesse medium ab iterato lapsu cavendi *C.* Verum et hoc est tantum ex accidente et præter statum quæstionis. Ad hæc vix reperitur unus, qui animadvertat momentum illud, quo tantum temporis est evolutum, ut moraliter amplius sine statu gratiæ immunis a relapsu consistere nequeat : quod si tamen periculum hujusmodi perciperet, teneretur continuo ad agendam pœnitentiam, sed, ut dixi, per accidens solum.

Inst. 1. Non licet peccatori velle perseverare in statu peccati et inimicitiæ Dei ; ergo neque licet ei, nolle aliquo tempore pœnitere.

R. *N. Cons.* Licet aliquid nolle aliquo tempore facere, quo illud nondum tenemur facere : velle autem positive perseverare in peccato et inimicitia Dei, est positive et formaliter velle aliquid per se et intrinsece malum, nempe esse objectum odii divini, ac proinde est velle ipsam malitiam. E contra nondum pœnitere non est formaliter in peccato perseverare, sed tantum consecutive; neque est per se et intrinsece malum, sed tantum per accidens, quando urget præceptum.

Inst. 2. Status inimicitiæ cum Deo est objectum per se ac intrinsece ma-

lum ; ergo nemo potest eum velle sine peccato. Atqui nolle pœnitere, est velle manere in statu illo; ergo est malum.

R. *D. Cons.* Ergo nemo potest eum sine peccato velle positive, in eo sibi complacendo, eum approbando et eligendo *C.* nemo potest eum velle permissive, illum ad tempus permittendo *N. Dist. etiam subsumpt.* Positive velle non pœnitere, est positive velle manere in illo statu *C.* permissive se habere circa omissionem pœnitentiæ, eam differendo, est positive velle manere in illo statu *N.* Non omne id licet positive velle, ad quod licet se habere permissive : nec enim Deus ipse potest velle peccata, quæ permittit : et nos multa proximi mala non tenemur impedire, quæ velle non licet.

ARTICULUS III.

DE IMPŒNITENTIÆ PECCATO.

90. *Nota.* Impœnitentia est negligentia vel omissio pœnitentiæ. Hæc si voluntaria non sit neque directe, neque indirecte, vitio nemini vertetur : peccatum enim, ex celebri illo B. Augustini proloquio, aut voluntarium est, aut peccatum non est. Quapropter qui ex invincibili ignorantia, naturali oblivione, inconsideratione, aut alia simili impotentia actum pœnitentiæ tempore præscripto omiserit, peccatum novum impœnitentiæ non committet : impœnitentia enim ista, quasi materialis est.

Ut autem formalis impœnitentia sit, debet esse actus voluntarius, quod dupliciter contingere potest; primo directe, cum quis actu expresso voluntatis destinat pro objecto omittere pœnitentiam eo tempore, quo agi ex præcepto deberet. Si ergo voluntas *ex parte objecti* feratur in omissionem pœnitentiæ pro eo tempore, pro quo præceptum obligat, etiamsi diu ante destinatum lege tempus id decreverit, impœnitentiæ peccatum admittet, saltem secundum affectum : quamvis enim præceptum affirmans non obliget ad exercendum continuo actionem injunctam, prohibet tamen affectus sibi repugnantes, quo modo vim habet præcepti negativi.

Indirecte vero seu interpretative omissio voluntaria pœnitentiæ accidit quando ex negligentia culpabili actus omittitur tempore debito, vel ex ignorantia vincibili vel ex certa scientia, sine voluntate quidem directa omittendi, cum voluntate tamen agendi, vel retinendi aliquid incompossibile cum præcepto.

91. *Dico.* Impœnitentia, præsertim finalis, est speciale peccatum, idque unum ex gravissimis.

Prob. 1ª. *pars.* Si datur speciale præceptum pœnitendi ; ejus violatio est peccatum speciale : atqui datur præceptum speciale pœnitendi; ergo. *Major* est evidens ex eo, quod peccatum sit legis prævaricatio. *Minor* item constat ex articulo 1. hujus capitis, et ex conclusione art. 3. cap. 2. Neque ista solum accipi debent de proposito directo non pœnitendi, sed etiam de neglectu pœnitentiæ indirecte seu interpretative voluntario : si enim in omni alia omissione peculiaris præcepti illud voluntarium sufficit ad specialem contrahendam malitiam, sufficiet etiam in omissione indirecte volun-

taria præcepti pœnitendi, cujus malitia moraliter non est diversa a malitia omissionis directe intenta.

Confirmatur thesis 1°. ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 14. a. 2. ait, impœnitentiam prout numeratur inter species peccati in Spiritum sanctum, non dicere solam permanentiam in peccato, sed propositum non pœnitendi : et in 2. dist. 43. significat, unicum modum committendi hoc peccatum speciale, esse per formale propositum.

Conf. 2°. Propositum non pœnitendi est specialis actus voluntatis tendens in objectum habens specialem malitiam moralem, neque aliam nisi impœnitentiæ : nam si quis est fornicatus, et alius pejeravit, et postea pœnitere nolint, non contrahent novam malitiam fornicationis, aut perjurii ; sed uterque unicum ejusdem speciei impœnitentiæ peccatum, licet peccata, ob quæ pœnitentiam nolunt agere, diversæ speciei sint.

Pars 2ª. sequitur ex modo dictis. Talis enim non ad tempus, sed in perpetuum spernit amicitiam, beneficentiam et gloriam Dei : atque ita peccat ex proposito in Deum Patrem, qui ipsum creavit et vocavit ; *Filium Dei conculcat, sanguinem testamenti pollutum ducit, in quo sanctificatus est; et Spiritui gratiæ contumeliam facit,* ut habetur Hebr. 10. v. 29. Totam ergo SS. Trinitatem gravissime offendit. Denique sui hostis infensissimus immensa et infinita mala sibi sponte accersit.

92. *Obj. I.* Si impœnitentia est speciale peccatum, quilibet impœnitens necessario cum infinitis peccatis moreretur : nam de ipso etiam peccato impœnitentiæ teneretur dolere, cujus neglectu nova impœnitentia se obstringeret, de qua iterum teneretur pœnitentiam agere, sicque peccaret in infinitum.

R. *N. sequelam utramque.* Qui peccati unius, v. g. homicidii reus morte improvisa abripitur, quin ante de pœnitentia cogitaverit, damnatur ob unicum duntaxat peccatum homicidii. Qui vero statuit non pœnitere, non tenetur, dum in hoc malo proposito perseverat, de eo pœnitere : impossibile enim est peccare simul et pœnitere.

93. *Obj. II.* Omnia peccata mortalia adversantur justitiæ et caritati Dei et sui ipsius; ergo impœnitentia non est speciale peccatum contra justitiam, cujus species est pœnitentia, et contra caritatem, sed malitia illius transcendit omnia peccata mortalia.

R. *D. Ant.* Omnia peccata mortalia adversantur justitiæ et caritati, malitia aliqua communi et generica *C.* malitia quadam peculiari, et ultima quadam differentia specifica soli proposito non pœnitendi propria *N. Sic Dist. Cons. et præcipue ejus* 2ᵃᵐ. *part.* Impœnitentia malitia generica, materialiter eadem et communis transcendit omnia mortalia peccata *C.* impœnitentia malitia specifica, formaliter diversa et propria transcendit omnia peccata mortalia *N.* Quamvis inobedientiæ malitia transcendat omnia peccata mortalia ; qui tamen de industria statueret non obedire Deo, peculiare peccatum inobedientiæ, etiam in confessione explicandum committeret. Eodem modo licet omne peccatum adversetur caritati et justitiæ ; si quis tamen proponeret non pœnitere, ultimæ ac specificæ differentiæ peccato impœnitentiæ se obstringeret, cujus malitia in eo consistet, quod specia-

tim opponatur, tum debito satisfaciendi Deo, tum æternæ conjunctioni cum Deo per amorem, et adeptioni salutis, quam impœnitens irreparabiliter excludit, omnem illius spem sibi præcidendo. Secundum hanc doctrinam apparet, quomodo S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 2. in θ. dixerit, impœnitentiam, eo modo, quo dicit permanentiam in peccato, non esse speciale peccatum, sed quamdam peccati circumstantiam : nimirum accepit impœnitentiam negative pro omissione pœnitentiæ secundum se, et permanentiam pro continuatione actus : sicut etiam in 2. d. 43. a. 3. ad 3. ait, perseverantiam esse tantum circumstantiam virtutum.

Advertendum tamen est, quod S. Thomas dicta quæstione 14. tractans de peccatis in Spiritum sanctum, solo directo proposito non pœnitendi doceat peccatum impœnitentiæ in Spiritum sanctum committi. Hinc cum art. 1. in θ. retulisset doctrinam B. Augustini serm. 11. de Verb. Dom. (al. 71.) dicentis, peccari in Spiritum sanctum impœnitentia finali, quæ corde, ore, et opere potest contingere; in responsione ad 3. ait, hoc non esse speciale peccatum : *Nam finalis impœnitentia potest esse circumstantia cujuslibet generis peccati.* Hoc autem S. Thomæ usitatum est, ut, quando unum peccatum habet plures circumstantias, quæ ei diversas malitias addere queunt, non vocet plura peccata, sed unum; quod sit ex objecto unius speciei, pluribus licet affectum circumstantiis. Circumstantia ergo persistendi in peccato lethali secundum se non variat speciem, nisi quando urget necessitas ad actum pœnitentiæ exercendum. Quo in casu etsi omissio pœnitentiæ virtualiter solum voluntaria peccatum in Spiritum sanctum esse B. Thomæ non videatur; peccatum tamen mortale impœnitentiæ esse, ac ejusdem speciei, cujus est impœnitentia directe volita, ex eodem S. Doctore intelligimus, qui 3. p. q. 84. a. 7. ad 1. et 2. tradit, esse præceptum naturale pœnitendi : constat autem ad eamdem peccati speciem pertinere præcepti violationem, sive directe, sive indirecte voluntaria fuerit.

DISPUTATIO II.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Tractabitur hic I. de veritate hujus Sacramenti. II. De ejus forma. III. De contritione. IV. De confessione. V. De satisfactione. VI. De indulgentiis. VII. De pœnitentia publica. VIII. De ministro hujus Sacramenti, præmissa de eodem sacramento summa doctrinæ catholicæ ex conciliis FLORENTINO et TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini de Pœnitentia sub Eugenio IV. an. 1439. *pro Armenis.*

Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo,* etc. Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.

Canones Concilii Tridentini de sanctissimo Pœnitentiæ sacramento, Sess. 14. *die* 25. *Novembris an.* 1551. *sub Julio III.*

I.

Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

II.

Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt : non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.

IV.

Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.

VI.

Si quis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

X.

Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo; et, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quomimus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse ; anathema sit.

XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

XIV.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

XV.

Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad absolvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

CAPUT I.

DEMONSTRATUR VERITAS HUJUS SACRAMENTI.

—

ARTICULUS I.

AN PŒNITENTIA SIT PROPRIUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

94. *Nota I.* Montanistæ et Novatiani a non paucis dicuntur Pœnitentiæ sacramentum negasse : verum ut disput. præcedente c. 1. art. 4. ex ipsorum Montanistarum et Novatianorum scriptis docuimus, in eo solum errore hæretici illi versabantur, quod putarent, non esse in Ecclesia potestatem graviora quædam crimina remittendi iis, qui post baptismum in ea sunt prolapsi, sed illorum veniam a solo Deo per jugem in hac vita pœnitentiam impetrari oportere.

Eodem modo nullus veterum, qui Waldenses impugnarunt, hoc ipsis errori tribuit, quod pœnitentiam ex albo sacramentorum expunxerint : imo conceptis verbis asserunt, ipsos agnovisse potestatem in Ecclesia vere pœnitentibus dimittendi peccata. Quoad usum tantum hujus potestatis ipsos errasse testatur Reinerus L. de Sacramento pœnitentiæ contra Waldenses c. 5. quod dicerent, *nullum a malo sacerdote absolvi posse : bonum laicum habere absolvendi potestatem; bono laico potius, quam malo sacerdoti esse confitendum : non esse injungendas graves pœnitentias exemplo Christi*, etc.

Nota II. In confessionis Augustanæ Apologia c. 7. de numero et usu sacramentorum, Lutherani ita protestantur : *Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie sacramenta... Vere igitur sunt sacramenta baptismus,*

cœna Domini, absolutio, quæ est sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti.

Etiam hisce adhuc temporibus videntur Lutherani Saxones pœnitentiam tanquam verum novæ legis sacramentum agnoscere : nam in catechismo minore Lutheri, quo utuntur, titulo de Confessione, ad q. 1. ita habetur : *Confessio duo comprehendit ; unum est peccata confiteri : alterum est absolutionem sive remissionem a confessario sive prœcone Evangelii accipere, tanquam ab ipso Deo, et non dubitare, sed firmiter credere, peccata per illam absolutionem coram Deo in cœlo remissa esse.* Et ad q. 2. *Coram ministro autem debemus tantum ea peccata confiteri, quæ nobis cognita sunt, et quæ in corde sentimus.* Tum minister audita confessione, ita jubetur interrogare confitentem : *Num meam remissionem credis esse Dei remissionem? Affirmanti et credenti porro dicat : Fiat tibi sicut credis. Et ego ex mandato Domini nostri Jesu Christi remitto tibi tua peccata in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti., Amen.*

Quamvis autem Lutherus sub initium libri de Captiv. Babyl. ita scribat : *Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, pœnitentia, panis ;* circa finem tamen libri ejusdem sententiam mutat, aitque : *Pœnitentiæ sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi, quam viam ac reditum ad baptismum.*

Item Melanchton in Locis commun. an. 1522. editis, tit. de Pœnitentia : *Sacramentum ejus,* inquit, *vel signum non aliud nisi baptismus est : atque hic omnium rectissime vocetur sacramentum pœnitentiæ.* Eamdem pœnitentiam e numero sacramentorum deturbarunt Zwinglius L. de vera et falsa Religione, cap. de Sacramentis, Calvinus L. 4. Instit. c. 19. §. 15. Mathias Flaccus Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis c. 18., Kemnitius, Wigandus, Selneckerus, et plerique Novatorum.

95. *Dico.* Pœnitentia seu ritus ille, quo Christiani pœnitentes et peccata sacerdoti confitentes ab eodem absolvuntur, est verum ac proprium legis novæ sacramentum.

Prob. I. Ex Scriptura. Christus, Joan. 20. v. 21. et seqq. ait Apostolis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* Verbis hisce Christi tres conditiones continentur, quæ ad sacramentum verum ab ipsis etiam Lutheranis requiruntur, nimirum ritus externus, promissio gratiæ, et mandatum divinum. Nam primo symbolum externum inde apparet, quod Apostoli peccata remittere non potuerint, nisi fideles illa fuerint confessi, et quidem cum signis doloris, quia non remittuntur peccata, quæ non retractantur per pœnitentiam : neque item fideles poterant scire remissa sibi peccata esse, nisi signo externo a sacerdotibus percepto id intellexerint.

Deinde his ipsismet Christi verbis, *quorum remiseritis peccata,* etc. exprimitur gratiæ promissio ritui externo divinitus annexa, eo quod nullum peccatum sine Christi gratia remittatur.

Denique mandatum suum Christus satis declarat, dum ait : *Sicut misit*

me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, etc. Et Apostolus 2. Cor. 5. v. 18. *Dedit nobis ministerium reconciliationis.*

Prob. II. Ex Traditione. Patrum universorum consensus semper intellexit, Christum Joan. 20. dum insufflavit in discipulos, tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus communicasse : et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit atque condemnavit. Hactenus Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 1. Contra eosdem Novatianos S. Ambrosius L. 1. de Pœnitentia c. 2. ita disputat : *Sed aiunt, se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus : Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum detinueritis, detenta erunt ; quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget, et relaxet,* etc.

S. Augustinus epist. 50. (al. 185. ad Bonifacium Comitem n. 45.) scribit, quod aliquis post criminis gravioris pœnitentiam ad Clericatum non admittatur, vel inde ejiciatur, *non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo.*

Tertullianus adhuc Catholicus contra hæreticos, qui præter baptismum, nullam in Ecclesia potestatem remittendi peccata docebant, libro de Pœnitentia c. 7. ita scribit : *Hæc venena providens Deus, clausa innocentiæ janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere : collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Idem Tertullianus jam Montanista L. de Pudicitia, initio, in S. Zephyrinum Papam ita invehitur : *Audio edictum esse propositum, et quidem peremptorium, Pontifex scilicet Maximus, quod est, Episcopus Episcoporum edicit : Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Ergo jam primis Ecclesiæ seculis Pontifices Romani potestatem sibi esse dimittendi peccata crediderunt.

S. Cyprianus L. de Lapsis n. 29. *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes, apud Deum grata est.*

Plura Patrum testimonia in hanc rem dabit Bellarminus de Pœnitentia L. 1. c. 10. et seqq.

Prob. III. Ex Conciliis. Concilium Eliberitanum, sub initium sec. IV. celebratum, can. 76. (Labb. t. 1. p. 978. D.) decidit, diaconum in grave crimen prolapsum, si sponte fuerit confessus, acta legitima pœnitentia, post triennium ad communionem admittendum : si alius detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, ad laicam communionem amandandum. Qui canon non solam ceremoniam externam, sed absolutionem etiam a peccatis intelligit.

Concilium Nicænum cap. 8. (Labb. t. 2. p. 31. D.) præcipit, ut non ante

Novatiani sive καθαροὶ in Ecclesia recipiantur, quam scripto professi sint, se etiam lapsis communicaturos, quos, licet ab Ecclesia veniam obtinuissent, refugiebant; ergo Patres Concilii Nicæni crediderunt, ab Ecclesia remitti posse gravissima crimina, quale erat lapsorum in idololatriam.

Huc pertinet, quod Constantinus M. teste Socrate L. 1. c. 7. (al. 10.) Asterio Novatiano episcopo improperat : *Erigito tu tibi scalas, Asteri, et ad cœlum solus ascendito.* Nimirum Asterius cum Novatianis negabat potestatem esse in Ecclesia dimittendi baptizatis graviora crimina, aiebatque, horum veniam non a sacerdotibus concedi posse, sed a Deo solo ærumnis pœnitentiæ tota vita agendæ illam extorqueri oportere.

Concilium Florentinum in decreto Eugenii ad Armenos, de septem Sacramentis, §. *quartum,* Pœnitentiam inter sacramenta novæ legis numerat. Et Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 1. et Sess. 14. can. 1. aliter docentes ac dicentes damnat. Quod idem ante jam factum fuit cap. *Ad abolendam.* Extra, de Hæreticis.

Consentiunt huic doctrinæ Scholastici Theologi omnes cum Magistro sentent. 4. d. 14. ac tota Ecclesia græca non catholica tantum, sed etiam schismatica : nam Hieremias Archiepiscopus Constantinopolitanus in responsione ad Augustanam Confessionem a Lutheranis Tubingensibus sibi per Stephanum Gerlachium oblatam an. 1574. clare profitetur c. 7. Pœnitentiæ sacramentum inter septem vera sacramenta numerari ab Ecclesia græca. Veritatem hanc confirmant et approbant episcopi Græci in Synodo Bethlehemitica præside Dositheo Patriarcha Hierosolymitano congregati an. 1572.

96. *Obj. I.* Utriusque Testamenti pœnitentia eadem est, tam quæ a Prophetis, quam quæ a Joanne Baptista, a Christo et Apostolis prædicata est : atqui pœnitentia prædicata a Prophetis sacramentum non erat; neque ea, quam Joannes Baptista et Christus prædicarunt, ut fatetur Concil. Tridentinum Sess. 14. c. 1. Quin et Petrus et Paulus protestantur, se eam pœnitentiam docere, quæ a Prophetis testimonium habet; ergo pœnitentia novæ legis non est sacramentum.

R. *D. M.* Utriusque Testamenti pœnitentia, prout virtus, est eadem *C.* pœnitentia, quatenus sacramentum, est eadem *N.* et *concessa* 1ª. *parte Assumpt., ad ejus alteram partem*

R. Quod Joannes et Christus etiam prædicarint pœnitentiam virtutem solum, quæ erat dispositio necessaria ad baptismum : sacramentum autem pœnitentiæ tunc prædicari et suaderi non poterat, eo quod post Christi resurrectionem demum fuerit institutum. Verba enim Christi Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum,* etc. Et 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram,* etc. promissiones futuræ potestatis tantum erant. Petrus Act. 10. v. 43. ait, Prophetas testari remissionem peccatorum futuram Christi nomine. Paulus autem Act. 26. v. 20. indicat pœnitentiam, qua infideles ad baptismum præparantur; et addit, a Prophetis prædicta fuisse mysteria adventus, passionis et resurrectionis Christi.

Inst. 1. Cum Luc. ult. v. 47. dicitur : *Oportebat in nomine ejus prædicari pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes;* idem omnino exprimitur, quod Joan 20. ait Christus : *Quorum remiseritis peccata,* etc. : atqui verbis illis Luc. ult. exprimitur tantum potestas facta remittendi pec-

cata infidelium per baptismum et præviam pœnitentiæ virtutem; ergo hæc eadem potestas solum indicatur verbis Christi, Joan. 20.

R. *N. M.* Verba Christi, Luc. ult. tantum generatim enuntiant, prædicandam esse omnibus gentibus pœnitentiam et remissionem peccatorum in nomine Christi : Joannis autem 20. Christus confert Apostolis potestatem remittendi et retinendi peccata; quod longe aliud est a priore. Ex quibus apparet falsitas assumpti et consequentiæ. Quod autem hæretici dicunt, Christum verbis illis, *accipite Spiritum sanctum*, etc. dedisse Apostolis tantum potestatem prædicandi Evangelium, ex cujus auditu fides concipiatur, qua peccata remittantur, id sane ridiculum est, et SS. Patribus ignotum. Equidem Hieronymus epist. 150., Ambros. L. 10. in Luc., Chrysostomus hom. 70. ad populum, ac Patres cæteri potestatem judiciariam Apostolis et ipsorum successoribus verbis illis traditam agnoscunt; ut proinde Concil. Tridentinum Sess. 14. can. 3. hanc genuinam Patrum traditionem asserat, et interpretationem hæreticorum de nuda prædicatione Evangelii juste damnet.

Nec refert, quod Jansenius Gandavensis et Joannes Ferus cum S. Cyrillo L. 12. in Joan. (opp. t. 4. p. 1101. D.) in illa verba, *quorum remiseritis*, etc. scribant, tunc Sacerdotes fidelibus peccata remittere, cum probatos ad baptismum admittunt : tunc peccata retinere, quando indignos a baptismi gratia prohibent. Nam præterquam quod hoc foret merum officium declarandi omnibus Christianis commune, neque parvulis baptizandis possit accommodari; sensum genuinum S. Cyrillus mox ipse aperit, ita subjiciens : *Vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt.*

Inst. 2. Christus Joan. 20. ait Apostolis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Sed Christus ipse remisit peccata sine sacramento; ergo idem fecerunt Apostoli.

R. *Explic. testimonium cit.* Christus ait, ex eodem fine mitti ab se Apostolos, ex quo ipse missus est *C.* eodem modo etiam ab Apostolis adhibenda esse salutis alienæ media, quo ipse illa adhibuit *N.* Potestate excellentiæ eminebat Christus, cum Apostolorum tantum esset potestas ministerialis, quamvis eodem ex fine agerent, de quo Paulus 2. Cor. 5. v. 18. *Dedit nobis ministerium reconciliationis; et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Quapropter impudentissime mentitur Kemnitius, dum part. 2. Examinis Conc. Trid. cap. 4. pag. 921. scribit, quod Catholici doceant, *Apostolos aliam pœnitentiam docuisse, quod ad substantialia attinet, qua impii ante baptismum ad Deum convertantur; et aliam diversam, qua lapsi post baptismum cum Deo in gratiam redeant.* Contrarium enim omnino omnes tenemus, et declarat Tridentinum Sess. 6. cap. 6. et 7. et cap. 14. ubi dicuntur peccata remitti per Christi merita, præcedente fide et pœnitentia, ac Deo corda excitante et adjuvante, etc. Eadem enim prorsus est pœnitentiæ substantia, sive assumatur in partem sacramenti, sive non : sive distinctam peccatorum enumerationem et opera laboriosa cum absolutione sacerdotis illi adjunxeris, ut post baptismum contingit; sive hæc illi desint, ut ante baptismum solet. Hæc enim pœnitentiæ solum accidunt.

Inst. 3. Nuspiam legitur, Apostolos exegisse enumerationem peccatorum, injunxisse mulctam, aut absolutionem impertiisse; ergo.

R. *N. Cons.* Nec uspiam legitur, Apostolos pronuntiasse inter baptizandum verba : *Baptizo te in nomine Patris*, etc. aut peccatorum remissionem confessis fidelibus annuntiasse, ut Lutherani faciunt. Sufficit ergo nobis, quod Christus Apostolis injunxerit officium remittendi et retinendi peccata, et quod Ecclesia Catholica hunc ritum semper observaverit : quod est argumentum certissimum, ab Apostolis illum promanasse, cum a nullo Concilio constet esse institutum, ut docet B. August. L. 4. de Baptismo c. 24. n. 31.

97. *Obj. II.* Christus Joan. 20. jussit Apostolos impertiri fidelibus remissionem peccatorum : non autem jussit, ut prolatis verbis illa fieret. Atqui remissio peccatorum solo actu interno concedi potest ; ergo ex illis Christi verbis nondum colligitur ritus externus, qui sacramentum constituat.

R. *N. Ant.* Christus remissionem illam per modum judicii voluit institui : in judicio autem humano sententia exterius proferri debet. Hanc Christi institutionem perpetua Ecclesiæ praxis probat, quæ nullum unquam peccatorem sine conceptis verbis absolvit. Hinc illud Augustini L. 5. de Bapt. c. 20. *Quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?*

Inst. Multi Scholastici post Magistrum docuerunt sacerdotem declarare tantum peccata per contritionem et satisfactionis propositum pœnitenti dimissa esse ; ergo etiam Catholici non tenuerunt pœnitentiam esse sacramentum, quo gratia et peccatorum remissio conferatur.

R. *N. Cons.* Richardus et Hugo Victorinus referunt quidem, docuisse quosdam, datam a sacerdotibus absolutionem nonnisi peccati prius remissi declarationem esse ; sed addunt, errasse illos in hoc capite. Imo sunt ex recentioribus quidam, qui hanc Magistri sententiarum et aliorum quorumdam opinionem a Concilio Tridentino damnatam fuisse arbitrantur. Verum Theologorum istorum sententia, qui perfectam contritionem ad sacramentum Pœnitentiæ requirebant, ab errore et condemnatione Conc. Tridentini vindicatur ab Andrea Vega Franciscano, qui et Concilio Tridentino interfuit, et ipsius decretum de justificatione commentariis illustravit L. 13. c. 33. Nam, ut inquit Cardinalis Pallavicinus L. 12. Hist. Conc. Trid. c. 12. *Concilium eorum tantum errorem damnavit, qui dicebant, absolutionem esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata.* Tametsi vero Theologi illi cum Magistro doceant, per contritionem confessioni præmittendam, peccatum continuo remitti ; hac ipsa tamen contritione propositum confitendi et satisfaciendi, atque ipsum etiam votum absolutionis contineri asserunt : unde licet absolutio, cum datur, sit modo judiciali declarativa peccati prius remissi ; peccatum tamen independenter ab ea, saltem in voto recepta, non dimitti concludunt. Sed et ipsam absolutionem ad gratiæ augmentum, et ad remissionem pœnæ debitæ pro peccatis, aiunt prodesse. Huic Andreæ Vegæ judicio suffragantur Dominicus Sotus, et Alphonsus Salmeron, ambo Synodi Tridentinæ Theologi.

98. *Obj. III.* Apud Lutheranos et Calvinistas nulla est auctoritas Conciliorum Tridentini et Florentini, neque Romanorum Pontificum aut Episco-

porum Græcorum, multo minus Theologorum Scholasticorum; ergo horum testimonia incassum adversus Novatores proferuntur.

R. *N. Cons.* 1°. Ex testimoniis illis probamus continuam seriem doctrinæ ejusdem ab ortu Ecclesiæ usque ad nostram ætatem. 2°. Ex perenni consensu Ecclesiæ latinæ et græcæ, schismaticæ etiam, sequitur, Pœnitentiæ sacramentum ab Romanis Pontificibus non fuisse confictum. 3°. Testimonia citata hoc evidens argumentum nobis suggerunt: Aut Ecclesia universa quingentis annis in gravissimo errore est versata: aut verum est quod nos ab eadem Ecclesia de Pœnitentiæ sacramento didicimus. Ecclesiam autem universam errare non posse docet Apostolus 1. Tim. 3. v. 15. *columnam et firmamentum veritatis* illam asserens. Ergo doctrina nostra de Pœnitentiæ sacramento vera est.

Inst. 1. S. Joannes Chrysostomus (opp. t. 7. p. 608. A.). Anastasius Sinaita, et Theophylactus, verba illa Christi Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis et solveritis*, etc. aiunt ad omnes Christianos pertinere, propter verba antecedentia: *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. ita ut sensus verborum Christi sit: si aliis injuriam remiseritis, Deus etiam vestra peccata remittet; si retinueritis, et ipse vobis retinebit; ergo ex illo testimonio non satis probatur, datam fuisse sacerdotibus peculiarem potestatem remittendi peccata.

R. *N. Cons.* Expositio ista, ut multæ aliæ expositiones Origenis, a quo illam B. Chrysostomus petiisse videtur, duriuscula est, nec plane contextui Evangelico consona, ubi persona offensa clare distinguitur a testibus, coram quibus offendens est corripiendus, et ab Ecclesia, ad quam idem obstinatior deferendus est. Nam cum Christus dixisset: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, illico subdit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram*, etc. Igitur genuina orationis Christi explicatio est, quam Patres universim tenent, in Ecclesia specialem esse potestatem ligandi et solvendi, eamque a solis præsulibus et sacerdotibus, queis Christus auctoritatem istam cum Spiritu sancto communicavit, legitime exerceri.

Quam quidem sacerdotum potestatem idem B. Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio c. 5. (opp. t. 1. p. 383. et seqq.) magnifice extollens, *Etenim*, inquit, *qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata et in cœlo; et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta in cœlo... Habent quidem terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit: usque adeo ut quæcumque sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem esse illis a Deo concessam? Quorumcumque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur eis, et quorumcumque retinueritis, retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat?* Tum sacerdotes nostros supra legis Mosaicæ sacerdotes extollens, *at vero*, ait, *nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas pro-*

bare, sed purgare prorsus concessum est. Denique argumentum ex illis Christi verbis Joan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater*, etc. nuper a nobis ductum S. Doctor ita stabilit : *Pater omne judicium Filio dedit : cæterum video, ipsum omne judicium a Deo Filio illis traditum. Nam quasi jam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt.*

Quæ hactenus ex B. Doctoris libro de Sacerdotio paulo fusius recitavimus, potestatem dimittendi peccata sacerdotibus manifeste asserunt. Nec moveri debemus, quod idem S. Doctor homil. 15. in Matth. (opp. t. 7. p. 194. A.) scribit : *Liberare a putredine peccatorum, Christi profecto virtutis est; ut autem non ad illa iterum revertantur, Apostolorum curæ ac laboris*, etc. non enim hic de administratione sacramenti pœnitentiæ, sed de sanctæ conversationis exemplo, deque prædicationis officio, queis Pastores Ecclesiæ populo ad veram fidem et justitiam Christianam converso præire, eumque a vitiis compescere, et ad virtutum studia hortari tenentur.

Inst. 2. Solus Deus potest peccata remittere, ut pluribus S. Scripturæ testimoniis confirmari potest, præsertim Luc. 5. v. 21. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et Isai. 43. v. 25. *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas.* Ergo non datur sacramentum, quo sacerdotes confitentibus peccata remittant.

R. *D. Ant.* Solus Deus potest peccata remittere potestate primaria et principali *C.* potestate secundaria et ministeriali *N.* Quamvis *impossibile videbatur, per pœnitentiam peccata dimitti : concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est*, inquit B. Ambrosius L. 2. de Pœnitentia c. 2. (opp. t. 2. p. 419. A.) Quibus ex verbis liquet, hunc S. Doctorem nihil acatholicis favere, dum L. 3. de Spiritu sancto c. 18. (opp. t. 2. p. 694. A.) *Per Spiritum sanctum*, inquit, *peccata donantur. Homines autem in remissione peccatorum ministerium exhibent, non jus alicujus potestatis exercent* : nam Spiritum sanctum, quod is primaria et præcipua auctoritate peccata dimittat, Deum verum esse concludit, id quod libris illis probandum susceperat.

Inst. 3. B. Augustinus tract. 3. in Joan. n. 16. *Servus*, inquit, *agere secundum legem potest, solvere a reatu legis non potest.* Idem clarius adhuc confirmat S. Cyprianus tract. de Lapsis n. 17. sic scribens : *Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri.* Ergo nullus sacerdotum potest a peccatis absolvere.

R. *D. Cons.* Nullus sacerdotum potest a peccatis absolvere auctoritate propria, naturali, eaque infinita, quæ Dei est, aut potestate excellentiæ, qua pollet Christus *C.* potestate ministeriali a Christo communicata nullus sacerdotum potest a peccatis absolvere *N.* Patres ambo monent, sacerdotibus non concessam fuisse potestatem absolutam nullisque legibus vinctam, qua pro sua libidine gratiam indignis impendant, sed reconciliationis ministerium impositum illis fuisse, quo erga vere pœnitentes utantur, eisque peccatorum veniam secundum leges a Christo præscriptas ministeriali facultate concedant. Eapropter jure a Patribus castigatur intempestiva sacerdotum quorumdam indulgentia, qui invito Christo, *ante expiata delicta*, ut S. Cyprianus libro laudato n. 16. ait, *ante exomologesin factam criminis*,

ante purgatam conscientiam, lapsis falsam pacem restituunt, periculosam dantibus, accipientibus nihil profuturam.

His consentit B. Hieronymus, dum commentario in c. 16. Matth. (opp. t. 7. p. 125. A. edit. Vallarsi.) invectus in Episcopos et Presbyteros, qui Pharisæorum sibi supercilium assumentes, quosvis sontes et insontes se pro libitu solvere ac ligare posse, causa non cognita, gloriabantur, mox ita eos hortatur : *Episcopus et Presbyter pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive solvendus.* Eorumdem et Presbyterorum in Ecclesia potestatem, epist. 1. ad Heliodorum, magna reverentia extollit his verbis : *Absit ut de his* (clericis) *quidquam sinistrum loquar, quia Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos et nos Christiani sumus; qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant.*

Inst. 4. Ministrorum absolutio præsumit pœnitentem spiritualiter jam viventem, et peccati condonationem a Deo factam : in cujus confirmationem Patres proferunt exemplum Lazari, quem prius a morte ad vitam Christus suscitavit, quam discipulis solvendum a fasciis sepulcralibus commiserit. Ita enim Gregorius M. hom. 26. in Evang. (opp. t. 1. p. 1555. D.) *Tunc,* inquit, *vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis... Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum.* Et B. Augustinus serm. 67. de verbis Evangelii, alias 8. de verb. Dom. *Quis*, inquit, *eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit : foras prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi resuscitatus esset.* Ergo secundum Patrum sententiam, sacerdotes non remittunt peccata, sed veniam illorum divinitus factam esse tantum declarant.

R. *N. Ant.* B. Augustinus duos in peccatore ad justitiam traducto effectus agnoscit : alter quidem est gratia excitans et adjuvans ad odium peccati, ad melioris vitæ propositum, et ad sinceram peccatorum confessionem, qua velut inchoatæ et imperfectæ vitæ motus exercet; atque vita hæc a solo Deo intus vocante et operante oritur : alter vero effectus provenit ab Ecclesia exterius ministrante, et a vinculis peccatorum solvente, cui dictum est, *quæ solveritis super terram,* etc., et a Deo ipso ratam Ecclesiæ sententiam habente, ut ita expeditus peccator omnes vitæ perfectæ motus edere possit. Atque ista luculenter tradit idem S. Doctor loco nuper citato : tum vero concione 2. in Ps. 102. n. 3. *Remissio*, inquit, *peccatorum solutio est... Cum audis, hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit : cum audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus. Quando solvitur? a quibus solvitur? Quæ solveritis in terra, inquit, erunt soluta et in cœlo. Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem ipse mortuus, non nisi intus clamante Domino, potest : hæc enim Deus interius agit.* Eamdem vero B. Gregorii mentem fuisse ex homilia nuper indicata intelligi licet, ubi, *videndum*, inquit, *est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat.* Ex quibus apparet, quo sensu *absolutio præsidentis sequi debeat arbitrium judicis æterni.* Cæterum Patres constanter asserunt, ante sacerdotum sen-

tentiam in terris latam peccata in cœlis a Deo non dimitti. Ac S. quidem HILARIUS in cap. 16. Matth. (opp. t. 750. A.) exclamat : *O beatus cœli janitor ! cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo ; ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo.* S. Joan. CHRYSOSTOMUS hom. 4. in illud : *Vidi Dominum* (opp. t. 6. p. 132. E.) : *A terra*, inquit, *judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum.* Et S. BERNARDUS serm. 1. in Natali Apost. Petri et Pauli (opp. t. 1. p. 990. B. edit. Mabill.) *Sententia Petri*, ait, *præcedit sententiam cœli.* Non quod proprie sint duæ sententiæ : una enim solum est, ac præcipue a Deo, et hoc quidem in genere prior ; nihilominus hominis sententia dicitur præcedere, vel quia exterior absolutio ordine naturæ antecedit interiorem, vel quia proxime inchoatur, et quasi definitur sententia a sacerdote, et infallibiliter consequitur effectum, et rata habetur in cœlo.

Inst. 5. S. AUGUST. serm. 99. de verbis Evang. S. Luc., alias 23. ex hom. 50. c. 8. n. 8., reprehendens eos, qui arroganter dicunt : *ego dimitto, ego mundo, ego sanctifico : Respondeat illi*, subjicit S. Doctor, *non ego, sed Christus;* ergo negavit penes sacerdotes esse facultatem peccata dimittendi.

R. *N. Cons.* S. Augustinus et Patres cæteri potestatem excellentiæ Christo soli adscribunt : ministerium autem et communicatam sacerdotibus a Christo potestatem eadem peccata remittendi iidem pluribus extollunt, ut hactenus affatim demonstravimus. Quanquam B. Augustinus loco laudato impudentiam Donatistarum præcipue petat, qui vim sacramentorum ex suæ sectæ ministrorum sanctitate pendere jactabant, quasi nullum foret sacramentum, quod ab hæretico, aut alio malo ministro fuerit collatum.

ARTICULUS II.

AN HOC SACRAMENTUM INSTITUTUM SIT PER MODUM JUDICII ?

99. *Nota.* Hactenus satis ad propositum nostrum ostendimus, sacerdotibus potestatem remittendi ac retinendi peccata a Christo fuisse impertitam. Ex quibus Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 2. et 5. legitime intulit, sacramentum hoc ad formam judicii divinitus ordinatum esse, quod institui rite non possit, nisi pœnitentes peccata sua sacerdotibus aperiant.

Quid de confessione senserint olim Montanistæ et Novatiani, ex supra dictis licet intelligi.

Audiani hæretici, qui tempore Valentiniani senioris Ecclesiam vexabant, *jubebant quidem unumquemque peccata sua confiteri : deinde confessis dabant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes*, ut narrat Theodoretus L. 4. Hæret. Fab. c. 10. (opp. t. 4. p. 242. C.).

Eumdem morem tenuerunt Waldenses, tantum pauculas preces confessis injungere soliti : nec aliis, dicebant, confessionem fieri debere, quam *Barbatis*, hoc est sectæ suæ Presbyteris, penes quos tantum putabant esse facultatem absolvendi. Postea anno 1530. a Bucero et Œcolampadio rogati,

ut revocarent articulum, quo profitebantur confessionem auricularem juris esse divini, detrectarunt id facere Barbati seu Waldensium ministri, causati, quod articuli illius proscriptione erroris labes iis inureretur, qui ad ea usque tempora feliciter rexerant Waldensium Ecclesias, ut testatur Ægidius in histor. reform. c. 5. Nihilominus anno 1536. a Farello Calvini emissario inducti, proscripto hoc eodem articulo, Calvinismum in omnibus capitibus amplexi, et in unam cum Genevensibus synagogam redacti sunt.

Seculo 14. Joannes Wicleffus docuit, omnem exteriorem confessionem superfluam esse et inutilem ei, qui debite fuerit contritus, ut habet art. 7. et 45. damnatis a Concilio Constantiensi Sess. 8.

Seculo 16. Desiderius Erasmus Roterodamus in annot. ad epist. S. Hieron. ad Ocean. de obitu Fabiolæ, et ad cap. 19. Actor. et in methodo Theologiæ, et Beatus Rhenanus in annot. ad L. Tertull. de Pœnit. ausi sunt jactare, confessionem non semper fuisse in usu, nec divino esse instituto introductam.

Post hos Lutherus in serm. de Confess. et Eucharist. edito an. 1519. ait, confessionem, quæ fit coram sacerdote, non esse præceptam a Deo, sed a Papa : utilem tamen esse pronuntiat in visitatione Saxonica an. 1528. Anno autem 1537. in articulis Smalcaldicis, de Confessione dicit, enumerationem peccatorum debere esse liberam, ut quisque enumeret illa, quæ voluerit.

Nec solum confessionis institutionem divinam negat esse Calvinus, sed ait insuper, rem esse pestilentem et noxiam Ecclesiæ L. 3. Instit. c. 4. §. 7. et 19. Nihilominus §. 12. arbitratur, expedire aliquando solatii causa, aliqua, de quibus nimium angimur, ministro confiteri.

100. *Dico.* Sacramentum Pœnitentiæ a Christo proxime est institutum ad formam judicii, quo nimirum fideles sacerdoti peccata suâ aperiant, et ab eo sententiam excipiant.

Prob. I. Ex Scriptura. Christus, Matth. 16. v. 19. talis judicii institutionem promisit, dicens Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Et c. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Joannis autem 20. v. 22. potestatem eamdem Apostolis reipsa contulit, dando eis Spiritum sanctum et dicendo : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Atqui non possunt ministri Christi ligare aut solvere fideles, retinere vel remittere peccata, nisi illa noverint, juxta illud Prov. 12. v. 17. *Qui judicat quod novit; judex justitiæ est* : non possunt autem pœnitentium cognoscere causas, nisi hi reos se stiterint et suimet accusatores, et quidem peccata sua distincte exposuerint. Ergo dum Christus dedit potestatem ligandi et solvendi, retinendi et remittendi peccata, sacramentum istud in formam judicii instituit.

Act. 19. v. 18. et 19. legimus : *Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus* : ubi versio syriaca sic habet : *Plurimi ex iis, qui crediderant, veniebant, confitebanturque id quod fecerant.* Hic primo confitentur fideles jam baptizati, hi enim proprie

dicuntur credentes, ut constat Act. c. 2. v. 44. c. 4. v. 32. c. 5. v. 14. et 1. Thes. 1. v. 7. et alibi. Et habetur græc. πεπιστευκότων, *qui crediderant.*

Deinde confitebantur sua peccata, ut non tantum Catholici omnes cum Ven. Beda in cap. 1. Marci, sed etiam Melanchthon, Calvinus, Beza, Bullingerus, Sarcerius in Acta Apostolorum, et maxima pars adversariorum exponunt. Et quidem speciatim sua peccata recitabant, quod indicat vox græca, ἀναγγέλλοντες, et syriaca *sahe*, respondens hebraicæ *samar*, numeravit, ut idem sit ac *numerantes peccata sua.* Et quomodo Paulus nosse potuisset, ipsos curiosa sectatos fuisse, aut libros ipsorum igni tradere, si ipsi hujus delicti speciatim se non accusassent?

Denique confessio illa non soli Deo facta fuit, sed etiam homini: ad Paulum enim veniebant, ut confiterentur actus suos; ergo confessio ista a Christo fuit instituta; cum nulla tunc temporis lex ecclesiastica de confessione extaret.

Jacobi 5. v. 16. præcipitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, i. e. non soli Deo, sed homines hominibus, neque omnibus indiscriminatim, sed presbyteris, ut explicant Origenes hom. 2. in Levit., S. Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio, S. Augustinus L. 50. homiliarum, homil. 12., et Patres universim.

Prob. III. Ex Traditione perpetua. Seculo I. S. Barnabas, in epistola num. 19. (inter opera PP. apostol. p. 49. edit. Hefel. 1847.) inter varia salutaria monita, *Confiteberis*, inquit, *peccata tua.* Epistolam autem istam tanquam verum S. Barnabæ opus laudant Clemens Alexandr., Origenes, Eusebius, S. Hieronymus, et critici recentiores, ut etiam Pinius in nova bibliotheca auctorum Eccles. pag. 6.

S. Clemens Rom. epist. 2. (ibid. p. 147. n. 8.) *Quamdiu in hoc mundo sumus, peccatorum, quæ in carne gessimus, ex toto corde pœnitentiam agamus, ut a Domino salvemur, dum pœnitentiæ tempus habemus. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam agere.*

Seculo II. S. Irenæus vir Apostolicus et S. Polycarpi discipulus, L. 1. c. 13. (opp. p. 63. edit. Massuet.) de Marco hæretico et præstigiatore, ac pluribus mulierculis ab eo corruptis disserens: *Hæ*, inquit, *sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo, et velut cupidine inflammatas valde illum dilexisse.* Tum addit de uxore cujusdam diaconi, quæ simile vitium passa est: *Omne tempus in exomologesi consummavit, plangens ac lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc mago, corruptelam.* Et L. 3. c. 4. (ibid. p. 179.) de Cerdone hæretico: *Consummavit*, inquit, *modo quidem latenter docens, modo exomologesin faciens.* Ergo tunc temporis in Ecclesia exomologesis etiam de occultis animi libidinibus in usu erat.

Eodem tempore Montanistæ duos peccatorum ordines statuebant, alia quidem venialia, quæ ab Ecclesia remitti posse credebant, alia irremissibilia, quorum reis, post exantlatos pœnitentiæ labores, a solo Deo veniam exspectandam esse volebant. Utrosque autem Catholici, absoluta pœnitentia ab Episcopo dictata, peccatis absolvebant, teste Tertulliano L. de pudicitia.

Ergo confessio tum erat in usu, ex qua Episcopi qualitatem peccatorum, et dignam quibusque criminibus satisfactionem intelligerent.

Idem TERTULLIANUS in libro, quem adhuc Catholicus de Pœnitentia composuit, postquam ostendit, omnibus omnino peccatis eluendis pœnitentiam esse necessariam, addit, confessionem ejusdem esse necessitatis, etiam quoad secreta animæ vulnera, ita ut pereant, qui ea detegere erubuerint. Cap. 9. *Tantum,* inquit, *relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est; dissimulatio, contumaciæ. Hujus igitur pœnitentiæ secundæ et unius quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* Cap. 10. *Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis... Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?* Et c. 12. *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet; et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites... Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris?* Ex hoc testimonio ipse Beatus Rhenanus confessionis antiquitatem rite colligi fatetur.

Seculo III. ORIGENES hom. 3. in Levit. (opp. t. 2. p. 196. A. edit. Ruæi.), postquam scripsit, occultissima peccata nostra omnia olim publicatum iri ab accusatore dæmone, qui nos ad illa instigaverat, mox subjungit: *Si ergo in vita præveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus: sic enim et alibi Propheta dicit: Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Et hom. 2. in Levit. (ibid. p. 191. B. C.), *Est adhuc,* inquit, *et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum; cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum qui ait: Dixi, pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* Et hom. 17. in Lucam (opp. t. 3. p. 953. A.), de eadem exomologesi disserens: *Si hoc,* inquit, *fecerimus, et revelaverimus peccata nostra, non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua.*

De Philippo imperatore narrat Eusebius L. 6. c. 34., quod cum Christianus esset, et pro more precibus pridie Paschatis interesse voluisset, *eum ab Ecclesiæ aditu prohibuerit Episcopus, quod multis criminibus inquinatus esset; nec eum admiserit, antequam confessionem fecisset, et iis, qui humanitus lapsi fuerant, et in ordine pœnitentium stabant, sese adjunxisset.*

Luculentum item argumentum pro confessione nobis suppeditant Novatiani medio hoc seculo orti, quorum occasione, ut Sozomenus L. 7. hist. c. 16. scribit, institutus fuit Presbyter Pœnitentiarius, ad quem omnes in crimina etiam secreta lapsi accedebant, dignam et congruentem satisfactio-

nem præstandam pro delictorum modo et pravitate ab eo accepturi. Eadem ergo tunc fuit, quæ nunc viget, hac in re Ecclesiæ disciplina.

S. Cyprianus libro de Lapsis n. 28. 29. : *Quanto*, inquit, *et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse : Deus non deridetur... Plus imo delinquit, qui secundum hominem Deum cogitans, evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit... Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Hactenus S. Cyprianus.

Seculo IV. Lactantius L. 4. Institutionum c. 17. cum dixisset, circumcisionem figuram pœnitentiæ fuisse, mox adjicit : Deus *volens vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, ut si cor nudaverimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur; quæ contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, sed intima et arcana pectoris intuetur.* Et cap. 30. agens contra hæreticos, ac nominatim adversus Montanistas et Novatianos : *Quia*, inquit, *singuli quique cœtus Hæreticorum se potissimum Christianos, et suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, in qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Quæ de confessione divinitatis Christi inepte Betuleius interpretatur : agit enim Lactantius de confessione, quæ Novatianorum confessioni opponitur : nam illi in confessione divinitatis Christi non exerrabant; sed confessis et pœnitentibus graviorum criminum veniam ab Ecclesia dari posse negabant.

Synodus Laodicena Can. 2. (Labb. t. 1. p. 1495. C.) jubet confessos et pro diversitate delictorum pœnitentia explatos communioni offerri.

S. Ambrosius L. 2. de Pœnit. c. 6. (opp. t. 2. p. 426. A.) : *Si vis*, inquit, *justificari, fatere delictum tuum : solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum.*

S. Joannes Chrysostomus hom. 20. in Genes. (opp. t. 4. p. 175. C.) postquam multa de confessione sacerdotibus secreto facienda dixisset, ita concludit : *Confessio enim peccatorum abolitio est delictorum.* Et homilia 34. (al. 33.) in Joan. (opp. t. 8. p. 199. A.) *In peccatis nostris vulgandis ne vereamur homines.*

Plura Conciliorum et Patrum testimonia dabit Bellarminus L. 3. c. 5. et seqq.

101. *Obj. I.* Enarratio peccatorum omnium impossibilis est; ergo nec fuit a Deo præcepta, neque ab Ecclesia præcipi poterat. Ita Calvinus Instit. L. 3. c. 4. §§. 17. et 18.

R. *N. Suppos.* quod talem confessionem præceptam fuisse Catholici credant aut doceant. Sicut enim Calvinus ait, in confessione Deo facienda non satis esse, generatim dicere : peccator sum; sed oportere, *quantum in nobis est*, singula peccata accurate confiteri, ac postea addere illud Ps. 18. v. 13.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me : et sicut hæc enumeratio non est impossibilis, neque crudelis carnificina, nec homines facit hypocritas : ita cum in confessione sacerdoti facienda amplius aliquid non requiri tradunt Catholici, etiam ab illis convitiis, secundum judicium ipsorummet hæreticorum, confessio nostra erit immunis. Hanc ipsam responsionem Concilium Tridentinum reddit Sess. 14. cap. 5. et contrarium effutientes jure damnat Can. 6. 7. et 8.

102. *Obj. II.* Ante Innocentium III. nulla lex aut constitutio lata fuerat de peccatorum confessione facienda ; ergo antequam hic laqueum fidelibus injiceret, res erat omnino libera.

R. *N. Ant.* A Christo latam fuisse legem, satis hactenus ostensum fuit : igitur opus non erat, rem a Christo præceptam, et perpetuo Ecclesiæ usu observatam, novis Episcoporum sanctionibus injungi. Quod si lex divina non fuerit, peccata sacerdotibus confitendi, quomodo Patres ausi fuissent, æternæ damnationi obnoxios pronunciare, qui crimina reticuissent ?

Præter Synodos autem supra laudatas, Concilium Carthaginense III. celebratum sub finem seculi IV. Can. 31. (Labb. t. 2. p. 1172. D.) statuit, pœnitentibus pro Episcopi arbitrio tempora pœnitentiæ esse præscribenda. Chabilonense I. seculo VII. Can. 8. (Labb. t. 6. p. 389. C.) jubet, *ut pœnitentibus a sacerdotibus facta confessione indicatur pœnitentia.* Concilium vero Chabilonense II. Can. 32. (Labb. t. 7. p. 1278. E.) non tantum actiones externas, sed etiam cogitationes malas in confessione exponendas esse indicat. Eadem monet Concilium Turonense III. Can. 22., Rhemense Can. 12., Parisiense Can. 32. et 46. celebrata seculo VIII. in Gallia. In Germania vero Concilium Moguntinum III. (Labb t. 8. p. 49. D.) sub Rhabano Archiepiscopo seculo IX. statuit cap. 26. ab infirmis confessionem quidem excipiendam esse, satisfactionem vero eis tantum esse declarandam. Seculo eodem Concilium Wormatiense (Labb. t. 8. p. 950. D.) modum excipiendi confessiones accurate describit.

Quanquam autem hæc omnia non fuissent, nihil tamen inde pro hæreticis conficitur : sicut non sequitur, Eucharistiam fidelibus liberam fuisse antequam lege ecclesiastica fuerat præcepta Communio paschalis.

Inst. Canone *Quidam,* de Pœnit. d. 1. legitur : *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci.* Ergo confessio non est præcepto divino necessaria.

R. *N. Cons.* Hæ duæ voces, *ut Græci,* videntur in textum irrepsisse ex marginali adnotatione imperiti cujusdam Scholiastæ : nec enim habentur in Theodori Cantuariensis capitulari, unde Canon excerptus est : nec in cap. 33. Concilii Chabilonensis II. ex quo Theodorus capitulum exscripsisse videtur : neque L. 4. Sentent. d. 17. ubi eamdem sententiam Magister adducit. At neque in Concilio Florentino super hac re contentio ulla erat inter Latinos et Græcos. E contrario Nicolaus Cabasylas c. 29. explicationis Liturgiæ, (Bibl. magn. Pat. t. 12. p. 480. B.) et Anastasius Sinaita q. 6. super Scripturam, docent necessariam esse hanc confessionem sacramentalem. Ac demum sub finem seculi XVI. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura Confessionis Augustanæ c. 11. reprehendit Lutheranos, quod dicerent,

non opus esse peccata singula speciatim in confessione numerari. Ex quibus patet, quam proterve hodiedum adhuc tamen de Græcis hæretici mentiantur : uti etiam quod Innocentius III. c. *Omnis utriusque*, confessionem privatam instituerit ; cum solum Canon iste fidelibus injunxerit, semel saltem in anno confessionem peragere, ne executio hujus divini præcepti diutius, quam par est, differatur.

103. *Obj. III.* Nectarius Episcopus Constantinopolitanus abrogavit confessionem, et unicuique permisit secundum conscientiam suam ad sacra mysteria accedere, ut narrant Socrates L. 5. c. 19., et Sozomenus L. 7. c. 16. Histor. Eccles. Ergo confessio non est juris divini.

R. *N. Ant.* quod ipse Dallæus Calvinista Genevensis L. 4. c. 24. falsum esse contendit. Quare nihil est, quod Calvinus hac historia tam contumeliose insultet L. 3. Instit. c. 11. n. 7. asinos illos appellando. Nectarius enim non abrogavit confessionem privatam, sed modum confitendi publice, et palam evulgandi peccata clam commissa, qui modus utique non est juris divini. Præsertim vero abdicavit Presbyterum pœnitentiarium, et ejus munus sustulit ; atque disciplinam Ecclesiæ in agenda pœnitentia ad eum ordinem revocavit, quo ante Decii tempora administrabatur : tunc enim pœnitentiæ disciplina penes Episcopos erat et plures etiam Presbyteros, e quibus pœnitens unum aliquem pro arbitrio seligere sibi poterat. Quod ex Origene in Psal. 37. colligitur, ubi homil. 2. (opp. t. 2. p. 688. A. edit. Ruæi.) postquam ad confessionem fuerat hortatus, ita prosequitur : *Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas peccatum confiteri : proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam, ut ita demum si quid ille dixerit, si quid consilii dederit.... facias et sequaris. Si intellexerit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione, et satis periti medici consilio procurandum est.*

Cum vero Novatiani Catholicos nimiæ erga peccantes indulgentiæ incusarent, statutum est, ut fideles publice lapsi non ante ad Eucharistiam admitterentur, quam peracta confessione et pœnitentia publica. Ad horum ergo excipiendas privatim solum confessiones ab Episcopo designatus est Presbyter pœnitentiarius, qui pœnitentiam publicam lapsis præscriberet et moderaretur, eisque indicaret, quænam peccata palam in Ecclesia evulgare deberent ; id quod erat pars non modica satisfactionis, quam Deo et Ecclesiæ præstabant. Verum cum Constantinopoli illo tempore mulier nobilis confessa Presbytero pœnitentiario, diutius ab eo jussa fuisset hærere in Ecclesia precandi causa, accidit ut a Diacono vitiaretur, et scelus istud occulte commissum postea ex indiscreto pietatis ardore palam in Ecclesia confiteretur. Unde exortam populi offensam et seditionem adversus Clerum compositurus Nectarius Episcopus, indiscretam istam confessionem publicam atque totum istud munus Presbyteri pœnitentiarii abrogavit, et pœnitentiæ disciplinam redegit in formam veterem, quæ ante Decii persecutionem vigebat, ut vel ab Episcopo pœnitentia dictaretur ; aut, quia Episcopi aliis negotiis distenti huic pro merito vacare non poterant, pœnitentes ipsi sibi assume-

rent in pœnitentiæ moderatorem pro arbitrio suo unum aliquem ex Presbyteris. Hoc autem de pœnitentibus tantum accipiendum est, qui illorum criminum conscii sibi esse videbantur, quæ publicæ pœnitentiæ subdi solebant. Nam qui in leviora nec pœnitentiæ publicæ obnoxia peccata lapsi tantum fuerant, ii pristina semper libertate gavisi sunt, quemlibet vellent e Presbyteris adeundi. Ut enim ad illos non spectarat Presbyteri pœnitentiarii institutio : ita nec ad illos spectavit ejusdem abrogatio.

Inst. 1. Thomas Valdensis tomo 2. c. 141. et Melchior Canus in relect. de Pœnit. part. 5. fol. 89. ad 6. arbitrantur, confessionem sacramentalem reipsa a Nectario fuisse abrogatam, eumque graviter in hoc peccasse; ergo non solus Presbyter pœnitentiarius cum confessione publica indiscreta fuit abrogatus.

R. *N. Cons.* Confessio privata peccatorum omnium, etiam non subjectorum pœnitentiæ publicæ inviolata mansit. Nam 1°. cuncti qui præcesserant Patres, eam ad salutem necessariam esse enuntiaverant; convellere ergo eam nec voluit, nec potuit Nectarius.

2°. Ex Sozomeno ipso hæc doctrina satis firmatur, dum loco citato ita scribit : *Cum pœnitentibus, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit, cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat; grave et molestum ab initio jure et merito visum est, sacerdotibus tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, et taciturnitate et prudentia polleret, huic officio præfecerunt : ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes a seipsis pœnas criminum exacturos.* Hucusque Sozomenus. Ex cujus verbis duo potissimum colligimus : alterum, quod arcana etiam crimina Pœnitentiario aperiebantur, in quo nimirum *prudentia et taciturnitas* requirebatur : alterum, quod ad obtinendam veniam *necessario oportuerit confiteri crimina.* Igitur Nectarius confessionem secundum se abrogare, ex veterum sententia non potuit.

3°. S. Joan. Chrysostomus Nectarii successor idem Ecclesiæ dogma non uno in loco confirmat, ut mox declarabimus.

4°. Joannes Jejunator, qui post Nectarium et S. Chrysostomum in eadem sede Constantinop. cum fama sanctitatis floruit, in libello pœnitentiali ab se ad usum Ecclesiæ Orientalis scripto, confessionis necessitatem apprime commendat, ubi inter alia : *4. Sacerdos*, inquit, *eum interrogat super singulis peccatorum generibus. 5. Post acceptam accurate omnium singillatim delictorum confessionem, idem Sacerdos pœnitentem absolvit*, etc.

5°. Synodus etiam Trullana anno 692. celebrata ex plerisque orientalibus Episcopis, necessitatem confessionis sumptioni Eucharisticæ præmittendæ decernit can. 102. (Labb. t. 6. p. 1185. B.)

Inst. 2. Pluribus in locis S. Joan. Chrysostomus disputat, quod Deus nihil aliud exigat, nisi ut sibi soli dicatur peccatum, et quod talis confessio sufficiat; ergo confessio homini facienda non est juris divini.

R. *D. Ant.* Disputat S. Chrysostomus, quod Deus præter confessionem sibi soli faciendam, nihil aliud exigat, et quod hoc solum sufficiat, ad remissionem peccatorum impetrandam per dolorem perfectum *C.* quod Deus nihil

aliud exigat et hoc solum sufficiat ad implenda Christi præcepta *N.* Testimonium ex homil. 21. ad populum Antiochenum inepte prorsus adducitur a Dallæo; illa enim homilia inscribitur *Catechesis ad illuminandos,* seu Catechumenos, ad quos pœnitentiæ sacramentum nihil adhuc attinet. Homilia autem 30. quæ est 5ª. *de incomprehensibili Dei natura,* homil. 57. quæ est 9ª. *de Pœnitentia,* hom. 20. in Genes., et hom. 68. hortatur omnes Christianos, ut peccata sua agnoscant cum pudore et dolore confiteantur Deo, exemplo Publicani; cum et ipsi tres pueri fornacis Babylonicæ, licet vitæ essent purioris, nihilominus palam confiterentur, Dan. 3. v. 33.; commendat autem summam Dei benignitatem ad ignoscendum nobis propensam, quia simul ac ei quis cum Davide dixit, *Peccavi,* nullas ad veniam dandam moras interponit. Hom. 2. in Ps. 50., hom. 4. de Lazaro, et hom. 58. omnes ad pœnitentiam, exemplo Jobi et Pauli invitat, et quibus interdiu non vacat, ut saltem noctu in lecto peccatorum examen et confessionem eorum instituant. Quæ omnia Catholici ubique docent, nec tamen homines a confitendi officio apud sacerdotes exsolvendo immunes pronuntiant.

Inst. 3. Idem Chrysostomus negat necessarium esse hominibus confiteri; ergo.

R. *D. Ant.* Negat necessarium esse hominibus confiteri publice *C.* privatim *N.* Ad expugnandam peccatorum vecordiam et contumaciam, Dei facilitatem inducens hom. 21. ad pop. Antioch. (opp. t. 6. p. 74. C. Edit. latina Ducæi) *Si quis,* inquit, *ex secularibus judicibus alicui captorum latronum diceret, ut peccata confiteretur et dimitteretur; omni certe promptitudine hoc susciperet, salutis cupiditate pudorem contemnens. Hic vero hoc non est: verum et peccata dimittit, nec cogit præsentibus quibusdam ea palam confiteri,* etc. Quod autem tantum neget necessariam confessionem publicam, testatur ead. hom. 21. paulo superius: *Deus peccata non revelat, nec manifesta facit nec conspicua, nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus, enuntiare.* Et homil. 30. (opp. t. 1. p. 490. C.) *Neque enim,* inquit, *te in theatrum duco conservorum tuorum;* hom. 20. in Genes. (opp. t. 4 p. 175. B.) Ostendamus, inquit, *ulcus medico, qui curet, et non exprobret;* hom. 2. in Ps. 50. (opp. t. 5. p. 589. A. in Appendice.) *Non dico ut ea conservo exponas, qui te probris impetat;* hom. 4. de Lazaro (opp. t. 1. p. 758. E.): *Num homini dicis, ut te probro afficiat?*

Inst. 4. Idem Chrysostomus confessioni coram Deo, quam exigit, solam confessionem publicam ut minime necessariam constanter opponit; confessionem autem in aures sacerdotum faciendam silet; ergo.

R. *D. Ant.* Confessionem sacerdoti privatim faciendam silet, quod ea locis a Dallæo nuper objectis ad propositum non faciebat *C.* confessionem sacerdoti privatim faciendam silet aliis etiam in tractatibus *N.* Sanctus Doctor prædicabat, locis nuper laudatis, singularem Dei humanitatem, qui pudori hominum parcit, etiam dum iis ignoscit: nec præcipit confessionem publicam, cujus major est verecundia et gravius jugum. Exemplum autem privatæ confessionis coram sacerdote faciendæ ad id non conducebat, tum quia hanc Deus a nobis flagitat, tum quia non ita pudibunda est. Quod autem idem S. Chrysostomus docuerit, sacerdotibus aperienda peccata esse, jam artic. præced. Inst. 1. ad obj. 3. ex L. 3. de Sacerdotio indicavimus, ubi: *Insania enim manifesta est,* inquit, *despicere tantum principatum,*

sine quo nec salutis, nec promissorum bonorum compotes esse possumus. Eamdem necessitatem jam ante firmaverat L. 2. c. 3. (opp. t. 1. p. 374. 375.) *Multa*, inquit, *arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi ipsi persuadeant curationibus sacerdotum sese submittere... Itaque nihil eorum relinquendum est, quod probe non excutiat atque examinet Episcopus: quin omnia accurate ac studiose perscrutatum tum demum oportet illum sua ipsius remedia congrue, apte, accommodate afferre.* Hom. 30. in Genes. (opp. t. 4. p. 294. A.). *Quia*, inquit, *in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio*; et inferius (p. 301. B.): *Scit enim inimicus noster, quod per tempus illud possumus de iis, quæ ad salutem nostram attinent, loqui, et peccata declarare seu aperire, et detegere vulnera medico; et sanitatem consequi.* Hom. de muliere Samaritana (al. homil. 33. vel 34. in Joan. opp. t. 8. p. 199. B.): *Eum*, inquit, *qui nos judicaturus est, non reformidamus; eos vero qui nullatenus nos lædunt, perhorrescimus, et ignominiam ab ipsis inurendam reformidamus. Quapropter eo ipso quod timemus, pœnam sustinemus. Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, neque pœnitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur.* Denique hom. 9. in epist. ad Hebr. (opp. t. 12. p. 98. B., 99. D., 100. A.): *Cujusmodi ergo est medicamentum pœnitentiæ et quomodo conficitur? primum, ex peccatorum suorum condemnatione et declaratione.* Tum addit: *Quod oporteat et se in sacerdotes, ut convenit, gerere.* Tandem modum confitendi adducit: *Sin autem dicit, sum peccator; ea autem per species non cogitat et supputat, et non dicit: hoc et illud peccatum admisi; nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.*

Inst. 5. S. Chrysostomus eos, qui per confessionem Deo interius factam a peccatis expurgati fuerint, videtur ab omni deinceps onere relevare; ergo non restat confessionis apud sacerdotes instituendæ labor.

R. *N. Ant.* An non restabant pœnitentiæ privatæ et publicæ opera, quibus et justitiæ divinæ et Ecclesiæ ædificationi satisfieret? An sustulit etiam hac confessione Deo soli facta eleemosynas, quibus redimerentur peccata? An si quis aliena surripuisset, ea restitui prohibuit? Quod si S. Chrysostomus Deo soli confessos omni pudoris necessitate exemisse videtur; pudorem confessionis publicæ intellexit, minime vero privatæ: nam in hom. de muliere Samaritana, totum illud pudoris genus, quod divelli nequit a confessione privata, peccatoribus devorandum esse pronuntiat.

Inst. 6. Verba illa Apostoli 1. Cor. 11. v. 28. *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat*, etc. Ecclesia Romana de confessione sacramentali interpretatur Sess. 13. Trid. c. 7., quasi hæc sit necessaria probatio ad Eucharistiam sumendam. Atqui locum illum Pauli non ita accipit Chrysostomus hom. 56., quæ est 8. de Pœnit. (al. 6. opp. t. 2. p. 326. B.) et hom. 28. in 1. Cor. (opp. t. 10. p. 250. E.) sed de examine privato; ergo non idem, quod Romana jam Ecclesia, de confessione sensit.

R. *N. Cons.* Accessuri ad S. Eucharistiam duplicem probationem instituere possunt, quarum prior communis est Christianis omnibus, scilicet expendere statum animi, num quid criminis aut pravi affectus ei inhæreat,

quo indignus quis sit, aut minus idoneus ad tantum mysterium capiendum. De hac probatione potissimum disserit B. CHRYSOSTOMUS, et Conc. TRIDENTINUM priore parte c. cit. Probationem hanc communem Christianis omnibus sequitur probatio altera peculiaris tantum eorum, quos criminis gravioris conscientia redarguit. Atque istos quidem a confessione publica immunes declarat S. Doctor dicta hom. 8. de Pœnit. his verbis : *Non in commune theatrum accusationem producit, non delictorum testes statuit : intus in conscientia, adstante nemine præter eum, qui cuncta videt, Deum, judicium peccatorum statuens, reforma quod deliquisti : atque sic pura conscientia sacram attinge mensam.* Et hom. altera : *Neque jussit,* ait, *alteri alterum probare; sed sibi se ipsum, faciens judicium, ad quod populo non pateat aditus, et probationem, quæ careat testibus.* Adeo autem peccatores a privata confessione non eximit, ut ad veniam impetrandam enumeratione criminum singillatim sacerdoti facienda opus esse plane asseveret, prout pluribus ex S. Patre testimoniis prolatis demonstravimus nuper ad Inst. 4. Beatus autem CYPRIANUS vehementer invehitur in eos peccatores, qui ante actam pœnitentiam et reconciliationem Ecclesiæ ad communionem accedunt : imo et sacerdotes ipsos reprehendit, qui peccatores ad communionem facile admittunt ante perfectam satisfactionem, ut videre est epist. 10. 11. 12. 14. 18. et L. de Lapsis, et aliis locis frequenter. Idem sentit S. AUGUSTINUS epist. 118. c. 3. (al. epist. 54. ad Januarium) dicens, eum qui conscientia peccati mortalis gravatur, non suo, sed sacerdotis arbitrio debere ad hoc sacramentum accedere, vel ab eo abstinere. Et L. 50. hom. 35. alias 50. fuse hanc doctrinam exsequitur. Et Auctor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus c. 53. (Patrol. t. 58. col. 994. B.) item scribit, criminis conscium sibi, *Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari* debere, *si vult non ad judicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Clarius LEO M. epist. 91. cap. 2. (al. epist. 108. ad Theodor. episcop. opp. p. 1174.) *Mediator,* inquit, *Dei et hominum hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent.* Recte ergo Patres Concilii Tridentini dicunt : *Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

ARTICULUS III.

UTRUM POENITENTIÆ SACRAMENTUM DISTINGUATUR A BAPTISMO?

104. *Nota I.* Cum, ut scribit Sozomenus sup. cit., in nullo penitus peccare divinioris cujusdam naturæ sit, et humana præstantioris, lapsis vero post Baptismum spes veniæ divinitus præbeatur; reconciliationem istam Catholici per Pœnitentiæ sacramentum fieri docent, quod proinde secundam post naufragium tabulam appellant Tertullianus L. de Pœnit., S. Hieronymus in c. 3. Isai. et epist. ad Demetriadem, aliique Patres, et Theologi cum Magistro in 4. d. 14., S. Thoma q. 84. a. 6. Baptismus enim est prima tabula, quam in communi originalis peccati naufragio arripuimus.

Nota II. Doctrinam istam Patrum antiquorum et Theologorum detestantur hæretici recentiores, ex quibus Lutherus L. de Captiv. Babyl. c. de Baptismo : *Præbuit,* inquit, *his opinionibus occasionem verbum illud periculosum D. Hieronymi, sive male positum, sive male intellectum, quo pœnitentiam appellat secundam tabulam post naufragium; quasi vero Baptismus, non sit pœnitentia.* Et Calvinus L. 4. Instit. c. 19. §. 17. majore adhuc impudentia in phrasin illam invehitur : *Sed dictum,* inquit, *est Hieronymi. Cujuscumque sit, quin plane impium sit, excusari nequit, si ex eorum sensu exponitur; quasi vero per peccatum deleatur Baptismus.* Secundum horum opinionem, Melanchthon in Locis editis anno 1521. et cæteri Novatores non aliud reconciliationis sacramentum admittunt, quam Baptismum, qui *in confirmationem gratiæ et fiduciæ sigillum iis datus sit, qui pœnitentiam meditantur, ut quoties de remissione peccatorum cogitant, illinc sese colligant, animumque recipiant et fidem confirment,* inquit Calvinus nuper citatus.

Baptismum cogitatione sic apprehensum et memoria repetitum, aiunt, affatim sufficere ad culpas omnes et earum pœnas tam perfecte remittendas, quam culpæ et reatus peccatorum præcedentium Baptismo ipso remittebantur. Ex hujus mysterii ignoratione ortum fuisse inter Catholicos commentitium pœnitentiæ sacramentum, docet Calvinus L. 4. Instit. c. 15. §. 4. et cum aliis hæreticis carpit Concilium Tridentinum, quod velit, difficiliorem ac duriorem esse pœnitentiæ reconciliationem, quam fuerat in Baptismo.

105. *Dico.* Pœnitentia est sacramentum omnino distinctum a Baptismo. Ita Concilium Trident. Sess. 14. c. 2. ubi anathema dicitur confundentibus baptismum cum pœnitentiæ sacramento.

Prob. I. Ex Scriptura. Memoria circumcisionis neminem olim circumcisorum a peccatis expiabat, sed præscripta erant alia media, nimirum sacrificia, ut constat Lev. 4. 5. et 6. Ergo nec memoria Baptismi tollet peccata Christianorum, cum hic sit sacramentum ἀντιτυπον circumcisioni, *circumcisio spiritualis et non manu facta,* ut Colos. 2. v. 11. nuncupatur.

Apostolus item Hebr. 6. v. 4. dicens, esse *impossibile, eos qui semel sunt illuminati,* h. e. baptizati, *et prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam,* non negat lapsos post baptismum posse Deo per Ecclesiam reconciliari, ut falso colligunt Novatiani, quia constat incestuosum Corinthium reconciliatum esse; sed negat, posse renovari per baptismum, ut textus ipse, et Patres communiter declarant.

Denique Luc. 12. v. 47. et 48. ait : *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit, vapulabit multis : qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* At juxta hæreticorum opinionem, qui scienter post fidem et baptismum peccaverunt, essent pares iis, qui ignoranter in incredulitate ante baptismum deliquerunt : imo melioris conditionis hisce illi essent, eo quod facilius sit, baptismum olim acceptum reminisci, quam re ipsa iterum baptizari. Quæ quam absurda sint, nemo non videt.

Prob. II. Ex Patribus. Patres pœnitentiam appellant secundam post naufragium tabulam. Tertullianus de Pœnitentia c. 7. vocat insuper post baptismum secundam spem et secunda subsidia : atque ibidem c. 9. cum Patribus cæteris docet, cum ante baptismum facillimus sit aditus ad indulgentiam, postea vero ad remissionem peccatorum non perveniri, nisi per multos

labores, orationes, jejunia. Ita Clemens Alexandrinus apud Eusebium L. 3. histor. c. 17. alias 23., Cyprianus sermone de lapsis, Gregorius Nazianzenus orat. in SS. lumina, Pacianus epist. 1. ad Sympronianum, Hieronymus nuper cit., Epiphanius Hæresi 59.; a quibus etiam nuncupatur baptismus laboriosus et lacrymarum.

Augustinus epist. 23. ad Bonifacium (al. epist. 98.): *Semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus evaserit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur.* Et L. 2. de adult. conjug. cap. 16. n. 16. *Si a catechumeno factum est* homicidium, *baptismate abluitur: si a baptizato, pœnitentia et reconciliatione sanatur.* Et homil. 50. Lib. 50. hom. (al. serm. 351. c. 4. n. 7.) de expiatione peccatorum a baptismo admissorum loquens, *in hac*, inquit, *pœnitentia majorem in se quisque severitatem exercere debet, ut a se ipso judicatus non judicetur a Deo.*

Patrum plura testimonia hactenus in decursu hujus tractatus adducta catholicam veritatem eamdem luculenter probant.

Prob. III. Ratione, quam Conc. Tridentinum cap. 2. Sess. 14. a quadruplici genere causarum repetit. *Nam præterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet; constat certe, baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de his, qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis fidei... Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint... ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tanquam reos* (Christus) *sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam.... possint liberari. Alius est præterea baptismi, alius pœnitentiæ fructus: per baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus*, etc.

Deinde si baptismi iterata memoria obsignaret promissionem reconciliationis, ut hæretici volunt; ergo contra suam doctrinam, de sua justificatione certi esse non possunt: nam cum infantes ipsi baptizati fuerint, non nisi ex alieno testimonio norunt se esse baptizatos.

Denique non potest dici, quod baptismus illico cum confertur jam deleat peccata omnia futura; alias nemo catholicorum et hæreticorum damnabitur: neque quod tum illa purget, cum reminiscendo per fidem et pœnitentiam ad signum et fœdus baptismi cogitatione reditur; alias incerta, ut dixi, erit justificatio: neque ratio apparet, cur sublata Eucharistiæ frequentatione, non sufficiat spiritualis cibi aliquando gustati memoria.

106. *Obj.* Baptismus per peccatum non deletur; ergo semper potest esse utilis ad tollenda peccata; ergo non est necessarium novum sacramentum pœnitentiæ.

R. In sententia hæreticorum *N. Ant.* Tria in baptismo considerari possunt, actio externa baptizandi, gratia justificans et character. Actio externa transit, gratia per peccatum tollitur, characterem hæretici non admittunt. Igitur in sententia hæreticorum nihil baptismi post peccatum superest.

Inst. 1. Licet actio baptismi desierit, manet tamen perpetuum pactum in baptismo inter Deum et nos initum, quod consistit in hac Christi promissione, Marci ult. v. 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; ergo ratione hujus potest esse utilis baptismus, si in memoriam revocetur, et excitetur fides divinarum promissionum de venia peccatorum per Christum danda. Nam hoc eodem medio Judæi reconciliabantur Deo, si recordabantur fœderis in circumcisione cum Deo initi, et egressionis ex Ægypto.

R. *N. Cons.* Pactum in baptismo initum est tantum conditionatum, non autem promissio absoluta, ut Patres omnes hucusque intellexerunt, ac præsertim Gregorius M. homil. 29. in Evang. (opp. t. 1. p. 1370. C.) loquitur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat : Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet.* Neque B. Petrus Simonem magum ad recordationem baptismi remisit Act. 8. v. 22. sed ait : *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua : et roga Deum*, etc.

Israelitæ solebant in memoriam revocare pactum cum Deo initum, et egressionem ex Ægypto, non quod ea commemoratione purgarentur a peccato, sed ut recordatione beneficiorum Dei, suæque inconstantiæ et ingratitudinis ad pœnitentiam excitarentur, atque ita divinam clementiam exorarent. Deinde satis jam refutatus est error hæreticorum, qui putant sola fide divinarum promissionum remitti peccata, et consequenter sacramenta ad hoc non conferre, nisi excitando fidem. Denique baptismus præteritus non potest excitare fidem, sed inquiri oportet objectum aliud, quo et fides in nobis, et suscepti olim baptismi memoria excitetur.

Inst. 2. Apostolus Ephes. 5. v. 26. solum dicit, mundari Ecclesiam lavacro aquæ. Et S. Fulgentius L. de fide ad Petrum c. 30. seu regula 30. vocat baptismum sacramentum fidei et pœnitentiæ; ergo non opus est alio pœnitentiæ sacramento.

R. *N. Cons.* Loquitur Apostolus tantum de modo, quo regenerantur et mundantur Ecclesiæ membra, quando ad illam aggregantur. Multum autem discriminis est inter generationem spiritualem, qua vita primum animæ datur, et inter resurrectionem spiritualem, qua vitam supernaturalem amissam recuperamus : illud fit per baptisma, hoc per pœnitentiam. S. Fulgentius recte appellat baptismum sacramentum fidei et pœnitentiæ; ad illum enim catechumeni etiam per pœnitentiam disponuntur, secundum B. Petri adhortationem Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Et c. 11. v. 18. *Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Inst. 3. S. Scriptura effectum baptismi per tempus præsens, præteritum et futurum describit : Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1. Pet. 3. v. 21. *Salvos facit baptisma.* Marc. ult. v. 16. *Qui baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo habet vim purgandi peccata præterita, præsentia, et futura.

R. *N. Cons.* Baptismus peccata habitualia tam originale, quam personalia, quæ invenit, expurgat : ad futura autem peccata vim suam minime exerit. Sacra Scriptura vero tres temporis differentias ideo exprimit, cum de baptismo agit, quia in iis qui olim baptizabantur peccata delevit, et delet

etiamnum in iis qui baptizantur, ac delebit deinceps in iis qui adhuc baptizabuntur.

Inst. 4. B. Augustinus L. 1. de Nuptiis et concup. c. 33. n. 38. scribit, per baptismum non solum præterita et præsentia peccata remitti, sed etiam illa, quæ posteriori tempore committuntur.

R. S. Doctor vult remitti peccata sequentia solum dispositive per effectus baptismi, qui sunt gratia et character : per gratiam evadit homo justus, qui facile se venialibus peccatis expedit : per characterem fit idoneus ad sacramenta cætera, ac per fidem in baptismo acceptam excitatur ad pœnitentiam, qua peccatorum omnium remissionem consequitur. Fanatico autem hæreticorum sensui S. Augustinum adversari, liquet ex iis quæ supra retulimus, quibus L. 5. de Bapt. c. 22. n. 30. addit, Christianum in peccata lapsum *non sanari per baptismum, sed per veram conversionem.*

ARTICULUS IV.

QUIBUS PARTIBUS HOC SACRAMENTUM CONSTET?

107. *Nota.* Duplex hic quæstio movetur : I. Utrum pœnitentia more aliorum sacramentorum constet ex partibus essentialibus, quarum altera se habeat per modum materiæ, altera tanquam forma? Nam Scotus in 4. d. 14. q. 4. totam sacramenti hujus essentiam in verbis absolutionis reponit, ac d. 16. q. 1. diserte negat, contritionem et confessionem sacramenti hujus partes esse; licet actum utrumque dicat prærequiri, eo quod sententia ferri nequeat non cognita causa. Scoti sententiam amplectuntur nonnulli, ut Joan. Major, et Gabriel, quæst. 2. definiens pœnitentiæ sacramentum esse *absolutionem hominis pœnitentis*, etc.

Hisce e diametro adversatur Dom. Sotus in 4. d. 14. q. 1. a. 1. aperte negans, absolutionem esse partem hujus sacramenti : unde videtur totam ejus rationem in contritione et confessione statuere, et absolutionem ut necessariam perfectionem seu complementum pœnitentiæ æstimare, inductus B. Thomæ auctoritate, qui q. 84. a. 1. ad 2. ait, sacerdotem absolvendo dare complementum huic sacramento.

II. Quæritur item, ex quibus partibus pœnitentiæ sacramenti materia confletur? Ubi Durandus in 4. d. 16. q. 1. confessionem solam putat sacramenti hujus esse materiam, quia contritio, etsi ante omnino requiratur, sensibilis non est : neque satisfactio ad essentiam aut effectum sacramenti absolute desideratur. Probant hanc opinionem Gabriel dist. 14. a. 2. et quoad satisfactionem Marsilius q. 10. a. 1. Communiter tamen a Theologis aliis contritio, confessio et satisfactio numerantur tanquam partes materiales, et *proximæ, ex quibus* materia sacramenti pœnitentiæ tanquam ex partibus integrantibus constet.

Dixi, has esse partes *proximas,* et *ex quibus* : nam peccata, quorum se pœnitens accusat, sæpe dicuntur materia pœnitentiæ, non quidem talis *ex qua* hoc sacramentum, ut ex ligno statua, conficiatur, sed quia sunt objectum et materia *circa quam* sacramentum hoc versatur : sicut crimen aut quælibet causa alia dicitur materia judicii. Est ergo tantum *remota* sacra-

menti materia, respectu cæterarum partium : nam contritio est de peccato; confessio est accusatio peccati ; satisfactio ejusdem est vindicta; et absolutio, has partes informans, a peccatis et eorum reatu perpetuo benigne eximit.

Quanquam autem S. Thom. Opusc. 22. c. 4. referat, a quibusdam peccatorem, qui absolvitur, remotam hujus sacramenti materiam nuncupari : id tamen admodum improprie dicitur, eo quod homo subjectum potius, quam materia sit sacramentorum.

108. *Dico I.* Pœnitentiæ sacramentum constat ex materia et forma tanquam ex partibus essentialibus. Ita passim Theologi cum S. Thoma q. 84. a. 2. et 3.

Prob. Concilium Florentinum in Decreto ad Armenos §. *Hæc omnia*, docet, sacramenta omnia novæ Legis tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri ; et §. *Quartum sacramentum,* Pœnitentiæ sacramenti quasi materiam esse actus pœnitentis tres, formam vero : *Ego te absolvo,* etc.

Eadem omnino repetit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. et addit, tam absolutionem, quam actus pœnitentis ad integritatem sacramenti pertinere; ergo non simplex actio sacerdotis totum sacramentum constituit.

Deinde Lucius Papa III. cap. *Ad abolendam.* De Hæret. sacramenta vocat Baptismum, Confessionem peccatorum, et Matrimonium; igitur confessionem sacramentum esse credidit, confessio autem actus est pœnitentis.

Denique actus pœnitentis est signum sacrum gratiæ justificantis, divinitus institutum, et ex Dei promissione ad peccati remissionem concurrens. Qui enim cum dolore peccata sua confitetur, eisque petit absolvi, indicat, se illa odisse, et ab eis animo recedere, ac proinde justificari. Tale autem signum divinitus institutum esse ad peccatorum remissionem, atque ad eamdem aliquo modo concurrere testatur S. Joan. 1. epist. c. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Quamvis effectus isti apertius significentur et perfecte compleantur per formam a sacerdote prolatam.

109. *Dico II.* Partes materiales pœnitentiæ tres sunt, contritio, confessio, satisfactio. Ita Theologi communiter cum S. Thoma nuper cit. et q. 90. tota, et in 4. d. 16. q. 1. a. 1. Tres istæ partes materiales recitantur etiam et explicantur a Conciliis Florentino et Tridentino nuper citatis.

Prob. breviter de singulis. I. Sacramentum hoc institutum esse per modum judicii voluntarii, art. 2. ostendimus contra hæreticos; ergo requirit confessionem, qua pœnitens ipse sit sui accusator, testis et reus : unde confessio est de essentia et intrinseca ratione hujus judicii. *De pondere,* inquit Innocentius I. (Labb. t. 2. p. 1247. E.) epist. 1. c. 7., *æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus, atque lacrymas.* S. Ambrosius epist. 3. (al. 67. ad Simplicianum n. 11. opp. t. 2. p. 1039. C.) scribit, providum esse debere judicium sacerdotale, nec debere sacerdotem populi peccata *comedere,* i. e. *remittere,* sine prævia confessione sincera : *cibus enim,* inquit, *sacerdotis est in peccatorum remissione.*

II. Contritione ad peccatorum remissionem opus esse, supra satis demon-

stravimus, ubi de pœnitentiæ necessitate actum fuit. Et docet Leo X. in Bulla contra Lutherum art. 15. Item Concilia Coloniense, Moguntinum et Senonense, et Catechismus Pii V. in doctrina de hoc sacramento. Ac ratio ipsa declarat : nuda enim peccatorum suorum recitatio vel est stulta et turpis jactantia de malo, vel historica præteritorum criminum narratio : ut ergo sit legitima sui accusatio, quæ veniam obtineat, ex dolore, ac detestatione proficisci, hisque pœnitudinis actibus informari et honestari debet, secundum illud 2. Esdræ 9. v. 1. *Convenerunt filii Israel in jejunio, et in saccis, et humus super eos, et confitebantur peccata sua.*

III. Demum ad integritatem judicii pœna reo inflicta pertinet in vindictam criminis; igitur satisfactio aliquo modo est pars sacramenti, cum et ipsa effectum peculiarem ex opere operato præstet, ut alias explicabimus.

Partes hasce omnes paucis comprehendunt S. Cyprianus serm. de Lapsis sæpe laudato; ac primum contritionem et confessionem : *Apud sacerdotes dolenter et simpliciter confitentur*; dein satisfactionem : *Salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.* Et S. Chrysostomus serm. de Pœnitentia tomo 5. (p. 361. D. edit. latina Ducæi.) post homilias decem de Pœnitentia : *In corde ipsius contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta et fructifera pœnitentia.* Et S. Augustinus in illud Ps. 146. *Qui sanat contritos corde* : n. 6. *Sanat,* inquit, *contritos corde, sanat ergo humiliatos corde, sanat confitentes, sanat se ipsos punientes.*

110. *Dico III.* Actus quidam alii male ab hæreticis partes pœnitentiæ dicuntur.

Prob. per partes. I. Apostolus 2. Cor. 7. v. 10. terrores istos a pœnitentia distinguit dicens : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ubi per tristitiam non intelligit dolorem et afflictionem animi, quæ actus sunt pœnitentiæ eliciti ; sed molestiam, timorem ac pudorem, quæ excitabantur ex objurgatione illa acri et minis, quibus Apostolus in priore epistola in ipsos fuerat invectus. Hinc paulo ante, *Gaudeo*, inquit, *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Quasi diceret, non gaudeo de tristitia, gaudeo de fructu, qui est pœnitentia.

Deinde pœnitentia est actus salutaris, ut testatur Apostolus : at terrores tales ex minis legis incussi salutares esse non possunt, cum sint actus mere naturales, præcedunt enim fidem, ut Lutherani volunt.

Denique ne fides quidem est pars pœnitentiæ; ergo multo minus terrores isti conscientiæ, qui ex Lutheranorum sententia fidem præeunt. Et quamvis a Concilio Trident. Sess. 6. cap. 6. timor ex justitiæ divinæ fide obortus ad pœnitentiam et justificationem dicatur disponere, differt tamen a pœnitentia, sicut fides et spes, quæ ibidem dispositionibus accensentur.

II. Neque fides in partem pœnitentiæ admitti potest. Nam S. Scriptura fidem a pœnitentia de industria discernit Marci 1. v. 15. *Pœnitentiam agite, et credite Evangelio.* Act. 20. v. 21. *Testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.*

Jonæ c. 3. v. 5. *Crediderunt Ninivitæ in Deum : et prædicaverunt jejunium, et induti sunt saccis.* Igitur cum fides sit principium pœnitentiæ, et actus cujuslibet salutaris, distingui illam necesse est a pœnitentia.

Patres item omnes quotquot de pœnitentia scripserunt, nunquam illam actum fidei esse dixerunt, sed contritione, confessione, et suimet afflictatione definierunt.

III. Errant etiam molles Lutherani, quando omnes actiones bonas, quæ justificationem consequuntur, inter partes pœnitentiæ referunt. Nam etsi omnia opera hominis justi ad satisfaciendum pro peccatis conducere de se queant : multa tamen, quæ non animo reparandi offensas Deo illatas, et expiandi reatus residuos præstantur, sed alio ex fine bono fiunt, actus pœnitentiæ nequeunt appellari.

IV. Pœnitentiæ partes non sunt mortificatio et vivificatio, hoc est, refrænatio vitiosarum affectionum, et pium studium bene operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deinde tota vita perficiuntur, ut Calvinus et Beza volebant. *Prob.* Pœnitentia præit justificationem tanquam via et dispositio ad hanc ; ut S. Scriptura docet pluribus locis, præsertim Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Act. 3. v. 19. *Pœnitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* At vero Calvinus ostendit, pœnitentiam istam, quæ sit mortificatio et vivificatio, fructum esse fidei justificantis; non ergo talis est pœnitentia, qualem in Scriptura sacra legimus. *Conf.* Pœnitentia non est nisi peccatorum, nam *justi non indigent pœnitentia,* ut Christus Luc. 15. v. 7. inquit : atqui vitiosarum affectionum mortificatio, et pium bene operandi studium, actiones sunt communes omnibus hominibus justis, eisque prorsus necessariæ ; ergo vivificatio ista et mortificatio non sunt partes pœnitentiæ.

111. *Obj. I.* Si pœnitens per suos actus etiam producit gratiam sacramenti ; ergo non solus sacerdos est minister sacramenti Pœnitentiæ.

R. *N. Seq.* Solus sacerdos nomine Christi tanquam judex causam pœnitentis cognoscit, ac decidit. Nuspiam vero reus aut accusator dicuntur administrare justitiam.

Inst. 1. Illud proprie et unice est sacramentum, quod confertur a ministro, ut constat inductione Baptismi et reliquorum sacramentorum : atqui sola absolutio tribuitur a ministro; ergo hæc erit sola sacramentum Pœnitentiæ.

R. cum S. Th. a. 1. et 2. *D. M.* Illud unice est sacramentum, quod confertur a ministro, in sacramentis quæ habent corporalem materiam *C.* in iis quæ habent actus humanos pro materia *N.* Talia sacramenta sunt Pœnitentia et Matrimonium, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus : et sunt ex essentia sua judicium et contractus, ubi actus humani a suscipiente necessario suppeditantur, et nomine materiæ et elementi largius acceptorum intelliguntur, quibus vicissim formam ut sacramenti complementum adjicit minister. In cæteris vero sacramentis materiam et formam simul minister solus exhibet.

Inst. 2. Tota hujus sacramenti vis sita est in clavibus : atqui hæ non sunt penes pœnitentem, sed penes solum sacerdotem ; ergo ad effectum sacramenti non possunt concurrere actus pœnitentis.

R. *D. M.* Sacramenti hujus vis tota absolute sita est in clavibus *N.* tota, i. e. præcipua vis sita est in clavibus *C. D. etiam Cons.* Actus pœnitentis seorsim secundum se non concurrunt ad sacramenti effectum *C.* actus pœni-

tentis prout substant absolutioni non concurrunt ad effectum sacramenti *N.* Sicut medicus dicitur conficere medicamenta, et sanare ægrotum, licet hic aliquid materiæ conferat : ita quamvis pœnitens actus, quos ipse producit, tanquam sacramenti materiam exhibeat, sacerdos tamen moraliter tantum sacramentum sua absolutione conferre censetur.

Inst. 3. Dolor et confessio non pertinent ad substantiam judicii; ergo neque sunt partes sacramenti, quod per modum judicii est institutum.

R. *D. Ant.* Non pertinent ad substantiam judicii secundum se talis *C.* non pertinent ad substantiam judicii reconciliativi, quale Christus instituit *N.* In causis civilibus et criminalibus nihil refert, utrum reus crimen aut debitum fateatur an non : utrum debitum aut pœnam libens an invitus solvat, modo, causa cognita, legitime fuerit damnatus : alius item est accusator, reus alius. E contra pœnitentia ad redintegrandam cum Deo amicitiam ex natura sua tendit. Quam ob rem Act. 20. v. 21. vocatur *pœnitentia in Deum* : et c. 26. v. 20. conjungitur cum conversione ad Deum : et Ezechielis 18. et 33. ejus finis dicitur justificatio et reconciliatio : ac sæpe comparatur actioni, qua liberi cum parentibus, servi cum dominis, et uxores cum maritis in gratiam redeunt : ubi erratorum confessionem, detestationem et deprecationem, cum satisfaciendi voluntate requiri naturæ instinctus nos docet. *Ad judices,* inquit pro Ligario Tullius, *sic agi solet; non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen : ad parentem autem, erravi, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam posco, ut ignoscas, oro.* In hac ergo sacramentali actione confessionis perceptio, prout essentialiter in accusatione comprehensa, est pars materiæ; et satisfactionis injunctio est pars formæ, quatenus satisfactio ipsa est materia. Ast interrogatio pœnitentis habet se sicut examen prævium in judiciis.

Inst. 4. Et Florentinum et Tridentinum Concilia actus pœnitentis non vocant materiam, sed *quasi materiam;* ergo non videntur esse revera sacramenti pœnitentiæ materia.

Respondent 1°. aliqui, *N. Cons.* et dicunt, ideo a Conciliis actus pœnitentis *quasi materiam* appellari, quia tota sacramentalis materia non est propria, sed per analogiam sic nuncupatur. Verum hæc ratio omnibus communis est, quorum tamen rem formæ subjectam Concilia absolute materiam vocant. Neque ullius sacramenti forma a Conciliis *quasi forma* dicitur; cum tamen omnium sacramentorum formæ nomen hoc ad analogiam formarum naturalium sortiantur. Igitur

R. 2°. *D. Ant.* Actus pœnitentis appellantur *quasi materia,* quod illi non eo modo, quo in sacramentis est materia, sint proprie materia pœnitentiæ sacramenti *N.* quod non constent ex aliquo elemento seu corpore sensibili, sicut est in sacramentis aliis *C.* In sacramentis cæteris, sicut in compositis artificialibus, materia proxima consistit in usu alicujus corporis sensibilis; ideo ei nomen simpliciter tribuitur. Ast in pœnitentia nec materia proxima, nec remota sensibile quoddam corpus est. Quamvis autem ob rationem istam pœnitentis actus quasi materia appellentur : nihilominus in hoc sacramento munus ac ratio materiæ æque servatur, ac in sex aliis, in quibus subjecti significatio imperfecta ac minus determinata per formam supervenientem plane determinatur. Quapropter etiam Concil. Trident.

cap. 3. Sess. 14. ita concludit : *Atque hæc de partibus hujus sacramenti S. Synodus tradens*, etc.

112. *Obj. II.* Et substantia et effectus sacramenti pœnitentiæ sine satisfactione consistunt; ergo hæc non est pars illius.

R. *D. Ant.* Sine satisfactione consistunt sacramenti substantia integra et effectus omnis *N.* consistunt sacramenti substantia et effectus præcipui *C. Dist. etiam Cons.* Ergo satisfactio non est sacramenti pars integralis præcipua *C.* nullo modo est pars integralis materiæ sacramenti *N.* Sicut corpus, materia hominis, componitur ex capite, corde, manibus, pedibus, et cæteris membris tanquam partibus integrantibus; quarum tamen aliquæ sint præcipuæ et quasi essentiales animanti, ut cor, caput, pectus, etc. quia sine his primariis partibus essentia hominis nullo modo consisteret : ita se habent contritio et confessio, sine quibus nec materia sacramenti componi potest, nec absolutio impendi. Aliæ partes integrantes sunt secundariæ, sine quibus rei essentia esse quidem potest, sed mutila et imperfecta : cujusmodi sunt manus, pedes, oculi, etc. in corpore humano; et satisfactio in pœnitentiæ sacramento.

Inst. 1. Luc. 3. v. 8. satisfactio dicitur *fructus pœnitentiæ;* ergo nequit esse ejus pars.

R. *D. Ant.* Dicitur fructus pœnitentiæ virtutis *C.* sacramenti *N.* Virtus pœnitentiæ cum sit habitus simplex, non componitur ex partibus : actus tamen tres habet, quorum prior internus est contritio; duo externi sunt confessio et satisfactio. Qui quidem actus externi a S. Scriptura fructus pœnitentiæ vocantur.

Inst. 2. Satisfactio prout est in voto et proposito pœnitentis, sub sensus non cadit : prout autem re ipsa exercetur, tum demum existit, cum actio sacramentalis, confessio et absolutio dudum præteriit; ergo satisfactio nequit pars esse sacramenti.

R. *D.* 1am. *part. Ant.* Satisfactio sub sensus non cadit, prout est in voto pœnitentis *C.* prout a sacerdote injungitur, et a pœnitente admittitur *N. Dist. etiam partem alteram* : Satisfactio re ipsa exercetur, cum præteriit sacramentalis actio quoad essentiam *C.* dum præteriit actio sacramentalis quoad integritatem *N.*

Inst. 3. Partes materiales, etiam integrales, supponuntur formæ, ut ex sacramentis aliis constat, quorum partes materiales vel non distinguuntur, vel si distinguuntur, unicuique parti materiæ respondet pars formæ. Atqui satisfactio reapse præstita formam sequitur; ergo non est pars materialis pœnitentiæ.

R. *D. M.* Partes materiales primariæ, sine quibus compositum consistere non potest, supponuntur formæ *C.* partes integrantes secundariæ *N.* Discrimen patet in naturalibus compositis heterogeneis : nam in matris utero cor et partes integrantes præcipuæ primum formantur; postea vero membra reliqua, tanquam integrantes partes secundariæ ac non essentiales accrescunt. Neque in sacramentis omnibus quoad partium singularum ordinem et conjunctionem similitudo exacta hic exigi debet; sunt enim illa res quædam morales vel quasi artificiales, quarum unaquæque fere diversum modum habet compositionis. Quanquam in argumento præsenti sententia

etiam, quam fert sacerdos judex a Christo delegatus, dupliciter accipiatur, et quidem essentialiter, cum a crimine et pœnis æternis absolvit; integraliter autem, quando satisfactionem temporaneam jubet, tanquam partem sacramenti integrantem. Quæ profecto satisfactio opere ipso postmodum exhibita significationem sacramentalem, et efficaciam quamdam ex opere operato habet, tum quod illam dolor de peccatis voto et proposito continebat; tum etiam quod sacramentali formæ moraliter connecteretur.

113. *Obj. III.* S. Augustinus sacramentum pœnitentiæ appellat manuum impositionem : et Concilium Carthaginense IV. can. 78. (Labb. t. 2. p. 1206. B.) ait : *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si supervixerint.* Ergo pars sacramenti pœnitentiæ est iste *ritus incurrens in oculos ut moveat corda,* quemadmodum Melanchthon scribit art. 13. Apolog. Conf. August.

R. *N. Cons.* Etsi olim in Ecclesia fuerit usitata, et hodiedum sit, nec nisi impie a Wicleffo derideatur manuum impositio in sacramenti hujus administratione : nunquam tamen credebatur ad peccatorum absolutionem esse necessaria. Quas enim Scriptura sacra manuum impositiones meminit, vel curationes ægrotorum prodigiosas concernunt, vel parvulorum benedictiones Marc. 10. v. 16. vel administrationem sacramentorum Confirmationis et Ordinis.

Concilium Carthaginense publice pœnitentes, qui in mortis periculo privatim absolvebantur, jubet, si reconvaluerint, in tertium pœnitentiæ gradum reverti, ubi Episcopus et Clerus ipsis tempore jejuniorum prostratis manus imponebant, non quidem absolvendo a peccatis, sed pro ipsis orando, aut eos Ecclesiæ reconciliando, ut absoluto pœnitentiæ tempore fiebat. Ex hactenus disputatis.

114. *Colliges* 1°. Sacramentum pœnitentiæ non per ipsum genus signi, sed per rem sensibilem formalitati signi subjectam recte definiri : *Compositum morale constans ex actibus pœnitentis, et verbis sacerdotis, institutum ad significandam et conferendam gratiam remissivam peccati post baptismum commissi.* Si vero res sensibilis in suas partes distincta, ad modum rerum artificialium definiatur, erit *Confessio legitime in foro pœnitentiæ facta, et absolutione judicis sacri firmata.* Ubi perperam absolutio pro genere poneretur : hoc enim cum rationem habeat materiæ, melius per partem materialem explicatur.

2°. Durandus d. 14. q. 3. contendit, sacramentum hoc potius dici debere *absolutionis*, quam *confessionis*, eo quod illa sit forma, præcipua pars compositi. Sed contrarium ex hac ratione videtur sequi : nam quia materia magis nobis nota est, ab hac sacramenta cætera passim sua nomina acceperunt; ut Baptismus, Chrisma, Unctio extrema, etc. Quin etiam a Patribus ritus iste ut plurimum audit sacramentum *reconciliationis, homologesis, exomologesis,* quod latine *confessio* sonat : quare etiam hodie vulgo sacramentum pœnitentiæ seu confessionis nuncupatur.

ARTICULUS V.

QUAM SIT NECESSARIUM POENITENTIÆ SACRAMENTUM?

Nota. Qui ex hærcticis sacramentum pœnitentiæ aliud a baptismo divinitus institutum esse inficiantur, consequenter ejus necessitatem negant: nam si tale remedium a Christo ordinatum non fuisset, potuissent Christiani a peccatis post baptisma contractis per actus virtutis pœnitentiæ æque expurgari, ac olim in lege antiqua.

Quæritur ergo non solum, an, postquam Christus hoc sacramentum pœnitentiæ instituit, medium istud Christianis omnibus peccato lethali obstrictis ita simpliciter sit necessarium, ut sine illo re aut voto suscepto, salutem consequi non possint? Et quamvis Catholici omnes fateantur, illud ex præcepto Ecclesiastico necessarium esse: videntur tamen quidam ex Scholasticis antiquis ac recentioribus, quos infra nominabimus, negare, hoc idem sacramentum esse ex Christi institutione medium a baptismo graviter lapsis, ad salutem plane necessarium.

Certe Scotus in 4. d. 17. q. un. §. *In ista quæstione.* Gabriel, Medina et Cajetanus putant, ejusmodi necessitatem ex illo loco Joan. 20. v. 22. non colligi.

116. *Dico.* Sacramentum pœnitentiæ necessarium plane medium est ex Christi institutione ad veniam peccatorum lethalium post baptisma admissorum obtinendam.

Prob. I. Ex Scriptura. Christus Matth. 16. v. 19. et c. 18. v. 18. et Joan. 20. v. 22. dum ait Apostolis, *accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata*, etc. constituit sacerdotes judices peccatorum mortalium, committendo ipsis claves regni cœlorum, cum potestate ligandi et solvendi, remittendi peccata et retinendi: atqui si fideles sine ipsorum ministerio possent cœlum intrare, solvi a peccatis, eorumque remissionem obtinere, frustra et jocularitер potestas talis sacerdotibus commissa fuisset; sic enim nemini possent peccata retinere, h. e. negare, aut differre absolutionem ab eis. Ergo judicium sacerdotum, seu, quod idem est, pœnitentiæ sacramentum, ex Christi institutione est simpliciter necessarium ad remissionem peccatorum lethalium a baptismo admissorum. Hoc argumento utitur Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. Et pridem ante S. Augustinus eodem argumento usus homil. 49. inter 50. (al. hom. 392. n. 3.): *Agite*, inquit, *quæso, pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.* Videlicet si aliunde aditus in domum pateat, frustra uni claves crederentur.

Prob. II. Testimoniis Patrum supra art. 1. et 2. recitatis: quibus aliqua hic pro auctario subjicimus. Origenes L. 3. Periarchon. c. 1. circa medium (opp. t. 1. p. 120. c. interpret. Rufin.): *Qui non prius*, inquit, *suorum peccatorum cognoverit mala, ac proprii oris confessione prodiderit, is absolvi non poterit.* Basilius M. in id Ps. 32. (opp. t. 1. p. 132. E.) *Misericordia*

Domini plena est terra, dicit, Deum velle remittere peccatum, si tamen contritio et confessio adsit. Idem regula 288. ex brevioribus (opp. t. 2. p. 516. D.) *Necessario*, inquit, *iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*. Idem habet in epist. 15. ad Amphilochium cap. 73.

S. Leo epist. 91. ad Theodorum Forojuliensem episc. (al. 108. c. 2.): *Multiplex*, inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc Ecclesiæ præpositis*, etc. ut in fin. art. 2. Si ergo sine sacerdotum supplicatione venia peccatorum obtineri nequeat, supplicatio ista sive absolutio sacerdotum jure divino necessaria erit.

Prob. III. Si lex adeo difficilis confitendi peccata etiam maxime propudiosa, esset instituta ab homine, vel non fuisset admissa præcipue a potentioribus, vel desuetudine abrogata fuisset, ut etiam legibus Apostolicis contigit, vel saltem aliqui ejus veniam interdum seu dispensationem impetrassent. Atqui horum nihil unquam evenisse recordamur. Igitur evidens signum est, divina auctoritate illam ab Apostolis Ecclesiæ fuisse commendatam; quemadmodum de hujusmodi ritibus et præceptis docet S. Augustinus L. 4. de Bapt. contra Donatistas c. 24.

Conf. Minutius Felix Tertulliano coævus, in Octavio c. 9. scribit, Christianos ab ethnicis risu exceptos fuisse, quasi adorarent virilia sacerdotum, eo quod ad horum genua provoluti peccata confiterentur.

117. *Obj. I.* Multa possunt dari media utilia seu sufficientia ad eumdem finem, quamvis nullum eorum simpliciter sit necessarium; ergo ex eo, quod Christus judicium sacerdotum tanquam utile ac sufficiens ad peccatorum remissionem instituerit, non legitime concluserunt Patres Tridentini, illud esse necessarium.

R. *D. Cons.* Si ex eo solum, quod sacerdotes a Christo instituti sint judices, Patres Tridentini colligebant, judicium hoc esse medium necessarium ad remissionem peccatorum, non legitime concluserunt *C.* cum ex eo, quod tales sint judices, ad quos pertineat remissionis aut retentionis peccatorum sententiam, pronuntiare, judicii hujus necessitatem Patres collegerint, non legitime concluserunt *N.* Si confessio non esset necessaria, sed voluntaria duntaxat, sacerdotes remittere quidem peccata possent, retinere non possent. Ad exercitium ergo utriusque hujus actus opus est, ut fideles teneantur uti hoc medio tanquam necessario ad peccatorum remissionem. Nam cum Matth. 16. v. 19. sacerdotibus creditæ sint claves regni cœlorum, hoc peccatori sine clavium actu patere nequit: hoc enim sub clave clausum esse dicitur, quod sine clave non potest aperiri; secundum illud Apoc. 3. v. 7. *Qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.*

Inst. 1. Sola pœnitentis contritione remittuntur peccata, quin illa sacerdos retinere possit; ergo ex potestate retinendi non colligitur, pœnitentiæ sacramentum esse medium necessarium ad peccatorum remissionem.

R. *D. Ant.* Sola pœnitentis contritione remittuntur peccata absolute *N.* ea conditione, ut judicio isti maneat adhuc obnoxius *C.* Semper manet obligatus huic tribunali, ut in eo sententiam absolutionis aut retentionis excipiat. Nam licet in dato casu peccata quoad culpam non retineantur; nihilominus quoad obligationem confitendi retinentur a Christo, cujus institutio et lex nondum est impleta. Unde sequitur, sacramentum istud re aut voto suscipiendum medium esse necessarium ad peccatorum remissionem.

Inst. 2. Secundum hactenus dicta, videmur petere principium : præsumimus enim necessitatem confitendi peccata; et ex hac necessitate inferimus, manere obligationem confitendi peccatum etiam contritione perfecta jam deletum.

R. *N. Assumpt. et ejus probat.* Cum sacerdotibus potestas universe et generatim commissa sit in omnia peccata mortalia, necesse est, ut possit circa omnia efficaciter exerceri : atqui non posset exerceri ullo modo circa peccata per contritionem remissa, nisi maneret saltem obligatio illa confitendi; ergo ex illa potestate optime colligimus et necessitatem sacramenti, et obligationem confitendi.

Inst. 3. Secundum etymologiam τὸ *retinere* non solum significat non remittere, sed præcipue significat actum positivum ligandi : ex positiva autem hac significatione hoc solum conficitur, solutum aut ligatum manere, quem sacerdos solverit aut ligaverit; quod si hoc sacerdos non fecerit, alia via peccatorem solvi posse aut ligari. Ita Jansenius in Concordia c. 147.

R. *D. Ant.* Verbum *retinere* non accipitur tantum negative, sed significat præcipue actum positivum ligandi, si referatur immediate ad ipsas culpas *N.* in nonnullis aliis actibus et objectis *C.* Sicut verbum remittendi, ita etiam verbum retinendi, in materia præsenti, ad culpas potissimum refertur : culpæ autem non possunt directe per actionem positivam retineri. Sane Cyrillus, Euthymius, Rupertus aliique Patres antiqui retentionem illam per negationem veniæ explicarunt. Quanquam judicium ipsum, quo quis indignus absolutione censetur, actus sit positivus, et prolatio sententiæ retentionis, ut Tridentinum loquitur. Actus autem iste positivus adhuc firmat nostram consecutionem : si enim sacerdotes jus habent ferendi hoc judicium, remittendi et retinendi peccata pro causæ meritis, necesse est, ut pœnitentes sese illis sistant.

Inst. 4. Ex eo, quod sacerdos retinere venialia possit, negando eorum veniam indispositis, non infertur, sacramentum pœnitentiæ esse medium necessarium ad remissionem peccatorum obtinendam; ergo a pari ex potestate retinendi peccata mortalia non dispositis ad recipiendam absolutionem non infertur legitime necessitas absoluta sacramenti pœnitentiæ lapsis in peccata gravia.

R. *N. Cons.* Non est par ratio. Nam si, retento peccato mortali, clavis non erret, vere culpa manet; quod si etiam clavis forte erraverit, manet semper obligatio procurandi absolutionem in foro illo. E contra sacerdos peccati venialis absolutionem negans retinet illud tantum secundum quid, h. e. ut sacramentaliter non absolvatur; non autem necessario deinceps foro illi subjiciatur.

Inst. 5. Remissio peccatorum, de qua Joan. 20., intelligi non potest, nisi

supposita voluntaria subjectione peccatoris; ergo neque retentio peccatorum intelligi potest, nisi voluntarie peccator se sacerdoti subjecerit. Ergo sacerdos ea solum retinere peccata potest, quorum se pœnitens accusare voluerit, non vero ea quæ noluerit aperire. Ergo ex utraque hac potestate non concluditur, confessionem esse medium necessarium ad peccatorum remissionem impetrandam.

R. *D. Ant.* Hoc est, sacerdos non potest remittere peccatum, cujus se pœnitens non accusaverit *C.* Quasi pœnitenti arbitrarium sit peccata sua retinere, aut aliquorum tantum se accusare, queis a sacerdote solvatur, et peccatorum silentio pressorum veniam aliunde consequi *N. Ant. et tres ejus consecutiones.* Rem istam Christus non permisit liberæ voluntati peccantium, neque ait: *Accipite potestatem remittendi et retinendi peccata, quæ ipsi peccatores voluerint*, sed simpliciter, *remittendi et retinendi peccata.* Igitur adjecta illa limitatio detrahit verbis Christi, et potestati ministrorum, quorum judicio et arbitrio causæ istæ fuerunt creditæ. Deinde si liberum cuique sit nolle judicari a sacerdote de peccatorum remissione vel retentione; ergo pœnitens, cui peccati confessi absolutio negata fuit, ejusdem veniam aliunde sine nova confessione et sacerdotum opera, per contritionem v. g. obtinere poterit, sicut fere in simili casu peccatorum venialium posset evenire: nec enim facta semel confessio obligationem illi addidit; nec sacerdos, utpote functus officio, addere eam posset. Igitur ut retinendi potestas sit efficax, oportet, illam simpliciter et absolute cadere in peccata, et inde intelligi obligationem confitendi et subjiciendi peccata absolute huic potestati, non vero cum conditione, si confiteri illa peccatori libuerit.

Quanquam enim hæc clavium una eademque sit potestas, primario in gratiam pœnitentium et peccatorum remissionem ordinata; quia tamen etiam in favorem divinæ causæ seu justitiæ instituta fuit, juxta cap. 8. et can. 15. Sess. 14. Concilii Trid., vis retinendi evasit suo modo coactiva ad castigandum et vindicandum delicta; requirit ergo aliquam necessitatem ex parte rei: cumque in hoc foro externa violentia locum non habeat, oportet ut coactio fiat per obligationem præcepti, quo non ea solum peccata clavibus submittantur, quorum se reus voluerit accusare, alias potestas in hunc finem esset valde inefficax; sed absolute omnia ad injurias Dei vindicandas. Ex quibus apparet, cur necessitas sacramenti hujus magis ex actu retinendi, quam remittendi peccata colligatur.

118. *Obj. II.* Christus constituit etiam sacerdotes judices peccatorum venialium; non tamen ex eo legitime infertur, judicium eorum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum: ergo neque est bona illatio Patrum Tridentinorum pro necessitate sacramenti pœnitentiæ, quia sacerdotes Christus constituit judices omnium peccatorum.

R. *D. Ant.* Christus constituit sacerdotes judices peccatorum venialium, ad illa eodem modo remittenda et retinenda, quo remittunt ac retinent mortalia *N.* ad venialia quidem remittenda, non autem simpliciter retinenda *C.* Potestas retinendi non ita proprie ac simpliciter extenditur ad venialia peccata, sicut ad mortalia. Concilii autem argumentum non tam ducitur ex potestate judicandi absolute, quam ex potestate judicandi cum facultate remittendi peccata.

Inst. Verba Christi simplicia sunt, et quoad utramque partem indefinite et indistincte cadunt in peccata ; ergo vel sub utroque membro venialia peccata comprehenduntur, vel sub neutro.

R. *D. Ant.* Indistincte cadunt in peccata, ita tamen ut ipsorum sensus peccatis utrisque accommodari debeat modo illis proportionato *C.* ut par omnino sit utrorumque ratio tam quoad remissionem, quam quoad retentionem *N.* Potestas remittendi consecutione quadam a mortalibus ad venialia deducitur. Nam si virtus clavium sufficit ad tollendam injuriam simpliciter et ad amovendum impedimentum, quod nobis aditum in cœlos perpetuo præcludit : quanto magis sufficiet ad amovendum impedimentum temporaneum venialis culpæ, injuriæ secundum quid, cujus venia in hac vita facilior est et in purgatorio amicis dari solet. E diverso quod peccata venialia sint tantum injuriæ secundum quid, quod nemini cœlum occludant, sed sint tantum impedimenta temporalia ab ingressu in cœlum, quæ in purgatorio auferri queunt, non potuit ad ista æque extendi potestas retinendi, atque se extendit ad peccata mortalia. Quamvis ergo verba Christi simplicia et uniformia esse videantur, quia tamen in ipso nomine, *peccata,* analogia latet, exigunt plane, ut cum proportione ad ea, quæ sub se continent, applicentur juxta materiæ capacitatem.

119. *Obj. III.* Juxta Gratianum Causa 33. q. 3. duæ erant inter viros sapientes et religiosos opiniones de confessionis necessitate ; ergo libera tunc fuit, nec divino jure præcepta.

R. *D. Ant.* Juxta Gratianum duæ erant opiniones in Ecclesia de confessionis necessitate quoad effectum, h. e. quoad veniam consequendam *C.* quoad præceptum *N.* Duplex quæstio est de confessione, altera Catholicos inter et hæreticos de confessionis necessitate quoad præceptum, an omnibus post baptismum in crimina lapsis a Christo præcepta sit, et in Ecclesia semper usurpata : altera inter Theologos de confessionis necessitate quoad remissionem peccatorum, an prima gratia contritione ante confessionem et sacramentum, an vero in sacramento demum obtineatur. Primam de lege Christi ac præcepto circa confessionem hic non attingit Gratianus; sed secundam, quæ non mediocri animorum contentione in utramque partem agitabatur. Hanc postremam solum controversiam expendit Gratianus, disputans de effectu confessionis, non de præcepto. Quod patet 1°. ex ipso quæstionis titulo : *Si sola confessione cordis crimen possit deleri?* 2°. Ex verbis, quibus primam opinionem exhibet : *Sunt enim,* inquit, *qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiæ et sacerdotali judicio posse promereri.* Passim etiam hisce locutionibus promiscue utitur : *sine confessione : ante confessionem : in contritione : non in confessione.* 3°. Quia de venia, justificatione, et remissione peccatorum semper loquitur; non autem de salute. Eodemque spectant testimonia Scripturæ et Patrum, quæ adducit : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos,* etc. et illud Augustini : *Nondum pronuntiat ore; et tamen Deus jam audit in corde.* Idem suadent comparationes, quas adducit, v. g. de leprosis : qui mundati sunt, antequam sese ostenderent Sacerdotibus; de Abrahamo, qui justificatus est ante circumcisionem. 4°. Hoc idem Gratianus identidem colligit his et similibus verbis : *Ex quo datur intelligi, quod antequam sacerdotibus peccata nostra*

confiteamur, a lepra peccati mundamur... Patet, quod antequam quisque confiteatur peccatum, per gratiam internæ compunctionis absolvitur... Cum ergo ante confessionem, ut probatum est, simus resuscitati per gratiam, etc.

Huc etiam spectavit Gratianus Can. *Quidam,* supra n. 102. Inst. ad Obj. 2. indicato, nimirum eam esse vim contritionis, et confessionis Deo factæ, ut peccata purget invisibili Dei operatione. Canonem istum, quem Usserius et Dallæus Acatholici scriptores etiam interpolatum esse fatentur, repurgatum exhibet editio decreti jussu Gregorii XIII. accurata.

Inst. 1. SS. Thomas in 4. d. 17., Bonaventura ibid., Antoninus in Chronico part. 2. T. 15. sect. 19. aliique passim Gratianum accipiunt de lege confessionis; ergo.

R. *N. Cons.* Plurimi sunt, qui existimant Gratianum non de ipsa confessione, sed de confessionis effectu ac efficacia contritionis illic disputare. Id quod ex nuper disputatis apparet, tum quod ibidem Gratianus scribat, argumentum quod tractabat talis conditionis esse, ut de eo ultro citroque a sapientibus ac religiosis viris ætate illa disputaretur : atqui nullus Theologorum illius ætatis necessitatem confessionis ex divino præcepto faciendæ negabat; ergo Gratiani dissertatio tantum de confessionis et contritionis effectu erat instituta. *Prob. Ass.* inductione sapientum, qui Gratiano coævi aut suppares erant. Goffridus Vindocinensis Abbas L. 5. epist. 16. (inter opera Sirmond. t. 3. p. 858. C.) fuse probat, confessionem, non quatuor tantum criminum, ut adstruebat Guillelmus quidam, sed omnium prorsus esse necessariam, atque *hoc esse certum, nihil hoc certius esse, idem ad fidem Catholicam pertinere.*

S. Bernardus in exhortatione ad milites templi c. 12. (opp. t. 1. p. 556. E. edit. Mabill.) *Quod si,* inquit, *quispiam confiteri confunditur... talis pudor peccatum adducit... quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire.* Idem S. Bernardus primum edidit miraculum, ut ne vir quidam nobilis sine confessione moreretur; quemadmodum in vita ejus Guillelmus S. Theodori Abbas Bernardo coævus narrat.

Theobaldus Stampensis in epist. ad Episc. Lincolniens. scribit, confessionem cordis non fore infructuosam, *si aliquo eventu confessio oris impediatur.*

Petrus Cellensis de disciplina claustrali c. 20. *Maledictus,* inquit, *omnis, qui non amputat per confessionem peccata.*

Robertus Pullus, sententiarum part. 5. c. 10. et p. 6. c. 51. et 59. scribit, *Corde contrito et humiliato mox peccatorum veniam concedi; necesse tamen esse postea confiteri.*

Hugo Victorinus Tom. 2. serm. 53. (p. 368. A.) *Tunc salus,* inquit, *peccatoris incipit, quando veraciter pro delictis suis ingemiscit; quæ tamen salus tunc perficitur, quando id, unde ingemuit, ore confitetur : quæ salutis perfectio, etsi... necessitatis articulo impediatur; per summum tamen sacerdotem... adimpletur.* Mox pluribus edisserit, delicta graviora sacerdotibus pandi oportere. Et Tom. 3. L. 2. de Sacramentis fidei, part. 14. integra, disputans de confessione, pœnitentia, et remissione peccatorum, expendensque illud Jacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini,* scribit (p. 494. A.) : *Hoc est, non salvamini, nisi confiteamini.* Et c. 8.

advertit, multos sensisse, quod in sola cordis contritione, etiam ante confessionem oris, peccata dimittantur : sed non ideo tamen confessionis sacerdoti faciendæ necessitatem ac legem sustulisse; post contritionem enim cordis, confessionem quoque oris esse necessariam : quia (p. 499. H.) *si quis, etiam post impetratam veniam peccatorum, confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis divinæ contemptor, reus... erit.*

Richardus Victorinus de potestate ligandi et solvendi c. 5. (opp. p. 330. E.) *Vera pœnitentia*, inquit, *est abominatio peccati cum voto cavendi, confitendi, satisfaciendi... solus sub hac conditione non tenetur, cui exsequendi facultas divinitus denegatur*; et c. 8. *nam si facere neglexerit, periculum æternum non evadit.*

Petrus Blesensis L. de Confessione sacramentali (opp. p. 437.) ejus necessitatem probat verbis S. Augustini, quæ aliquoties jam recitavimus : *Nemo dicat, occulte confiteor, etc.* Tum, *si vero*, inquit, *pudor prohibeat confiteri; recolat, quomodo libri conscientiarum aperientur coram omnibus in die judicii.*

Petrus Lombardus 4. sent. d. 17. duas movet controversias, perinde ac Gratianus, alteram de vi contritionis; alteram vero deinceps de confessione; ibi autem sancit ex Jacobi mandato et plurium veterum dictis, *indubitanter ostendi oportere, Deo primum, ac deinde sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi, si facultas adsit.*

Petrus Pictaviensis sententiar. part. 3. c. 12. ait pariter, confessionem esse necessariam, et quidem sub pœna peccati mortalis; cap. autem 13. eam fundat in Christi verbis et Apostoli jussu.

Igitur sapientes illi ac religiosi viri, quorum meminit Gratianus, non de confessione dubitabant aut disceptabant; sed de alio quodam capite prorsus diverso, hoc est, de contritionis efficacia.

Inst. 2. Glossa in princip. de Pœnitentia dist. 5. dicit, ritum confitendi peccata institutum esse ab Ecclesia vel ab Apostolo Jacobo, quam, teste Navarro, secuti sunt nonnulli Canonistæ. S. etiam Bonaventura d. 17. 5. p. a. 1. q. 3., Alexander 4. parte, q. 17. alias 76. membro 3. a. 2. docent, institutam quidem a Christo confessionem fuisse, sed non præceptam; ergo confessio non est medium ita necessarium.

R. *N. Cons.* Sumpserunt ista ex Hugone Victorino L. 2. de Sacramentis p. 14. c. 1.; at hic scribit, confessionem fuisse de jure divino legis veteris, et Christum Dominum non dedisse in hoc novum præceptum, sed specialem modum priori addidisse; ergo existimabat Hugo, confessionem non fuisse juris humani, sed divini. Igitur S. Bonaventura et Alensis docent, institutum quidem a Christo fuisse sacramentum confessionis quoad significationem et efficaciam, promulgatum vero tantum a Jacobo quoad præceptum. Nam si confessionem Christus ipse non præcepisset, ab Ecclesia profecto tantum onus fidelibus imponi minime potuisset, ut pluribus ostendunt Scotus d. 17. q. 1., Durandus q. 8., Paludanus q. 2. a. 2., Sotus d. 18. q. 1. a. 1., Navarrus de Pœnit. d. 5. n. 18., Canus et alii. Quorum sententiæ etsi Adrianus et nonnulli Theologi repugnent; omnes tamen solide concludunt, præceptum confitendi peccata antiquius omni canone humano esse, adeoque a solo Christo et Apostolis voluntatis divinæ præconibus

Ecclesiæ commendatum : nec fieri potuisse, ut legi humanæ tam severæ, tamque dubii juris non adversarentur Christiani proceres, aut nulli unquam ejus venia fieret. Hinc Jansenius in Concordia cap. 147. scribit, Apostolos ex Spiritus sancti inspiratione intellexisse, hanc fuisse Christi intentionem, eamque Ecclesiæ tradidisse.

CAPUT II.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

—

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT HUJUS SACRAMENTI FORMA?

120. *Nota I.* Consuetam hujus sacramenti formam his verbis, *Ego te absolvo*, etc. comprehendi, legimus ex Conciliis Florentino in decreto Eugenii §. *Quartum sacramentum*, et Tridentino Sess. 14. c. 3. Formulam istam rejiciunt hæretici nostræ ætatis, quibus absolutio nihil est aliud, quam *ministerium annuntiandæ remissionis peccatorum*, ut Melanchthon in Locis an. 1543. editis scribit.

Nota II. Inter Catholicos Theologos quidam, quos alias indicabo, non probabant formam hanc per modum indicativum efferri, sed deprecando potius recitandam censuerunt.

Alphonso Tostato, 1. part. sui Defensorii c. 6. non videbatur dicendum, *absolvo*, quod magis proprie verbum, *remitto*, adhiberetur. Gabriel distinct. 14. q. 2. putat, addi debere, *ab omnibus peccatis*. Durandus d. 22. q. 2. invocationem SS. Trinitatis judicat esse de necessitate hujus formæ. In quam sententiam Joannes Major et Petrus Sotus inclinant.

121. *Dico.* Forma hujus sacramenti conveniens et sufficiens sunt verba ista formaliter sumpta : *Absolvote.* Ita S. Thomas q. 84. a. 3. et in 4. d. 22. q. 2. a. 2. et Theologi communiter.

Prob. 1ª. *pars* argumento S. Thomæ. Cum sacramenta novæ legis efficiant, quod significant, forma debet significare id, quod in sacramento agitur proportionaliter materiæ sacramenti. Atqui pœnitentiæ sacramentum non consistit, ut reliqua, in consecratione alicujus materiæ, nec in usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed in remotione materiæ cujusdam, prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur : Ego te absolvo. Nam peccata sunt quædam vincula, secundum illud Prov. 5. v. 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur : Unde hæc est convenientissima forma.

Conf. 1. Ut significetur effectus hujus sacramenti, necesse omnino est verbum, *absolvo*, aut simile aliud adhiberi : opus item est pronomine, *te*, ut significetur persona, cui effectus impendatur; ergo hæ duæ voces requiruntur ad constituendam essentiam formæ hujus sacramenti.

Conf. 2. Sacerdos est vere judex a Christo constitutus, ut supra probavimus; ergo convenienter utitur verbis illis, *absolvo te* : ejus enim sententia ex institutione Christi est infallibilis, et simul cum ipso et per ipsum Deus judicat, quin ideo sacerdoti auctoritas divina, aut potestas excellentiæ tribuatur.

Prob. 2ª. *pars.* In sermone etiam vulgari cum deprecantibus dicimus, *condono tibi, vel remitto tibi*, remissionem offensæ et injuriæ a nobis fieri indicamus : et in judiciis civilibus hæc duo verba, *absolvo te*, sufficiunt ad reum liberum pronuntiandum; ergo etiam sufficient in sacramento pœnitentiæ ad totum formæ effectum exprimendum.

122. *Obj. I.* Per verbum indicativi modi proprie sumptum potius significatur remissio principalis, seu, ut vocant, auctoritativa; ergo verba hæc, *absolvo te*, non convenienter adhibentur in formam sacramenti.

R. *D. Ant.* Per verbum indicativi modi significatur remissio principalis, si non restringatur a persona et intentione proferentis *C.* secus *N.* Sacerdos est tantum *minister Christi et dispensator mysteriorum Dei*, ut protestatur Apostolus 1. Cor. 4. v. 1. nec alio nomine actionem aggreditur, nisi tanquam judex ministerialis. Excellit tamen judicem humanum inferiorem, quod hujus sententia non sit omnino firma et irrevocabilis seu definitiva, donec per superiorem confirmetur : at sententia sacerdotis ultima sit et definitiva, cum sit vere simul sententia Dei ut judicis principalis, ac sacerdotis ut ministri.

Inst. Reatus pœnæ est quoddam vinculum morale; non vero peccata sunt vincula, quæ solvi possint, sed sunt potius injuriæ et offensæ, quæ remittantur, et Christus tantum dixit : *Quorum remiseritis*; ergo improprie et contra Christi institutionem adhibentur, *absolvo te.*

R. *N. Ant.* Licet pœna sit actus, ad quem sontes ligantur, tamen funes, quibus ligantur, sunt ipsa peccata, quæ illos constringunt et detinent ad supplicium, ut sine gratia Dei illis expedire se non possint. Hinc Isa. 52. v. 2. dicitur : *Solve vincula colli tui.* Et 58. v. 6. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Ps. 118. v. 61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Christus etiam Matth. 16. v. 19. ait : *Quodcumque solveris super terram.* Et. c. 18. v. 18. *Quæcumque solveritis.*

Non ergo debebat Tostatus offendi hac voce, *absolvo*, neque in re tantilla discrepare ab usu communi et traditione Ecclesiæ. Cum verbum, *absolvo*, sit usitata in omnibus judiciis formula : e contra vox, *remitto*, latius pateat, et a quocumque privato injurias aut debita condonante adhiberi soleat.

123. *Obj. II.* Sacerdotes absolventes solent certas in ritualibus præscriptas preces præfari; dicunt semper : *Absolvo te a peccatis tuis* : et Concilia dum dicunt formam esse, *absolvo te*, addunt, *et cætera.* Ergo hæc duo verba, *absolvo te*, non sunt forma sufficiens ad hoc sacramentum perficiendum.

R. *N. Cons.* Hoc solum ex argumento sequitur, verba illa, cum distincta

invocatione SS. Trinitatis, ex necessitate præcepti esse adjungenda : eo quod in sacramentorum administratione teneamur servare ritus ab Ecclesia præscriptos, ut jubet Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 13. de Sacram. in genere. Quod etiam accipiendum de præscriptis precibus est, nisi harum omissionem necessitas, aut pœnitentium copia suaserit. Loquendo ergo de necessitate absoluta, pronomen, *ego*, sine dubio redundat, cum illud persona prima, *absolvo*, necessario contineat.

Inst. 1. Verba quæ requiruntur ad completam significationem et sensum formæ, sunt de formæ essentia : atqui verba, *a peccatis tuis*, determinant significationem verbi, *absolvo*, quod alioquin est indifferens ad liberandum a censura, pœna, aut peccato; ergo saltem illa verba sunt de essentia hujus formæ.

R. *D. Assumpt.* Verbum, *absolvo*, secundum se ac seorsim spectatum indifferens est ad quamlibet absolutionem *C.* supposita confessione, super quam cadit, est ita indifferens *N.* In hisce circumstantiis satis determinatam habet significationem. Sicut enim forma ultimo determinat materiam, ita vicissim forma a materia solet determinari. Quapropter S. Thomas sup. cit. verba illa, *a peccatis tuis*, ad formæ essentiam non requirit; neque illa necessaria esse censent S. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 21. §. 1., Sylvester et Cajetanus, in Summa, verbo *Absolutio*, Navarrus, Sotus, Suarez et Theologi plerique. Quod si quis illa etiam adjecerit putans, ad formæ essentiam ea spectare, non continuo formæ substantiam component, aut effectus sacramenti tunc demum producetur, quando desierint efferri : neque enim cum essentia sacramenti posita fuerit, ejusdem effectus suspensio ex ministri arbitrio amplius pendet.

Inst. 2. Unicum verbum, *absolvo*, prolatum a judice civili, ob circumstantias accusationis ac defensionis, sufficit ad reum ab omni criminatione absolvendum; ergo idem unicum verbum ob similes circumstantias a sacerdote prolatum sufficiet ad pœnitentem peccatis absolvendum, quin dicatur, *absolvo te.*

R. *N. Cons.* Ratio discriminis apparet ex iis quæ dicunt Theologi in tract. de Baptismo, ubi probant, exprimendam esse personam, quæ baptizatur, quod etiam in sacramentis cæteris locum habet. Sicut enim verbum, *baptizo*, non satis significat actum determinatum ad personam et tempus, cui actio applicatur : ita etiam verbum, *absolvo*. Quam Christi institutionem, tanquam quæstionem facti melius ex consensu Doctorum, et decretis Conciliorum intelligimus, quam ex usu fori civilis, cum quo sacramenti hujus administratio in non paucis convenire non potest.

Inst. 3. Sacerdos exhibere se debet absolvendo ut Dei ministrum : atqui hoc præstat dicendo : *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*; ergo hæc SS. Trinitatis invocatio videtur necessaria esse ad essentiam formæ hujus sacramenti, sicut requiritur etiam ad formam baptismi.

R. *N. Cons.* Non est necesse, ut in omnibus sacramentis causa principalis exprimatur. Christus diserte jussit baptizari *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Et baptismus est janua Ecclesiæ, et solemnis professio fidei explicitæ in SS. Trinitatem, quæ per se loquendo ac primario est necessaria in lege gratiæ. In sacramento autem pœnitentiæ ratio ista congruentiæ locum non habet : nec verba Christi Joan. 20. nec Ecclesiæ traditio suadent, hanc

SS. Trinitatis invocationem in absolutione usurpandam esse, quippe quæ duodecim prioribus seculis nec in latina, nec in græca Ecclesia fuit usurpata. Hinc S. Thomas nuper cit. scribit, nullum extare de hac re Christi præceptum, sed *hoc relinqui arbitrio sacerdotis*. Quod autem adjungit Conc. Tridentinum, *et cætera*, indicat, se quæstiunculas illas Doctorum disputationibus relinquere.

ARTICULUS II.

AN AD FORMAM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ SUFFICIANT VERBA PRECATORIA ?

124. *Nota I.* Clavem sacerdotis non se extendere ad remissionem culpæ nisi per modum deprecationis, censuerunt olim S. Bonaventura d. 18. a. 2. q. 1. et 2., et Alexander q. 8. et Guillelmus Paris. c. 9. de Sacram. Pœnit. Hi sine dubio sufficientem esse pronuntiabant formam deprecatoriam sive impetratoriam. Quibus accesserant Joannes Mayro d. 14. q. 2. Dom. Sotus d. 3. a. 5. palam affirmans, formam hanc esse validam : *Absolvat te Christus.*

Joannes Morinus L. 8. de administratione Sacram. Pœnit. c. 12. testimoniis quam plurimis ostendit, Græcos quovis seculo absolutionem sacramentalem expressisse, ac nunc etiam exprimere verbis deprecatoriis. Id quod etiam in Ecclesia latina jugiter factum fuisse usque ad seculum duodecimum fuse probat idem Morinus c. 8. 9. et seqq.

Nota II. Advertit hic Suaresius d. 19. sect. 1. n. 25. verba precatoria seu impetratoria bifariam posse accipi; scilicet formaliter, prout nimirum non habent sensum alium, quam deprecandi; materialiter autem accipiuntur eadem verba, quæ cum in sensu deprecandi proferri possint, proferuntur modo et intentione impetrandi : ut si quis pro potestate verba ista, *Absolvatur Petrus*, tanquam actum judicialem proferat, ait esse æquipollentia formæ communi, qua sacerdos Petro dixerit : *Absolvo te.*

125. *Dico.* Forma sacramenti pœnitentiæ non potest esse mere precatoria aut impetratoria. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. ad 1. Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel et reliqui in 4. d. 14. Petrus Sotus lect. 4. de Confess., Navarrus c. 1., de Pœnit. dist. 6. num. 9., Suarez, etc.

Prob. I. Christus dedit Apostolis potestatem ligandi et solvendi, eosque judices constituit, quibus facultas sit remittendi et retinendi peccata : atqui judex exsequens munus suum, ac decidens causas, profert sententiam suam asserendo, vel negando, neque utitur forma deprecatoria, aut aliena ope fieri postulat, quod sibi injunctum est; ergo.

Prob. II. Cum novæ Legis sacramenta efficiant, quod significant, ac vicissim significent, quod efficiunt, forma pœnitentiæ debet significare, quod minister efficit : at hic non tantum exorat, et impetrat peccatorum remissionem, sed hanc facit, et pro potestate confert; hinc S. Scriptura non meminit precum a sacerdote adhibendarum, neque ait : *Quibus solutionem aut remissionem peccatorum postulaveritis, soluta et remissa erunt,* sed *quæcumque solveritis, quorum remiseritis peccata.* Ergo illa tantum soluta erunt, quæ habens claves et potestatem solverit : nam qui petit aliquid solvendum aut remittendum, non solvit, aut remittit.

Prob III. Concilia Florentinum, Tridentinum et Moguntinum c. 24. (Labb.

t. 14. p. 677. D.) præscribunt sacramento pœnitentiæ administrando formam simpliciter enuntiativam, ut solet adhiberi in judiciis, et nuspiam pure deprecativam : imo Synodus Tridentina Sess. 14. c. 3. diserte protestatur, *preces quasdam de Ecclesiæ sanctæ more laudabiliter quidem adjungi; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectare, neque ad ipsius sacramenti administrationem necessarias esse.*

B. Thomas autem Opusculo 22. scribens contra quemdam sua ætate contendentem pro forma deprecatoria, ait sententiam istam esse *præsumptuosam, ne dicam, erroneam.* Tum vero subdit : *Miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.*

126. *Obj. I.* Christus reliquit Ecclesiæ arbitrio, determinare formam sacramenti pœnitentiæ; ergo perinde est, sive hæc utatur forma deprecatoria, sive huic plusquam undecim seculis usitatæ formam enuntiativam substituerit.

R. *D. Ant.* Reliquit Ecclesiæ arbitrio determinare formam, cujus significatio effectui respondeat *C.* quæ non significet, quod efficit sacramentum *N.* Si forma hujus sacramenti tot seculis deprecatoria fuisset, non ausus fuisset S. Thomas seculo duodecimo proximus, sententiam asserentem, quod hæc sufficiat, tam acri censura perstringere, et ex verbo Dei probare, quod nullo modo ad absolutionem idoneæ sint hæ voces, *absolutionem et remissionem tribuat tibi Deus,* ut c. 1. opusculi citati argumentatur. Deinde nullum potest Concilium vel statutum produci, quandonam hæ voces, *absolvo te,* fuerint institutæ, et sua vis formalis deprecatoriis adempta, cum nihilominus a seculo duodecimo usque ad nostra tempora precandi formulæ verbis, *absolvo te,* et præmitti soleant, et subnecti.

Inst. 1. Sicut ex verbis illis Jac. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum,* etc. colligimus, formam extremæ unctionis deprecatoriam esse : ita cum mox subjiciat Apostolus : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini,* pari ratione hoc idem de forma pœnitentiæ sacramenti demonstrabimus.

R. *N. paritatem.* 1°. Quia sequela contradicit Concilio Tridentino, quod formas deprecantes ab essentia sacramenti pœnitentiæ penitus arcet. 2°. Quia B. Jacobus per verba, *confitemini,* etc. sacramentum quidem confessionis indicat; sequentibus tamen verbis, *orate pro invicem,* etc. solum preces ferventes justorum omnium intelligit, quæ vim sacramenti non habent, sed impetratoriam solam ex opere operato, ut ratio mox addita indicat : *Multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias erat homo similis nobis, et oravit, ut non plueret, et non pluit annos tres,* etc. Quin etiam, si juxta vocis græcæ significationem accurate sententia Apostoli latine reddatur, ita sonat : Precamini pro vobis mutuo, ut sanemini, ὅπως ἰαθῆτε : unde beneficium temporale solum tali oratione impetrandum colligimus. 3°. Certum est, illis verbis Apostoli promulgari institutionem unctionis extremæ : ita enim declarat Synodus Trident. Sess. 14. c. 1. de Extr. unct. At pœnitentiæ sacramenti institutionem malunt Patres deducere ex illis verbis Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata,* etc. ut eadem Sess. de Sacram. Pœnit. cap. 1. et seq. tradunt. Sicut ergo Ecclesia materiam et formam unctionis

extremæ ex verbis institutionis Jac. 5. intelligit : ita etiam materiam et formam sacramenti pœnitentiæ ex verbis Christi Joan. 20. illud instituentis debet investigare, et revera investigat, ut crebro fatetur Tridentinum locis citatis.

Inst. 2. S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. ult. (opp. t. 2. p. 415. A.) *Satis,* inquit, *est ad remissionem peccati obsecratio, quæ fit a pluribus;* ergo.

R. *N. Cons.* S. Doctor non loquitur de remissione et absolutione sacramentali, sed de reconciliatione publice pœnitentium : nimirum dandam esse iis veniam, indulgentiam et pacem, pro quibus multi sua obsecratione intercedunt : hancque moderationem adhibendam, Pauli auctoritate confirmat, et subdit : *ne tristitia pœnitentem tædio longæ dilationis absorbeat.*

Inst. 3. Idem S. Doctor L. 3. de Spiritu sancto c. 19. omnem sacerdotibus potestatem absolvendi adimit, sola precandi facultate relicta, dum ita disserit : *Neque enim in suo, sed in Patris, et Filii et Spiritus sancti nomine peccata dimittunt* (sacerdotes), *isti rogant, divinitas donat.*

R. *N. Ass.* S. Ambrosius indicat solum Deo tanquam præcipuo auctori tribuendam esse remissionem peccatorum, sacerdotes vero tanquam ministros suum ad id exhibere obsequium; nihilominus vere absolvere, nam allegat verba Christi : *Quorum remiseritis,* etc. Deinde etiam formam nostram indicat dicens : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* a sacerdotibus peccata dimitti.

Ultima verba S. Ambrosii explico *Dist.* Isti rogant formaliter antequam remissionem peccati impertiant, et dum formam remittendi efferunt, rogant virtualiter et æquivalenter *C.* quasi ipsa formula remissionis fuerit precatio formalis *N.* Sacerdos dicens : *Absolvo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* æquivalenter et virtualiter orat, quia sciens, effectum sacramenti præcipue a Deo solo pendere, seque tantum ut ministrum et instrumentum Christi nomine agere, preces Ecclesiæ præmittit, et cum affectu deprecantis subjicit verba indicativa, sententiam absolutionis pronuntiando, iisque Deum determinat ad dandam pœnitenti gratiam. Hanc esse S. Doctoris sententiam constat ex iis, quæ protinus addit : *Per Baptismum quoque peccata donari non est ambiguum. In Baptismo autem operatio Patris et Filii et Spiritus sancti est.* Item Augustinus variis locis, ac præsertim L. 5. de Bapt. c. 20. *Quomodo exaudit,* inquit, *homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen et fiunt, et valent etiam per homicidas.* Atqui omnes consentiunt, formas Baptismi et Eucharistiæ semper ac necessario fuisse indicativas : nam Ambrosius L. 4. de Sacramentis c. 4. n. 14. (opp. t. 2. p. 368. D.), *ubi venitur,* inquit, *ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* Et Patres citati de Eucharistia supra, diserte contestantur, Eucharistiam fuisse confectam a Christo, et hodiedum a sacerdotibus confici verbis hisce : *Hoc est corpus meum.* Igitur hi duo et alii Patres aliud nihil volunt, quam quod Deus sacerdotem super panem et vinum verba proferentem exaudiat, et ad ejus verba indicativa convertat elementa in corpus et sanguinem Christi, atque idem in Baptismo, Confirmatione et Pœnitentia faciat, tribuendo gratiam iis super quos forma sacramenti profertur.

Inst. 4. Augustinus serm. 23. L. 50. homil. (al. serm. 99. n. 8.) in illa

Christi verba Lucæ 7. *Fides tua te salvam fecit : Medicus bonus*, inquit, *ægros non solum præsentes sanabat, sed et futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcumque baptizo... Respondeat illi* (hæretico) *non ego, sed Christus : o homo, quando ego a Judæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. Non ego, respondet tibi Christus. O hæretice, tu cum sis homo, dicis : Veni, mulier : ego te salvam facio. Ego cum putarer homo, dixi : vade, mulier; fides tua salvam te fecit.* Deinde *contra eosdem hæreticos* argumentatur ex facto et exemplo Christi mulieri dicentis, non dimitto, sed *dimittuntur tibi peccata tua*; item ex verbis Christi : *Accipite Spiritum sanctum;* item ex verbis Apostoli 1. Cor. 3. et 6. *Spiritus Dei habitat in vobis,* ut confutet dicentes : si non dimittunt homines peccata, falsum est, quod ait Christus : *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo* ; respondet enim hoc Christum dixisse, quia Spiritum sanctum daturus erat hominibus, qui peccata remittit, et Deus est. *Subsumit* Morin. : atqui non potuisset Augustinus ita, nisi inepte contra hæreticos argumentari, si ipse et alii sacerdotes Catholici hac forma : *Absolvo te,* aut simili indicativa usi fuissent ; ergo tum temporis forma hæc indicativa non erat usitata.

R. *D. Ant.* Augustinus ita argumentatur contra hæreticos, horum formulam, qua in sacramentorum administratione utebantur, comparando cum verbis, queis Christus peccata dimisit *N.* comparando modestiam verborum Christi cum insolentia verborum, queis se hæretici extra administrationem sacramentorum jactabant *C.* Explicatio patet vel ex unica hac phrasi hæreticorum, quam S. Doctor refert : *Ego sano quemcumque baptizo,* quod non potest accommodari ad formam Baptismi. Item quod Christus ad condonanda peccata non usus fuerit verbis ; nam dum ait : *dimittuntur tibi peccata,* indicavit tantum hoc externo signo internum voluntatis suæ affectum, quo solo ei peccata remisit. Hinc *N. subs.* Tametsi enim hodie usurpemus formam indicativam, impertiendo absolutionem ; si quis tamen sacerdotum nostrorum ex hac formula, et ex verbis Christi Matth. 16. et 18. et Joan. 20. ansam caperet cum illis hæreticis se efferendi, tanquam suamet potestate et auctoritate peccata dimitteret, eisdem verbis Christi et aliis argumentis Augustini, a nobis vere et apte confutari posset. Denique hæretici illi occasionem errandi sumpserunt ex formulis indicativis, queis utebantur; neque enim deprecatoria forma fieri id potuit. Ergo tunc temporis sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ per formas indicativas administrabantur, cum non possit ostendi, quod soli hæretici iis usi fuerint ; ergo falsum est, quod duodecim primis seculis forma deprecatoria in usu fuerit.

Inst. 5. Guillelmus Paris. Episc. c. 19. de Pœnit. (opp. t. 1. p. 499. C.) *Neque more judicum forinsecorum,* inquit, *pronuntiat confessor, absolvimus te, non condemnamus, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam satisfactionis tribuat* ; ergo.

R. *N. Cons.* Guillelmus solum indicat, confessorem abhorrere a statu, quo judices seculares ferunt sententiam numero plurali dicendo : *absolvimus te* ; neque etiam condemnare reos, sed modeste dicere numero singulari : *absolvo te,* neque id sine præmissis ad Deum precibus. Quæ responsio patet ex Alex. Halensi, qui fuit æqualis et familiaris Guillelmi, et p. 4. q. 21. membro 1. in θ. ait, precibus pro pœnitente præmissis sacerdotes

subjungere formam indicativam, qua sententiam pronuntiant. Hinc cum Franc. Mayro in 4. d. 14. q. 1. retulisset, in provincia Provinciæ aliquos ita absolvisse : *absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus;* ad 3. respondet, improbatam fuisse istam formam, quia sacramentalia sunt stricti juris, et ideo immutari non debent. Ergo Guillelmi et Mayronis testimonia Morinum non juvant, cum vel inde constet, formas deprecativas recentes fuisse.

Inst. 6. Ut ex manuscriptis variis intelligimus, Ecclesiæ quoad precationes super pœnitentes conveniunt, non item quoad formas alias; aliquæ enim habent : *sis absolutus a me;* aliæ : *absolvimus te;* aliæ : *absolvo te.* Si ergo sacerdos pœnitentem non absolvat precando, non una et eadem fuit olim absolutionis formula; ergo neque idem sacramentum Pœnitentiæ.

R. *D. M.* Non fuit formula absolutionis eadem grammatice *C.* eadem moraliter *N.* Imperativa et indicativa, numeri singularis aut pluralis, idem sensu communi significat.

127. *Obj. II.* In Ecclesia græca prioribus seculis hujus sacramenti forma fuit mere deprecativa : nam in Euchologio typis edito, et in pluribus manuscriptis nihil præter preces a sacerdote pro remissione peccatorum pœnitentis ad Deum fundendas præscribitur. Recentiores item Græci, ut Nicolaus Cabasylas et Hieremias Patriarcha C. P. responsione 1ª. ad Lutheranos, in eisdem precibus formam absolutionis statuunt : atque hodiedum quam plurimi sacerdotum Græcorum aliter non absolvunt; ergo.

R. *N. Ant.* Eædem semper fuerunt formæ sacramentorum in utraque Ecclesia, et prorsus immutatæ in omnibus Ecclesiis, ut fatetur Morinus ipse c. 18. n. 2. Cum ergo Florentinum Concilium, nihil contradicentibus Græcis, ac postea Tridentinum dicant, hujus sacramenti formam solam esse verba, *absolvo te,* vel his similia, sequitur formam Ecclesiæ græcæ nunquam deprecatoriam fuisse. In Euchologia autem tantum relatæ sunt ceremoniæ et preces prolixæ, ab omnibus sacerdotibus super pœnitentes promendæ, non ut eis pœnitentes absolverentur, sed ut adjungerentur formulæ, queis absolutio perficiebatur, quæ in antiquis Latinorum et Græcorum Ritualibus et Pœnitentialibus, justa ex causa omittebantur. Atque hoc Euchologiorum silentium præbere occasionem potuit, cur multi recentiorum Græcorum in sola deprecatione sacerdotum, vim remittendi peccata sitam esse putent, et formam antiquam omittant, quæ sensu indicativo constat, et qua non pauci alii tum Catholici, tum Schismatici etiamnum utuntur, teste Arcudio de Concordia utriusque Ecclesiæ L. 4. c. 3. Presbyteri enim eorum dicunt : *Habeo te venia donatum;* Episcopi vero : *Mea mediocritas habet te venia donatum;* alii : *Divina gratia sanctissimi Spiritus per me peccatorem et minimum servum suum habet condonata, quæcumque peccasti.* Hanc quidem Gabriel Philadelphiensis Episcopus habet : priorem vero tradidit Arcudio Nicephorus quidam Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archidiaconus et Protosyncellus vir doctus. Idem Arcudius ex manuscripto, Russorum idiomate conscripto, talem absolutionis formulam legit : *Ab omnibus peccatis, quæcumque nunc coram me indigno confessus es, liberum te faciat. Ego quoque Pater tuus spiritualis, potestate mihi a Deo et superioribus concessa absolvo te ab omnibus peccatis tuis. Det ergo tibi Deus, ut in hoc et in*

futuro seculo irreprehensibilem te sistas judicio ejus, qui est benedictus in secula. A duobus autem Antiochenis Patriarchis hanc accepit : *Mediocritas nostra habet venia donatum spiritualem filium suum.* Quæ quidem formæ omnes idem sonant apud Græcos, ac si quis latine diceret : *Do tibi veniam, mediocritas mea dat tibi veniam;* hinc omnes sufficiunt ad absolvendum. Minime vero sufficiet, si quis diceret : *Ipse Domine dimitte, remitte, condona peccata hujus N., quia tua est potentia, et tuum regnum Patris*, etc. ; habet enim hæc forma significationem substantialiter diversam ab ista, *absolvo te;* adeoque isti æquivalere non potest.

Inst. 1. Euchologia habent formas Baptismi, Confirmationis, Ordinis, et Extremæ unctionis ; at non apparet ratio, cur formam Pœnitentiæ non contineant ; ergo forma Pœnitentiæ sunt illæ preces, quas sacerdotibus super confessos dicendas præscribunt.

R. *N. Ass.* Ideo Euchologia non habent formam pœnitentiæ, quia manuscripti, unde excerpta sunt, eamdem non habuerunt, quæ tamen formas quatuor illorum sacramentorum continebant : sicut etiam Ritualia latina habent quidem formas quatuor illorum sacramentorum, quin Pœnitentiæ formulam habeant.

Quod si quæras, cur cæteris formulis accurate consignatis in veterum Ritualibus et Euchologiis utriusque Ecclesiæ, Pœnitentiæ solius forma desideretur ?

R. Euchologia et Ritualia antiquorum condita fuisse eo tempore, quo formæ sacramentorum viva voce ministris tradebantur, nec sine necessitate scripto quidquam mandabatur. Opus autem erat, litteris consignari preces in Pœnitentiæ sacramento et aliis usitatas, eo quod plures essent ac prolixæ : item formas et ceremonias quatuor dictorum sacramentorum, quod aliæ atque in speciem diversæ adhiberentur in utraque Ecclesia, ut citra confusionem quælibet suos ritus religiose conservaret. E contra quoniam forma, *absolvo te*, brevissima erat et perpetuo communis utriusque Ecclesiæ, nulla urgebat necessitas hanc litteris mandandi.

Inst. 2. Clemens VIII. in instructione super ritibus Græcorum anno 1595. edita, jubet presbyteros Græcos, homini Latino in necessitate absolutionem tribuentes, uti forma a Concilio Florentino præscripta, eisque permittit adjicere precationem, quam pro forma absolutionis tantum adhibere alias consueverunt ; ergo Pontifex videtur approbare ut validam sacramenti hujus formam precationis ab ipsis in pœnitentes Græcos prolatam.

R. *N. Cons.* Simpliciter et absolute jubet adhiberi formam Concilii Florent. ; ergo solam formam deprecatoriam, aliis Græcis usitatam, tanquam insufficientem repudiat : nam alioqui hanc permitteret, et non adstringeret ipsos ad formam Concilii Florentini. Sicut dum eodem decreto Græcos Episcopos Latino Episcopo subjectos a Græco Episcopo ordinari permittit, non interdicit, eos forma et ritu græco ordinari, etsi hæc a Latinorum ordinatione plurimum differre videantur, approbantur tamen a Pontifice ut sufficientia ; ergo illam formam deprecatoriam ad sacramentum Pœnitentiæ conficiendum ut nullam et invalidam prohibet.

Inst. 3. Quidam recentiores etiam Theologi censent, valere formas precatorias in Pœnitentiæ sacramento, quamvis sint illicitæ ; ergo.

R. *N. Cons.* Francisci quidem Mayronis hæc erat opinio : sed venia dignus

erat, quod ante Concilia Florentinum et Tridentinum scripserit. Hanc autem veniam non æque merentur nonnulli, qui cum Estio, post illa Concilia idem dicere ausi sunt. Cæterum Morinus Dominicum Sotum, Vasquesium et Bellarminum immerito in suam sententiam pertrahere conatur; contrarium enim docent : ac Sotus quidem in 4. d. 14. q. 1. a. 3. *Qui deprecatione,* inquit, *solum utitur, non absolvit, sed absolutionem petit a Deo.* Et §. ult. negat valere formas : *Absolvat te Deus,* vel, *tribuat tibi absolutionem,* eo quod deprecative accipiantur. Hanc ergo formam, *absolvit,* vel, *absolvat te Christus,* cum valere ait d. 3. q. un. art. 5. imperative accipit, non deprecative. Quo modo Arcudius recte ita argumentatur : *Si in sermone trito illa verba, parcat tibi Deus, idem sonant, quod, ego tibi parco, profecto poterunt in sacramento, nisi aliud obstet, h. e. Ecclesiæ consuetudo, eodem sensu dici, et valebit sacramentum.*

128. *Obj. III.* Christus Matth. 16. et 18. et Joan. 20. dedit etiam Ecclesiæ potestatem ligandi et solvendi a censuris, et nihilominus sola precatione possunt absolvi ab excommunicatione ; ergo etiam a peccatis.

R. *N. Cons.* Etiam nutu, scripto, familiari conversatione, collatione officii aut beneficii possunt absolvi ab excommunicatione, quamvis absentes ; quod tamen nemo de sacramentali absolutione dixerit. Igitur cum absolutio a censuris non sit actio sacramentalis, arbitrio Ecclesiæ omnino permissa est. E contra sacramenti forma a Christo determinata, ab Apostolis tradita Ecclesiæ, ab hac immutari non potest.

ARTICULUS III.

QUIS SENSUS SIT VERBORUM FORMÆ HUJUS SACRAMENTI?

129. *Nota I.* Jam supra n. 97. ad Instantiam meminimus, Magistrum non extendere potestatem clavium ad remissionem culpæ : nam dist. 18. Lit. F. scribit, sacerdotibus tantum concessam esse potestatem *solvendi et ligandi, id est, ostendendi homines ligatos vel solutos.* Unde sensus verborum, *absolvo te,* alius ipsi non est, quam, *absolutum ostendo et declaro.* Hunc sequuntur ibid. q. 1. a. 2. S. Bonaventura, Gabriel, Major, Alexander 4. p. q. 21., Medina tract. 2. q. de effect. absolut.

Nota II. Sensus alius horum verborum est : *Absolvo te,* non a culpis, sed ab obligatione eas subjiciendi clavibus Ecclesiæ. Hanc interpretationem referunt S. Bonaventura et Alexander, et ex parte sequitur Gabriel d. 18. q. 1.

Richardus autem Victorinus L. de Potest. lig. et solv. c. 21., Hugo Vict. L. 2. de Sacram. p. 14. c. 8. et Scotus d. 14. q. 2. ad 2. arbitrantur, verbis illis significari remissionem pœnæ vel æternæ, vel temporalis, juxta indigentiam pœnitentis. His adversatur Jansenistarum error, qui totam reconciliationem peccatoris cum Deo fieri putant contritione perfecta et debitæ satisfactionis exsecutione : unde hanc præmittendam esse contendunt, ac demum a sacerdote verbis illis declarari oportere, ipsum a peccato jamjam esse immunem.

130. *Dico I.* Sensus verborum absolutionis non est : Ego te ostendo, declaro a peccatis absolutum. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. ad 5. et in dist. 18. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. et cum eo Theologi veteres ac recentiores.

Prob. Argumentum, quo ex verbis S. Scripturæ utuntur, Richardus ita proponit c. 12. *Extat quorumdam sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius, quam refellenda : putant enim et prædicant, Sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos : sed numquid Dominus dicit, quodcumque ligatum ostenderis erit ligatum, et quodcumque solutum ostenderis erit solutum ? Dicunt, Apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat.*

Ex eisdem Christi verbis Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 6. decidit, sacerdotis absolutionem *non esse solum nudum ministerium declarandi remissa esse peccata.* Et can. 9. contrarium propugnaturos anathemate ferit.

Conf. 1. Declaratio ista peccati remissi non fit Deo, neque Ecclesiæ, cum plerumque secreta sit : nec fieri semper potest pœnitenti, qui sæpe surdaster est aut moribundus sensu destitutus ; ergo esset sermo plane otiosus.

Imo cum effectum divinæ gratiæ et remissionis peccatorum jam præsumeret, secundum se quoque esset omnino inutilis æque ac fides, qua hæretici credunt remissa sibi esse peccata per Christum.

Conf. 2. Hac Magistri explicatione enervatur omnis potestas ecclesiastica. Quis enim dixerit, Papam et Episcopos illis Christi verbis, *quæcumque alligaveritis, et solveritis,* etc. vere accepisse facultatem dispensandi, aut censuris adstringendi, si aliud nihil possint, quam declarare, hunc lege non teneri, hunc esse ligatum?

Denique supervacaneum foret ministerium sacerdotum; cum quivis doctus et prudens vir conscientiam pœnitentis accuratius posset explorare, ac de obtenta peccatorum venia judicium ferre, quam sacerdos, qui litteris et ingenio minus polleret.

131. *Dico II.* Neque sensus formæ absolutionis est : Absolvo te obligatione subjiciendi peccata clavibus.

Prob. I. eod. argum. Christus Joan. 20. dedit potestatem remittendi peccata : at solvere aliquem ab obligatione præcepti, non est remittere peccata ; ergo hoc sensu non exercetur proprie facultas a Christo sacerdotibus impertita.

II. Nullum sensum talis absolutio haberet, si quis confiteretur tantum peccata venialia, aut lethalia alias jam legitime in confessione prolata.

III. Potest quis absolvi a peccatis, quin ab obligatione illa confitendi solvatur, ut in materia de casibus reservatis indicatur.

IV. Ad talem effectum non oporteret gratiam conferri in sacramento, nec requireretur dispositio ulla supernaturalis in pœnitente ad obligationis hujus solutionem obtinendam ; ergo talis absolutio nihil participaret de ratione sacramenti. Imo nec utilis esset nec necessaria, cum se onere confitendi sola culparum suarum narratione peccator exsolvere posset, sine forma ulla verborum ab audiente sacerdote adhibita.

132. *Dico III.* Neque etiam forma memorata habet hunc sensum : Absolvo te a pœna peccatis debita.

Prob. eisd. argum. Secundum hanc opinionem sacerdotes nunquam remitterent peccata : Christi autem verba, *quorum remiseritis peccata,* etc. in sensu proprio accipi oportet, nisi vel Ecclesia aliud statuat, vel circumstantia litteræ aliud requirat.

Deinde contingere potest, ut quis iterum se accuset peccatorum tam mortalium, quam venialium, quæ olim pœnitentiæ virtute et sacramento quoad culpam et pœnas omnes abunde expiavit, ita ut nullus formæ tali effectus superesset.

133. *Dico IV.* Verum sensum formæ hujus sacramenti nobis exponit S. Thomas dicto art. 3. ad 5. : *Absolvo te, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo.* Hanc B. Thomæ sententiam Theologi fere omnes hodie sequuntur, ut omnium optimam.

Prob. Per formam absolutionis primario ac directe significatur, et efficitur peccatorum remissio virtualis, seu talis formæ positio, quæ secundum se faciat hominem formaliter ex peccatore justum. Sive ergo pœnitens ante absolutionem justus jam sit, sive adhuc peccator, semper vere profertur in eum memorata sacramenti forma; licet in solo peccatore per imperfectam contritionem disposito remissionem etiam formalem et significet, et operetur. Et ratio est; quia sacramentum omne per se ac præcipue significat effectum suum primarium seu gratiam; ergo etiam Pœnitentiæ sacramentum præcipue significat eamdem gratiam prout remissivam peccati. *Prob. seq.* Si pœnitentia significaret et efficeret primario ac immediate remissionem peccati, et gratiam tantum secundario ac indirecte; ergo peccati remissio antecederet gratiam; cum tamen unica causa formalis nostræ justificationis dicatur gratia a Tridentino Concilio Sess. 6. c. 7., et omnis formæ veteris privatio formæ novæ inductione posterior censeatur.

134. *Obj. I.* Verba illa Christi, Luc. 7. v. 48. : *Remittuntur tibi peccata,* tempore præsenti proferebantur; eis tamen Christus tantum declaravit ac testatus est, peccatricem solutam suis criminibus esse, prius enim erant jam dimissa; ergo etiam forma, *absolvo te,* vera erit, licet declaret tantum, peccata a Deo dudum dimissa esse.

R. *N. Ant.* Textus enim græcus exprimit in tempore præterito : ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι, *remissa sunt tua peccata.*

135. *Obj. II.* Quamvis peccata per contritionem fuerint remissa, non tamen sine ordine ad absolutionem; ergo hoc sensu peccata illa dicuntur remitti per formam absolutionis subsequentem, quod per hanc illorum remissio quasi compleatur et consummetur. *Confirm.* Sicut Christus Patres dudum ante a peccatis mundatos dicitur redemisse, quia justificati erant in virtute pretii, quod postea solvit : ita quamvis peccatum fuerit remissum prius, tamen per hoc sacramentum fit quasi solutio et specialis applicatio meritorum Christi ad consummandum illum effectum.

R. *N. Cons.* Hæc explicatio non tenet in venialibus per contritionem prius remissis : neque in peccatis mortalibus jam semel absolutione sacramentali

deletis. Neque ad rem præsentem facit exemplum illud de justificatione Patrum antiquorum : iis enim prius facta est applicatio meritorum Christi, quam exhibitio pretii a Christo fieret. Nunc autem ex parte Christi, cum solutio jam sit sufficienter exhibita, eadem tunc efficaciter applicatur, quando datur effectus divinæ gratiæ : at hic effectus datur per contritionem ; ergo per absolutionem non applicantur merita Christi ad solvendam remissionem peccati per contritionem ante dimissi, neque applicatio meritorum Christi reservatur in illud tempus, quo est applicandum sacramentum, utcumque contritio votum sacramenti contineat. Igitur modus iste non videtur satis accommodatus esse ad sacramentalis formæ sensum exponendum, eo quod vi formæ novus effectus a sacramento non producatur.

136. *Obj. III.* In verbis istis, *absolvo te,* tacite subauditur, *quantum indiges;* quare solum remissionem peccati significant, quantum ad id, quod de facto tollitur : ergo hic adæquatus verborum istorum sensus secundum se unus semper et idem est.

R. *N. Cons.* Nam si pœnitens ob remissa prius et plane expiata peccata, nullius amplius indigeret, forma in dicto sensu nec operaretur quidquam, nec significaret.

137. *Obj. IV.* In sacramento Pœnitentiæ remittitur pœna æterna, et aliquid etiam de pœna temporali ; ergo formæ sensus recte statuitur iste : Absolvo te a pœna peccatis debita.

R. *N. Cons.* Tam ob rationes conclus. 3. adductas, quam quod remissio pœnæ æternæ tantum significetur indirecte per formam, prout nimirum fit : fit autem non per se, sed quatenus culpæ remissionem consequitur, in qua comprehenditur. Quare etiam eamdem conditionem includit, scilicet si sit in homine talis reatus qui remittatur : quæ quidem conditio deficit in iis, qui peccata gravia recitant, quibus antea jam sunt absoluti, et in iis, qui venialium tantum se accusant. Temporalium vero pœnarum remissionem forma eadem indirecte significat pro modo dispositionis, quam pœnitens ad sacramentum adhibuit. Quod si Baptismus flaminis, qui virtus tantum pœnitentiæ est, tanta virtute quandoque pollet, ut cum culpis omnem etiam reatum pœnæ temporalis abstergat ; quanto magis effectum istum præstare poterit Pœnitentiæ sacramentum, dummodo peccator tam perfecta contritione sese ad effectum istum digne disposuerit.

138. *Obj. V.* Forma sacramenti idem significat, sive ad peccatorem edicatur, sive ad pœnitentem jam justificatum : atqui prolata ad justificatum non significat tolli vinculum peccati ; ergo hoc etiam non significat dicta peccatori. *Minor* constat inductione. Rideretur enim, qui homini soluto ac libero diceret : solvo te vinculis aut carcere.

R. *D. min.* Prolata ad justificatum non significat, peccati vinculum tolli immediate, proxime et formaliter *C.* mediate, remote ac virtualiter *N.* In utroque significat : impendo tibi sacramentum absolutionis et signum illud effectivum gratiæ, qua reddaris amicus Dei, et in libertatem filiorum ejus vindiceris : quæ quidem gratia formalem etiam remissionem peccati operatur in eo, qui adhuc peccatis obstrictus tenetur. Igitur ridiculum non est, pœ-

nitenti etiam justificato dici : *Absolvo te*; nam verba, *condono, absolvo, remitto,* etc. in usu humano non unice reconciliationem formalem et actualem, sed etiam radicalem et virtualem significant : neque filius, patrem, quem sibi reconciliatum esse novit, denuo veniam rogans, ridetur, quasi rem jam factam, adeoque impossibilem postularet. Ergo homines iteratam condonationem possibilem putant, et ipsis vox, *condono,* quantum in se, idem sonat, ac, *eo affectu te prosequor, qui est incompossibilis cum jure ad odium, sive id fuerit, sive etiamnum existat.* Atqui identidem justi quotidie Deum obsecrant : *Dimitte nobis debita nostra* ; nec id incassum, nam eumdem gratiæ Dei effectum sibi exhiberi deposcunt.

Inst. 1. Disputatur hic potissimum, quem sensum verba ista, *absolvo te,* habuerint ex usu hominum, ante significationem mysticam ex Christi institutione adjectam : atqui ex hominum usu non significant gratiam sanctificantem, neque sacramentum absolutionis ; ergo non satis commode dicuntur primario significare gratiam sanctificantem sacramento absolutionis impertiendam.

R. *D. Ass.* Ista non significant ex usu hominum determinate et explicite *C.* indeterminate et confuse *N.* Verbo, *absolvo,* indicatur quælibet vera absolutio, qualis etiam usu hominum habetur virtualis seu radicalis absolutio nuper explicata. Cum ergo gratiæ sacramentalis communicatio sit vere absolutio virtualis, et quandoque etiam formalis ; hæc utique voce hac, *absolvo,* sensu vulgari accepta, comprehenditur, licet indeterminate et confuse.

Inst. 2. Forma Baptismi et aliorum sacramentorum collationem gratiæ etiam significat; ergo a significatione sacramenti Pœnitentiæ non distinguitur.

R. *D. Ant.* Significat collationem gratiæ ex institutione sua sacramentali *C.* ex significatione quam habet communi hominum usu *N.* Significatio sacramentalis Baptismi, Pœnitentiæ et aliorum sacramentorum, gratiam determinate etiam exhibet. E contra significatio, quam verba Baptismi habent ex usu hominum, non præfert gratiam, sed solam intinctionem aut ablutionem corporis : cum tamen vox, *absolvo,* quia quamcumque liberationem a culpa significat ex usu hominum, illam etiam, quæ gratiæ collatione fit, necessario sua significatione, licet indeterminate et confuse contineat. Ex quibus etiam apparet discrimen inter eum, qui homini dudum e vinculis et captivitate erepto diceret : *Solvo te vinculis et carcere,* et inter sacerdotem, qui pœnitenti justo dicit : *Absolvo te* : nam prior vel ludit, vel declarat mere et confirmat exemptionem factam ; quia verba ejus habent pro objecto immediato realem, formalem et actualem solutionem vinculorum : cum vicissim sacramenti forma objectum habeat quamcumque etiam virtualem liberationem a culpa factam.

Inst. 3. Ergo forma absolutionis partim se haberet ipsam pro objecto, et simul gratiam Dei, peccatum destruendum et hominem absolvendum.

R. *C. Illat.* Sæpe contingit, ut actus intellectus aut voluntatis se ipsi habeant partim pro objecto : ita voluntas aliquid donandi, præcipiendi, prohibendi debet per se ipsam id velle præstare, ut : declaramus Caium innocentem, addicimus ei hæreditatem, lego ei hortum suburbanum : et apud Logicos omnis cognitio est actus vitalis, omnis vox est sonus aere percusso editus. Igitur,

sicut sacramenta cætera significant effectus suos, non omnino absolute, sed quantum est ex parte sua : ita et forma pœnitentiæ significat efficaciam absolutionis a peccatis, quantum est ex se, atque hoc modo significat exhibitionem sacramenti ex se remissivi peccatorum, non in actu quidem signato, sed in actu exercito. Quæ omnia breviter expressit Hugo Victorinus L. 2. de Sacram. p. 14. c. 8. dicens, *hanc formam magis significare virtutem suam, quam eventum.*

ARTICULUS IV.

UTRUM ABSOLUTIO SINE VERBIS DARI POSSIT ?

139. *Nota I.* Ad essentiam formæ absolutionis sufficere signa, queis intentio sacerdotis de pœnitente absolvendo convenienter exprimatur, ut sunt scriptura, aut nutus, existimarunt olim quidam Theologi non ignobiles, ut Paludanus d. 17. q. 2. a. 1. num. 7., Medina Cod. Confess. q. de modo confit., Petr. Sotus lect. 11. de Confess., ubi dicit, hanc sententiam posse secure teneri, *quam tenent*, inquit, *plures nostrorum.* Sylvester, Armilla, Tabiena, Rainerius, et præcipui veterum Thomistarum, inter quos S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. §. 9. et tit. 17. c. 12. et c. 21. §. 3. refert in Conc. Basileensi tractatam fuisse quæstionem, quid faciat sacerdos, qui sine jurisdictione audivit confessionem, et absolvit pœnitentem, multosque dixisse, posse postea petere jurisdictionem, et absolvere illum ubicumque sit. Opinionem eamdem indicant Adrianus, Navarrus, et complures alii.

Nota. II. Ad idem argumentum spectat quæstio, utrum sacerdos absentem possit absolvere? nam licet verba protulerit, verba tamen propria esse non possunt ei, ad quem diriguntur : cum enim ab eo non percipiantur, rem significatam in eo exprimere non possunt. Posse in casu necessitatis confessionem fieri sacerdoti absenti et ab eodem absente absolutionem dari, tenuerunt auctores modo recitati cum Richardo, Majore, Alexandro, et quibusdam aliis, quorum sententiam Dom. Sotus, Relect. de tegendo secreto, memb. 3. q. 4. concl. 5. dub. 4. ait, fortasse esse veram.

Quamvis autem S. Thomas in Quodlibeto quodam doceat, confessionem fieri posse per scripturas, ut Suarez memorat; nihilominus in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad 3. ait, in extrema necessitate utilius esse confiteri laico præsenti, quam sacerdoti absenti; ubi innuit, sacerdotem absentem absolvere non posse. Eum sequitur Scotus, nixus eo argumento, quod confessio debeat esse secreta : quod sane rem intentam non evincit. His consentiunt Thomistæ, Cardinalis Toletus, Suarez, Gregorius de Valent., Edmundus Augerius Catechismi c. 4. lect. 7., ac Theologi recentiores omnes.

140. *Dico I.* Sacramenti hujus forma sufficiens verbis propriis ac voce humana est proferenda. Ita Magister in 4. d. 14., S. Thomas q. 84. a. 3. ad 3., et Theologi modo laudati.

Prob. Juxta Decretum Eugenii in Concilio Florentino editum, sacramenta novæ legis constant verbis; a qua regula generali non est facienda exceptio, verba analogice aut in sensu improprio accipiendo in sacramento aliquo, nisi Ecclesiæ traditio aut consensus Doctorum id suadeat : atqui nec tradi-

tio Ecclesiæ, neque Doctorum consensus exceptionem talem in Pœnitentiæ forma faciendam suadent; ergo. *Prob. min.* Ex documentis antiquis constat, in Ecclesia dum pœnitentes absolverentur, semper adhibita fuisse verba formalia vel phrasi indicativa vel imperativa, vel, ut quibusdam placet, deprecatoria aut impetratoria : nec apparet vestigium, quod nutu aut signo alio verbis æquivalente sacramentum hoc fuerit unquam administratum.

Quid, quod Concilium Florentinum in dicto Decreto doctrinam istam de Pœnitentiæ sacramento vel maxime explanat docens, formam hujus sacramenti esse *verba,* quæ sacerdos *profert,* cum *dicit,* etc. Cui consonat Synodus Trident. Sess. 14. cap. 3. declarans, formam sacramenti Pœnitentiæ in illis ministri *verbis* positam esse : neque preces adjungi solitas ad formam pertinere.

Ex quibus intelligimus, vera ac formalia verba a Conciliis ad Pœnitentiæ et quinque priorum sacramentorum formas absolute requiri : nam memoratum Concilii Florentini Decretum in solo Matrimonii sacramento cum exceptione loquitur, dum ait, causam ejus efficientem esse *regulariter* consensum per verba de præsenti expressum.

141. *Dico II.* Sacerdos non potest absolvere nisi præsentem.

Prob. I. Quod in usu et administratione sacramenti Ecclesia nec facit, nec fecit unquam, signum est fieri non posse : atqui nullo exemplo doceri potest, absentem a sacerdote unquam absolutum fuisse; ergo. *Major* inde patet, quod fere omnia, quæ ad doctrinam et disciplinam de sacramentis attinent, licet in S. Scriptura fundentur, ex usu et traditione Ecclesiæ firmari præcipue oporteat ac declarari.

Prob. II. Nuper ostendimus, ad sacramenti hujus formam sermonem humanum necessario requiri. Præterea est talis sermo, qui dirigatur ad personam aliam per pronomen, *te, tibi, vos, vobis,* et in formulis precatoriis, *hic, iste,* etc. Atqui particulæ tales ad veritatem sermonis personam præsentem exigunt : sicut in forma Eucharistiæ particulæ *hoc, hic,* subjectum, in quod efferuntur, præsens requirunt; neque fieret transsubstantiatio ab eo, qui per pronomina, *illud, ille,* formas consecrationis in panem, aut calicem absentem ediceret. Ergo idem tenendum est de forma sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. III. Clemens VIII. anno 1602. die 19. Jul. *Hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit, ac prohibuit,* etc. Atqui non damnavit Pontifex simpliciter confessionem absenti factam, ut constat ex declaratione per Paulum V. Rituali Romano adjecta, et ex iis, quæ infra dicturi adhuc sumus; ergo damnavit potissimum eam partem, qua absolutio absenti impertita defenditur.

142. *Obj. I.* Cum Pœnitentiæ sacramentum sit institutum per modum judicii, nihil essentialiter postulat, quod non sit de essentia judicii : atqui de essentia judicii non est, ut verbis formalibus sententia feratur, sed scripto solet sæpe dari, ac nutibus fieri etiam potest; ergo.

R. *N. M.* Actio sacramenti Pœnitentiæ in pluribus a judicio forensi discrepat : idem enim in hoc sacramento actor, reus, et testis est, cui pro se et

contra se peroranti fides habetur; et qui nunquam damnari potest, sed semper absolvitur, dummodo vere pœnitens accesserit. Neque hic paritatem peti posse a potestate solvendi a censuris, ostendit responsio ad Obj. 3. n. 128.

143. *Obj. II.* Quamvis Concilium Florentinum in laudato Decreto Eugenii tradat, *confessionem oris* partem esse materialem sacramenti Pœnitentiæ, illa tamen scripto, nutu, aut absenti etiam facta sufficit; ergo licet idem Concilium doceat, absolutionem verbis impertitam, esse formam hujus sacramenti. poterit eadem etiam nutu præsentibus, aut per litteras absenti dari.

R. *N. Cons.* Ex usu perpetuo Ecclesiæ, ex Patrum et Conciliorum traditione novimus, a Christo sola verba pro absolutione fuisse assignata, non item pro confessione : expressior enim significatio magis ex parte formæ requiritur, quam ex parte materiæ. Declarantur ista ex Baptismi administratione et Eucharistiæ, quorum formas vera verba a Christo præcepta fuisse nemo dubitat; etsi hujus præceptionis argumentum potissimum ab Ecclesiæ traditione constanti petatur.

Inst. Etiam ad sacramentum Matrimonii peragendum verba ordinarie requiruntur, quod nihilominus in casu necessitatis nutu, ac litteris etiam inter absentes perficitur; ergo idem tenendum de absolutione sacramentali ideo necessaria, præsertim in casu, quo sacerdos loquendi impotens pœnitentem nonnisi per signa alia absolvere potest.

R. *N. Cons.* In Matrimonio Christus naturalem contractum honorare tantum voluit, et in eo altiorem sacramenti rationem fundare, igitur materiam et formam priorem reliquit : at in sacramento Pœnitentiæ ritum specialem instituit, eique specialem formam novæ Legis sacramentis accommodatam destinavit, quæ verbis proprie talibus constaret. Quod si in Baptismo, qui majoris multo necessitatis sacramentum est, quoad formam verbalem dispensatum non fuit, quanto minus id erat opus in hoc sacramento, cujus defectum pœnitens contritione supplere poterit.

144. *Obj. III.* Ex sola natura et institutione sacramenti Pœnitentiæ perquam difficulter suadetur, absolutionem per signa verbis æquivalentia datam, aut litteris absenti missam, jure divino irritam esse ac nullam, sed potissimum theseos nostræ argumentum ab usu et traditione Ecclesiæ sumitur. Atqui exempla plura absolutionum absentibus missarum exhiberi queunt : nam 1°. S. Cyprianus L. 1. epist. 17. scribit, se recepisse confessiones aliquorum absentium per scripturam; ergo videtur ipsis etiam absentibus reddidisse absolutionem, hujus enim ac confessionis par est ratio. 2°. S. Thomas Cantuariensis in carcere detentus, Romam pro impetranda absolutione misit (ap. Baronium ad an. 1164.). 3°. Apud Eusebium L. 6. c. 44. Serapion quidem ægrotans misit ad presbyterum quemdam ægrotantem, ut ipsum absolveret, et sibi Eucharistiam per ministrum quemdam mitteret : qui, cum illi Eucharistiam mitteret, præsumitur etiam illum absolvisse. 4°. Robertus Cenomanensis episcopus morti proximus a Patribus Concilii Duziacensis an. 872., et Potamius Bracarensis episcopus a Patribus Concilii X. Toletani absolutionem obtinuerunt. Sed et Hildebaldo Suessionensium episcopo absolutionem per litteras postulanti dedit Hincmarus archiepiscopus Rhemensis. 5°. Hisce accedit judicium Patrum

multorum Concilii Basileensis, quod initio hujus art. ex S. Antonini 3. parte adduximus.

R. *N. Assumpt.* Omnibus hisce inductionibus non assequitur Morinus, quod sibi probandum sumpserat. Nam

Ad 1um. R. contrarium magis ex S. Cypriani testimonio colligi : scribit enim epist. 10. se mandasse, ut ex presbyteris præsentibus unus eis pacem daret : quod si presbyter non adfuerit, diaconus id faceret : unde apparet, ipsum loqui tantum de reconciliatione quadam ad pœnitentiam publicam pertinente. Igitur si reconciliationem istam opera præsentium præstari oportere S. Episcopus judicavit, quanto magis præsumitur idem præstandum judicasse de absolutione sacramentali.

Ad 2um. R. Quid S. Thomas petierit ab Alexandro III., ex ejusdem Pontificis rescripto constare, quo ipsum monet, *ut si quid commisit, de quo propria conscientia debeat remordere, illud sacerdoti, qui discretus sit et providus, confiteatur.* S. Episcopus ergo veniam solum petiit, vel a suspensione, quam ipse sibi, ne sacrum faceret, imposuerat, vel a pœnis canonicis. Ejusmodi relaxationes a pœnis canonicis etiam fuisse illas absolutiones, quas Gregorius VII. frequenter absentibus misit, testatur Morinus ipse L. 10. cap. 22. n. 6. Nec magis probat, quod c. *Qualis* 30. q. 5. præcipitur, adulteræ *pœnitentiam per scriptum recipiendam esse* : nam ibi non agitur de absolutione, sed de confessione; idque non propter judicis absentiam, sed ob majorem fidem et certitudinem. Unde evidens est, scriptam illam confessionem non exigi ad absolutionem sacramentalem, sed ad aliam judicialem.

Ad 3um. R. Serapioni non legitur data fuisse absolutio sacramentalis, sed tantum Eucharistia per puerum missa, et consequenter pax et reconciliatio cum Ecclesia : nam quod metu victus coram tyranno fidem negaverat, ad statum publice pœnitentium erat redactus.

Ad 4um. R. Robertum generaliter tantum confessum obtinuisse absolutionem solum ceremonialem a censuris et pœnis ; qualis etiam a Cisterciensium superiore moribundis datur, et absolutio *ordinis* nuncupatur. Potamius postea se Concilio stitit, et confessione præsentibus iterata, non fuit absolutus, sed de sede dejectus, et pœnitentiæ perpetuæ damnatus, alio in ejus locum subrogato. Hoc igitur exemplum ipso teste Morino ad rem præsentem non est.

Ad 2um. R. Afferri quorumdam Theologorum aut Patrum sententiam opinantium, quid posse fieri sibi videatur, non vero factum, quo solo firmari objectio debuerat.

145. *Obj. IV.* Propositio a Clemente VIII. proscripta ait, *licere,* ab absente absolutionem obtinere; ergo ex hujus Pontificis decreto nondum evincitur, absolutionem talem non sufficere.

R. *N. Cons.* Pontifex *præcipit, ne deinceps ista propositio... unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxin quovis modo deducatur.* At si absolutio absenti data sufficeret, saltem in extremo necessitatis casu propositio illa ad praxin deduci probabiliter posset, ac deberet; ergo.

CAPUT III.

DE PRIMA PARTE MATERIALI POENITENTIÆ SACRAMENTI, QUÆ EST CONTRITIO.

—

ARTICULUS I.

SITNE DOLOR ALIQUIS INTERNUS DE ESSENTIA HUJUS SACRAMENTI?

Nota. Existimabant nonnulli, ad sacramenti Pœnitentiæ effectum non requiri pœnitentiam formalem, sed sufficere voluntatem confitendi et recipiendi absolutionem, modo pœnitens nullo actu formaliter aut virtualiter peccato adhæreat : nam cum voluntas confitendi sit voluntas abjiciendi peccatum, et recuperandi gratiam, hoc ipso quædam virtualis pœnitentia est. Ita sentit Sylvester verb. *Confessio* 1. q. 21. Idem de Baptismo clare affirmavit Sotus in 4. d. 14. q. 4. a. 3.

146. *Dico.* Dolor aliquis internus atque supernaturalis omnino est de essentia Pœnitentiæ sacramenti, etiam cum tantum venialia, aut mortalia olim jam absolutione remissa pro confessione exponuntur. Ita S. Thomas q. 84. a. 6. ac sæpe alias, ac Theologi communiter, vix uno et altero contradicente : nam nonnullos in loquendi modo tantum ab hac thesi discrepantes notavimus c. 1. a. 4.

Prob. Concilium Trident. Sess. 14. c. 3. docet, contritionem esse partem et quasi materiam hujus sacramenti : atqui non est pars mere integralis; ergo est pars essentialis. *Prob. min.* Pœnitentiæ actus formalis per se loquendo est medium simpliciter ad justificationem necessarium, ut alibi demonstratum est; et Concilium Trid. cap. 4. declarat, contritionem semper fuisse necessariam ad peccatorum remissionem impetrandam, nec scriptores Catholici unquam tradiderunt, sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium, gratiam conferre.

Ex hactenus disputatis liquet altera pars theseos. Nam peccata mortalia, queis in priore confessione jam absoluti sumus, peccata item venialia sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ, et sola etiam perquam utiliter pro confessione recitari queunt, ut cit. Concilium Tridentinum habet cap. 5; ergo etiam ad illorum confessionem necessaria est contritio, ne sacramentum Pœnitentiæ nullum sit defectu partis essentialis.

147. *Obj. I.* Quod pertinet ad sacramentum ut pars, debet fieri cum intentione, ut fiat sacramentum : atqui hoc non est opus ad contritionem, qua pœnitens ad absolutionem disponitur ; nam si quis pridie vesperi excutiens conscientiam, nihil de confessione cogitans, vere conteratur, ac postridie

sacramentum Pœnitentiæ adire velit, non requiritur nova contritio; ergo contritio est mera dispositio ad absolutionem recipiendam.

R. *D. M.* Quod pertinet ad sacramentum ut pars, debet fieri cum intentione, ut fiat sacramentum ex parte ministri *C.* debet fieri cum intentione sacramenti semper ex parte suscipientis *N.* Huic sufficit intentio habitualis suscipiendi sacramentum, quam afferre censetur is, qui christiane vivit, et contritione elicita Deo reconciliari desiderat, id quod est votum implicitum sacramenti Pœnitentiæ.

Inst. 1. Ad suscipiendum Matrimonii et Ordinis sacramentum non sufficit ejusmodi interpretativa intentio; ergo neque sufficiet ad sacramentum Pœnitentiæ.

R. *N. Cons.* Matrimonium est contractus onerosus, ad quem partis utriusque consensu formali opus est. Item in Ordine mutatur vitæ status, gravis obligatio suscipitur, quæ nemini nisi directe volenti injungenda est.

Inst. 2. Ut contritio tanquam pars sacramenti fiat sensibilis per confessionem, debet hanc præire, et ad hanc movere, ut ejus causa : atqui hoc sæpe non accidit; valet enim absolutio, licet contritio post confessionem eliciatur, ut docent Suarez, Vasquez, Henriquez, de Lugo et alii communius contra Coninc.; ergo contritio est mera dispositio ad sacramentum.

R. *N. M.* quæ etiam ex usu fidelium contrario confutatur. Satis ergo sensibilis fit contritio per confessionem, cum qua moraliter unum efficit.

Inst. 3. Sacramenta plura plures partes requirunt : atqui potest unus dolor sufficere duplici absolutioni; qui enim obtenta absolutione, alius adhuc peccati recordatur, absolvitur denuo, quin ad novum dolorem adstringatur; ergo contritio non videtur pars hujus sacramenti.

R. *D. Assumpt.* Unus dolor virtualiter et moraliter multiplex sufficere potest duplici absolutioni *C.* dolor et realiter et moraliter unus sufficere potest duplici absolutioni *N.* Prior dolor universalis censetur adhuc informare confessionem proxime instauratam, hinc virtualiter multiplex videtur. Secus judicandum esset, si altera confessio a priore confessione et dolore distaret, ut ab illo informari amplius, nec cum eo commune quidquam habere crederetur. Cur autem ad iterationem sacramenti requiratur alia confessio et absolutio, uti etiam ad reliqua sacramenta distincta realiter materia et forma, facile hinc licet intelligi.

148. *Obj. II.* Contritio *ad integritatem sacramenti* requiri dicitur a Concilio Trid. Sess. 14. c. 3. : pars autem integralis non est essentialis; ergo contritio non est de essentia sacramenti Pœnitentiæ.

R. *N. min.* Cujus rationem lege supra n. 112. ad Inst. 3. Partes integrantes dicuntur, quæ sua quantitate totius quantitatem constituunt. Secundum hanc generalem materialium partium conditionem Concilia Florentinum et Tridentinum aiunt, contritionem, confessionem et satisfactionem requiri ad integritatem sacramenti et ad perfectam peccatorum remissionem, quin negent, aliquam, vel aliquas ex hisce partibus essentiales et ad veritatem sacramenti simpliciter necessarias esse.

ARTICULUS II.

AN CONTRITIO IMPERFECTA SIT ACTUS BONUS ET HONESTUS?

149. *Nota I.* Contritio generatim a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. definitur : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Quo conceptu conveniunt contritio perfecta et imperfecta, quæ nunc passim vocatur in scholis attritio, et cap. cit. Concilii Trid. dicitur concipi *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ et pœnarum metu.*

Quandocumque ergo fides christiana nobis exhibet motivum distinctum a formali ratione caritatis, aptumque ad excitandum odium ac detestationem peccatorum nostrorum, erit formalis ratio contritionis imperfectæ seu attritionis.

Nota II. Lutherus sermone de pœnitentia an. 1517. habito docuit, detestationem peccatorum ob amissionem æternæ beatitudinis, aut ob reatum damnationis æternæ, facere hominem hypocritam, imo magis peccatorem. Hic est articulus 6. quem Leo X. cum aliis pluribus ex eodem sermone excerptis damnavit, quemque Lutherus et suum et christianissimum esse postea obstinate asseveravit libro contra Bullam Antichristi, et in assertione omnium articulorum suorum.

Nota III. Alter error est discipulorum Baii, qui, cum nullum actum medium agnoscant, qui non sit aut ex caritate seu amore benevolentiæ, aut ex vitiosa cupiditate, omnia etiam fidelium opera contendunt esse peccata vera omissionis, eo quod per actum veræ caritatis ad Deum tanquam finem ultimum non referantur : adeoque actus fidei, spei, timoris, religionis, misericordiæ, patientiæ aliarumque virtutum, si non sint ex caritate, vera esse peccata. Quo etiam spectavit Jansenius, cum L. 5. de gratia Christi c. 21. timorem pœnæ ex se ipso quidem rectum esse ait ; at ex parte timentis, qui eum ex caritate non refert ad Deum finem ultimum, esse vitiosum.

150. *Dico I.* Attritio ex consideratione turpitudinis peccati concepta actus bonus est et honestus.

Prob. I. Concilium Trident. nuper cit. declarat, talem actum *esse donum Dei, et Spiritus sancti impulsum.*

Prob. II. Quælibet virtus *est bona mentis qualitas, qua recte vivitur, qua nemo male utitur,* ut tradit S. Augustinus L. 1. retract. c. 1. ; habet enim peculiarem honestatem ab objecto proprio, atque in eadem conquiescit : neque ulla lex a Novatoribus ostendi potest, qua præcipiatur, ut actiones singulas ex motivo amoris benevolentiæ ad Deum referamus, prout in tractatu de actibus humanis, et de gratia pluribus demonstratur.

151. *Dico II.* Bona etiam et utilis est attritio concepta ex solo metu gehennæ et aliarum pœnarum a Deo infligendarum, h. e. qua quis Deum vindicem ita timet, ut solius pœnæ fugiendæ causa de peccatis admissis doleat, et imminentia aversatur.

Prob. Bonus est et utilis timor gehennæ ; ergo etiam ad hanc evitandam

bonum est dolere de peccatis admissis, et instantia horrere, quia hæc sunt causæ certissimæ, quæ pœnas sempiternas accersunt.

Prob. Ant. I. Deus timorem istum ait esse *initium sapientiæ* Ps. 109. v. 10., Prov. 1. v. 7. ; expelli ab eo peccatum, nec quemquam sine eo justificari posse Eccli. 1. v. 27.; esse initium dilectionis ib. c. 25. v. 16. Christus Matth. c. 10. v. 28. jubet nos Deum timere, *qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Et Matth. c. 5. v. 30., c. 18. v. 8., Marc. 9. v. 42., Luc. 12. v. 5., ac sæpe alias ignem gehennæ, flammas inextinguibiles, vermem non moriturum, tenebras exteriores, et stridorem dentium minatur. Id ipsum Matth. c. 3. v. 10. Joan. Baptista intentat.

Ex Patribus Clemens Alexand. L. 2. Stromat. (opp. p. 373. C.) *Qui timorem*, inquit, *damnant, ii legem etiam insectantur : quod si legem, clarum est, quod et eum qui legem tulit.* Hieronymus in c. 1. Malach. (opp. t. 6. p. 947. B.) *Vult*, inquit, *primum Deus, ut ejus filii simus, et bonum voluntate faciamus : si hoc consequi nolumus ; ut saltem nos servos habeat, et a malis per suppliciorum formidinem recedamus... ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus.* Et in c. 2. Mich. (ibid. p. 487. C.) comminatur *supplicia et tenebras sempiternas, ut, qui pudore vel verecundia non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum.* August. in Ps. 127. n. 8. *Ille*, inquit, *timor nondum castus præsentium* (Domini) *et pœnas timet : timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum : non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est.*

II. Timor iste est actus spei, ergo est bonus et honestus. *Prob. Ant.* Spe theologica non tantum desideramus consecutionem summi boni, et media eo conducentia, sed timemus etiam, et aversamur mala consecutioni summi boni contraria : atqui damnatio æterna summum malum est, et æternæ beatitudini vel maxime adversatur ; ergo actus, quo illam horremus, a spe, virtute theologica, proficiscitur.

III. Effectus hujus timoris est bonus, quia voluntatem peccandi coercet, ac saltem opus externum prohibet; ergo timor talis actus malus dici nequit.

IV. Probabile est, hunc timorem pertinere ad dona Spiritus sancti, de quibus Isai. 11. v. 2., ut non tantum tradunt Alexand. Halens. 3. part. sum. Theol. q. 76. n. 1., S. Bonavent. in 3. d. 34. part. 2. a. 1. q. 1.; sed etiam S. Gregorius et S. Augustinus; ac ne distinctioni locus sit, Gregorius hom. 19. in Ezechiel. (al. L. 2. n. 7.) scribit, esse timorem pœnæ, qui crescente caritate minuitur. Et Augustinus L. de Gratia et lib. arb. c. 18. n. 39. ait, timorem, quem Isaias inter Spiritus sancti dona numerat, non esse illum, quo Petrus Christum negavit, sed de quo Dominus : *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

Quanquam vero S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 9. in θ. timorem servilem e numero Spiritus sancti donorum excludat, ait tamen, illum a Spiritu sancto esse : et art. 7. probat illum esse initium sapientiæ, *in quantum aliquis timore pœnæ discedit a peccato, et per hoc habilitatur ad sapientiæ effectum.*

Denique Concilium Tridentinum nuper cit. declarat, contritionem conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ et pœnarum metu, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non*

facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, etc. Et cap. 5. contrarium tenere ausos damnat. Sess. 6. autem Can. 8. ita statuit : *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere ; anathema sit.* Unde etiam Alexander VIII. anno 1690. 7. Dec. inter 31. propositiones damnavit hanc 14. : *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Et 15. : *Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.*

152. *Obj. I.* Primo et maximo mandato tenemur, omnia nostra referre ad Deum ex motivo caritatis ; ergo si quis detestetur peccata ex motivo spei, religionis, timoris aut alius virtutis tantum, peccat saltem peccato omissionis ; estque defectus non tam actionis seu spei, aut virtutis moralis, sed ex parte agentis, qui actionem non ex caritate refert ad Deum.

R. *N. M.* Sufficit referri omnes actiones nostras ad Deum relatione quadam conformitatis, eo quod sint conformes regulæ primæ morum, seu normæ rectæ agendi, quæ Deus est : quo quidem sensu spes et virtutes morales opus suum ad Deum ut finem referunt implicite, ita ut Deus sit omnium actionum illarum moralium finis ultimus cui. At vero caritas suis actibus ita explicite fertur in Deum, ut hic sit finis qui, et finis proximus et ultimus cui.

Inst. Quod non fit ex caritate, vanum est et frivolum, ut docet Apostolus 1. Cor. 13. atqui actus talis attritionis non fit ex caritate ; ergo est vanus et simulatus.

R. *Explic. sent. Apost.* Hoc est, nihil proficit ad meritum vitæ æternæ, quod sine habitu caritatis Dei et proximi fit *C.* quasi cæterarum virtutum actiones malæ sint et hypocriticæ *N.* Videtur Apostolus monuisse, nullum opus bonum illi proficere, qui proximum odit ; nam de amore proximi ibi potissimum sermocinatur. Attritio nondum quidem ex caritate concipitur, in eamdem tamen inducit, sicut et fides, quæ justificationis initium est.

153. *Obj. II.* Talis magis odit gehennam, quam peccatum ; ergo affectu inordinato laborat.

R. *D. Ant.* h. e. gehennam primo ac propter se detestatur et peccatum propter gehennam *C.* quasi comparet gehennam cum peccato, et minoris faciat malum peccati, quam gehennæ *N.* Ita in hac materia explicandum est axioma : *Propter quod unumquodque tale, illud et magis* : nempe detestatur pœnitens gehennam prius natura et independenter a peccato, et non vicissim. Neque ideo magis appretiative detestatur gehennam, quam peccatum, quando hujus fugam ad illam evitandam adhibet : nam sæpe majus bonum amamus et usurpamus ad consequendum minus, quin tamen hoc illi præferamus : ita enim minus bonum intendimus tantum ut finem proximum et utilitatis, non vero ut finem ultimum et excellentiæ. In quo nihil præposterum aut inordinatum apparet ; cum et Deus ipse usus incarnatione Verbi sit ad hominum reparationem.

Inst. 1. Attritus magis movetur a malo gehennæ, quam peccati ; ergo pluris facit malum gehennæ.

R. *N. seq.* Summa et sempiterna miseria majorem vim habet percellendi animum hominis sordibus peccatorum assueti, quam fœditas peccati. Hinc Deus a pœnarum metu solet incipere, dum peccatorem ad resipiscendum inducit, ut docet Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6.; et S. Augustinus Tract. 9. in epist. Joan. n. 4. *Si nullus*, inquit, *timor, non est qua intret caritas.*

Inst. 2. Talis attritio oritur ex amore proprio, ergo est vitiosa.

R. *D. Ant.* Oritur ex amore proprio ordinato tamen *C.* inordinato *N.* Quando quis sibi vult bonum divina lege prohibitum, aut propter objectas difficultates ab officio deficit, præpostero affectu laborat, qui passim amor proprius dicitur, et vituperatur voce in malam partem accepta. In attritione autem tres affectus comprehenduntur, quorum primus est desiderium vitandi gehennam : alter, detestatio peccati cum dolore et proposito deinceps ab illo abstinendi : denique ordinatio hujus detestationis ad gehennam vitandam. Quæ quidem omnia rationi rectæ, et divinæ voluntati convenire ostendimus in conclusione.

154. *Obj. III.* Hujusmodi attritio concipitur ex timore servili : atqui timor servilis malus est; ergo et attritio.

R. *D. M.* Attritio concipitur ex timore serviliter servili *N.* ex timore simpliciter servili *C.* Timor uterque dicitur servilis, quia servorum est timere pœnam propter se, et ex solo timore pœnæ peccatum fugere ac detestari. Timor autem serviliter servilis est, quo timetur gehenna tanquam principale et summum malum, ut inquit S. Thomas nuper laudatus a. 4. ita ut homo eam plus, quam ipsas Dei offensas metuat, malitque Deum peccando offendere, quam æternas pœnas sentire : qui timor utique perversus et malus est; non quia timetur gehenna, sed propter pravam animi comparationem et amorem sui inordinatum, quo homo se ipsum finem ultimum sibi præfigit. Timor autem simpliciter servilis non eligit peccatum, ut fugiat infernum; sed horret et declinat peccatum, ut infernum declinet, quem aversatur ; atque adeo utrumque simul detestatur.

Inst. 1. Timor iste simpliciter servilis potest quandoque adhuc esse cum affectu ad peccatum; ergo erit adhuc malus.

R. *D. Cons.* Erit malus si foret causa inducens ad affectum peccati *C.* cum potius ab hoc affectu deterreat *N.* Affectus isthic malus tribuendus potius est subjecto non satis efficaciter gehennam timenti : hinc tam parum inficit actum timoris, quam parum inficiuntur actus fidei, spei, misericordiæ, aliarumque virtutum moralium, quibus adjungi potest. Excludit autem omnem affectum ad peccatum timor servilis, quando est appretiative maximus, quod nimirum timemus gehennam super omnia mala, quorum perpessio ad vitandam offensionem divinam necessaria est. Quod si timor appretiative minor fuerit, pro aliquibus tantum casibus affectum ad peccatum excludet : nec tamen ideo malus dici debet, sed minus bonus et minus efficax; et attritio inde concepta etiam erit bona, licet non ita sufficiens. At vero orta ex timore priore, nempe attritio appretiative summa, est multo melior, et sola ea, quæ, si cum spe veniæ juncta fuerit, in sacramento ad impetrandam gratiam disponit, ut habet Trident. Sess. 14. cap. 4.

Inst. 2. Timor simpliciter servilis opponitur caritati perfectæ, et ab hac foras mittitur, ut traditur 1. Joan. 4. v. 18.; ergo non est bonus.

R. *D. Ant.* Timor servilis secundum substantiam opponitur caritati, et ab hac foras mittitur *N.* Timor secundum denominationem extrinsecam servilitatis opponitur caritati, etc. *C.* Ita D. Thomas recens citatus. Timor iste secundum substantiam est metus gehennæ propter se, et peccati propter gehennam; qui quidem manet in hominibus perfectissimæ caritatis et sanctitatis, sed sine denominatione servilitatis : nam hæc tantum extrinseca timori est, nec ei ratione sui ipsius convenit, sed tantum ratione subjecti; quando nimirum est in homine, qui peccatum timet non ratione offensæ divinæ, sed solum propter pœnam, quæ proprie servorum est. Igitur servilis dicitur timor, quia hæret in subjecto destituto caritate : sicut dicitur fides mortua, quia est in subjecto nondum per gratiam et caritatem vivente. Quemadmodum ergo caritas superveniens non ejicit fidem mortuam, sed tantum denominationem mortuæ facit cessare : ita caritas subsequens non ejicit timorem peccati propter gehennam, sed tantum desinere facit denominationem servilitatis, idque curat, ut justi non solum detestentur peccatum propter gehennam, sed etiam ob amorem virtutis, ac Dei ipsius. Unde consequitur, timorem istum quandoque hominum malorum et servorum esse, nec tamen idcirco malum et intrinsece servilem dici oportere.

Inst. 3. Timor mundanus malus est et prohibitus Matth. 10. v. 28., et 1. Petr. 3. v. 14., Isai. 51. v. 7.; ergo etiam timor servilis.

R. *N. Cons.* Timor mundanus dicitur, quando quis mala a creaturis impendentia ita veretur, ut Creatorem offendere non dubitet; quod fecit Petrus Christum negando; igitur mundanus iste timor, tanquam peccati causa, malus est. At servilis timor non potest in peccatum inducere : nemo enim peccat, quia Deum iratum timet, sed potius vel ideo a peccatis cohibetur. Deinde timor mundanus, quem sæpe respectum humanum nuncupat, facile quoad intensionem seu vehementiam actus excedere potest : contra timor gehennæ nunquam potest esse nimis vehemens; nemo enim tantum timet gehennam, quantum timeret, si eam, ut est, perspectam haberet. Quod si quis etiam plus timeret pœnam gehennæ, quam culpam; non ideo peccaret, quia nimium timeret pœnam gehennæ, sed quia defectu caritatis, et sanæ rationis judicii, non tantum horreret culpam, quantum deberet.

Inst. 4. Peccat, qui Deum propter aliud tantum diligit, v. g. propter bona temporalia, amore mercenario; ergo peccat etiam, qui Deum timet propter aliud, nempe propter infernum.

R. *N. Cons.* Objectum amoris est bonum, timoris malum : Deus autem est summum bonum in se, nec ullo modo in se malus, sed tantum mali sunt ejus effectus, quibus sontes affligit; ergo propter aliud timeri debet, et amari propter se : non vero solum propter bona temporalia : id enim esset finem últimum in horum fruitione collocare; essetque talis amor æque præposterus, atque amor hic comitans timorem serviliter servilem, quo eligeretur peccatum ad vitandam gehennam.

155. *Obj. IV.* Omnes Theologi cum Philosopho docent, fieri aut omitti invite et secundum quid involuntarie, quidquid ex metu fit, aut omittitur : atqui hoc ideo dicitur invite, et secundum quid involuntarie contingere,

quia remanet affectus ad contrarium; ergo qui ex metu gehennæ a peccato desistit, affectum ad peccandum retinet.

R. *D. M.* Secundum Theologos et Philosophum quidquid ex metu fit aut omittitur, contingit secundum quid involuntarie, si affectus ad oppositum non obstat fini per actionem vel omissionem ex metu decretam obtinendo *C.* si huic fini obstet affectus ad oppositum *N.* et concessa *min. D. Cons.* Si affectus ad peccandum non obsisteret fini per omissionem actionis intento *C.* cum talis affectus impediat, quo minus finem omissione actionis intentum assequatur *N. Cons.* Qui sincere finem desiderat, vult etiam omnia media ad illum assequendum necessaria : atqui ex gehennæ metu detestans peccatum, vult vitare gehennam; ergo etiam cupit omnia media ad vitandam gehennam necessaria. Atqui ad hanc fugam magis opus est exuere affectum ad peccatum, quam desistere a mala actione externa : nam solus affectus ad peccatum damnare hominem potest, cum externa actio sæpe vitio non vertatur; ergo qui ex metu inferni detestatur peccatum, non retinet affectum ad hoc; ergo metus inferni sincerus ac vehemens non facit, aut, ut magis proprie loquar, non relinquit in subjecto involuntarium, saltem actu.

Inst. 1. Qui jacturam mercium facit, qui a furto abstinet ex metu, retinent affectum ad oppositum ; ergo etiam is, qui ex gehennæ metu cohibet se a peccato.

R. *N. Cons.* Mercator in tempestate jacturam faciens, fur metu laquei manus continens, sciunt voluntatem ad contrarium nihil obstituram fini abs se intento : nam navis vere alleviatur jactura solum externa : et qui solo affectu in res alienas fertur, nunquam suspenditur e patibulo, *cogitationis enim pœnam nemo patitur*, ff. de pœnis, et c. *Cogitationis,* de Pœnit. d. 1. videlicet in foro humano. *Homo enim videt ea, quæ parent : Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. v. 7.

Inst. 2. Qui ex solo gehennæ metu peccatum detestatur, virtualiter dicit : *vellem peccare, nisi gehennam metuerem;* ergo affectum ad peccatum retinet.

R. *D. Ant.* Si τὸ *solo* accipiatur exclusive aut comparative, virtualiter ita diceret *C.* cum τὸ *solo* sumatur tantum præcisive *N.* Ita pœnitens abstinet ab omni vitiosa comparatione vel exclusione : neque enim motivum timoris gehennæ præfert aliis præstantioribus, neque offensæ Dei, injuriæ, inobedientiæ, etc. : nec motiva ista formaliter excludit aut virtualiter; sed ab his omnibus præscindit.

Inst. 3. Multi tamen ita comparati a natura sunt, ut peccarent, si metu inferni non absterrerentur ; ergo virtualiter ita dicunt : *vellem peccare, ni metuerem gehennam.*

R. *C. Ant. N. Cons.* Ex actibus conditionate futuris nemo bonus est aut malus. Non pauci ita sunt affecti, ut si Dei aut virtutis amore non ducerentur, in his vel illis occasionibus peccarent : num ideo abstinendo a peccatis ex motivo amoris Dei, aut ex honestate virtutum, virtualiter dicunt : *vellem peccare, ni Deum diligerem, aut ni ducerer honestate virtutis ?*

Inst. 4. Voluntas efficax finis non necessario applicat media, nisi urgente consecutione finis ; ergo potest quis velle vitare gehennam, et postea tantum peccata deserere ; ergo retinere adhuc potest affectum ad præsens peccatum.

R. *D. seq. utramq.* Potest ita agere, si gehennæ timor fuerit appretiative

summus *N.* si non talis fuerit *C.* Nec tamen iste metus appretiative minor dici malus potest : sicut fides et spes non sunt malæ in eo, qui vitæ emendationem differt, ut supra n. 154. ad Inst. 1. observavimus.

156. *Obj. V.* Non potest aliquid perfecte odio haberi, cujus contrarium non prius diligatur; ergo nec potest quis sincere odisse peccatum, nisi ex amore justitiæ; ergo odium peccati ex timore pœnæ non est bonum ac sincerum.

R. *D. Ant.* Non potest quid odio haberi, cujus contrarium non diligatur, si propter se et ex motivo proprio odio habetur *C.* si odio habetur propter aliud et ex motivo communi *N.* Si oderim cibum suavem, qui valetudini obest, non opus est, ut ante amaverim cibum amarum; sed sufficit, omnia odisse, quæ valetudini, quam amo, adversantur. Hinc *D.* 1am. *seq.* Si peccatum ex motivo proprio detestatur *C.* cum detestetur illud ex motivo communi, et ex honestate, quæ peccati turpitudini indirecte opponitur *N.* 1am. et 2am. *seq.* Si ex amore Dei peccatum oderim, non prius opus est, amasse cujusque virtutis peculiarem honestatem; ergo etiam possum bene et sincere odisse peccata, quia reddunt me perpetuo miserum, qui amo et desidero esse æternum beatus. Quare sufficit, quod motiva ejusmodi communia tollant indirecte affectum ad peccata.

157. *Obj. VI.* Auctoritatem Patrum, ac præsertim S. Augustini, qui L. de Natura et Gr. c. 57. n. 67. *Sub lege*, inquit, *est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi : in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat.* Eadem habet epist. 144. (al. 145.) ad Anastas. n. 4. ubi talem adhuc vocat inimicum justitiæ : *Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat... nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Et concione 25. in Ps. 118. appellat talem timorem carnalem, quo non crucifigatur caro, sed adhuc latenter vivat peccandi voluntas : et Tr. 9. in epist. Joan. circa medium n. 6. 7., comparatur timor adulteræ, quæ intus oblectatur adulterio, quod tamen non committit, quia timet maritum. Eadem fere habet S. Thomas 1. 2. q. 107. a. 1. ad 1. et aliis quibusdam locis; ergo timor iste malus est.

R. *D. Ant.* Hæc prædicata tribuuntur timori tantum imperfecto, inchoato, serviliter servili *C.* tribuuntur timori casto, appretiative summo et simpliciter servili *N.* Quod S. Augustinus timorem solius gehennæ admittat, quo peccandi voluntas excluditur, constat ex conclusione. Et serm. 13. de verb. Apost. (al. serm. 156. c. 13.) *Timor*, inquit, *est servus caritatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, et servet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si necdum potes amore justitiæ.* Et tract. 9. in epist. Joan. n. 4. *Si nullus est timor, non est, quo intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum : sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem... opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas.* Ex quibus patet, quam imperite Lutherus

serm. de Pœnit. homines hortetur, ut acturi pœnitentiam, oculos in solam speciem virtutis, nequaquam autem in pœnas peccatorum conjiciant : nam qui peccatorum sordibus assuevit, non illico movetur ad virtutis speciem.

Inst. Ergo saltem timor serviliter servilis inordinatus est et malus, secundum doctrinam Patrum.

R. *D. Illat.* Timor serviliter servilis, intrinsece, secundum se, et quatenus absterret homines ab actione externa peccati, est inordinatus et malus *N.* extrinsece secundum affectionem ad peccatum, quam adhuc compatitur, malus est *C.* Est malus, inordinatus, carnalis et servilis, quia est hominum malorum et inordinatorum, carnalium et servorum : non autem est intrinsece malus, quia timor gehennæ est. Nam quod absterret etiam ab extrinseca solum actione peccati, neque inducit ad peccatum, non est malum : atqui timor iste cohibet ab extrinseca actione peccati, neque inducit ad peccatum ; ergo malus non est. Quod autem homo talis magis timeat pœnam quam culpam, et malit adhuc peccare, non oritur ex hoc timore, sed ex affectu ad peccatum, qui adhuc animo inhæret, et cui expellendo timor iste nimium infirmus est, nec ideo in se malus, sed minime omnium bonus est : bonus tamen adhuc, quia lege divina et humana hic terror incutitur iis, qui necdum ratione et virtutis amore duci ad officium volunt; ut saltem externa abstinentia a criminibus, vel non contrahant aut augeant habitus pravos, vel contractos longa cessatione nonnihil desuescant, atque ita idonei magis efficiantur ad studia virtutum. Ita Bellarminus L. 2. de Pœnit. c. 17. et 18. ad Obj. 5. ubi laudat illud Gregorii M. in c. 1. Cantic. dicentis : *Recti diligunt te : non recti adhuc timent te.*

ARTICULUS III.

AN AD EFFECTUM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ PERCIPIENDUM NECESSARIO REQUIRATUR CONTRITIO PERFECTA ?

158. *Nota I.* Petrus Lombardus in 4. Sent. d. 18., S. Bonaventura ibid. art. 2. q. 1., Hugo et Richardus Victorini, Alexander, Gabriel, Major, Medina, et nonnulli alii existimabant, motum contritionis verum et perfectum ita ad sacramenti hujus susceptionem esse necessarium, ut, si pœnitens eo destituatur, sacramenti etiam effectu fraudetur, quamvis putet se vere esse contritum, neque in sacramenti susceptione quidquam peccaverit. Hi nimirum negant, potestatem clavium extendi ad remissionem peccatorum mortalium.

Nota II. Sententiæ hujus austeritatem mitigare studuerunt Henricus quodlib. 1. q. 32., Cajetanus q. 84. a. 3., Ferrariensis L. 4. cont. Gent. c. 72. et alii quidam dicentes, perfectam contritionem esse per se quidem necessariam ad sacramenti effectum percipiendum; sufficere tamen quandoque solam attritionem ex parte pœnitentis, qui se putat esse contritum, eo quod sacramentum faciat, ut actus ex attritione transeat in contritionem, vel perficiendo eumdem actum, vel efficiendo ut homo ex actu imperfecto transeat ad perfectum; vel etiam per solam habituum infusionem pœnitens ipse ex attrito evadat æquivalenter contritus. Quod ultimum

tenuerunt Franc. Victoria in Relect. de potest. Eccles. q. 2., Sotus L. 2. de Nat. et Grat. c. 15. et in 4. d. 18. q. 3. a. 2., Ledesma et alii quidam.

Nota III. Denique S. Thomas et complures Theologi, quos infra memorabimus, tradunt, veram peccatorum attritionem sufficere ei etiam, qui scit se non esse perfecte contritum.

159. *Dico.* Ad Pœnitentiæ sacramentum cum fructu percipiendum non opus est contritione perfecta, sed sufficit attritio sola, etiam cognita ut talis.

Prob. I. Christus Matth. 16. dedit claves Petro, et in eo cæteris episcopis et presbyteris. Matth. 18. et Joan. 20. dedit Apostolis et ipsorum successoribus potestatem solvendi et remittendi peccata, hoc est, instituit Pœnitentiæ sacramentum, quo fideles post Baptismum lapsi expiarentur a suis peccatis, ut fatetur tota Ecclesia, docetque Concil. Trident. Sess. 14. c. 1. et can. 1. et seqq. Ac S. Thomas etiam ait, sacramentum Pœnitentiæ esse medicinam, qua peccati mortalis febris tollatur. Atqui est plane absurdum, dari alicui claves, queis nemini aperire possit fores occlusas : impertitam potestatem judici, qui absolvere neminem possit : facultatem remittendi peccata collatam presbyteris fuisse, qui peccatum nunquam remittant : constitutum esse sacramentum reconciliationis, quo nullus in æternum reconcilietur : indicatam medicinam pro febricitantibus, qua nemo nisi sani utantur; quæ quidem manifesta absurditas contingeret, si sola contritio perfecta ad recipiendam absolutionem sufficeret; ergo non hæc sola sufficit ad gratiam primam in sacramento recipiendam, sed sufficienter etiam ad gratiam hanc suscipiendam disponit contritio imperfecta.

Prob. II. Si ad hujus sacramenti valorem opus esset contritione perfecta, requireretur dispositio, qua ordinarie carent pœnitentes : atqui hoc cogitari non potest, quod sacramentum istud plerumque nullum sit; ergo. *Prob. seq. Maj.* Sess. 14. c. 4. ait Tridentinum : *Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat :* S. Augustinus epist. 180. (al. 228. n. 8.) ad Honoratum scribit, magnum exitium sequi eos, qui de hoc seculo exeunt vel non regenerati, vel ligati. Ergo sentiunt, pœnitentes plerumque perfecta contritione carere. Ac ratio ipsa suadet : nam licet catechumeni plerique ante Baptismum, et pœnitentes ante Confessionis sacramentum diligant Deum; nondum tamen tam puro in ipsum amore afficiuntur, qualis contritionem perfectam reddit.

Prob. III. Salus morientium ita pendere potest a sacerdotis absolutione, ut hujus defectu quandoque damnentur : atqui hoc falsum esset, si perfecta contritio omnino et absolute ad absolutionem requireretur : nam si illa adesset, sine absolutione pœnitentes salvarentur ; si abesset, etiam cum absolutione damnarentur. Ergo contritio perfecta eaque sola non omnino et absolute ad hoc sacrametum requiritur. *Maj. autem prob.* tum ex laudata nuper S. Augustini epistola, tum ex c. 2. epistolæ Cœlestini Papæ ad episcopos Viennensis provinciæ (Labb. t. 2. p. 1619. E.) ubi sacerdotes in articulo mortis absolutionem pœnitentibus negantes, ait, mortem æternam eis addere, et animas interficere : tum ex sensu totius Ecclesiæ, in qua, ut docet Conc. Trident. Sess. 14. cap. 7., *Ne quis pereat, pie admodum custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis ; atque ideo omnes sacerdotes*

quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. Et olim jam in Concilio Carthaginensi III. can. 34. (Labb. t. 2. p. 1172. A.) jubentur omnes ægrotantes in mortis articulo baptizari vel absolvi, modo aliorum testimonio constet, hæc sacramenta ab eis expetita fuisse. Citaturc. *Ægrotantes*, de Consec. d. 4. Plura adhuc in rem istam Patrum et Conciliorum aliud, quam testimonia coacervat Gratianus Causa 26. q. 6. Denique si absolutio nihil sit declaratio peccatorum contritione perfecta jam remissorum, cur fideles morituri tam sollicite sacerdotis absolutionem flagitant?

Prob. IV. Idem Concilium Trid. cap. 4. docet, attritionem quidem sine sacramento perducere peccatorem ad justificationem non posse; tamen eum ad gratiam in sacramento disponere. Ergo Concilium censet, attritionem esse dispositionem ultimam per se sufficientem cum sacramento ad consequendam justificationem. Consequentia patet; nam paulo ante dixerat Concilium, *omni tempore necessariam fuisse contritionem ad impetrandam veniam peccatorum*, ubi sine dubio Concilium de dispositione ultima ad justificationem loquitur. Deinde Concilium dicit, attritionem in sacramento aliter disponere ad gratiam, quam extra sacramentum: atqui extra sacramentum disponit ad gratiam remote, ergo proxime disponit in sacramento; ergo sacramentum Pœnitentiæ justificat peccatorem per solam attritionem dispositum.

Prob. V. Sicut Baptismus per se institutus est ad homines regenerandos: ita Pœnitentiæ sacramentum per se institutum est ad resuscitandos baptizatos a morte peccati; ac ea propter ambo hæc dicuntur esse *sacramentum mortuorum*; ergo sacramentum Pœnitentiæ ex institutione sua accepit vim conferendi gratiam primam, et expellendi peccatum mortale; ergo ad suam efficaciam non requirit necessario, quod peccatum jam sit expulsum.

Prob. VI. Si contritio perfecta semper ad sacramentum Pœnitentiæ requireretur, multo difficilior erit reconciliatio Christianis, quam olim in Lege antiqua fuerat: quod aperte repugnat suavitati Legis evangelicæ et sensui communi Christianorum. Hinc Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anno 1700. celebratis declarat, *duo ista ex sacrosancta Synodo Tridentina monenda; primum, ne quis putet, in utroque sacramento* (Baptismo et Pœnitentia) *requiri ut prœviam contritionem illam, quæ, sit caritate perfecta, et quæ cum voto sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliat.*

Sacra autem Facultas Parisiensis anno 1638. kalendis Julii inter alia, quæ Claudii Seguenotii Oratoriani notis in S. Augustini librum de Virginitate notavit, de thesi præsente ita pronuntiat: *Quæ tradit auctor de attritionis insufficientia, et contritionis ex perfecta caritate necessitate ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, et quæ addit, et approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, et censuit, has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi et omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, et insuper temerarias et erroneas.* Seguenotius vero caritatem non intensive et ratione gradus perfectam, sed eam, quæ ex motivo suo proprio et formali vera sit et perfecta, intelligit: prout manifeste patet ex notis ejus ad cap. 38. pag. 113., ubi motivum timoris gehennæ opponit motivo perfectæ caritatis.

160. *Obj. I.* Concilium Trid. docet, attritione tantum impetrari, non vero effici gratiam in sacramento; ergo juxta doctrinam Tridentini attritio est tantum remota dispositio ad gratiam; impetrando videlicet gratiam contritionis, qua homo justificetur.

R. *N. Cons.* Concilium impetrationis nomine intelligit efficientiam moralem propriam, quam exercet ut pars sacramenti; nam eodem vocabulo impetrationis veniæ utitur, cum de contritione perfecta sub capitis initium disserit. Deinde si attritio tantum esset infallibilis dispositio ad contritionem, ergo quilibet attritus in sacramento Confessionis eliceret ex opere operato certo et infallibiliter contritionem, tanquam effectum sacramenti; hoc autem est contra experientiam. Præterea repugnat, ut actus vitalis liber sit effectus ex opere operato sacramenti productus. Ad hæc aliter attritio disponit ad gratiam in sacramento, quam extra illud : atqui jam extra sacramentum potest impetrare contritionem; ergo in sacramento disponit proxime ad gratiam sanctificantem, tanquam sacramenti pars, ut hic a Concilio Tridentino nuncupatur. Denique, dum Concilium dicit, attritionem in sacramento disponere ad gratiam, comparat illam cum contritione, quæ omni tempore necessaria fuit ad veniam impetrandam : atqui contritio semper fuit ultima dispositio ad gratiam; cum nullius propioris dispositionis mentio a Concilio fiat.

Inst. 1. Patres Concilii Tridentini ex decreto sibi exhibito expunxerunt hæc verba : *Contritionem imperfectam... etiam sufficere ad sacramenti hujus constitutionem* : atqui quæ expunguntur et corriguntur, non approbantur; ergo secundum mentem Patrum Tridentinorum contritio imperfecta non sufficit in Pœnitentiæ sacramento ad gratiam recuperandam.

R. *D. Assumpt.* Quæ expunguntur, non approbantur in sensu, quem verba expungenda aliquando præferunt *C.* non approbantur in sensu alio, quem verba commodiora substituta indicant *N.* Non est propria locutio, quod attritio sufficiat ad sacramenti constitutionem, cujus aliqua pars materialis tantum est. Deinde noluit Concilium sententiam Scoti aperte proscribere, qui in sola absolutione hujus sacramenti essentiam statuit. Igitur commodius dicitur attritio ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere : quæ verba eumdem, quem nos tuemur, sensum habent, et leguntur citato cap. 4. Sess. 14.

Inst. 2. Ideo correctum fuit decretum, teste Pallavicino L. 12. c. 10. Histor. Concil. Trid., quod Episcopus Tudetanus monuerit, variare sententias Catholicorum circa sufficientiam attritionis : Concilium autem agens tantum contra hæreticos, noluit definire quidquam Theologis catholicis contrarium; ergo ex Concilio non potest peti argumentum pro attritione.

R. *D. Assumpt.* Concilium noluit aliquid contrarium Theologis catholicis definire directe et immediate *C.* indirecte et mediate *N.* Concilia necessario sæpe emendarunt opiniones Theologorum catholicorum, connexas erroribus hæreticorum. Ita sententia illorum, qui cum Magistro dicebant, absolutionem esse tantum declarationem peccatorum remissorum, rejecta fuit a Conciliis Florentino et Tridentino : quod quidem minime acquievit Tudetano, qui contendebat, contritionem perfectam semper ad absolutionem peccatorum in sacramento requiri.

Inst. 3. Idem Concilium Sess. 6. cap. 6. inter dispositiones ad Baptismum

enumerat dilectionem Dei; ergo eadem dilectio requiretur tanquam dispositio ad effectum sacramenti Pœnitentiæ obtinendum.

R. *D. Ant.* Concilium enumerat dilectionem Dei puram et perfectam *N.* dilectionem Dei inchoatam et necdum perfectam *C.* Verba illa : *Deum, tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt,* rem satis loquuntur.

Inst. 4. Concilium ibidem requirit propositum servandi mandata divina, quorum primum et maximum est pura Dei dilectio; ergo hanc ad omnem conversionem exigit.

R. *D. Cons.* Concilium ad omnem conversionem requirit dilectionem puram virtualiter, implicite objective *C.* requirit puram dilectionem formalem *N.* Observatio mandatorum objectum est hujus propositi, ergo re ipsa ab hoc distinguitur.

Inst. 5. Sess. 14. cap. 4. Concilium requirit ad effectum sacramenti contritionem, quæ fuit quovis tempore necessaria ad impetrandam veniam : atqui hæc est contritio perfecta; in lege enim vetere non justificabat alia; ergo.

R. *D. M.* Requirit, quovis tempore necessariam contritionem sumptam inadæquate, et secundum prædicata generica *C.* requirit contritionem sumptam adæquate, et secundum prædicatum unum specificum *N.* Quod vero sub finem capitis dicit, Ninivitas ad plenam terroribus prædicationem Jonæ pœnitentiam egisse, et misericordiam impetrasse, probabilius vult, ipsos tantum a subversione urbis servatos, non autem perfecte justificatos fuisse : hoc enim exemplo tantum utitur Concilium, ad ostendendum, pœnitentiam talem bonam esse, non vero malam, ut criminabantur hæretici.

Inst. 6. Analogum simpliciter prolatum accipitur pro præcipuo analogato, ut patet ex vocabulo panis, quod simpliciter prolatum, pro tritico sumitur : atqui cap. 3. dictæ sessionis dicitur simpliciter contritio esse pars sacramenti; ergo Concilium intelligendum est de contritione perfecta.

R. *N. Suppos. min.* Contritio æque est nomen univocum intuitu contritionis perfectæ et imperfectæ, atque animal respectu hominis et bestiæ. Falsum autem est, quod prædicatum de subjecto univoco enuntiatum, præcipuum tantum univocatorum afficiat : nam cum dicitur, animal sentit, æque intelliguntur bestiæ, ac homines. Quod vero vocabulum, panis, plerumque accipiatur pro tritico, nihil probat; cum a particulari ad universale trahi argumentum non debeat.

161. *Obj. II.* S. Joannes epistola priore c. 3. v. 14. dicit : *Qui non diligit, manet in morte* : 1. Cor. ult. v. 22. anathema dicitur non diligentibus Dominum nostrum Jesum Christum : et cap. 13. actus cæterarum virtutum et Dei dona nihil prodesse dicuntur sine caritate; ergo.

R. *Explic. illa testimonia* : Qui non diligit Dominum nostrum Jesum Christum, et fratrem suum, τὸ non diligit, accipiendo contrarie, manet in morte, est anathema *C.* τὸ non diligit, accipiendo præcisive *N.* Hinc S. Joannes mox subdit : *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Quanquam huic objectioni jam satisfactum sit articulo proxime præcedente in resp. ad Obj. 1.

Inst. 1. Ad peccatorum remissionem Deus exigit conversionem *ex toto corde,* ut Deut. 4. v. 29., Joël. 2. v. 12., et aliis locis : atqui attritio non est

conversio ad Deum ex toto corde, talis enim conversio fit tantum ex motivo amoris; ergo.

R. *D. M.* Deus exigit conversionem *ex toto corde*, h. e. conversionem, qua peccator vere ac sincere crimina sua deploret ac detestetur *C.* quasi hæc sit sola conversio ex toto corde, quæ ex motivo perfectæ caritatis proficiscitur *N.* Etiam contritio ex motivis virtutum cæterarum, ipsiusque gehennæ metu vere ac sincere detestatur peccata, eaque vitare statuit. Inficiari tamen non possumus, contritionem imperfectam qualemcumque in vetere Testamento non disposuisse proxime ad gratiam, ubi Pœnitentiæ sacramentum nondum fuerat institutum, et legales expiationes per sacrificia infirmæ nimium erant ad peccata tollenda, ut tradit B. Paulus Hebr. 10. v. 4.

Inst. 2. Auctoritate Patrum, et præsertim S. Augustini.

R. Patres hortari sæpe ad detestandum peccata ex motivo caritatis Dei, at motiva virtutum cæterarum nequaquam spernere. Sane Augustinus serm. 1. de temp. non ait, pœnitentiam *solam*, aut *veram*, sed, *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati aut amor Dei* : nam si quis timore pœnæ peccata detestatus, postmodum in se affectus divini amoris non experiatur, merito suspectam pœnitentiam suam habere potest, ne fuerit ex timore illo servili, qui affectum ad peccata non excludit; timor enim ille castus, qui peccati expellit affectum, ideo divinitus inspiratur, ut sensim ad amorem pelliciat. Eodem spectat B. Joannes Chrysostomus homil. 4. in posteriorem ad Corinthios (opp. t. 10. p. 464. A.) suadens, ut ingemiscamus tantum, quod Dominum tam benignum et nostri amantem offenderimus, non vero, quod pœnas simus daturi, hoc enim nihil esse : nempe timorem illum mere servilem spernit, non ut malum, sed ut insufficientem ad veniam obtinendam, ob affectum peccati, qui illi adhuc adjungitur.

Quanquam Patres subinde solum loquantur de Pœnitentiæ virtute secundum se, quæ utique non consequitur veniam peccatorum sine imperato actu perfectæ caritatis. Ita in libro de vera et falsa Pœnitentia cap. 17. n. 33. (inter opera Augustini t. 6. in appendice) dicitur : *sine caritate neminem salvum esse.* Et B. Augustinus L. 2. contra Cresconium c. 12. *Mundantur*, inquit, *peccata... caritate, quæ una si adsit, omnia recte fiunt; si vero absit, cætera frustra fiunt.* Et L. de catechiz. rudib. c. 20. n. 34. *Legem non implet, nisi caritas.* Hæc enim omnia partim de caritate habituali intelligi oportet, sine qua non agitur aliquid dignum æterno præmio, neque diu quis potest consistere, quin legem divinam prævaricetur : partim etiam de actu amoris inchoati sunt accipienda. Evidens autem est, id non potuisse dici ab Augustino de solo actu perfectæ caritatis Dei; nam sine hoc bonos esse actus justitiæ, religionis, misericordiæ, imo et timoris servilis, fatetur ipse S. Doctor.

162. *Obj. III.* Alexander VII. decreto edito 5. Maii an. 1667. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetuit censura theologica, alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxari sententiam eorum, qui ad justificationem in sacramento actum dilectionis necessarium esse contendunt; ergo juxta mentem summi Pontificis videtur ad fructum sacramenti Pœnitentiæ percipiendum requiri caritatis motivum, quo contritio perfecta reddatur.

R. *N. Cons.* Pontifex prohibet, gravi censura notari ambas sententias, sive quæ negat, sive quæ asserit necessitatem *aliqualis dilectionis* Dei in attritione ex metu gehennæ concepta : caritas autem, qua Deus propter se perfecte diligitur, non est *aliqualis* dilectio Dei, sed caritas Dei perfecta, et dilectio Dei simpliciter, non vero cum particula diminuente accepta.

163. *Obj. IV.* Contritio perfecta refertur necessario ad actum potestatis clavium, remissio peccati per contritionem prius obtenta quasi consummatur ; ergo licet ad effectum sacramenti consequendum sola contritio perfecta disponat, potestas remittendi peccata non erit frustra, eo quod ad culpæ remissionem hoc modo operetur.

R. *T. A. N. Cons.* Illa clavium potestas revera nec peccatum remitteret, neque a culpa absolveret, si non haberet actionem aliquam de se expulsivam peccati, sed solum declararet absolutum, aut ab obligatione culpæ pronuntiaret immunem : ut pluribus supra art. 3. cap. 2. docuimus.

Inst. 1. Contritio, in quantum pars est et votum sacramenti, remittit culpam; ergo etsi nunquam sine contritione conferatur hic effectus, sufficienter tamen explicatur hoc modo sacramentum Pœnitentiæ cum potestate clavium ad peccati remissionem esse institutum.

R. *N. Ant.* Contritio in dato casu remittit peccata ante confessionem et absolutionem ; ergo tantum ex opere operantis, perinde ac olim in antiqua Lege remiserat. Igitur hoc modo potestas clavium et virtus sacramenti non apte explicatur. Nam cum Patres Tridentini Sess. 14. c. 3. præcipuam vim sacramenti Pœnitentiæ in forma sitam esse tradant, sequitur, effectum sacramenti ex opere operato ante non conferri, quam illa proferatur.

Inst. 2. Potest accidere, ut et contritio pœnitentis, et absolutio sacerdotis eodem puncto temporis exerceantur ; ergo tunc absolutio per se ipsam operabitur ad peccatorum remissionem.

R. *T. Ant.* quod moraliter impossibile videtur, ut actus instantaneus pœnitentis cum oratione sacerdotis simul eodem puncto temporis desinat.

Ad Cons. R. Dato etiam tali casu, nihil pro adversariorum sententia conficitur : nam formæ veritas non fundatur in eo, quod contritio cum illa concurrat, sed in hoc, quod ipsa vim habeat peccatorem justificandi ; ergo vim illam habet, etiamsi non præsumat dispositionem per se sufficientem ad tollendam culpam. Deinde si perfecta contritio culpæque remissio tanquam dispositio unice necessaria ad actionem et efficaciam sacramenti supponeretur, nullum remedium facilius ad peccatorum remissionem obtinendam datum fuit per institutionem sacramenti, sed potius adjectum fuit onus.

ARTICULUS IV.

UTRUM ATTRITIO SINE INCHOATA DILECTIONE SUFFICIENTER PECCATOREM CONFITENTEM DISPONAT AD GRATIAM ABSOLUTIONIS PERCIPIENDAM ?

164. *Nota.* Cum Sess. 6. c. 6. Concilium Tridentinum doceat, ad justificationem requiri, ut pœnitentes *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant* : Sess. autem 14. c. 4. nulla expressa hujus dilectionis indicatæ

mentione facta dicatur, quod contritio imperfecta seu attritio peccatorem *ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponat*; orta est contentio celebris inter Scholasticos, qui perfectam contritionem negant esse necessariam dispositionem ad sacramentum Pœnitentiæ; aliis quidem inchoatam quamdam Dei dilectionem absolute requirentibus ad hoc, ut attritio in Pœnitentiæ sacramento ad gratiam proxime disponat: aliis vero id negantibus.

Inchoata autem dilectio Dei sensu triplici quæstionem præsentem sumi potest. 1° Quando Deus super omnia diligitur propter se etiam ut finis cui, sed actu remisso, nec admodum vehementi, quem affectum Baius, Jansenius aliique Novatores caritatem imperfectam nuncupant, et ad gratiam in Baptismi et Pœnitentiæ sacramentis obtinendam sufficere arbitrantur, nequaquam vero extra sacramentorum illorum usum, nisi forte in casu necessitatis.

2°. Alteram Dei dilectionem inchoatam, quæ attritione necessario conjuncta esse debeat, ut peccatorum remissio in hoc sacramento conferatur, laudant Pallavicinus et recentiorum nonnulli, estque ea omnis et sola, qua Deus propter se tanquam finis cui diligitur, sed nondum super omnia: nam etiamsi, inquiunt, divina bonitas creatis omnibus præstet, eisque anteferri mereatur; vere tamen et sincere diligi potest propter se, licet non secundum totam dignitatem et amplitudinem suam. Possumus enim vere ac sincere amplecti motivum aliquod, etsi illud non amplectamur secundum totam suam dignitatem et amplitudinem. In hanc rem affertur Bellarminus, qui L. 6. de Gr. et lib. arb. c. 7. *Dilectio Dei,* inquit, *alia est perfecta, quoniam est dilectio Dei super omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteponit; alia imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, sed nondum illum rebus cæteris præfert.* Et infra: *Dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen caritatis, neque implet legem, neque conveniunt illi encomia, quæ passim tribuuntur in divinis litteris caritati: tamen ex iisdem locis convincitur, imperfecta illa dilectio donum esse Dei, et ex solis naturæ viribus haberi non posse.*

3°. Demum inchoata Dei dilectio dici potest actus spei, quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligimus: ubi Deus est objectum materiale, et *finis, qui* propter se ipsum diligitur, cum idem sit objectum formale hujus actus: qui in hoc unico a caritate perfecta deficit, quod in Deum non feratur tanquam in proximum *finem cui,* sed proximum *subjectum cui* sit amans ipse. Unde ista dilectio amor concupiscentiæ nuncupatur; cum e diverso caritas perfecta, qua erga Deum, etiam ut *subjectum cui,* bene afficimur, amor benevolentiæ atque amicitiæ dici mereatur.

165. *Dico I.* Ut imperfecta contritio sit proxima dispositio ad gratiam absolutionis accipiendam, aliquam saltem inchoatam Dei dilectionem debet includere.

Prob. I. Non minor dispositio ad peccatoris justificationem requiritur in Pœnitentiæ sacramento, quam in Baptismo: atqui in hoc requiritur, ut peccator Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, ex Sess. 6. c. 6. Trid.; ergo multo magis hoc opus in sacramento Pœnitentiæ.

Prob. II. Ad omnem adulti justificationem requiritur vera et propria ad Deum

conversio, hoc enim indicatur a Scriptura et Patribus exigentibus conversionem ex toto corde : atqui vera et propria conversio non consistit in sola peccatorum detestatione, sed etiam in dilectione formali Dei ; ergo et hæc ad justificationem in sacramento requiritur. *Major et Minor* sæpius fuit probata in disputatione præcedente ; ac imprimis c. 3. art. 1. et seq., ac declaratur iterum breviter secundum principia S. Thomæ : Quodvis peccatum continet malitiam duplicem, quod sit aversio a Deo, et conversio ad bonum creatum. Igitur ut peccator vere ad Deum convertatur, utramque illam malitiam retractare debet; quod quidem sola attritione fieri non potest, qua pœnitens solum a creatura iterum avertitur : ergo opus adhuc est amore Dei, quo solo ad Deum se denuo formaliter convertit. Ita S. Doctor q. 86. a. 2. in 0. et ad 1. *Adulto*, inquit, *in quo sunt actualia peccata, quæ consistunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata, etiam in Baptismo, sine actuali immutatione voluntatis, quæ fit per pœnitentiam.* Talem autem immutationem non tantum aversione a creatura, sed conversione ad Deum fieri necessario, tradiderat in corpore conclusionis.

Prob. III. Testimoniis Patrum : S. Cyprianus Tr. de Lapsis, n. 29. postulat ab iis, qui absolutionem a sacerdotibus expectabant, *ut singuli delictum suum confiteantur,* et ad Dominum toto corde convertantur et redeant. S. Augustinus L. de gr. Christi c. 26. *Etsi*, inquit, *mandatum Dei videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur* (scilicet ad justitiam pœnitenti), *nec recte bonum opus vocatur.* Et L. 21. de Civ. c. 16. *Neque,* inquit, *id fit veraciter atque sinceriter, nisi veræ dilectione justitiæ... Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* Eumdem initialem Dei amorem indicat S. Doctor ; cum epist. 145. alias 144. L. de nat. et gr. c. 57., in Ps. 77. ac sæpe alias docet, solo timore pœnæ, absque amore justitiæ neque declinari peccatum, neque bonum opus fieri. S. Joannis Chrysostomi, aliaque plura testimonia supra a. 1. c. 3. disp. 1. attulimus.

Conf. 1. Peccator per pœnitentiam recipitur in amicitiam Dei ex inimico : nihil autem est convenientius, quam ut hæc reconciliatio fiat detestatione offensæ qua talis, quod sine aliqua Dei dilectione formali propter se contingere non potest : nam qui solum detestatur peccatum sine actu formali Dei dilecti, de malo tantum suo, non vero de Dei offensa dolere videtur.

Conf. 2. Hac solum via non tantum consulitur virtuti sacramenti Pœnitentiæ et potestati clavium, sed auctoritas etiam S. Scripturæ et Patrum, præprimis Concilii Tridentini servatur, toties contestantium, remissionem peccatorum non fieri sine dilectione Dei.

His apponimus judicium Cleri Gallicani an. 1700. de dispositionibus ad Baptismi et Pœnitentiæ sacramenta necessariis ita declaratum : *Neque satis adimpleri potest utrique sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat.*

Quæ quidem congruunt doctrinæ Concilii Arausicani II. Can. ult. (Labb. t. 4. p. 1672. B.) sic decernentis : Deus *ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et Baptismi sacra-*

menta fideliter requiramus, et post Baptismum, cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sint placita, implere possimus.

166. *Dico II.* Amor ille initialis, quem attritio proxima ad gratiam sacramenti dispositio comprehendit, est actus spei, quo Deus diligitur tanquam nobis bonus. Ita cum Honorato Turnelio Theologi complures.

Prob. Ut in sacramento proxime ad gratiam disponat attritio, debet hæc amorem quemdam Dei initialem continere : atqui amor iste initialis non est alius, quam actus spei, quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipimus; ergo.

Prob. induct. I. Amor iste initialis non est caritas Dei ex suo motivo formali et specifico perfecta, sed tantum quoad intensionem seu vehementiam actus paulo remissior, ut ex quorumdam veterum Scholasticorum opinionibus recentiores quidam et rigidiores conjiciunt : nam contra hos supra disp. 1. c. 3. art. 3. evicimus, omnem contritionis actum ex perfectæ caritatis motivo formali et specifico elicitum, cujuscumque is gradus fuerit, proxime ad justificationem disponere.

II. Neque amor iste initialis est imperfecta illa Dei dilectio, qua afficitur quidem peccator erga Deum, sed nondum illum cæteris rebus præfert : nam ut dilectionem talem cum Bellarmino donum Dei supernaturale esse demus, nihilominus illa, judice ipso Bellarmino, ne nomen quidem caritatis meretur, neque implet legem. Quomodo ergo ignavus iste motus animi, ac simplex complacentia, qua Deus non antefertur omnibus rebus, peccatorem pœnitentem accendere, atque ac gratiam sacramenti et peccatorum veniam disponere proxime possit?

III. Restat igitur, ut, quandoquidem actus contritionis imperfectæ, qui proxime ad primam gratiam disponat, dilectionem Dei inchoatam complectitur, hæc sit actus spei, quo Deus diligatur, et propter se diligatur, et super omnia diligatur : hoc enim cuilibet virtuti theologicæ proprium est, ferri in objectum super omnia. Quamvis in hoc unico, ut meminimus, amor initialis a caritate deficiat, quod in Deum, ut amanti bonum feratur, et sic amans nondum semetipsum in Deum expresse referat, nec simul finem ultimum subjectivum in ipso explicite ac positive reponat.

167. *Obj. I.* Tridentina Synodus semper studiose cavit, ne suis decretis ullum inferret præjudicium liberis Scholæ opinionibus : *Nec enim collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores rescindendas;* ut scribit Pallavicinus L. 4. c. 10. Hist. Conc. Trident. Atqui certum est, liberam Scholarum Catholicarum opinionem esse, utrum sola contritio perfecta sufficienter ad Pœnitentiæ sacramentum disponat : an etiam attritio sola sufficiat ad gratiam primam in sacramento consequendam : an autem ex dilectione saltem inchoata, et ex quanam initiali dilectione detestatio peccati in attritione proficisci debeat; ergo ex Tridentina Synodo argumentum in præsenti quæstione promi non potest.

R. *D. Cons.* Ex Synodo Tridentina promi non potest argumentum, quo ostendatur, hanc quæstionem clare et expresse definitam esse *C.* non potest promi ratiocinatio theologica, qua ex ipsiusmet Concilii verbis verisimilius inferatur, ad peccatorum veniam in sacramento hoc consequendam non

requiri absolute contritionem perfectam, sed sufficere attritionem, modo dilectionem inchoatam contineat *N*.

Inst. 1. Sess. 14. cap. 4. Synodus docet, in sacramento Pœnitentiæ attritionem, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu concipitur, esse dispositionem ad remissionem peccatorum percipiendam; ergo non opus est ad hunc effectum inchoata Dei dilectione.

R. *D. Ant.* Docet, attritionem esse dispositionem omnino adæquatam *N*. saltem inadæquatam *C*. Sacra Synodus damnatura hæreticos, attritionem ut inhonestam convitiantes, voluit tantum definire, eam esse donum Dei, et pœnitentem ad gratiam Dei disponere. Reliquit autem Catholicorum disputationi, utrum talis attritio sit dispositio adæquata; an vero complexum ex detestatione peccati, metu gehennæ, et ex inchoata Dei dilectione, exigatur tanquam dispositio proxima, adæquata in ratione contritionis. Nam, ut Pallavicinus nuper citatus refert, major pars Patrum et Theologorum disputarunt pro dilectionis actu necessario, ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ obtinendam, nec solam attritionem ex metu gehennæ conceptam sufficere ad effectum istum contendebant. Horum omnium primo loco sermonem habuit Jacobus Lainius Soc. Jesu, Præpositus Generalis: quem secuti deinde sunt alii omnium Ordinum viri eruditissimi, acriter declamantes pro necessitate inchoatæ alicujus formalisque Dei dilectionis propter se. Argumentum autem de sufficientia formidolosæ pœnitentiæ a paucis delibatum fuisse scribit: aliquod duntaxat vestigium reperiri opinionis negantis necessitatem amoris in iis, quæ Granatensis Archiepiscopus disputavit. Quin etiam Ruardus Tapperus, Lovaniensis Academiæ Cancellarius, Tom. 1. art. 5., et Melchior Canus part. 5. de Pœnitentia, sufficere quidem aiunt, in sacramento attritionem ex metu gehennæ conceptam; sed hoc non esse certum et indubitatum. Et Dom. Sotus, qui paucis post finitum Concilium annis Commentarios in 4. sententiarum librum edidit, dist. 18. q. 3. a. 2. scribit, doctrinam de sufficientia attritionis veram esse, sed novam, nec ausurum se absolvere eum, qui diceret, se non pœnitere propter Deum. Prorsus autem incredibile est, quod tanti viri, qui sessioni 14. interfuerunt, et contulerunt operam suam concinnando illi decreto, quod adversarii nostri contendunt, definitam fuisse sufficientiam attritionis, dilectione Dei inchoata destitutæ, aut hujusce decreti sententiam non fuerint assecuti, aut definitionem, qua sententiæ, quam ipsi tuebantur, veritas adstruitur, contempserint.

Inst. 2. Quod generi convenit, idem et convenit speciebus: atqui contritio generatim dicitur pars materialis sacramenti Pœnitentiæ, Sess. 14. cap. 3.; ergo etiam attritio, quæ cap. 4. species contritionis appellatur, erit pars sacramenti, et ad absolutionem sufficiens.

R. *D. M.* Quod generi convenit essentialiter et ab intrinseco, idem et convenit speciebus *C*. quod generi convenit contingenter tantum et ab extrinseco, idem et convenit speciebus *N*. Quando prædicatum contingens enuntiatur indefinite de subjecto universali, propositio evadit particularis: accidit autem contritioni, esse partem sacramenti; igitur vox universalis, contritio, accipitur a Concilio particulariter, ita ut idem sonet, ac, aliqua contritio est pars materialis sacramenti, nempe complexum illud ex detestatione peccati ob metum gehennæ, vel deformitatem vitiorum, et ob amorem Dei initialem.

Inst. 3. Non omnes actus Sess. 6. cap. 6. recensiti ad justificationem in

baptismo obtinendam sunt necessarii; ergo neque actus ille inchoatæ dilectionis.

R. *N. Cons.* Ad justificationem adulti requiritur conversio ad Deum: hæc autem solo amore fit. Hinc capite præcedente recitantur a Concilio verba Joelis 2. v. 12., et Zach. 1. v. 3.: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.*

Inst. 4. Detestans peccatum, quia est contra reverentiam, Deo ut supremo Domino debitam, convertitur ad Deum, quem non ideo formaliter diligit; ergo conversio ad Deum non fit sola dilectione formali.

R. *N. Ant.* Hujus pœnitentis objectum materiale est peccatum, formale quod proximum est deformitas peccati, remotum est honestas moralis actus, finis *cui* est pœnitens sibi honestatis talis ornamentum expetens; non ergo actus talis est conversio ad Deum formalis: hæc enim solum accidit vel actu caritatis perfectæ, vel amore concupiscentiæ.

Inst. 5. Synodus Tridentina in præfatione Sess. 14. protestatur, se *exactiorem et pleniorem de sacramento Pœnitentiæ definitionem tradituram*; capite autem 4. contritioni *caritate perfectæ*, et ante sacramenti usum sanctificanti opponit contritionem imperfectam seu attritionem, quæ ex consideratione turpitudinis peccati aut gehennæ metu concipitur, quin ullam caritatis mentionem addat; ergo dum mox ait, attritione ista nos in sacramento ad gratiam Dei impetrandam disponi, in ea non requirit amorem.

R. *D. Cons.* Synodus in attritione non requirit amorem perfectæ caritatis, quæ ex se hominem Deo extra sacramenti usum reconciliet *C.* Synodus hac divisione dilectionem Dei inchoatam ab actu attritionis in sacramento ad gratiam disponentis excludit *N.* Eodem capite contritio generatim definitur: *Dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*: dolor autem de peccato, secundum S. Augustinum L. 14. de Civit. c. 7. et S. Thomam supplem. q. 3. a. 1. fundatur in amore rei illius, de cujus jactura dolemus, præsertim si ex metu gehennæ excitetur, cujus potissimum malum est jactura summi boni, quæ pœna damni solet nuncupari. Præterea dolor ille debet esse de peccato, quia est offensa Dei, cum sit actus pœnitentiæ: vix autem concipi potest dolor de offensa Dei sine aliquo Dei amore; actus enim virtutis pœnitentiæ, ait S. Thomas 3. p. q. 85. a. 6. *est contra peccatum ex amore Dei.* Et q. 86. a. 3.: *Ad rationem pœnitentiæ requiritur, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum.*

Inst. 6. Concilium illam attritionem pro dispositione ultima ad gratiam sacramenti admittit, quam Lutherus rejicit: atqui hic nunquam negavit, attritionem junctam cum amore Dei bonam esse et utilem; ergo Concilium solam attritionem ex gehennæ metu conceptam pro ultima dispositione ad sacramenti gratiam admittit. *Minorem* declarat Lutherus in assertione articulorum a Leone X. damnatorum, ubi, *si dixerint*, inquit, *se loqui de contritione in caritate facta, jam articulus nihil ad me: non enim unquam sic docui: imo quia, ut meum damnant, de contritione naturali et impia extra fidem eos loqui oportet.*

R. *D. min.* Lutherus nunquam negavit attritionem junctam cum amore Dei, h. e. caritate perfecta habituali, bonam esse et utilem *C.* attritionem sine caritate perfecta et habituali *N.* Lutherus omnem pœnæ timorem vituperavit tanquam violentum et coactum: deinde nullum, ait, bonum opus

St. Albert's College Library

fieri posse ante caritatem diffusam in cordibus, h. e. ante gratiam sanctificantem; hinc scribit : de contritione *in caritate* facta; non autem *ex caritate* facta. Utrumque hunc errorem confutatura Synodus docet, attritionem ex gehennæ ac pœnarum metu conceptam, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, impulsum esse Spiritus sancti, et ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.

168. *Obj. II.* Joannes Gerson tom. 2. in serm. de pœnit. in Cœna Domini ita scribit : *Dicit Dominus Guillelmus Parisiensis, et alii communiter, quod attritio, quæ alias non est sufficiens, sit sufficiens virtute sacramenti.* Item S. Thomas in 4. d. 6. q. 1. a. 3. ad 5. *Ad hoc,* inquit, *ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non caritas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.* Ergo etiam secundum antiquorum Theologorum communem sententiam sufficit ad remissionem peccati in sacramentis mortuorum impetrandam attritio supernaturalis ex metu gehennæ, vel consideratione turpitudinis peccati, aut alio simili motivo supernaturali concepta sine actu dilectionis Dei inchoatæ. Ita Joan. Bapt. Gonet in Manuali Thomistico tom. 6. tract. 5. c. 4. §. 4. et fusius de eadem re agit alias tom. 5. disp. 7. a. 2.

R. *D. Cons.* Sufficit talis attritio sine actu dilectionis ex motivo perfectæ caritatis *C.* sine actu dilectionis Dei, qui sit amor initialis *N.* Guillelmus Parisiensis libro de Pœnitentia fol. 31. (al. c. 7. opp. t. 1. p. 462. C. D.) scribit, attritioni, qua peccator indulgentiam scelerum in sacramento consequitur, necessario conjunctum esse amorem præparatorium, quo Deus ametur secundum quod est Deus. *Necesse,* inquit, *est, ut moveatur, qui atteritur vel conteritur, motu fidei, spei :... Necesse est etiam, ut moveatur motu dilectionis alicujus, sive illa sit caritas sive non.* Et paulo ante (c 6. p. 467. A.) : *Amore præparatorio amatur Deus secundum quod est Deus; quemadmodum amore, qui caritas dicitur. Quare erunt ejusdem speciei amor præparatorius et amor qui caritas dicitur :* nimirum ex objecto materiali et formali inadæquato. Joan. Gerson l. c. *Confessio,* inquit, *fiat vere, non ficte, hoc est, in contritione et caritate, secundum probabilem conjecturam. Utrum autem confessio, quæ fit sine caritate, liberet, ne iterum dicantur peccata, est difficultas vix inter Scholasticos dissolubilis... Dicit autem Dom. Guillelmus.* Nec profuit adversariis S. Thomæ auctoritas : loquitur enim loco citato de caritate perfecta : quod vero ad omnem pœnitentiam exigat aliquam Dei dilectionem, ex supra adductis ipsius testimoniis vidimus. Quapropter Gonetus ipse in Manuali l. c. *Secundo alii respondent, amorem, de quo Concilium ibi loquitur... esse amorem spei, seu concupiscentiæ, quo peccatores Deum ut sibi bonum et placabilem diligere incipiunt, ut ex ipso contextu liquet,* etc. Responsione autem tertia idem Gonetus ait, inchoatam illam dilectionem a Concilio requiri, non quidem *ut dispositionem omnino necessariam ad justificationem, quæ fit in Baptismo, sed solum declarari, talem dilectionem frequenter reperiri et ordinarie in adultis, cum ad sacramentum Baptismi accedunt.* Quod idem Joan. Baptista Gormaz innuere videtur.

Inst. 1. Si Lex evangelica oneri confessionis adhuc necessitatem amoris adjiciat, ergo gravior erit Lege antiqua.

R. *N. Illat.* Amor iste Dei difficilis videri non debet : nec enim pœnitens

sperare a Deo peccatorum veniam potest, quæ detestatur super omnia detestabilia, quin Deum simul amet, ut tanti beneficii auctorem; vel saltem tunc propendeat ad sic amandum Deum, ut non possit eum non amare, nisi expresse nolit, imo et conetur in oppositum. Non ergo est difficilis lex Christi exigens amorem illum, qui grata quadam necessitate conjunctus est cum spe veniæ, et tam convenienter requiri potest per modum dispositionis ad justificationem.

Inst. 2. Sacramentum pœnitentiæ cum majoris sit efficaciæ, quam sacramenta veteris Testamenti, longe minorem exigit dispositionem ad justificationem: hoc autem non esset, si exigeretur actus formalis dilectionis; ergo.

R. *D. M.* Sacramentum pœnitentiæ minorem exigit dispositionem, ita ut pœnitentes a lege amoris Dei et veræ ad Deum conversionis prorsus eximat, soloque timoris gehennæ actu justificet *N.* ut saltem amoris initialis actum exigat *C.* Cum in lege timoris nemo sine caritate et contritione perfecta justificari potuerit, credibile non est, in lege evangelica et amoris homines solo timore sine ullo amoris actu justificari posse.

Inst. 3. Timor gehennæ supernaturalis impulsus Spiritus sancti omnem peccandi voluntatem excludit, hominemque ad Deum convertit; ergo est sufficiens ad Dei gratiam in sacramento percipiendam.

R. *D. Ant.* Timor gehennæ adæquate sumptæ omnem peccandi voluntatem excludit, hominemque ad Deum convertit *C.* timor gehennæ inadæquate sumptæ hæc præstat *N.* Gehenna adæquate sumpta complectitur pœnas sensus et damni. Timor ergo pœnæ sensus, quæ est gehenna inadæquate sumpta, quandoque actualem omnem peccandi voluntatem excludit, ita ut ne conditionatam quidem, implicitam et intus latitantem retineat. Quod si simul fuerit timor pœnæ damni, erit metus gehennæ adæquate sumptæ, qua voluntas et affectus peccandi omnis sive actualis sive habitualis plane removetur, et peccator pœnitens ad Deum positive convertitur: talis enim affectus non est absque amore spei, eo quod *timor mali nascatur ex amore boni contrarii, atque in ipso fundetur,* ut docet B. Thomas 1. 2. q. 25. a. 2., *et passiones omnes ex amore causentur,* ut S. Augustinus L. 14. de Civit. c. 7. et 9. tradit.

169. *Obj. III.* Testimonia S. Scripturæ, quæ 1ª. conclusione de conversione ad Deum adducuntur, caritatem perfectam sine dubio suadent; ergo non satis apte in conclusione 2ª. ad actum spei, qui est amor concupiscentiæ, accommodantur.

R. *N. Conseq.* Ex laudatis Scripturæ testimoniis constat, neminem justificari, qui non per actum amoris ad Deum convertatur: at in sacramento baptismi et pœnitentiæ actus solos caritatis perfectæ non esse necessarias dispositiones ad gratiam primam obtinendam nuper evicimus; ergo sufficiet amor initialis, quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipimus.

Inst. 1. Patres Tridentini Sess. 6. cap. 6. post recitatum spei actum subjungunt amorem initialem; ergo amorem istum ab actu spei diversum esse pronuntiant.

R. *D. Cons.* Ergo pronuntiant dilectionem Dei inchoatam diversam esse ab

actu spei tendentis in objectum suum secundarium *C.* ab actu spei in objectum suum primarium tendentis *N.* Objectum spei primarium est Dei bonitas, qua beati reddimur; secundarium vero sunt media ad beatitudinem nostram proficientia. Igitur dum Concilium dicit : *In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore;* spem indicat tendentem in veniam peccatorum, quæ est medium ad beatitatem : dum vero subjungit : *illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt,* affectum exprimit ejusdem spei Deum ipsum amore complectentis.

Inst. 2. Præstat dici, hanc inchoatam Dei dilectionem esse amorem benevolentiæ, quo Deus propter se tanquam finis cui diligitur, sed nondum super omnia.

R. *N. Assertum.* Quomodo iners hic affectus simplicis complacentiæ, qui nec est actus virtutis theologicæ, nec moralis, nec nomine caritatis dignus, quo Deus non amatur super omnia, inducere pœnitentem potest ad peccata sua super omnia mala detestanda? aut quomodo anteferatur amori alii ex virtute spei profecto, quo et Deus propter se ac super omnia diligitur?

Inst. 3. Qui contra fidem aut spem peccavit, sine actibus harum virtutum justificari non potest; ergo cum omne peccatum caritati adversetur, nullus peccator sine actu caritatis justificari potest.

R. *N. Cons.* Fides, ut ait Tridentinum Sess. 14. c. 8., est justificationis nostræ initium, fundamentum et radix, uti et spes; caritas autem est finis vel potius forma qua justi sumus : igitur fides et spes tanquam media necessario antecedunt gratiam sanctificantem, non item caritas, quæ non est medium sed finis. Quod autem extra sacramenti usum actus caritatis perfectæ ad justificationem requiratur, non tam ob rationem in instantia obtensam accidit, quam quod ad justificationem ex opere operantis impetrandam nullus extet actus alius, præter caritatis perfectæ actum, qui ad gratiam saltem de congruo promerendam solus quamdam habet proportionem.

170. *Obj. IV.* In sententia ista posset quis salvari, etiamsi tota vita sua nullum dilectionis perfectæ actum elicuerit, si post susceptum cum inchoata Dei dilectione et attritione baptismum moreretur.

R. *N. Ass.* Omnis homo rationis usum adeptus tenetur continuo sine vituperabili mora per actum perfectæ caritatis ad Deum converti, idque etiam postquam suscepto sacramento justificatus fuit; eumdemque actum debet sæpe, dum vivit, repetere, ac præsertim in mortis articulo : neque potest lex ista diu latere hominem, qui Deum agnoscit : neque ad baptismum est admittendus, qui eamdem ante doctus non fuerit. Quod si quis suscepto baptismo, diutius, quam par est, executionem hujus præcepti distulerit, lethaliter peccabit; ac multo magis is, qui in mortis articulo actum perfectæ caritatis sua culpa neglexerit. At si suscepto legitime sacramento, postea subito mortis casu occupatus impediretur, quo minus actum dilectionis perfectæ concipiat, salvabitur. Adulto enim peccatori sacramenti copiam habenti actus caritatis non necessarius est ad salutem necessitate medii, sed tantum ex præcepto, quod non pro quovis puncto temporis obligat, cum sit positivum, nec minus propter probabilem juris et facti ignorantiam, aut ob impotentiam excusationem admittit, quam quælibet alia præcepta. Ita Sua-

rez tom. 4. in 3. partem S. Thomæ disp. 15. sect. 4. dub. 2. Ex hactenus dictis

171. *Colliges.* Joannes Gormaz disp. 6. sect. 5. n. 448. hoc argumento contendit tanquam moraliter certum, licere cum attritione ex metu gehennæ, aut ex consideratione turpitudinis peccati concepta accedere ad Pœnitentiæ sacramentum : illa sententia, inquit, est certa moraliter, quæ ex Ecclesiæ doctrina et praxi, aliisque principiis certis ita deducitur per discursum theologicum, ut ostendatur, principia illa stare non posse, quin sententia ipsa inde deducta subsistat : atqui ita se habet sententia de sufficientia attritionis ; ergo. *Minorem probat* tum ex praxi communissima Ecclesiarum Germaniæ, Hispaniæ, Italiæ : tum quod Alexander VII. in Decreto supra laudato, *sententiam negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta,* vetet, *alicujus theologicæ censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxari ;* addatque hanc sententiam *hodie inter Scholasticos communiorem videri :* tum quod iidem Scholastici Tridentinæ Synodi doctrinam pro sua sententia stare asseverent : tum quod declarationem Cleri Gallicani necessitatem solius perfectæ dilectionis pro Baptismi et Pœnitentiæ sacramentis, an 1700. rejicientis, sibi patrocinari affirment.

Ex his, inquam, principiis, et ex oppositarum objectionum explicationibus concludunt, sententiam suam plane certam esse certitudine privata, licet non certa sit certitudine authentica, cujus videlicet oppositum sine censura defendi non possit. Quæ quidem vera esse damus adversus illos, qui contritionem ex perfecto caritatis motivo profectam unice pro dispositione ad absolutionem requirunt ; modo amor initialis non omittatur, qui saltem spei theologicæ affectus sit, quemque conclusione secunda suasimus. Temperamentum istud advertit Gormaz ipse, et amplexus est : nam disp. 5. sect. 5. §. 2. n. 335. ait, nunquam dari veram attritionem sufficientem ad conferendam gratiam cum sacramento absque consortio alicujus dilectionis : licet enim attritio concipi possit ex quocumque illorum motivorum a Tridentino assignatorum, quin ex amoris motivo concipiatur ; in hac tamen divina providentia semper præcedunt dispositiones a Deo ordinatæ ad illam eliciendam : cum autem ex illis sit Dei dilectio ex amore concupiscentiæ saltem, nunquam contritio imperfecta reperietur in sacramento absque Dei dilectione. Et ante n. 333. accurate ostendit, Conc. Tridentinum Sess. 6. cap. 6. non solum agere de dispositione sufficiente ad justificationem, quæ fit extra sacramentum, sed etiam de ea, quæ ad justificationem in sacramento sufficit : nam cap. 7. agit de dispositione ad gratiam justificantem, cujus gratiæ baptismus est causa instrumentalis, ut constat ex hisce verbis : *Hujus justificationis causæ sunt... instrumentalis item sacramentum baptismi.* Sed illa dispositio, quæ ut votum baptismi sufficiens est ad conferendam gratiam, est dispositio ad gratiam extra sacramentum ; illa vero dispositio quæ gratiam efficit cum sacramento re ipsa suscepto, est dispositio cum sacramento. Ergo Tridentinum, de dilectione Dei agens, generali voce utitur, qua disjunctim requirantur sive caritas perfecta, voto tantum sacramenti ad justificationem inducens, sive amor initialis concupiscentiæ ad Dei gratiam impetrandam disponens proxime in utroque sacramento. Quod probabilius

adhuc evincunt testimonia, quæ Concilium ad firmandam doctrinam suam capite 6. ex S. Scriptura pro justificatione tam extra sacramentum, quam in sacramento profert his verbis : *De hac dispositione scriptum est : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua ;* et : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

Idem Gormaz infert, non esse sermonem Concilio de amore Dei participativo, quando homo attritus justificatur cum sacramento ; verum etiam de amore Dei formali, sive perfectæ caritatis sive concupiscentiæ. Sicut enim is, qui videre incipit, re ipsa videt, et qui intelligere incipit, re ipsa intelligit ; ita etiam, qui diligere incipit, re ipsa diligit.

ARTICULUS V.

QUODNAM PROPOSITUM CUM CONTRITIONE AD PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM REQUIRATUR ?

172. *Nota.* Initio hujus capitis diximus, fuisse Theologos, qui formalem dolorem internum de necessitate et essentia hujus sacramenti esse negabant : hi consequenter docent nullo proposito opus esse. Ac Dominicus Sotus quidem dist. 17. q. 1. a. 2. aperte pronuntiat, confessionem nunquam fictam esse ex defectu propositi, si tamen pœnitens suum defectum confiteatur.

E contra Joan. Major, Jac. Almainus in 4. d. 14. q. 1. Navarrus, Petrus Sotus, Andreas Vega, Reginaldus et complures alii existimant, requiri saltem ac sufficere propositum virtuale, necessario implicitum et inclusum in eo actu, quo peccata ex motivo caritatis aut alius virtutis generalis detestamur.

Hanc quoque sententiam perniciosi erroris damnant Bellarminus L. 2. de Pœnit. c. 6. et 7., Melchior Canus, Valentia, post Adrianum, et Cajetanum, nixi potissimum auctoritate Conc. Florentini, quod in instructione Eugenii ad Armenos, et Tridentini, quod Sess. 14. cap. 4. docet, primam partem materiæ hujus sacramenti Pœnitentiæ esse contritionem, ad quam pertinet dolor cum proposito non peccandi de cætero.

Media via inter utrosque incessit Suaresius disp. 20. sect. 4. n. 33. et amborum sententias conciliavit : cum quo

173. *Dico.* Propositum formale, per se loquendo, necessarium est ad contritionem, partem marterialem hujus sacramenti ; per accidens tamen sufficit virtuale.

Prob. 1ª. *pars.* Concilia Florent. et Trid. docent, ad contritionem, primam Pœnitentiæ sacramenti partem, pertinere *propositum non peccandi de cætero* ; ergo si quis confitens peccata mortalia sciens volens omittat propositum formale, et in ea dispositione absolutionem recipere velit, sine dubio graviter peccabit, ac reddet sacramentum nullum ; eo quod ne virtuale quidem propositum habere convinceretur, quod vere contrito esset facillimum.

Ideo nihil est magis usitatum in administratione hujus sacramenti, quam exigere a fidelibus propositum cavendi deinceps peccata.

Prob. 2ª. *pars.* Concilium Trident. ait, sufficere in hoc sacramento attritionem ex gehennæ metu, *si voluntatem peccandi excludat*: atqui omnis contritio efficax voluntatem peccandi excludit, etiam sine formali proposito concepta, ut disputatione præcedenti cap. 2. a. 3. ostendimus; ergo ad contritionem in hoc sacramento sufficit saltem per accidens propositum virtuale. *Hujusmodi videlicet anima mavult dilecto Deo mori, quam eo offenso vivere*, inquit B. Augustinus tract. 71. in Joan.

174. *Obj. I.* Concilia non frustra exprimunt requiri dolorem et propositum; ergo sicut nunquam sufficit ad sacramentum pœnitentiæ dolor tantum virtualis: ita ne per accidens quidem sufficiet aliquando propositum virtuale.

R. *N. Cons.* Mœstam præteritorum erratorum detestationem formalem ipsum pœnitentiæ nomen insinuat. Et Concilium Trident. Sess. 14. cap. 4. loquens de attritione non tam expresse requirit formalem propositum, sed solum dolorem illum, qui *peccandi voluntatem excludat*: contritio autem imperfecta et efficax includit virtuale propositum contrarium voluntati peccandi; ergo hanc excludit essentialiter: cum e contra possit esse efficax propositum vitandi actionem malam sine ejus detestatione et dolore.

Inst. Quia contritio requiritur ex necessitate sacramenti præcepti, non ideo sacramentum Pœnitentiæ valet, quod pœnitens ex inadvertentia contritionem omiserit; ergo cum inadvertentia tollat defectum propositi formalis, hoc non videtur exigi ex necessitate sacramenti vel præcepti.

R. *D. Cons.* Hoc non videtur ita exigi per se *N.* per accidens *C.* Neque est eadem ratio contritionis et propositi in hoc sacramento; nam contritio est essentialiter detestatio peccati præteriti, confessio est accusatio peccati præteriti, absolutio etiam essentialiter et unice in peccata præterita fertur. Igitur cum omnes partes essentiales sacramenti et ipsius pœnitentiæ etymologia noxas commissas spectent, dispositio in futurum non tam videtur esse intrinseca, quam detestatio peccatorum præteritorum.

175. *Obj. II.* Qui habet judicium firmum de relapsu, non habet verum propositum ac detestationem; nam cum actus voluntatis dirigantur a judicio, prudens et efficax propositum esse nequit, cui antecedit judicium certo affirmans pro eodem instanti ejus contradictorium: atqui certi sumus de relapsu in venialia; ergo hæc neque vere detestari, nec verum propositum ea vitandi possumus concipere.

R. *D. min.* Certi sumus de relapsu in venialia, quæ deliberate omnino committantur *N.* de relapsu in venialia, quæ ex subreptione et minus deliberate nobis accidant, *subdist.* certi sumus, quod tam frequenter in eadem simus relapsuri ac prius *N.* possumus nobis probabiliter persuadere et cum gratia Dei sperare, nos rarius talia peccata deinceps commissuros *C.* Firmum et absolutum propositum concipere possumus vitandi omnia peccata venialia, quæ cum plena deliberatione admitti solent: hoc enim possibile est cum Dei gratia, quæ digne postulantibus confertur secundum legem Dei ordinariam. Quanquam autem propositum prorsus absolutum de venia

libus sine deliberatione perfecta obrepentibus formari nequeat, eo quod totam illorum collectionem sine speciali privilegio diutius caveri sit impossibile; potest tamen pœnitens proponere, omnem adhibere diligentiam ad illa vitanda, vel minuenda quoad humano modo poterit : id quod tam ad contritionis actum, quam ad sacramenti pœnitentiæ integritatem sufficit.

Inst. 1. Multis ob diuturnam peccandi consuetudinem tam difficilis emendatio apparet, ut impossibilem existiment : atqui de objecto impossibili non datur proæresis; ergo multi, qui peccata mortalia detestantur, propositum firmum de eorum emendatione concipere non possunt.

R. *D. M.* Multis emendatio impossibilis apparet speculative, directe et secundum quid *C.* emendatio tam difficilis apparet, ut impossibilem existiment prudenter, absolute, reflexe, et pensatis omnibus *N.* Propositum vitandi peccata mortalia debet esse absolutum, et de se perpetuum ex parte objecti; ergo non est de objecto impossibili : nam etsi gravibus argumentis nitatur judicium de futuro relapsu, speculativum tamen est, eique opponi potest judicium practicum de futura emendatione, nixum spe divinæ gratiæ, quam Deus precantibus, ut oportet, suamque operam strenue adhibentibus promittit, ac multis jam obduratis peccatoribus ad perfectam et constantem conversionem sæpe contulit. Igitur judicium illud de relapsu futuro, utut probabile, repudiandum est, et animus spe divinæ gratiæ erigendus ad media vitæ melioris alacriter capessenda.

Inst. 2. Si pœnitens contra judicium probabile relapsus, meliora sperare debeat; ergo propositum foret actus spei : atqui actus pœnitentiæ non est actus spei; ergo.

R. *D. M.* Propositum foret actus spei generalis *C.* peculiaris virtutis theologicæ *subd.* foret actus elicitus *N.* imperatus *C.* Quævis virtus amat, odit, timet, audet, aversatur, desiderat, atque etiam sperat : qui quidem actus communes sunt virtutibus omnibus, atque etiam pœnitentiæ. Quanquam proposita pœnitentium, ut firma satis sint, spei theologicæ actibus imperatis juvari omnino oporteat.

ARTICULUS VI.

AN PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM INFORME ESSE POSSIT DEFECTU ATTRITIONIS?

176. *Nota I.* Sacramentum, cui nulla pars essentialis deest, dicitur esse validum seu verum : quod si nullam gratiam suscipienti conferat defectu dispositionis debitæ, erit sacramentum verum quidem et validum, sed informe, eo quod careat forma gratiæ, quam essentialiter significat, et in subjecto rite disposito efficit. Talia sacramenta sunt Baptismus, Ordo et alia, quæ ministrantur peccatoribus adultis, per attritionem vel contritionem ante non dispositis, ad gratiam sacramenti recipiendam.

Nota II. Dari posse etiam Pœnitentiæ sacramentum verum et validum, sed informe, tenuerunt olim Capreolus, Richardus, Paludanus, Cajetanus, Sotus, Canus, Silvester, Navarrus, et alii, quos refert et sequitur Suaresius disp. 20. sect. 5., cui consentiunt de Lugo, Gaspar Hurtadus, Tannerus, Diana, et multi recentiores. Variis autem modis id contingere posse vete-

res existimarunt, quos hic recitare et confutare supervacaneum erit : quandoquidem eorum alii extra statum quæstionis versantur, alios vera supra jam rejicimus.

Igitur tunc solum videtur dari posse confessio valida ad sacramentum constituendum, at informis quoad effectum gratiæ, cum ei deest attritio non quidem intensive, sed extensive sufficiens, seu ex defectu integritatis non vero qualitatis attritionis, orto ab inculpabili inadvertentia vel ignorantia. Ut cum quis de gravi peccato furti se accusans illud detestetur ex speciali solum motivo justitiæ, ac proponat deinceps vitare omnia mortalia ex motivo honestatis, quæ reperitur in vitando relapsu post factam reconciliationem : de peccato vero libidinis lethali, quod sola cogitatione admisit, nihil ex oblivione inculpata doleat; hic, inquiunt Theologi illi, sufficienter est dispositus, ut de furto cum fructu absolvatur ; nihilominus ei obstat occultum libidinis peccatum, quo minus gratiam absolutione sacerdotis obtineat.

Nota III. E contra complures alii negant, posse dari verum Pœnitentiæ sacramentum, ac simul informe. Et Andreas Vega quidem L. 13. in Trid. c. 26. 34. et 36. id inde probat, quod existimata saltem ex invincibili ignorantia attritio necessaria sit, ac sufficiat non ad substantiam solum, sed ad effectum quoque sacramenti : quam opinionem ut falsam supra jam repudiavimus. Melius sententiam istam defendunt Gabriel, Joan. Major, Adrianus et Medina veram et supernaturalem contritionem perfectam vel imperfectam necessariò requirentes tam ad essentiam, quam ad effectum hujus sacramenti : quibus accedunt Gabriel Vasquez, Pallavicinus, Haunoldus, et recentiores innumeri. Et haud dubie eadem mens fuit priscorum Scholasticorum, qui unanimiter pro dispositione ad gratiam absolutionis obtinendam exigebant contritionem ex caritate perfecta, aut saltem ex amore Dei initiali profectam. Cum quibus

177. *Dico.* Quando pœnitenti in dato casu deest universalis detestatio peccatorum mortalium, Pœnitentiæ sacramentum simpliciter nullum est, adeoque informe dari nequit et verum ac validum.

Prob. I. Concilium Florent. in decreto Eugenii §. *Quartum* ait, materiam hujus sacramenti esse actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes : quarum prima est cordis contritio ; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, *cum proposito non peccandi de cætero;* ergo motivum universale ex parte propositi non requirit. Atqui hoc idem est motivum doloris : est enim impossibile, ut quis amet aliquod motivum, et simul advertat ad peccatum a se commissum destructivum illius motivi, quin doleat de peccato ex tali motivo ; ergo cum motivum tam propositi, quam detestationis sit universale, sacramentum Pœnitentiæ nequit esse informe. Quam ob rem Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. docet, contritionem non solum *vitæ novæ propositum et innovationem, sed veteris etiam odium continere* : nec ratio apparet, cur illud necessario universale esse debeat, et non istud.

Prob. II. Concilium Trident. eadem Sess. 14. can. 4. ita definit : *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente..., videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem,*

quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur... ; anathema sit. Unde ita argumentor : ideo sacramentum Pœnitentiæ, juxta adversarios, informe est, quia deficit contritio actus pœnitentis : atqui contritio actus pœnitentis est pars pœnitentiæ, ad peccatorum remissionem requisita; ergo hujus defectu sacramentum plane nullum est.

Prob. III. Eadem Synodus cum cap. seq. dixisset, exigi eorum tantum peccatorum mortalium confessionem, quorum pœnitens recordatus fuerit, illico subjungit : *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cum Propheta dicimus : Ab occultis meis munda me Domine.* Ergo juxta doctrinam Concilii universim peccata mortalia occulta intelliguntur inclusa in eadem confessione, et per eamdem confessionem illorum quoque venia petitur : atqui non sunt inclusa, neque venia illorum petitur, nisi ratione doloris universalis; nam dolore particulari nec comprehenduntur, nec retractantur; ergo ad confessionis valorem, ex mente Tridentini, requiritur dolor universalis.

178. *Obj. I.* Sufficit restringi verba Concilii ad propositum universale universalitate tantum se extendente ad relapsum; ergo ex universalitate propositi non legitime concluditur necessaria universalitas detestationis ac doloris.

R. *N. Ant.* Si ita arbitrari licet, dicam, requiri tantum propositum non repetendi peccata commissa, neque illud extendi debere ad peccata omnia, quorum species nondum fuit perpetrata. Atqui Concilium Sess. 14. cap. 4. contritioni, ait, junctum esse *propositum non peccandi de cætero,* quod sine dubio generatim ad omnia prorsus peccata extenditur. Et infra, illa attritio ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere dicitur, quæ *voluntatem peccandi excludit,* h. e. virtuale saltem propositum continet, nullum deinceps admittendi peccatum. Et clarius adhuc Sess. 6. cap. 6. ad dispositionem baptismo præviam exigitur, ut *proponant... inchoare novam vitam, et servare divina mandata.* Quo quidem argumento pressi adversarii fatentur, ideo debere magis extendi in sacramento Pœnitentiæ propositum, ne minus ad justificationem requiri videatur ab eo, qui post baptismum multis se criminibus contaminavit, quam ab illo, qui peccatum nullum personale ante baptismum commisit.

Inst. 1. Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 4. loquitur de attritione, quæ per se est sufficiens dispositio ad gratiam in sacramento : atqui attritio ex particulari motivo virtutis moralis concepta sufficienter in sacramento ad gratiam disponit, quantum ex se, et respectu eorum peccatorum, quæ quis detestatur formaliter, et confitetur; ergo juxta mentem Concilii Trid. attritio ista sufficit ad constituendum sacramentum; nam ex accidenti plane se habet, quod peccati ignoti obex in subjecto hæreat, quo attritionis et sacramenti effectus impediatur.

R. *N. min.* Secundum cap. 3. ejusdem Sess. *sunt quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, etc. qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ*

dicuntur. Atqui contritio ex particulari virtutis moralis motivo concepta non conducit ad perfectam remissionem peccatorum in casu posito ; ergo.

Nec juvat hic causari, quod *per accidens* ob ignotum aliud peccatum attritio talis effectum gratiæ in sacramento obtinere nequeat, utpote obice latente impedita. Nam extra casum talem ne per se quidem id potest : si quis enim solius intemperantiæ gravioris reus, hoc peccatum mortale ex temperantiæ tantum motivo detestaretur sine proposito formali, hic etsi rite confessus sacramenti fructum non perciperet; nam etsi Suaresius Lect. 4. n. 33. doceat, propositum virtuale per accidens sufficere; quia tamen temperantiæ motivum particulare est, universale propositum nequaquam virtute sua comprehendit, quod tamen universale propositum saltem virtuale, ad Pœnitentiæ sacramentum simpliciter exigi hucusque ostendimus, et adversarii ipsi passim fatentur.

Inst. 2. Materia essentialis sacramenti Pœnitentiæ est detestatio peccatorum a suscepto baptismo admissorum : atqui hic dolor esse potest sine effectu gratiæ; ut si quis non concepto dolore de peccatis ante baptismum cum obice susceptum commissis, postea doleret de peccatis suis ut oppositis obligationi christianæ, dolor iste obicem non tolleret; ergo.

R. *D. M.* Materia Pœnitentiæ essentialis per se ac regulariter est talis detestatio, modo sit satis universalis *C.* talis detestatio, quæ per accidens non est sat universalis ac sufficiens ad plenam et perfectam peccatorum remissionem, est materia essentialis Pœnitentiæ *N.* Male præsumit Lugo n. 94. tanquam indubitatum, quod in illo casu sufficeret detestatio peccatorum, in quantum sunt hominis christiani. Opus autem est detestatione magis universali, quæ et peccata ante baptismum commissa, et ea, quæ baptismum secuta sunt, complectatur, ac duplici munere fungatur : habet enim se tantum ut dispositio, qua posita, baptismus reviviscens peccata præcedentia abstergat; pars vero materialis est Pœnitentiæ sacramenti, quo peccata a Christiano jam perpetrata dimittuntur. Unde apparet, peccata, quæ baptismum antecesserunt, nequaquam esse materiam remotam sacramenti absolutionis.

179. *Obj. II.* In sacramentis aliis defectus doloris est tantum obex gratiæ; ergo idem contingere potest in Pœnitentiæ sacramento.

R. *N. Cons.* In sacramentis cæteris contritio est tantum dispositio ad consequendam gratiam : in Pœnitentiæ autem sacramento est simul pars essentialis. Hinc petitur ratio, cur non sufficiat contritio existimata : composita enim ex veris partibus, non autem ex putatitiis constare queunt. Hinc iterum patet, cur absolutio et confessio sine dolore non possint moraliter perseverare, dum postea verus dolor excitetur, sicut baptismus rite collatus perstat moraliter, ac postmodum amoto per contritionem obice gratiam denique reviviscens confert.

Inst. Sufficit dolor, quo confessio peccatorum memoriæ occurrentium habeat veram formam accusationis, et absolutio formam judicii exhibeat : atqui talis est dolor particularis de peccato occurrente memoriæ, et tamen inefficax respectu alterius quod studiose reminiscentem fugit; ergo.

R. *D. M.* Sufficit talis dolor si fuerit universalis et proposito universali conformis saltem ex motivo tale propositum virtute comprehen-

dente *C.* si fuerit particularis, qui propositum universale non fundet *N.* Ideo non potest deduci par ratio a confessione non integra materialiter: nam integritatem istam sæpe de industria omittens vere absolvitur et gratiam sacramenti obtinet; quod nemo dixerit licere de dolore particulari. Deinde dolor universalis et detestationem omnium peccatorum in confessione omissorum, et propositum vitandi omnia etiam ignota complectitur; quæ omnia particulari dolori desunt.

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE PARTE ALTERA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

—

ARTICULUS I.

DE PRÆCEPTO ECCLESIASTICO CONFITENDI.

180. *Nota.* Sicut fides et caritas, ita pœnitentiæ quoque virtus præcipitur lege naturali, quæ secundum se quidem præit legem Dei positivam, per quam virtutis ejusdem exercitium imperatur. E contra lex confitendi sua peccata et pœnitentiæ sacramentum obeundi solum est positiva; neque dici potest naturalis, nisi in quantum natura dictat, adhiberi oportere media a Deo ad salutem obtinendam injuncta. Tale vero medium ex divina ordinatione præscriptum esse confessionem, fuse probavimus cap. 1. fere toto hujus disputationis. In præsens autem quæritur, quos et quando lex ista obliget ex determinatione Ecclesiæ aut necessitatis?

181. *Dico.* Lege ecclesiastica usus confessionis fidelibus certo tempore præcipitur.

Prob. I. Canon 21. magni Concilii Lateranensis an. 1215. sub Innocentio III. celebrati ita habet (Labb. t. 11. p. 173. A.): *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* Eadem lex approbatur a Conc. Trid. Sess. 14. cap. 5. et can. 8. damnantur oppositum suadentes.

Prob. II. Præceptum confessionis annuæ dudum jam ante Concilium istud Lateranense vigebat. Nam B. Joan. Chrysostomus hom. 30. in Genes. (opp. t. 4. p. 294. A.) quam in majore hebdomade habuit, monet suos, *faciendam tunc esse puram et diligentem peccatorum confessionem,* ut pluribus ejus verba recitavimus supra n. 103. ad Inst. 4. Sonnatius Archiepiscopus Rhemensis in Ecclesiæ suæ statutis, et Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Capitulari ad suæ diœcesis Episcopos cap. 36. (patrol. t. 105. p. 203.) tempus Quadragesimæ huic confessioni assignant, seculo nono.

Regino Prumiensis abbas seculo decimo, L. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 57. et 288. feriam quartam ante Quadragesimam ab Episcopis et Presbyteris, ait, plebi Christianæ præscribi oportere, *ut cum omni humilitate et contritione cordis omnis simpliciter confessus, suscipiat remedia pœnitentiæ,* etc. Et L. 2. c. 65. monet sciscitandum ex laicis, *si ad confessionem non veniat, vel una vice in anno, et pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat,* etc.

Seculo eodem Ratherius Episcopus Veronensis in synodica ad Presbyteros per universam diœcesin constitutos, *Feria quarta,* inquit, *ante Quadragesimam, plebem ad confessionem invitate,* etc. (patrolog. t. 136. p. 562.)

Undecimo seculo Burchardus Wormatiensis Episcopus L. 16. Decretorum cap. 2. statuit, monendos esse populos, ut feria quarta ante Quadragesimam confessionem accedant.

Odo Parisiensis Episcopus, in statutis vetuit, ne quis ultra annum confessionem suam differat, tomo 6. Bibliothecæ PP. Binii, et tomo 10. Conciliorum.

Imo S. Chrodegangus Episcopus Metensis in Regula cap. 32. tom. 3. Spicilegii (et Patrolog. t. 89. p. 1072. A.), præceperat jam seculo octavo, ut ter per annum populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat. Ex hac doctrina

Conficitur 1°. Nondum baptizatos lege ista non adstringi ; cum nec sint proprie fideles, nec peccata ipsorum subsint clavibus Ecclesiæ, neque possint subjici etiam post baptismum susceptum.

2°. Lex ista ligat omnes baptizatos mentis compotes et gravis peccati reos, atque ipsum etiam summum Pontificem saltem quoad vim directivam : exigit enim lex naturæ, ut caput membris conformetur in iis, quæ ipsi et membris sunt communia.

3°. Ait decretum Concilii Lateran. *Qui ad annos discretionis pervenerint :* quare amentes et parvuli, qui nondum contraxerunt peccata mortalia, nec possunt exhibere actus pœnitentiæ, canone isto non comprehenduntur.

4°. Canoni illi sunt obnoxii, qui conscii sunt sibi peccati lethalis ; nam venialia confiteri nemo tenetur, ut habet Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. sub finem monens, Ecclesiæ præcepto designari tantum tempus, quo tenemur confessionem jure divino necessariam facere : atqui jure divino nemo tenetur ad confessionem noxarum venialium, aut eorum mortalium, queis semel jam pro confessione fuit legitime absolutus ; ergo.

5°. Præcepto isti non satisfit per confessionem sacrilegam : Ecclesia enim præcepto divino implendo tantum assignavit tempus; igitur non satisfacit præcepto ecclesiastico, qui non implet divinum præceptum, quod jubet, peccata sacramento confessionis expiari. Vide 14^{am}. propositionem ex damnatis ab Alexandro VII. Quod si daretur confessio sacramentalis valida et informis, defectu doloris se extendentis ad peccata , quorum pœnitens non reminiscitur, ea satisfieret præcepto Ecclesiæ, quæ tantum requirit , ut hoc sacramentum bona fide suscipiatur , perceptionem autem fructus non imperat. Ita Ecclesiæ præcepto satisfacit, qui in statu peccati missæ assistit , etsi ejus fructum non percipiat : nec enim fructus missæ præcipitur , sed reverens ejus auditio , licet etiam hæc præcipiatur ob fructum , tanquam propter finem legis extrinsecum, qui sub præceptum non directe cadit.

6°. Rite confessus mortalia clavibus nondum subjecta satisfecit præcepto

Ecclesiæ de confessione annua, etiamsi mortale aliquod ex oblivione aut justa de causa omiserit, eo quod divino præcepto satisfecerit. Secus res haberet, si mortalia clavibus jam rite subdita, aut venialia tantum confitendo recitasset : recordatus enim peccati lethalis, quod in confessione exciderat, aut legitime fuerat omissum, teneretur ad ejus confessionem anno eodem præstandam, quia non satisfecit præcepto divino, quod est tantum de peccatis mortalibus exponendis, quæ clavibus nondum rite fuerunt subjecta.

7°. Eamdem ob causam lapsus demum in peccatum mortale tenetur ad ejus confessionem præcepto ecclesiastico faciendam anno eodem, etiamsi antea sæpius venialia, quæ solum perpetraverat, confessus fuisset. Quod si semel mortalis peccati, in quod cecidit, se legitime accusasset, ad aliorum confessionem, quæ anno eodem commisit, præcepto Ecclesiæ non adstringitur.

8°. Tametsi confessio sub tempus paschale instituta valde probetur a Tridentino Concilio Sess. 14. cap. 5. ; qui tamen alio tempore confessus fuerit, nihil amplius debet legi ecclesiasticæ de confessione annua : nisi Concilium provinciale decreto speciali ad id festum executionem præcepti restrinxerit.

9°. Quilibet tenetur confiteri in mortis articulo, aut in morali periculo nunquam postea implendi præceptum confessionis : nec tamen quisquam obligatur ad istud præstandum scripto vel per interpretem : utraque enim confessio ista publica est, quæ non præcipitur. Ita Theologi communiter cum Cardinale Toleto.

10°. Qui toto anno confiteri neglexit, tenetur prima die anni sequentis, si potest, aut prima data opportunitate confiteri; nam præceptum hoc non est ex iis, quæ cum tempore præscripto exspirant, ut præcepta jejunandi, recitandi horas canonicas, celebrandi festa : sed præscribit solum terminum, ultra quem executio præcepti divini differenda non sit. Licet ergo finis anni sit terminus, ultra quem confessionem differri non licet; terminus tamen non est, quo cesset obligatio, cum sit tantum determinatio præcepti divini, declaretque, obligationem talem esse, ut confessio ultra differri non debeat. Igitur talis evoluto anno deinceps et continenter peccat, donec confiteatur, cum confitendi obligatio tantum non exspiret, ut crescat etiam. Quod si sola prioris anni peccata confessus, postmodum in alia gravia reciderit, ad iteratam horum confessionem, qua hujus anni præcepto satisfiat, obstringetur. Cur autem non ad tres confessiones tenebitur, qui tribus annis præceptum confitendi neglexit? R. Quia una confessione jubetur exprimere peccata omnia, quæ postea non sunt amplius materia necessaria confessionis.

182. *Obj. I.* Etiam non baptizati divino præcepto ad sacram Eucharistiam tenentur ; ergo etiam ad sacramentum confessionis.

R. *N. Cons.* Non baptizati tenentur Christi præcepto suscipere baptismum et sacram communionem, cujus statim evadunt idonei : pœnitentiæ autem sacramenti nemo capax est, nisi post baptisma peccaverit.

183. *Obj. II.* Si pueri rationis usum assecuti ecclesiastico præcepto adstringantur ad confessionem annuam peccatorum mortalium, ergo etiam subibunt pœnas neglecti hujus præcepti, quæ capitulo *Omnis utriusque*,

indicantur; nempe quod viventes ab Ecclesia arcendi sint, et mortui careant sepultura ecclesiastica.

R. *N. Cons.* Excipiuntur capp. 1. et 2. Extra, de delictis puerorum. Quanquam ne adultis quidem, nisi ad arbitrium Episcopi pœnæ illæ, aliæque statutis synodicis decretæ infligantur prævaricatoribus legis illius ecclesiasticæ.

ARTICULUS II.

DE QUALITATE CONFESSIONIS.

184. *Nota.* Queritur cum hæreticis aliis Calvinus, a Concilio illo Lateranensi magno demum fidelibus laqueum confessionis injectum fuisse : et Dallæus Genevensis Minister convitiatur, invectam ab Innocento III. esse servitutem immanem et inauditam, ac ne a sævissimis quidem tyrannis unquam tentatam. Sed impudens mendacium istud confutatur testimoniis S. Scripturæ et antiquitatis universæ, queis constat, ex divina Christi institutione confessionis sacramentum ex perpetuo Ecclesiæ usu ad nos usque pervenisse : Ecclesiam vero ipsam hac in re aliud nihil ordinasse, quam quæ ad disciplinam pertinent, dum tempus duntaxat fidelibus præscripsit, quo sacramentum istud obire debent : atque istud pluribus ante Lateranense Concilium et ipsum Innocentium III. a Conciliis et Episcopis fuisse præstitum, nuper in secunda probatione conclusionis demonstravimus. Restat jam, ut de ejusdem confessionis qualitate, quantitate, aliisque proprietatibus breviter pro nostro instituto agamus.

185. *Dico I.* Ad Confessionis sacramentalis essentiam non requiritur, ut sit secreta. Ita post Alexandrum, S. Thomas quodlib. 1. art. 10. et in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad 2., et in eamdem dist. Joan. Major, Richardus, Paludanus et Theologi passim contra Scotum ead. dist. q. unica art. 3., Gabrielem q. 1. a. 2., et Angelum verbo *Confessio* 1. num. 39., qui putabant, secretum esse de essentia sacramentalis confessionis ; quandoquidem peccata cordis sunt secreta.

Prob. I. Conditio ista non exigitur ex necessitate sacramenti ; nam ad hoc solum opus est accusatione ex vero animi dolore profecta, qua sacerdoti sufficiens detur notitia ad judicandum de peccatis ac de statu pœnitentis : atqui ad talem accusationem nihil refert, utrum publica sit, an privata ; ergo.

Prob. II. Neque secreta confessio necessaria est ex præcepto aliquo. Si enim Christus solam confessionem secretam instituisset, non potuerat Ecclesia approbare confessiones publicas, et eas pœnitentium arbitrio committere, ut olim fecit, et Concilium Tridentinum adhuc probat Sess. 14. cap. 5.

186. *Dico II.* Ad confessionis sacramentalis substantiam non pertinet, ut voce fiat. Ita S. Thomas nuper cit., cui consentiunt cæteri Theologi.

Prob. S. Leo epist. 91. (al. 108. ad Theodorum episcop.) ait, absolvendos esse moribundos, qui solo nutu confitentur, vel quos testantur alii confessionem petiisse. Idem habetur ex Can. 12. Concilii Arausicani I. (Labb.

t. 3. p. 1449. E.) et ex Rituali Romano a Paulo V. edito et proposito toti Ecclesiæ, quod nimirum contineat receptos et approbatos Ecclesiæ ritus, et quo hortatur omnes, ut tanquam Ecclesiæ filii illud observent; utpote Romanæ Ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate constitutum.

Conf. 1. Potest pœnitens causam suam sacerdoti æque aperire per signa alia; ergo dici non debet, medium istud confessionis adeo necessarium ad verba formalia sola, quæ pluribus sæpe desunt, esse alligatum.

Conf. 2. Accidit subinde, ut pœnitens vocis usu destitutus, non solum possit, sed etiam teneatur in articulo necessitatis per signa alia confiteri, per se loquendo, eo quod hæc sint materia indubitata, et facile ac sine indecentia exhiberi possint.

187. *Dico III.* Confessio facta absenti per litteras aut signa alia valet, ita ut sacerdos teneatur talem præsentem, si aliter amplius confiteri nequeat, in mortis periculo absolvere. Ita B. Thomas et Theologi complures, quos laudat et sequitur Suaresius disp. 21. sect. 3.

Prob. I. Talis revera accusat se apud sacerdotem peccatorum suorum, ut ab illo absolvatur : atqui ejusmodi accusatio sufficit in casu necessitatis; ergo. *Prob. min.* Ex verbis institutionis solum habemus, ut pœnitens sacerdoti aperiat causam suam; quod quidem variis signis in necessitate fieri potest. Neque extat præceptum divinum aut ecclesiasticum, quo accusationis hujus essentia ad solum sermonem humanum formaliter talem adstringatur. Neque etiam expediebat, medium salutis adeo necessarium arctari ad signum illud solum, quod in necessitatis articulo toties deficit. Igitur cum litteræ signa sint admodum clara sermonis humani, confessioni præ aliis omnibus in necessitate subserviunt.

Prob. II. Juxta indubitatam doctrinam S. Thomæ opusculo 65. S. Antonini, Paludani, Silvestri, aliorumque Thomistarum veterum, cum Scoto, potest moribundus sensibus destitutus absolvi a sacerdote præsente, modo per testes constet, ipsum prius pœnitentiæ signa dedisse : atque etiam debere absolvi constat tam ex epist. 91. Leonis M. relata Can. *His qui in tempore,* 26. q. 6., ex Concilio Arausicano I., et Rituali Pauli V. citatis conclus. 2ª., quam etiam ex Concilio Carthaginensi IV. Can. 76. (Labb. t. 2. p. 1206. A.), Carthaginensi III. Can. 34. (Labb. t. 2. p. 1172. A.), item ex Can. *Qui recedunt,* 26. q. 6., et c. *Ægrotantes,* de Consecr, d. 4. Ergo recte concludimus, valere confessionem per litteras factam in necessitate.

188. *Dico IV.* Confessio non redditur invalida a vanæ gloriæ pruritu, aliove ab affectu venialiter malo.

Prob. Ad veram et validam confessionem exigitur legitima declaratio suorum peccatorum sacerdoti facta, cum vera de iis contritione : atqui hæc duo possunt esse, licet affectus vanæ gloriæ, aut alius venialiter malus se clam insinuet; ergo.

189. *Dico V.* Mendacium non reddit irritam confessionem, nisi quando in materia confessionis fuerit peccatum mortale.

Ratio patet : nam si quis negaret se fecisse peccatum veniale, quod revera fecit, aut mortale, quod olim confessus jam fuerat, aut aliunde confiteri

non tenetur, hic neque peccatum grave committeret mentiendo, nec ulli gravem inferret injuriam ; ergo ex hoc solum capite confessio non redderetur invalida, modo sufficientem absolutioni materiam et dolorem afferret.

E contra qui se accusat peccati mortalis, quod non fecit, aut qui negat tale, quod confiteri deberet, decipit in causa gravi confessarium, ejusque judicium, quod de confitentibus ferre debet, confundit : atque inde hoc novo peccato sacramentum reddit irritum.

Quod idem tenendum de eo, qui confessus veniale peccatum, quod non admisit, aliud peccatum abs se vere commissum non adjicit, mendacio illo in speciem levi subduceret sacramento materiam, ac lethali se crimine obstringeret. Quod tamen non contingeret, si peccatum aliud re ipsa perpetratum simul cum dolore confiteretur : ita enim nemini gravem injuriam inferret.

Denique si quis generalem exomologesin faciens, peccatis mortalibus olim jam rite confessis, misceret alia, quæ nunquam antehac confessus fuit, neque hujus rei moneret sacerdotem, aut interrogatus veritatem celaret, sine dubio peccatum grave et pœnitentiam irritam faceret, cum foret in causa, quo minus sacerdos judicium prudens, tam de danda absolutione, quam de satisfactione præstanda ferret.

190. *Obj. I. contra* 1am. *concl.* Synodus Trid. Sess. 14. cap. 5. ait, confessionem secretam non esse alienam a divino mandato, nec inventum esse humanum. Et cap. *Omnis utriusq.* præcipitur, ut soli sacerdoti confessio fiat; ergo confessio publica non probatur ab Ecclesia.

R. *N. Cons.* Synodus Trident. tantum statuit, aliquam confessionem sive secretam, sive publicam a Christo præceptam fuisse, nec eam esse inventum humanum, ut calumniabantur hæretici, quos cann. 4. 6. 7. et 8. condemnat. Concilium vero Lateranense, cap. *Omnis utriusque*, solum monet, confessionem secretam duntaxat exigi posse, eaque satisfieri divino præcepto. Recte tamen Suaresius tradit, nemini sine causa gravi confessionem publicam faciendam, aut permittendam esse.

191. *Obj. II. contra* 2am. *conclus.* In Decreto Eugenii in Concilio Florentino edito, §. *Quartum,* pars materialis hujus sacramenti dicitur *confessio oris;* ergo ad essentiam hujus partis opus est sermone humano.

R. *N. Cons.* Ita appellatur, quia plerumque solet, ac debet ore fieri confessio, nisi gravis necessitas suadeat, nutu, scripto, aut signis aliis eam peragi. Quam ob rem Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. solum *confessionem,* omissa voce *oris,* pronuntiat *jure divino necessariam omnibus post Baptismum lapsis.* Quod si ex cap. 3. ejusdem sessionis, ubi *verba ministri* sacramenti hujus forma dicuntur; absolutionem verbis propriis fieri tantum debere, expressimus : non continuo ex Eugenii Decreto sequitur, æque ad confessionem verba proprie talia requiri; cum alia longe sit ratio materiæ sacramentorum, alia formæ.

192. *Obj. III. contra* 3am. *conclus.* S. Leo et Patres alii, hac et præcedente conclusione citati loquuntur tantum de absolutione a censura ecclesiastica,

non vero de absolutione sacramentali; ergo illorum testimonia ad rem præsentem nihil attinent.

R. *N. Ant.* Tametsi Patres quidam loquantur tantum de absolutione ab excommunicatione, ac præsertim S. Cyprianus epist. 13. (al. 12. ad clerum, de lapsis) ubi ait, in simili eventu diaconum posse reconciliare ægrotum pœnitentem, *facta exomologesi*; quos tamen laudavimus, Patres et Pontifices non speciatim de excommunicatis, neque de publice pœnitentibus agunt, sed absolute et simpliciter de fidelibus et peccatoribus, declarantque illius pœnitentiæ et absolutionis tantam esse necessitatem, ut ex ejus defectu damnari homines possint: quod de absolutione a censuris verum non est. Deinde Patres iidem utuntur voce pœnitentiæ, eamque appellant *actionem sacerdotis, satisfactionem, actionem pœnitentis*, quibus non solet significari absolutio a censura, vel alia ceremonialis, sed verum sacramentum. Imo Leo M. expresse dicit, pœnitentiam dandam esse a sacerdote vi potestatis acceptæ per illa verba: *Quorum remiseritis peccata*, etc. Merito ergo hanc Soti et Cani exceptionem rejicimus, cum S. Thomas ipse q. 84. a. 3. ad 2. verba Leonis M. de reconciliatione sacramentali interpretetur.

Inst. 1. Rituale Pauli V. non habet majorem approbationem, quam libri cæteri cum licentia Romani Pontificis editi; ergo.

R. *N. Ant.* cujus falsitatem arguunt protestationes ipsius Pontificis in conclusione recitatæ, quibus addit, se Rituale hoc edere, sicut Pius V. et Clemens VIII. Breviarium, Missale et Pontificale ediderant: atque hoc negotium proprio et maturo consilio, ac studio præstantissimorum Cardinalium et aliorum Doctorum fuisse transactum.

Inst. 2. Propositionem istam: *Licet per litteras sive internuntium confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtinere*, damnavit Clemens VIII. ut falsam, scandalosam et temerariam quoad utramque partem conjunctim et divisim, et contrariam interpretationem rejecit, prout idem Pontifex in congregatione Inquisitionis Romanæ declaravit 6. Jun. 1684. referente Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano epistola data ad Ægidium Coninc S. J. Theologum, cujus exemplar ipse Ægidius recitat in libello apologetico, qui inscribitur: *Responsio ad dissertationem impugnantem absolutionem moribundi sensibus destituti.* Imo Paulus V. die 14. Julii 1605. idem quod Clemens VIII. declaravit, et contrariam Suaresii opinionem jussit expungi ex tomo ipsius IV. in 3. p. S. Thomæ sect. 4. disp. 21., ergo.

R. *N. Cons.* Idem Clemens VIII. postea rogatus respondit, se hunc casum moribundi nec intendisse, neque decreto suo comprehendere; seque ipsum, si adesset tali moribundo, absolutionem impertiturum: quod an. 1608. 16. Aprilis Patri Forentino S. J. Belgicæ Provinciali Præposito, et Leonardo Lessio, Romæ tum agentibus, testati sunt Cardinalis Bellarminus et Petrus Lombardus Armachanus Hiberniæ Primas, qui etiam hujusce rei testimonium propria manu subscriptum imprimis dicto P. Florentino, tum Doctoribus quibusdam Lovaniensibus tradidit. Porro Clemens VIII. S. Leoni aliisque Patribus, et Paulus V. suomet Rituali contradicere nec voluerunt, nec potuerunt. Et Petrus Armachanus ait, non impune ab se laturum parochum, qui ægroto tali absolutionem negasset.

Inst. 3. Eusebius Papa scribit (Labb. t. 1. p. 1392.), eo casu sacerdotem debere orare super ægrotum, nulla facta absolutionis mentione.

R. Dictum jam sæpe fuit, precum nomine a Patribus intelligi formas sacramentorum. Quanquam epistolæ illæ non sint Eusebii Papæ, sed impostoris cujusdam, ut vel inde patet, quod in iis fuse tractetur de inventione S. Crucis et festo ejus ab Eusebio instituto: atqui Eusebius jam obiit an. 311. Crux autem demum sub Silvestro Papa an. 326. inventa fuit.

ARTICULUS III.

QUANDONAM SUFFICIAT CONFESSIO INTEGRA FORMALITER TANTUM?

193. *Nota.* Materialiter integra confessio dicitur, in qua omnia peccata mortalia distincte secundum suas species et numeros exprimuntur : quod si quis ex causa legitima generatim tantum sese peccatorum suorum accuset, vel unum et alterum reticeat, aut circumstantiam cæteroqui necessariam supprimat, erit confessio formaliter tantum integra. Utrum ista aliquando ad hoc sacramentum sufficiat, nunc inquirimus : nam materialiter integram per se requiri, constat ex hactenus dictis, et ex dicendis infra constabit.

194. *Dico.* Ad beneficium absolutionis obtinendum sufficit confessio formaliter tantum integra, quando obstat impotentia physica vel moralis, quo minus pœnitens confessionem materialiter integram præstet. Ita communiter Theologi.

Pars 1ª. quoad naturalem impotentiam jam satis probata est articulo proxime præcedente, ubi ex Patribus et Conciliis docuimus, ad absolutionem moribundo impertiendam sufficere, si is aliqua tantum peccata proferre possit, aut petierit confessarium, aut signa alia doloris ediderit. Talis enim facit, quod ab ipso in ejusmodi circumstantiis præstari ac prudenter exigi potest : et quamvis non edat confessionem distinctam et perfectam de peccatis singillatim, peragit tamen inchoatam et largius sumptam de peccatis generatim et confuse indicatis, quatenus se peccatorem declarat, et absolutionem postulat.

Obstaculis impotentiæ naturalis accensetur etiam oblivio aut ignorantia inculpata alicujus peccati lethalis, teste ipso Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5., neque ad oblivionem istam aut ignorantiam cavendam tenetur quisquam peccata sua scripto consignare; nisi forte quis ita stolidus sit, ut nullum omnino peccatum memoria tenere possit. Mutos tamen qui non omnia peccata nutibus possunt exprimere, et scribere norunt, aut confessuros sacerdoti surdo ad id præstandum obligari docet Suarez cum pluribus aliis, eo quod diligentia ista respectu talium hominum non censeatur extraordinaria.

Pars 2ª. itidem ratione communi asseritur, quod præcepta ista affirmativa non obligent cum gravi proprio aut alieno incommodo vitæ, famæ, aut fortunarum : quæ quidem distinctius enarrantur in Theologia morali.

Istud solum hic addo, nemini unquam licere detegere in confessione occultum peccatum alienæ personæ, quæ non fuit complex in eodem pec-

cato confitentis : imo ne licere quidem complicis crimen proferre, si aliter possit suummet satis explicare, non aperiendo nomen complicis. Quod si suum peccatum satis explicare non possit, quin una confessario notus fiat complex, tenetur etiam cum hac privata complicis nota ad integram materialiter confessionem, quam nec differre, nec alii sacerdoti, qui complicem non agnoscat, præstare potest, prout traditur communiter a Theologis contra Valentiam et Dianam.

195. *Obj. 1.* Qui petit confessarium, desiderat quidem confiteri, re ipsa tamen non confitetur : atqui ad absolutionem requiritur prævia confessio ; ergo qui petit confessarium, non potest ab hoc superveniente absolvi.

R. *N. M.* Ægrotus talis confitetur quasi per interpretem saltem inchoate et confuse, quantum in hisce circumstantiis valet, quod sufficere supra abunde ostendimus. Ex canone autem, *Quem pœnitet*, dist. 1. de Pœnit. colligitur tantum, ejusmodi confitendi ritum citra casum necessitatis non licere.

Inst. 1. Non potest ferri sententia, nisi judex distincte cognoverit crimen sontis : atqui si pœnitens tantum poscat confessarium, aut signa edat doloris, non cognoscitur distincte ullum ejus delictum ; ergo.

R. *D. M.* Non potest ferri sententia in causis criminalibus aut civilibus, ubi agitur de damno tertii aut Reipublicæ, nisi judex distincte cognoverit crimen sontis *C.* non potest ferri sententia incognita distincte causa in judicio sacro hujus sacramenti, quod solum rei gratia est institutum, et cujus tota reconciliatio et absolutio pendet a vero dolore et ingenua quadam delicti confessione, quoad ejus fieri potest *N.*

Inst. 2. Sacerdos tali moribundo superveniens non habet sufficientem notitiam, utrum priorem dolorem non retractaverit, aut an non peccatum novum commiserit ; ergo.

R. *D. Ant.* Non habet notitiam sufficientem pro casu necessitatis *N.* extra hunc casum *T.* Argumentis hisce tantum probatur, non licere ita dispositos extra casum necessitatis absolvi.

Inst. 3. Jam ante sciebat sacerdos, talem hominem peccatorem esse : atqui hæc confusa et imperfecta notitia ipsi amplius nihil declarat ; ergo si ex notitia priore non poterat ipsum absolvere, neque id potest ex signis hisce imperfectis.

R. *N. Assumpt.* Ex hisce signis capit sacerdos notitiam judiciariam et sacramentalem materiæ proximæ sacramenti, nempe accusationis dolorosæ factæ a pœnitente, eo modo quo hic et nunc fieri potest.

Inst. 4. Peccata ejus, qui generatim tantum se accusat, ne indirecte quidem remittuntur : nam directe dicuntur remitti, quæ clavibus distincte subjiciuntur, indirecte vero reliqua, propter consortium illorum, quæ directe per verba absolutionis et gratiam inde profectam remittuntur ; ergo cum nihil proferatur, ad quod absolutio terminetur directe, nullum peccatum indirecte remitti poterit.

R. cum Suaresio *N. Ant. ad cujus probationem* dico, absolutionem in hujusmodi confessione generica directe terminari ad peccatum secundum rationem communem, in qua peccata omnia conveniunt, indirecte autem

ad peccata secundum rationem particularem. Hinc eadem peccata particulatim debet postea, cum potest, sacerdoti iterum confiteri.

Inst. 5. Obtento fine desinit obligatio præcepti; ergo si in confessione tantum formaliter integra peccatum remittatur omissum, non debet postea directe iterum subjici clavibus.

R. *D. Ant.* Obtento fine desinit obligatio præcepti, si finis ipse non pendeat ab efficaci voluntate præceptum exacte implendi *C.* secus *N.* Ita etiam contritione perfecta, aut sacramento extremæ Unctionis remittuntur peccata, quæ tamen postea sacerdoti aperienda sunt. Vide propositionem 11^{am}. ex damnatis ab Alexandro VII.

196. *Obj. II.* Ingens difficultas ex verecundia aut metu infamiæ propriæ orta non excusat a confessione integre facienda; ergo neque difficultates aliæ.

R. *N. Cons.* Damnum aut difficultas infamiæ propriæ apud solum confessarium ex confessione orituræ sequuntur per se ex integritate confessionis, uti etiam infamia complicis necessario detegendi in confessione materialiter integre peragenda : e contra aliæ incommoditates graves, cujusmodi forent odium, quo confessarius pœnitentem aut complicem prosequeretur, aut exhæredatio eorum habent se ex accidente ad confessionem.

197. *Obj. III.* Infamatio proximi jure naturæ prohibita est; ergo nunquam licet aperire in confessione complicem.

R. *D. Cons.* Nunquam id licet, si aliter confessio materialiter integra præstari possit *C.* secus *N.* Infamatio injusta proximi est quidem prohibita, non vero justa : nam et in foro externo licet quandoque detegere complicem, si rei crimen aliter perfecte cognosci nequeat; quanto id magis licebit in confessione, cui ex natura hoc incommodum adhæret, ut materialiter integra fiat, et in qua complicis infamia fere nihili est intuitu judicii forensis. Neque in hoc negotio confessionis omnino integræ ita necessario pejor debet esse conditio pœnitentis, quam complicis, qui patrando simul crimen videtur jure suo cessisse, ne aliquatenus infametur. Ita contra Navarrum et alios quosdam Theologi communiter cum S. Thoma 2. 2. q. 73. a. 2. Ac refert etiam venerabilis Beda L. de remediis peccatorum cap. 1. (opp. t. 5. p. 570. A. Patrol. t. 94.) ex antiquis canonibus, quod, *si quis uxoratus ancillam suam violaverit, annum unum pœniteat*, etc. ; igitur circumstantia ancillæ complicis erat declaranda.

Pius item IV. an. 1561., et alii deinceps Pontifices constitutionibus vulgatis præceperunt pœnitentibus deferre sacerdotes, a quibus in sacro tribunali ad flagitium sollicitabantur; ergo quandoque licet pœnitenti propter suam propriam utilitatem, socium criminis vel simpliciter reum declarare.

Praxis etiam veteris Ecclesiæ nos docet, licere pœnitenti, propter complicis aut aliorum utilitatem, crimen ipsius sacerdoti manifestare, ut corrigatur et emendetur : imperabatur enim olim talis delatio, statutis etiam pœnis adversus eos, qui fratrum peccata, quæ noverant, non accusabant. Ita jussit S. Heraclas, Alexandriæ Episcopus, ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes non prius admitterentur, *quam quæcumque ab adversariis audierant, palam exposuissent*. Ita refert S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium L. 7. Histor. c. 7. Plura in hanc rem exempla dabit Morinus L. 2. de Pœnit. c. 7.

Nihilominus non nisi perraro et admodum circumspecte indulgendum pœnitenti, ut propter suam aut aliorum utilitatem complicis personam aperiat : ne aut fidelibus, violatum a sacerdote confessionis sigillum suspicaturis, pœnitentiæ tribunal invisum reddatur ; aut perditis hominibus præbeatur occasio, viros probos obtentu religionis et pietatis aliquando traducendi.

ARTICULUS IV.

QUAS PECCATORUM CIRCUMSTANTIAS EXPONERE IN CONFESSIONE TENEAMUR?

189. *Nota I.* Circumstantiæ quædam aliam speciem peccati actibus etiam internis in genere moris conciliant : ut sunt adjuncta personæ, loci, instrumenti, finis, modi, temporis. Dixi, *in genere moris :* nihil enim attinet ad præsentem quæstionem, quod specie physica varietur actus, utrum quis gladio, an veneno interficiatur.

Aliæ dantur circumstantiæ, quæ quidem peccati speciem non mutant, reddunt tamen illud haud paulo gravius in sua specie : nam furtum gravius censetur committere, qui vim ingentem pecuniæ furatur proximo, quam is, qui tres aut quatuor aureos eidem subtrahit : hærere diutius in pravis desideriis idem, sed gravius peccatum est, quam eisdem ad momentum consentire.

Nota II. Solus Cajetanus, tom 1. Opusc. tract. de Confess., tunc solum, ait, species peccatorum exprimi oportere, cum illæ sunt satis claræ, et notæ omnibus, tantæque, ut morale confessarii judicium varient. Quæ quidem opinio non displicet Cano relect. de Pœnitent. part. 5., et Navarro in c. *Consideret,* in princ. n. 18. et 19. de Pœnit. dist. 5.

Major est contentio ratione circumstantiarum, quæ peccati magnitudinem in specie sua insigniter augent. Has per se quidem confitentibus necessario declarandas esse arbitrabantur olim Altisiodorensis, Alexander, Marsilius, Cajetanus, Canus, Victoria, Sotus uterque, ac plures alii, quos refert et sequitur Fr. Suaresius disp. 22. sect. 3.

Non pauci tamen pœnitentes hoc onere immunes pronuntiant, ut S. Thomas in 4. d. 16. a. 2. q. 5., Albertus, Paludanus, Durandus, Bonaventura, Almainus, Carthusianus, Adrianus, quos itidem et plures alios ordine citat Suaresius ; et ex recentioribus Toletus, Vasquez, Lugo, et quam plurimi, quos vide apud Dianam p. 1. tract. 7. resol. 1.

199. *Dico I.* Circumstantiæ, quæ speciem et numerum peccatorum immutant, in confessione aperiendæ sunt. Hæc thesis certa est.

Prob. Concilium Trident. Sess. 14. cap. 5. ait, sacerdotes judicium hoc exercere non potuisse, si pœnitentes *in genere duntaxat, et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Et infra : *Etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant.* Cujus mox rationem reddit : *quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant ; et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere.* Et can. 7. aliter docentes feriuntur anathemate.

Idem colligitur ex Trullano can. 102. (Labb. t. 6. p. 1185. B.) quo ita statuitur: *Oportet, qui facultatem absolvendi et ligandi a Deo receperunt, peccati qualitatem speculentur.* Et can. 25. Concilii Wormatiensis anno 868. (Labb. t. 8. p. 950. D.): *Pœnitentibus,* inquit, *secundum differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur.* In decreto etiam Eugenii Armenis a Concilio Florentino tradito dicitur, ad confessionem pertinere, *ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur.* Denique Concilium Lateran. can. 21. *Omnis utriusque,* non solum monet fidelem quemlibet, ut *omnia sua peccata confiteatur*; sed etiam, ut *sit sacerdos discretus, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati.*

Unde ita ratiocinor: Concilia docent, peccata omnia pro confessione esse dicenda: sed quando vel numerus peccati ejusdem reticeretur, aut circumstantia speciem varians, non omnia peccata dicerentur; ergo et numerus peccati ejusdem frequentati, et speciem variantes circumstantiæ debent exponi. *Min.* patet ex doctrina de actibus humanis: nam quando circumstantia speciem mutat, hoc ipso sunt æquivalenter duæ peccatorum species, etsi eodem in actu conveniant.

200. *Dico II.* Per se loquendo non est obligatio exponendi circumstantias peccatum in eadem specie insigniter aggravantes.

Prob. I. Cum Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 5. docuisset, circumstantias speciem mutantes confitendas esse, atque pronuntiasset, impium esse dicere, hanc obligationem observatu impossibilem esse, subjungit rationem: *Constat enim, nihil aliud exigi, quam ut ea peccata quis confiteatur, quorum meminerit.* Atqui hoc facit, qui confitetur numerum et species; ergo constat, præter hæc nihil exigi.

Conf. S. Thomas nuper cit. respons. ad 5. hoc de utraque sententia judicium profert: *Quidam dicunt, quod omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis sit, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt, quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, et hoc probabilius est.*

Prob. II. Non potest inveniri regula certa, et in praxi observanda, qua cognoscantur circumstantiæ insigniter in eadem specie peccatum aggravantes; ergo pœnitentes non sunt sine necessitate in has angustias redigendi. *Ant. probatur* ex ipso dissidio adversariorum, et commentis diversis, quæ non cohærent. Nam quod Suaresius hunc canonem statuat, *Quando gravitas excedit notabiliter ordinarium modum operandi tali modo circa talia objecta,* rem magis involvit: quis enim modus ordinarius in furtis, detractionibus, perjuriis, imprecationibus, cogitationibus lascivis aut desideriis? Quasi vero ordinem aut modum teneant, qui modum rationis excedunt.

Prob. III. Si explicandæ sunt circumstantiæ aggravantes, explicandæ quoque erunt circumstantiæ minuentes, v. g. cum peccatur ex vehementi ira, metu, tentatione, aut dolo alterius: atqui hoc est contra praxin etiam adversariorum; ergo. *Maj. prob.* Sicut non licet in confessione minuere materiam necessariam ad confessionis integritatem (qualis est, secundum adversarios circumstantia aggravans), ita non licet materiam non idoneam absolutionis apponere: quod utique faceret, qui circumstantiam allevian-

tem non exprimeret : hanc enim reticendo, apponeret gravitatem, quam peccatum haberet sine tali circumstantia : sicut adversarii putant, suppressa circumstantia aggravante, non omne exponi quod est necessaria confessionis materia.

201. *Obj. I.* Laudati canones Concilii Trullani et Wormatiensis requirunt exactam narrationem peccatorum non tantum quoad species diversas, sed etiam quoad circumstantias aggravantes; ergo si ex illis canonibus probetur, diversas peccatorum species in confessione esse recensendas, probabitur etiam, circumstantias aggravantes speciem explicari oportere.

R. *N. Cons.* Non omnia quæ hisce et aliis antiquis canonibus suadentur, simpliciter necessaria sunt ad veritatem sacramenti : quædam enim circumstantiæ notantur, quæ ne quidem rationem habent peccati saltem mortalis, ut complexus conjugis gravidæ aut tempore festivo, etc. quibus etiam pœnitentia præscripta dictabatur; non quod ista aperiri in confessione sacramenti necessitas exigeret, sed quod rigor disciplinæ ecclesiasticæ, et fidelium fervor ad tantam accurationem procedebant. Recte ergo Vasquez et alii scribunt, nimium ab adversariis deduci ex illis canonibus, dum necessariam circumstantiarum tantum aggravantium explicationem volunt exprimere, quam Concilia ut perutilem monent esse adhibendam.

Inst. Ideo Tridentinum Concilium jubet exprimi numerum et circumstantias variantes species peccatorum, quia alioqui sacerdotes hoc judicium incognita causa nec exercere possunt, neque æquitatem in pœnis imponendis servare : atqui ratio eadem afficit circumstantias aggravantes, quæ impositionem pœnæ diversam exigunt, et confessarii judicium de statu pœnitentis insigniter variant; ergo.

R. *D. M.* Ideo Tridentinum et numeros et species peccatorum jubet exprimi, quia alioqui sacerdotes nec judicium hoc quoad essentialia exercere, nec æqualitatem essentialem in pœnis decernendis servare possunt *C.* quia opus sit formari judicium perfectissimum et metaphysice exactum de gravitate peccatorum, et quia sint injungendæ pœnæ mathematice æquales, ideo Tridentinum et numeros et species peccatorum jubet exprimi *N.* Unde etiam apparet falsitas minoris : neque enim ad judicium essentialiter rectum in hoc sacramento opus est cognosci circumstantias speciem non mutantes, sed tantum aggravantes, eo quod hæ judicium duntaxat quoad accidentalia varient, perinde ac circumstantiæ tantum notabiliter actum minuentes. Quod si eadem esset ratio habenda circumstantiarum aggravantium, quæ speciem mutantium, Concilium valde oscitanter egisset, dum illis prætermissis, has duntaxat expressit.

Denique Concilium ibidem nostram opinionem magis firmat docens, sacramentum istud ita fuisse institutum, ut non sit carnificina conscientiæ, ac nihilominus exigens accuratum examen in omnem speciem ac numerum peccatorum : hoc enim nec moraliter est impossibile, nec admodum difficile homini salutis suæ studioso ; at indagare omnes circumstantias aggravantes tam ex parte actus, quam objecti, easque memoria tenere, opus intolerabilis molestiæ et infiniti laboris esset non tantum ignaris litterarum hominibus, sed litteratis etiam.

202. *Obj. II.* Si circumstantiæ aggravantes non sint exponendæ in confessione; ergo furatus mille aureos satisfaceret, confitendo : *furatus sum aureum;* hæc enim est summa gravis, et juxta hanc opinionem sufficit dici, *furtum grave commisi.* Item qui impetu uno decem homines interfecisset, sufficienter confiteretur, dicendo : *occidi.* Atqui hæc sunt absurda ; ergo.

R. *N. seqq.* Confitens furtum aurei, utitur modo loquendi limitativo et restrictivo, unde vulgo æstimatur hanc unitatem aurei furando non excessisse ; non ergo talis confitetur peccatum suum : at dicens se summam gravem furatum esse, utitur conceptu præcisivo, quo summa nulla excluditur, datque confessario occasionem inquirendi in summam ipsam, quo et dispositionem pœnitentis agnoscat, et de restitutione præstanda cum illo conveniat. Quemadmodum autem confessarius jus habet et officium ita interrogandi, ita pœnitens roganti respondere tenetur.

Eodem modo R. ad casum alterum, non satisfieri dicendo : *occidi;* nam ex illa communi formula loquendi deceptus confessarius, unius tantum hominis cædem factam fuisse judicaret; qui alias dicentem, se plures uno impetu interfecisse, incunctanter in cæsorum numerum inquireret : nec enim numerus hominum occisorum ita in homicidium unum coalescit, ut summa aureorum plurium uni subductorum furtum unum conficit.

Inst. 1. Ex modo dictis, sacerdos, audito, *abstuli summam gravem*, jure debet inquirere in quantitatem furti, et pœnitens tenetur respondere; ergo est obligatio confitendi circumstantias peccatum in specie aggravantes.

R. *D. Cons.* Est talis obligatio per se loquendo *N.* aliquando per accidens *C.* Interrogatione illa ac responsione non opus est per se, quasi explicatio illa sit materia simpliciter necessaria ad sacramenti valorem ; ne videatur pœnitens velle impedire novo peccato instructionem sibi ad salutem necessariam, aut non habere sufficiens propositum. Quod si pœnitens satis alias doctus noverit, se confessarii instructione hac in parte non indigere, sitque paratus ad præstandum omnia, quæ injungi sibi a sacerdote possent, nec ipse respondere teneretur, nec confessarius eadem de ipso prudenter præsumens, illum interrogare.

Inst. 2. Unum furtum aureorum decem continet totam malitiam et gravitatem decem furtorum singulorum unius aurei; ergo si in hoc casu est explicandus numerus, in illo erit explicanda gravitas.

R. *N. Cons.* Non est explicandus numerus propter gravitatem præcise, sed quia alioqui si tantum confuse dicerem, *blasphemavi aliquoties*, sciens me decies blasphemasse, non exprimerem numerum certo mihi cognitum.

203. *Obj. III.* Si non tenemur exprimere circumstantias mere aggravantes peccatum ; ergo non opus est declarari actum peccati externum, sed sufficit dici, *consensi in homicidium* : in diffamatione non est addendum, utrum obtrectatio vera fuerit an falsa : in incesto gradus consanguinitatis non est explicandus : in adulterio potest reticeri sollicitatio complicis : sufficit, si quis accusaverit se violati jejunii, quin addat, se carnes comedisse. Atqui sequelæ istæ ab omnibus tanquam falsæ proscribuntur; ergo.

R. *N. seqq.* In confessione oportet exprimi totum, quod substantialiter habet rationem peccati ; actio autem externa licet non habeat malitiam numero aut specie diversam a consensu voluntatis pravo, non tamen huic solum

accidit ut circumstantia, sed est verum ac proprie dictum peccatum; unde illa suppressa non dicitur peccatum totum, secundum suam substantiam : cum vero circumstantia semper includatur in eo, quod substantialiter est essentia peccati, illa non declarata nihilominus dicitur totum quod rationem peccati habet. Deinde qui solum consensum internum in peccatum fatetur, præsumitur acceptione vulgari, negare opus externum, quod revera commisit; quod mendacium in tanto negotio culpa lethali non vacat.

Diffamatio evulgatione veri criminis specie differt ab ea, quæ falsum crimen affingit. Incestus secundum gradus diversos consanguinitatis probabiliter aliæ peccatorum sunt species : secus, nemo teneretur diversitatem graduum explicare, per se loquendo, sed tantum ex accidente ob annexam censuram aut reservationem. Sollicitatio item ad adulterium exprimenda est tanquam specie distinctum crimen a voluntate simplici mœchandi sine opere externo.

Denique violatio jejunii comestione carnium duo specie peccata præceptis duobus diversa imperantibus repugnantia involvit. Ex dictis

204. *Colliges.* Non satis cohærere doctrinam quorumdam, qui cum Esparza volunt exponendas esse pro confessione circumstantias, quæ se tenent ex parte objecti, non autem eas, quæ tenent se ex parte actus; quod ipse Suaresius et reliqui adversarii nostri adverterunt. Nam si unum furtum mille aureorum distincte est declarandum, quia æquivalet mille furtis singulorum aureorum; par omnino ratio erit de circumstantiis, quæ se ex parte actus habent : in diuturna enim actus continuatione cujuslibet momenti duratio æquivalet peccato integro, et ad mortale peccatum sufficeret sola. Quod idem de actus vehementia, seu, ut scholæ loquuntur, majore intensione, dici oportet : si enim gradus intensionis homogenei sint, actus intensus ut quatuor, quatuor distinctis actibus æquivalet; si fuerint heterogenei, major adhuc erit plurium actuum in actu uno æquivalentia, eo quod gradus alter altero tunc sit perfectior.

ARTICULUS V.

QUOMODO PECCATA DUBIA AD CONFESSIONEM PERTINEANT?

205. *Nota.* Dubium quandoque sumitur pro judicio incerto, quo sensu opiniones probabiles dicuntur dubiæ : aliquando vero dicitur suspensio assensus et dissensus objecto incerto præstandi.

Secundum priorem dubii acceptionem valde impropriam sæpe contingit, ut de una contradictionis parte probabiliter judicemus, de parte autem opposita judicium probabile non habeamus, sed vel suspicionem quamdam aut formidinem. Quo in casu certum plane est, posse nos, et aliquando etiam debere sequi tale judicium, ita ut, si probabiliter judicemus nos peccasse, aut peccatum nunquam fuisse confessos, ad confitendum illud teneamur : e contra si judicemus nos peccatum non admisisse, aut jam confessos esse, ab obligatione confitendi reddamur immunes. Hoc enim modo non dubitamus proprie, sed opinamur : quod quidem judicium probabile ad humanas actiones dirigendas sufficit : nam licet speculative sit incertum, ex eo

tamen deducitur judicium practice certum de honestate actionis vel omissionis, sufficiens ad actiones humanas, quia major certitudo regulariter hominis vires excedit.

Juxta posteriorem vero et propriam dubii acceptionem duplex modus dubitandi occurrit : ac primo quidem, quando pro utraque contradictionis parte habetur probabile judicium, quamvis animus in partem alteram cum majore vel minore probabilitate inclinetur : dubium tale vocatur a multis *probabile,* ab aliis *positivum.* At quando quis probabiles quidem rationes habet dubitandi, nec tamen determinari potest ad ferendum judicium probabile pro parte alterutra, appellatur dubium *negativum.* De hisce duobus modis dubitandi præsens disceptatio tantum versatur : nam quod alii dubium negativum nuncupent, cum quis suspensus hæret, an peccaverit, an non, sine ulla ratione pro parte utraque apparente, nimium quantum improprie loquuntur; ac videtur effectus iste animi non tam dubitatio dicenda esse, quam ignorantia : ut quando hæsitamus asserere, utrum numerus stellarum par sit, an impar. Quod si nulla apparet ratio, quæ confessionem peccati necessariam probet, nihil est, quod dubitem, me ab obligatione confitendi esse immunem.

206. *Dico I.* Qui in dubio positivo probabiliter judicat, se non peccasse mortaliter, vel tale peccatum jam fuisse confessum, potest se judicio isti conformare, ut non teneatur tale peccatum confiteri, licet in contrarium habeat conjecturas adhuc probabiles. Ita Sylvester verbo *Confessio,* 2. q. 2., Suarez et alii complures, inter quos Haunoldus thesin istam adeo certam pronuntiat, ut etiam a statu quæstionis eam amandet.

Prob. In rebus practicis, in quibus non imminet periculum, licet sequi opinionem probabilem, non obstante opinione contraria probabili, vel etiam probabiliore : raro enim plenam certitudinem rerum agendarum assequi possumus; ergo judicium illud pro capacitate cujusque censetur sufficiens ad inferendam practicam certitudinem.

Conf. Si pœnitens dicat, se habere tale judicium de peccato quopiam, et velle illud sequi, confessor debet ei conformari in hoc, sicut in aliis rebus probabilibus; ergo multo magis poterit pœnitens peccatum illud omittere, perinde ac si initio tale judicium habuisset de actu ejusmodi dubio, an sit peccatum, aut utrum hoc peccatum teneatur confiteri.

207. *Dico II.* Peccata mortalia, de quibus negative dubitamus, necessario in confessione debent exponi. Ita S. Thomas dist. 2. q. 2. a. 3. ad 3. et d. 17. q. 3. a. 1., Paludanus, Richardus, Dom. Sotus, Medina, Navarrus, Sylvester, Victoria, et Summistæ veteres ac recentiores, contra Caramuelem, Ægidium Coninc, Antonium de Spiritu S. in Directorio Confessor. tr. 5. d. 5. sect. 2. n. 275., quibus favent Layman, Granadus, Præpositus, Arriaga et Haunoldus, quamvis omnes hi subtimide pronuntient.

Prob. I. In dubiis pars tutior est eligenda : qui autem exponit peccatum, de quo ita dubitat, nullum subit periculum, cui se exponeret, qui reticeret crimen, quod vere commiserat.

Prob. II. Ea peccata tenemur confiteri, de quibus extra sacramentum

conteri tenemur : at extra sacramentum conteri de peccatis negative dubiis tenemur saltem ratione periculi ; ergo.

Prob. III. Ex sententiis practicis præferenda est illa, quæ congruit sensui ac judicio fidelium, et praxi continuæ, nec contra se habet rationes enervantes vim praxis et communis judicii : atqui talis est sententia suadens obligationem confitendi peccata negative dubia; ergo.

208. *Obj. 1.* Concilium Tridentinum non meminit obligationis confitendi peccata dubia ; ergo nemo tenetur ea confiteri, cum sine sufficiente causa tam gravis obligatio imponi fidelibus non debeat.

R. *D. Ant.* Tridentinum non meminit diserte et explicite talis obligationis, ne definiret quæstionem inter Scholasticos utrimque agitatam *C.* non meminit hujus obligationis ne implicite quidem *N.* Concilium docet explicanda esse omnia mortalia, quorum post diligens examen pœnitens conscientiam habeat : atqui peccati dubii habet conscientiam saltem dubiam et incertam; ergo ad illud declarandum tenetur.

Inst. 1. Nemo potest sine sufficiente causa damnare alios, ergo neque se ipsum.

R. *C. totum.* Nemo sine causa damnatur, sed obligamur duntaxat ad confitendum peccatum ut dubium.

Inst. 2. In dubiis melior est conditio possidentis : atqui quando dubito, an peccaverim, libertas mea certa est, solum autem peccatum et lex sunt dubia; ergo non teneor confiteri.

R. *N. min.* In hoc casu libertas est dubia, lex vero confitendi peccatum dubium certa est : nam qui dubitat, an graviter peccaverit, nec se dubio expedire potest, tenetur ex caritate pœnitentiam agere, ne, si forte peccaverit, damnetur. Atqui pœnitentia hominis christiani est non solum detestatio peccati, sed ejus etiam confessio, ut habetur Sess. 6. cap. 14. Conc. Tridentini; ergo talis tenetur ad confessionem peccati dubii : adeoque lex certa est. Igitur regulæ juris, *in obligationibus pœnisque imponendis benignior interpretatio est facienda, statque pro libertate innocentia et possessio*, aliæque ejus generis, effectus tantum onerosos restituendi, subeundi condemnationem, pœnam, aliudque simile onus respiciunt, non autem effectus favorabiles, ex quorum omissione summa miseria prudenter timetur, et ad quos consequenter homo præcepto naturali caritatis adstringitur.

Inst. 3. Per actum pœnitentiæ ex affectu caritatis præcavetur malum, quod imminere potest; ergo ad hunc solum tenetur, tanquam ad effectum favorabilem, qui dubitat, non vero ad confessionem onerosam magis.

R. *D. Ant.* Per actum pœnitentiæ junctum voto confitendi, aut confessioni ipsi, cavetur malum, quod imminere potest *C.* per actum pœnitentiæ sine tali voto, aut ipsa confessione præcavetur malum illud *N.* Actui pœnitentiæ secundum se non debetur remissio peccati, sed ex divina pollicitatione; ergo illo non præcaventur mala imminentia, nisi ea ratione fiat, qua illi Deus peccati remissionem promisit, prout adjunctam habet confessionem, aut ejus votum.

209. *Obj. II.* Concilium Trident. Sess. 13. cap. 7. jubet, præmittendam Eu-

charistiæ sumptioni confessionem peccati mortalis, cujus quis sibi conscius est, et Sess. 14. cap. 5. docet, teneri ad confitendum peccatum, cujus quis conscientiam habet, et cujus meminit : atqui conscientia significat certam scientiam : et Cardenas in crisi Theol. p. 2. disp. 46. c. 5. n. 270. inauditum, inquit, esse, quod nomen *conscius* dicatur de eo qui dubitat; nec nisi absurdissime dari a quolibet vocibus significationem, in qua nunquam usurpantur. Aristoteles item L. 1. de memoria, ait, animam, cum reminiscitur, pronuntiare, se aliquid olim sensu aut intellectu percepisse, et Platoni *meminisse est quoddam scire*. S. Thomas autem 1. p. q. 79. a. 13. in θ. *Conscientia*, inquit, *secundum proprietatem vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliquid, nam conscientia dicitur cum alio scientia.* Nihil autem horum accidit dubitanti; ergo secundum decreta Concilii Tridentini non tenetur confiteri, qui negative de peccato commisso, aut confesso dubitat.

R. *D. Assumpt.* Conscientia significat certam scientiam vel directam vel reflexam *C.* semper directam *N.* Scientiam directam habet, qui certo novit, se peccatum admisisse, reflexam vero, qui scit se dubitare, aut probabiliter suspicari, utrum peccaverit. Neque adeo inusitatæ sunt phrases illæ : nam Honorius III. c. *Petitio,* de homicidio volunt. diserte mentionem conscientiæ dubiæ facit : et Innocentius III. c. *Inquisitioni,* de sent. excom. *Distinguimus,* inquit, *utrum habeat conscientiam ejusmodi ex credulitate levi et temeraria, an probabili et discreta.* Quapropter τo *conscius*, ex Tridentino accipitur pro habere conscientiam : neque semper opus est, ut, qui reminiscitur, pronuntiet per memoriam directam, sed sufficit, quod fiat per reflexam.

Sed nec Aristotelis aut Platonis auctoritas adversariis patrocinatur ; nam si anima reminiscens pronuntiat, se intellectu aut sensu aliquid percepisse, vera est pronuntiatio, licet probabilem etiam, aut dubiam perceptionem asserat. Plato etiam, dum in Phædone, seu dialogo de Anima tradit, *quod discere nihil aliud sit nobis, quam recordari, et ipsa disciplina sit recordatio,* scientias nostras putat esse reminiscentias notitiarum, queis animæ, antequam corporibus jungebantur, pollebant : nequaquam autem omnem memoriam dixit esse scientiam, quandoquidem multa ipse probabiliter in partem utramque versat. Denique S. Thomas l. c. tantum probare studet, conscientiam non esse potentiam, sed esse actum : atqui dubium etiam est actus, et quidem si est de peccato commisso, est actus remordens, qualem etiam conscientiam esse, ibidem docet. Imo in sermone communi scire dicimur, quod ex aliorum relatione accepimus, licet non indubitata notitia : et L. 25. §. 7. ff. de Hæreditatis partitione, dicitur quivis *post motam controversiam... scire, rem ad se non pertinentem possidere se.*

210. *Obj. III.* Cum jubeamur mortalia tantum confiteri, dubitare an culpa sit mortalis, est dubitare, an præcepto confitendi comprehendatur : atqui quando dubitatur, an res aliqua præcepto contineatur, nemo illo præcepto obligatur, ut vulgo tradunt; ergo qui dubitat, an mortaliter peccaverit, non tenetur præcepto confitendi.

R. *D. min.* Quando dubitatur, an res præcepto contineatur, nemo præcepto obligatur, si præceptum se non extendat ad rem ipsam dubiam *C.* secus *N.* Juxta Tridentinum tenemur confiteri mortalia, quorum conscientiam habemus : atqui etiam de peccato dubio scimus nos habere conscien-

tiam dubiam; evidens enim est cuivis dubitanti, se dubitare; ergò lex confitendi mortalia etiam extendit se ad peccata dubia. Et certe legem istam a Christo etiam pro dubiis peccatis institutam novimus ex perenni doctrina et usu fidelium : cum e contra opinio adversariorum vixdum a seculo celebretur, et ipsorummet confessione sit tantum speculative probabilis.

Inst. 1. Dubium facti pertinentis ad materiam præcepti reducitur ad dubium juris : atqui in dubio juris nemo tenetur ad actionem; ergo cum dubitare de peccato mortali sit dubium facti pertinentis ad præceptum confitendi, ideoque reducatur ad dubium juris, nemo ita dubitans tenetur ad confitendum. Nam et Suarez ipse cum pluribus affirmat, neminem teneri, quando dubitatur de actione, ex qua legis obligatio primum curreret : et 65. regulam juris in 6. de meliore conditione possidentis, non solum in materiis justitiæ, sed etiam in aliis omnibus valere.

R. *D. M.* Dubium facti reducitur ad dubium juris, quando obligatio non est injuncta pro facto ut dubio *C.* si pro facto ut dubio etiam injuncta est obligatio *N.* et concessa *minore,* codem modo distinguo *consequens et ejus probationem.* Ex hac responsione facile concedimus, neminem teneri ad observandum jejunium, ad diem festum celebrandum, aut ad explendum votum, qui dubitat, utrum ætatem, quo jejunandi obligatio incipit, expleverit; utrum sit dies jejunii aut festus, utrum votum conceperit, etc. nuspiam enim præcipitur harum rerum executio, ubi de actione aut circumstantia dubitatur : sicut etiam nemo tenetur casum reservatum ad superiorem deferre, qui de actione dubitat : nemo tenetur de excommunicatione ob cædem dubiam, eo quod ista legibus non comprehendatur. E contra ex homicidio dubio, aut ex dubia percussione clerici contrahitur irregularitas, quia hæc etiam actionibus ejusmodi dubiis a jure canonico decernitur.

Inst. 2. Dubium, quod vinci non potest, æquivalet invincibili ignorantiæ : nam sic dubitans vere non scit se commisisse peccatum, nec in ejus venire potest notitiam : atqui tacere culpam, quæ ex ignorantia invincibili nescitur esse commissa, aut esse mortalis, non opponitur præcepto confessionis; ergo qui sic dubitat, non tenetur confiteri.

R. *D. M.* Tale dubium æquivalet invincibili ignorantiæ, quæ opponitur scientiæ directæ *C.* quæ scientiæ reflexæ opponitur *N.* Hoc est, talis vere nescit, se peccatum admisisse, novit tamen, se habere conscientiam dubitantem, utrum peccatum commiserit, nec ne : cum hac autem scientia reflexa tenetur lege confitendi.

Inst 3. Peccatum dubium non est materia certa absolutionis, quæ omnino nulla foret, si dubitans vere non peccasset; ergo neque hic obligatur ad confessionem, tanquam ad pœnam certam pro delicto incerto.

R. *D. Ant.* Non est materia certa absolutionis, si vere commissum fuerit *N.* si non fuerit commissum *C.* Utcumque autem se habeat, est certo peccatum dubium in conscientia : ne vero injuria sacramento fiat, aut a pœnitente adjungendum est peccatum certum, aut absolutio cum conditione impertienda. Hinc *D. Cons.* non obligatur ad pœnam certo delicto respondentem *C.* respondentem delicto dubio *N.* Obligatur ad accusandum se de peccato tantum ut dubio, ex qua obligatione soluta grande beneficium refert, nempe veram absolutionem, si forte peccatum perpetraverit. Ex hactenus dictis

211. *Colliges* 1°. Certus se peccasse mortaliter tenetur illud confiteri, si ita de confessione facta dubitet, ut probabiliter decidere nequeat, utrum confessus illud fuerit, eo quod ne probabiliter quidem ipsi constet, an obligationi fecerit satis.

2°. Eodem modo qui dubitat, an peccatum, cujus sibi certo conscius est, mortale, an veniale fuerit, ad ejus confessionem obligatur; ne se exponat periculo confessionis non integre factæ.

3°. Qui scit, actionem aliquam esse lethaliter malam, et negative dubitat, num illam admiserit, tenetur ad ejus confessionem, tum ob rationes modo adductas, tum quia tenetur ad contritionem de tali actu eliciendam.

4°. Non tenetur ad confitendum, qui post examen diligens absolute ac fere certo judicat, se non peccasse, etsi restet formido quædam de opposito : tale enim judicium absolutum sufficit, ut quis lege solutus habeatur. Idem pronuntiandum, si quis valde probabilius censeat, se non peccasse : quandoquidem etiam verisimilitudo insigniter major æquivalet in moralibus certitudini. Idem respondendum in contrarium de eo, qui judicat, se peccasse, prout de judicio probabili, et probabilium comparatione, in 1. et 2. Thomæ traditur.

ARTICULUS VI.

QUANDO CONFESSIO ITERANDA SIT?

212. *Dico I.* Qui sacramentum Pœnitentiæ vere suscepit sine confessione materialiter integra, tenetur in proxima confessione repetere illa tantum peccata, quæ ex oblivione inculpata aliisque de causis legitime reticuit.

Prob. 1ª. *pars :* Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. docet, ea peccata confitenda esse, quorum quis conscientiam habet : at peccatorum jam expositorum in confessione ac remissorum nemo habet conscientiam. Deinde factum jam satis est præcepto Christi, Joan. 20. dicentis : *Quorum remiseritis, et quorum retinueritis peccata,* etc. unde potissimum confessionis necessitas probatur; retineri enim peccata amplius nequeunt, quæ distincte in confessione explicata sunt ac remissa.

Quapropter Benedictus XI. in Extravag. *Inter cunctas*, de privilegiis : *Ne sequatur,* inquit, *absurdum, ut peccata semel per pœnitentiam dimissa debeat quis iterum confiteri.* Confirmat idem Joannes XXII. in Extrav. *Vas electionis,* de Hæret., ubi oppositum dicit esse hæreticum.

Pars 2ª. constat ex supra disputatis, ac præsertim ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5., quo docetur, oportere omnia peccata mortalia sigillatim et in specie, quorum pœnitentes post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione detegi : quæ autem in confessione formaliter tantum integra pœnitens omisit peccata, nondum sigillatim et in specie est confessus; ergo ad ea rursus exponenda adhuc tenetur.

213. *Dico II.* Quando sacramentum confessionis quocumque ex defectu nullum fuerat, iteranda est confessio etiam materialiter antea integre facta. Est sententia communis et certa.

Prob. Sacramentum confessionis est præceptum tanquam medium simpliciter ad salutem necessarium : at quando ex defectu aliquo sacramentum

confessionis nullum fuit, peccator nondum satisfecit præcepto suscipiendi hoc sacramentum; ergo adhuc tenetur illud suscipere confitendo sua peccata, quæ sacramentali absolutione nondum sunt expiata.

Variis autem modis confessionis sacramentum nullum esse potest, vel enim deest pars aliqua materialis, quales sunt contritio aut confessio peccati culpabiliter omissi: vel deest absolutio sacerdotis, aut profert hic verba sine animo absolvendi, aut caret jurisdictione vel approbatione.

214. *Obj. I. cont.* 1am. *conclus.* Si peccatum jam rite in confessione expositum ac dimissum, non amplius sit materia necessaria confessionis, ex eo quod retineri amplius non possit, neque idem erit materia sufficiens amplius ad confessionem: nam verba: *Quorum remiseritis*, etc. æque late patent, ac illa: *Quorum retinueritis peccata.*

R. *N. Illat. et ejus prob.* Quod amplior sit potestas remittendi, quam retinendi, probat confessio peccatorum venialium. Reus rite absolutus potest in eadem causa sæpius judicari, si velit; non vero ad tale judicium cogi juste potest. Quod vel maxime in voluntario hoc pœnitentiæ judicio locum habet, in quo justus sese peccatorum præteritorum sæpius accusare, et absolutionis gratiam obtinere potest: retineri autem dimissa peccata amplius non possunt, cum nec ipsa redeant, nec sacerdos possit impedire, quo minus quisquam per actus pœnitentiæ ad beneficium absolutionis crebro recipiendum se disponat. Neque nunc major est confessionis necessitas, quam olim erat contritionis, antequam lex confitendi figeretur: nam tunc semel de peccatis suis perfecte contrito iterata contritione non erat opus, licet magno cum fructu id sæpe fieret.

215. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* Quando confessione legitime facta non conficitur sacramentum ob malitiam sacerdotis nolentis absolvere, pœnitens facit, quod potuit ac debuit; ergo non est obligandus ad iteratam confessionem.

R. *N. Cons.* Est obligatio recipiendi medium hoc ad salutem necessarium: sine præmissa autem confessione recipi non potest; manet ergo obligatio confitendi. Sicut cum quis ex malitia baptizantis sine intentione fraudatus hoc sacramento citra culpam suam fuerit, ad actionem baptismi denuo subeundam adstringitur, quod medio ad salutem simpliciter necessario carere ipsi non liceat. Ex dictis hactenus

216. *Conficitur* 1°. Eum, qui ex malitia aut ignorantia culpata sacrilege confessus est, et hanc et sequentes alias confessiones omnes teneri repetere, si eas memor prioris sacrilegii fecerit, nec id emendarit confessione legitima. Quod si confessionem unam aut plures intermedias, oblitus confessionis sacrilegæ, bona fide peregerit, has intermedias solas iterare non tenetur.

2°. Eidem sacerdoti peccatum sacrilege omissum aperiens non tenetur sigillatim cætera jam distincte in priore confessione exposita repetere, modo generatim dicat, sese eorum, quæ nuper confessus est, accusare; nam sacerdos eorumdem adhuc confuse saltem recordatur, et de omnibus prudens judicium ratione status pœnitentis formavit. Ita plures contra Suaresium.

3°. Non repetendum est peccatum jam confessum, cujus omissa inculpa-

biliter circumstantia sine hoc satis explicari queat. Ita qui furtum confessus, postea meminit, se etiam contra votum egisse, satisfacit confitendo, se violasse votum. E contra circumstantia parricidii aut incestus violenti non possunt seorsim exponi : nam licet speciem mutent, non tamen habent malitiam disparatam a malitia totius actus.

4°. Qui scit, se aliquando confessionem sacrilegam fecisse, nescit autem, quænam illa fuerit, aut quodnam peccatum omiserit, satisfacit dicendo, se aliquando, unum peccatum omittendo, sacrilege confessum fuisse, neque ideo tenetur omnes interea peractas confessiones repetere ; nam tenetur eo tantum modo confiteri, quo dubitat : dubitat autem solum generatim indeterminate de aliqua confessione.

5°. Si quis novit, confessarium aliquod peccatum non audivisse, eo quod surdaster sit, aut obdormiverit, aut fuerit distractus alio, tenetur illud repetere in eadem vel proxima confessione. Si dubitet, quodnam peccatum sacerdos non perceperit, totam confessionem retexere debet.

6°. Bona fide confessus sacerdoti adeo imperito, ut hic nequiverit discernere materiam necessariam a non necessaria, non tenetur peccata semel confessa iterum exponere : neque ignorantia sacerdotis tollit jurisdictionem, alioquin ministro tali non posset moriturus in necessitate confiteri : neque par hujus sacerdotis est ratio, et ministri surdi, ille enim omnia accurate percipit.

7°. Qui omisit etiam ex malitia injunctam sibi satisfactionem exsequi, nec postea ejus recordatur, non tenetur deinceps priorem confessionem legitime factam iterare; nam valor absolutionis non pendet a peccato futuro : nec obligatur quis pœnitentiam petere pro peccatis rite olim expositis et condonatis, cum satisfactio pars essentialis sacramenti hujus non sit.

8°. Communiter docent Theologi, eum, qui confessus peccatum ut dubium, postea vero certam ejus notitiam consecutus est, teneri ad id pro certo deinceps recensendum. Ast Cardinalis de Lugo, de Rhodes, et non pauci alii eo pœnitentem non obligandum esse arbitrantur, cum non possit dari ratio dispar, cur non teneatur etiam deinde dicere numerum certum, quem incertum antea detulerat.

9°. Si quis confessione generali bona fide peracta, postmodum dubitet, utrum in ea peccatum aliquod omiserit, non obligatur ad illud in confessione sequenti explicandum, nisi ei ratio positiva admodum probabilis id suaserit; nam a possessione peccati expositi tam facile deturbandus non est; neque exponit se periculo ulli suæ salutis, eo quod ita generaliter confessus ab iis etiam, quæ memoriæ non occurrunt, absolvatur.

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE.

ARTICULUS I.

AN CUM CULPA SEMPER OMNIS PŒNA REMITTATUR?

217. *Nota I.* Gehennæ pœna triplex est; prima respondens malitiæ, qua peccator a Deo avertitur, est privatio visionis Dei, quæ pœna damni dicitur; altera est pœna sensus, quæ respondet inordinatæ conversioni ad creaturas; tertia est utriusque pœnæ æternitas, respondens offensi Regis æterni et infiniti implacabili iræ. Harum primam et tertiam semper cum culpa remitti nemo inficiatur: secundam item pœnam remitti omnem in baptismi sacramento certum est, uti etiam in baptismo sanguinis seu martyrio, et in perfecto flaminis baptismo, hoc est, per pœnitentiæ et contritionis actus vehementes admodum ex amore puro Dei profectos. Disputatur ergo in præsens inter Catholicos et Hæreticos, an hæc eadem pœna pœnitentibus extra dictos casus baptismatis semper una cum peccato remittatur, an vero adhuc in ista aut futura vita in purgatorio luenda restet?

Nota II. Quanquam autem Lutherus in assertione articulorum suorum, art. 5. admittat reatum pœnæ temporalis in hac vita post culpam remissam: idem tamen alias negavit, ullam pœnam a Deo exigi post culpam, ut intelligimus ex concione de indulgentiis habita anno 1518. et ex Asteriscis, quos opposuit Eckii Obeliscis, ad initium secundi Asterisci. Quem errorem secuti sunt Calvinus L. 3. Inst. c. 4. §. 31. et 32. ubi docet, pœnas justis non in vindictam scelerum præteritorum infligi, sed tantum paterne eos castigari ad emendationem et profectum in posterum. Idem tradunt Melanchthon in locis ultimo editis tit. de Satisfactione, Kemnitius in 2. parte Examinis pag. 1074., Dallæus in peculiari libro hac de re edito, et cæteri Lutherani et Calvinistæ, consecutione necessaria ex errore alio, quo adstruunt, pœnitentiæ sacramentum non distingui a baptismo, sed pœnitentem ex memoria baptismi olim suscepti tam perfecte renovari quoad condonationem omnis culpæ et pœnæ, quam perfecte renovabatur, cum primum baptizaretur, quem errorem supra n. 105. confutavimus.

218. *Dico.* Quando peccator Deo reconciliatur, non semper ei remittitur tota pœna temporalis. Hæc est doctrina Catholica, quam confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 14., et can. 30. et Sess. 14. cap. 8. et can. 12., 13., 14.

Prob. I. Peccatum suum Adamus pœnitentia expiavit, ut traditur Sap. 10. v. 2., idem peccatum originale Adami posteris remittitur per Baptismum et

Pœnitentiam, ac nihilominus pœnæ temporales seu pœnalitates Adamo ipsi fuerunt inflictæ Gen. 3. v. 19., easdemque ejus posteri ob criminis communionem omnes subeunt, teste Apostolo Rom. 5. v. 12. : *Ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Exemplum alterum nobis exhibent multi, qui diluvio perierunt Genes. 6., quos pœnitentes suorum criminum fuisse colligimus ex 1. Petri 3. v. 19. et 20.

Item Num. 12., postquam Mariæ sorori suæ Moyses veniam exorasset peccati murmurationis, ob quod lepra divinitus fuerat percussa, hæc tamen adhuc una hebdomade pœnas criminis dare debuit.

Exod. 32. Dei instinctu jussit Moyses interfici viginti tria hominum millia ob peccatum jam remissum ad preces Moysis : de reliquis autem, quos ejusdem peccati jam pœnituerat, et quorum peccatum Moyses iterato deprecabatur, ait Deus v. 34. : *Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.*

Omnes adulti Israelitæ, qui murmuraverant contra Deum, prohibiti sunt ab ingressu terræ sanctæ, licet ipsis Deus ad preces Moysis peccatum dimiserit, Num. 14. v. 20. Imo Moyses ipse et Aaron in ultionem diffidentiæ ad aquas contradictionis admissæ non permittebantur populum in terram promissam inducere, sed debebant mortem in deserto obire, Num. 20. et Deut. 32. v. 49.

David quoque Deus veniam peccatorum adulterii et homicidii dedit, 2. Reg. 12., id nihilominus v. 14. adjecit : *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Dei propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morietur;* et ante v. 10. dixerat : *Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum.*

Eumdem David licet peccati, quod numerando populum commisit, pœnituisset, atque is sine dubio Deum placasset, pœna tamen hujus delicti relaxata non fuit, sed optionem ei Deus per Gad prophetam reliquit aut famis septem annorum, aut trium mensium fugæ ab hostibus, aut pestilentiæ dierum trium, ut ibid. c. 24. recensetur.

De filiis et posteris David legimus Ps. 88. v. 30. : *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam ;... visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eo.*

Denique Apostolus 1. Cor. 11. v. 30. ait, multos Christianorum ob indignam S. Eucharistiæ communionem morbis et morte punitos fuisse, quibus tamen veniam indultam peccati fuisse meminit ibidem mox subdens : *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Prob. II. Multi Patres suadent, orandum esse pro mortuis, et locum esse aliquem post hanc vitam, in quo peccata expurgentur. Alii pro peccatis propriis satisfaciendum esse docent, ut S. Chrysostomus homil. de Pœnit. et Confessione (opp. t. 5. p. 364. A. edit. latin. Ducæi) : *Ne peccantes*, inquit, *et inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium; sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri : propter hoc imponit pœnam.* S. Aug. in Ps. 50. ad hæc verba : *Veritatem dilexisti*, ita commentatur : *Id est, impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti : sic misericor-*

diam prorogasti, ut servares et veritatem. Plura in hanc rem habet Enchiridii c. 70. et seqq. Et Auctor libri de vera et falsa pœnit. c. 18. : *Etiamsi conversus,* inquit, *vita vivat; non tamen promittimus, quod evadat omnem pœnam.* GREGORIUS M. L. 9. Moral. c. 27. (al. c. 34. opp. t. 1. p. 313. C.) : *Nequaquam*, inquit, *peccato parcitur; quia nullatenus sine vindicta laxatur : sic David audire post confessionem meruit : Dominus transtulit peccatum tuum, et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit.*

Prob III. Rationem reddit Concilium TRIDENTINUM ex cap. 6. epist. ad Hebræos. Convenientius fuit, ut homo in regeneratione per Baptismum perfecte omnino renovaretur, extinguerenturque omnia peccata cum toto ipsorum reatu, eo quod originale trahebatur ab alio, peccata vero actualia fuerint commissa in statu imperfecto ab homine, qui viribus gratiæ et lumine fidei carebat. At Pœnitentia applicatur tantum ut medicina, sanans quidem, sed non tollens omnem cicatricem ; quare decet, ut homo, quantum potest, ad peccati remissionem cooperetur, satisfaciendo saltem pro reatu pœnæ temporalis : nam æterna per gratiam cum culpa dimittitur. Ita S. AUGUSTINUS L. 2. de peccatorum merit. c. 34.

219. *Obj. I.* Pœnæ illæ, quarum S. Scriptura meminit, non fuerunt inflictæ a Deo ut judice in vindictam criminum, hoc enim ad solos inimicos pertinet; sed erant virgæ et correptiones paternæ ad futurorum remedium, ne tam facile peccator relabatur ; ergo.

R. *N. Ant.* Etsi fateamur, flagella resipiscentium esse etiam paternas castigationes, et remedia adversus relapsus futuros : sunt tamen etiam vera supplicia et satisfactiones debitæ culpis præteritis ex justitia : Davidi enim non dicebatur, filius morietur, ne posthac peccet, *verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini*, etc. : sed et David ipse optimus voluntatis Dei interpres, aliis pro peccato suo satisfactionibus, videlicet lacrymis, jejuniis, humicubatione mortem filii amoliri studuit. Deinde mors communis omnibus hominibus decreta est antequam in peccata personalia laberentur ; ergo eam pœnam luunt, non ut a peccato abstineant, sed ut justitiæ satisfaciant, etiam infantes præcoqua morte abrepti. Hinc Rom. 6. v. 23. dicitur, *stipendia peccati mors.* Quin imo cum Deus ipse mortem, quam Israelitis, queis reconciliatus fuerat, in pœnam dictasset, adjecit : *Et scietis ultionem meam*, Num. 14. v. 34. Denique ridiculum est dicere, puniri ideo homines morte, ut cautius postea vivant.

Inst. 1. CHRYSOSTOMUS nuper cit. scribit : *Propter hoc imponit pœnam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.* Et consentit Augustinus L. 2. de peccat. mer. c. 33. et 34.; ergo.

R. *N. Cons.* Ambo Patres docent, a Deo supplicia infligente magis intendi utilitatem nostram, quam peccati ultionem ; uterque tamen diserte tradit, illa immitti in vindictam criminum.

Inst. 2. AUGUSTINUS nuper cit. c. 31. ait, mortem esse exercitationem virtutis ; ergo.

R. *N. Cons.* Idem L. 13. de Civit. c. 6. pronuntiat, mortem procul dubio pœnam esse nascentis, etsi gloria etiam sit renascentis. Sane parvulis præ-

mature ex hac vita decedentibus mors et morbi nequeunt virtutis exercitationes esse.

220. *Obj. II.* Sublata causa tollitur effectus: at pœna est effectus peccati; ergo hoc remisso, illa tollitur.

R. *D. M.* Sublata causa tollitur effectus, i. e., si nulla sit causa, non erit effectus *C.* i. e., cessante causa desinit effectus, *subdist.* Si hujus conservatio pendeat a causa *C.* si effectus conservatio pendeat ex arbitrio alieno *N.* Nam multi effectus naturales ac morales suis causis sunt superstites. Quod ergo peccato dimisso reatus temporis pœnæ perseveret, ex Dei placito pendet, cui aliter in Baptismo, aliter in Pœnitentiæ sacramento placet peccata donare.

Inst. Deus Ezech. 18. v. 22. promittit, se oblivioni daturum peccata pœnitentium, nec illa ipsis porro nocitura: at vero satis illorum recordaretur, si vel temporaliter illa puniret; nec modice illa nocerent pœnitentibus; ergo.

R. *Explic. Maj.* Deus peccata pœnitentium obliviscitur, nec illa amplius nocent, quia semel condonata non amplius redeunt, nec Deus respectu illorum iterum avertitur ab homine ut inimico *C.* quasi nullam a pœnitente satisfactionem exigat *N.* Deus pœnitentem ut amicum et filium castigat, donec eum perfecte purget ac mundet, ut prædixit Isai. 1. v. 25.: *Convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam.*

ARTICULUS II.

AN PRO POENA TEMPORALI SATISFACERE POSSIMUS?

Nota. Aliquas castigationes temporales Deus hominibus adeo firmiter decrevit, ut nullam pro iis redemptionem velit admittere, qualis est mors inevitabilis omnibus, Gen. 3. v. 19., Rom. 5. v. 12.; mors item præmatura filii David ex adulterio suscepti, 2. Reg. 12. v. 14.; Moysi etiam deprecanti pœnam, quam Num. 20. v. 12. ad aquas contradictionis incurrerat, reposuit Deus Deut. 3. v. 26.: *Nequaquam ultra loquaris de hac re ad me;* et Jeremiæ 7. v. 16.: *Tu ergo noli orare pro populo hoc...; quia non exaudiam te.* De hisce pœnis jam non est locus disputandi, sed de aliis, utrum bonis actibus et operibus redimi possint, non tantum satisfactione congrua, sed etiam condigna?

Negat Calvinus L. 3. Inst. c. 4. §. 30. et 36., ita concludens: Absit, ut alia unquam fuerit ἀπολύτρωσις, quam sanguis Christi. Lutherus in assertionem articulorum suorum art. 5. nomen quidem satisfactionis non admittit, concedit tamen, posse præveniri manum Dei, et pœnis sponte susceptis pœnas illas averti, quas alioqui ob scelera nostra merebamur. Quod idem admittit Melanchthon in locis ultimo editis, tit. de Satisfactione, et apologia Confess. August. cap. de Confess. et Satisfact., Kemnitius in 2. p. Exam. pag. 1078.

221. *Dico I.* Pœnæ aliquot temporales peccatis debitæ possunt satisfactione congrua a pœnitentibus redimi.

Prob. I. Deus Paralip. 2. c. 7. promittit, se sterilitatem terræ aliasque plagas publicas cohibiturum, si populus ad pœnitentiam conversus deprecatus illas fuerit. Idem repetit Jerem. 18. v. 8.

Daniel c. 4. v. 24. suasit Regi : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Eccli. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* Tob. 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Sed a culpa sola pœnitentia liberat; ergo eleemosyna liberat a pœna peccati. Huc pertinet, quod Prov. 16. v. 6. dicitur : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.*

Prob. II. Idem suadetur in novo Testamento : Luc. 3. v. 8. Joannes Baptista hortatur : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ verba Joannes Chrysostomus homil. 10. in Matth. (opp. t. 7. p. 147. A.) Pacianus epist. 3. ad Sympronianum (Patrol. t. 13. p. 1074. A.), aliique Patres de submissione, fletu, jejuniis, aliisque asperitatibus sponte assumptis explicant, queis Deo satisfaciendo venturam ejus iram evadamus, ut Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8. fusius argumentatur. Hinc Apostolus 2. Cor. 7. v. 10. : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur;* et 1. Cor. 11. v. 31. : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur;* ubi non solum jubet nos inquirere ac discernere peccata nostra, sed corrigere etiam, atque aspere punire, ut cum Patribus cæteris exponit idem Chrysostomus homil. 24. (al. 23.) in Matth.

Denique innumera ejusmodi exempla extant in sacris paginis : ex quibus eminent Israelitæ, qui in L. Judicum toties ob defectionem suam a Deo castigati, easdem castigationes jejuniis, lacrymis et precibus averterunt. Ninivitæ Jonæ ult. eisdem mediis prædictum post quadraginta dies urbis excidium effugerunt. Manasses rex 2. Paral. 33. v. 12. agens pœnitentiam, e captivitate ereptus, et solio fuit restitutus. Achab internecionem domus suæ sibi ab Elia intentatam jejuniis aliisque pœnitentiæ operibus distulit, 3. Reg. 21. v. 27. Job et David sponte se afflixerunt ob culpas sibi remissas, et pœnas eis debitas sunt deprecati.

Prob. III. Probat eamdem doctrinam usus perpetuus Ecclesiæ, pœnitentibus opera laboriosa imperantis : et Patrum testimonia, queis ærumnosæ illæ satisfactiones laudantur et suadentur. Tertullianus L. de Pœnit. c. 7. : *Pœnitere,* inquit, *non pigeat..., offendisti, sed reconciliari adhuc potes : habes, cui satisfacias, et quidem volentem* cap. 8. : *Confessio, satisfactionis consilium est, dissimulatio, contumaciæ.* cap. 9. *Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur; pœnitentia Deus mitigatur.* Et paulo ante c. 6. : *Quam ineptum, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere : hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum mittere : hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.*

Origenes hom. 6. in Exod. (opp. t. 1. p. 150. A.) : *Pœnitendo,* inquit, *flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est.* Et homil. 15. in Levit. (ibid. p. 262. D.) postquam docuit, peccata in hac vita redimi posse :

Quale, inquit, *pretium? pœnitentiæ sine dubio lacrymis congregatum, et manibus, id est, labore boni operis inventum.*

Cyprianus tract. de lapsis, c. 16. : *Dominus*, inquit, *orandus est, Dominus satisfactione nostra placandus...* cap. 35. : *Orare oportet impensius... diem luctu transigere... stratos solo adhærere, in cinere et cilicio et sordibus volutari.* Et cap. ultimo : *Qui sic Deo satisfecerit... non solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

Eisdem pene verbis utitur Lactantius L. 4. Inst. cap. 17. et Hilarius cap. 4. in Matth., Ambrosius L. de Elia et jejunio cap. 20. n. 76. (opp. t. 1. p. 559. B.) : *Habemus*, inquit, *plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus ; pecuniam habes, redime peccatum tuum... peccatis tuis venumdatus es ; redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.* Et epist. 82. : *Quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra?* Plura in hanc rem Patrum testimonia lege apud Bellarminum de Pœnit. L. 4. c. 9.

222. *Dico II.* Etsi Deo ex rigore justitiæ satisfieri non possit, justi tamen per opera pia pro pœnis temporalibus veterum peccatorum condigne satisfaciunt.

Prob. I. S. Scriptura et Patres tradunt, posse peccata piis operibus redimi, satisfieri Deo pro peccatis, opera bona esse satisfactiones pro pœnis peccato debitis, esse pretium ac pecuniam, queis peccata redimamus : atqui phrases istæ satisfactionem condignam exprimunt; ergo.

Prob. II. Satisfacere condigne et ex ea, quæ Deum inter et homines intercedere potest, justitia, est accedente multiplici Dei gratia ipsi satisfacere quodammodo ex propriis et ad æqualitatem : atqui hæc potest præstare homo justus; ergo. *Prob. min.* Tametsi Deus absolutus Dominus omnes actiones bonas nobis imperare possit ; quia tamen multas a nobis pro potestate non exigit, sed illas laudando et suadendo nobis liberas relinquit, evadunt hoc modo opera indebita, arbitraria nobis et propria. Ergo ex bonis hisce propriis Deo satisfacere possumus; cum ipsius benignitate factum sit, ut sua munera patiatur esse nostra merita, ut tradit S. Augustinus.

Deinde per gratiam sanctificantem efficimur filii Dei, membra Christi et habitacula Spiritus sancti; ergo cum opera nostra, ut a Spiritu Christi in nobis habitante procedunt, infinitatem quamdam habeant, etiam æqualitatem aliquam cum injuria, qua Deum peccando offendimus, sortiuntur.

Ad hæc Deus non sibi per gratiam reconciliando debitam peccato æternitatem pœnæ condonat ; ergo multo facilius pro reliquiis temporalibus homo justus per actiones bonas satisfaciet condigne : quandoquidem congrue satisfacimus pro pœna æterna.

Denique si meretur justus ex condigno gloriam æternam, quanto magis ex condigno satisfacere potest pro pœnis temporalibus, quod multo est minus; cum post Tridentinum Sess. 14. cap. 8. et 9. Pius V. et Gregorius XIII. damnando propositionem Baii 77am. aperte asserant, nos eodem modo quo meremur, satisfacere, idque vere ac proprie. Dicta autem propositio damnata ita habet : *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

223. *Obj. I.* Peccata gratis remittuntur, ut novimus ex S. Scriptura et

Patribus, præsertim Ambrosio L. 10. in Luc. c. 88. (opp. t. 1. p. 1523. A.) ubi, *Non invenio*, inquit, *quid* (Petrus) *dixerit; invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego.* Ergo non possumus satisfacere pro pœnis peccatorum.

R. *D. Ant.* Peccata remittuntur gratis quoad culpas et pœnæ æternitatem *C.* quoad pœnas temporales *N.* S. Ambrosius verbo, *satisfacere*, utitur pro excusare se, sicut et Paulus Act. 24. v. 10. *Bono animo pro me satisfaciam;* nam idem Ambrosius antea n. 87. scripserat: *Maluit ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando.* Quanquam et ipsa pœnæ temporalis remissio, licet per satisfactionem redemptæ, gratuita adhuc dici debeat; eo quod sine gratia Dei satisfieri ne a justis quidem possit.

Inst. 1. Si Deus operibus nostris propitietur, ergo frustra Christus dicitur propitiatio pro peccatis nostris Joannis epist. 1. c. 2. v. 2. et c. 4. v. 10. et Isai. 53. v. 5. *Livore ejus sanati sumus: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* et 1. Petr. 2. v. 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

R. *D. seq.* Si Deus operibus nostris mere naturalibus et humanis placatur, Christus non est propitiatio *C.* si Deus propitiatur nostris operibus, omnem vim et dignitatem habentibus ex merito crucis et gratia Christi, Christus non est propitiatio *N.* Hanc distinctionem studiose adhibet Concilium Tridentinum nuper cit.: Christus omne pretium large effuseque pependit; sed iis tantum prodest, quibus per instrumenta divinitus ordinata applicatur, inter quæ referuntur preces, eleemosynæ et austeritates corporis. Necesse autem prorsus erat, ut persona, qualis Christus est, pro culpa et reatu æternæ damnationis satisfaceret, cum id homo peccator et inimicus Dei minime potuerit. At vero ut primum, remissa culpa et damnatione æterna, filii Dei evadimus, ipsi in Christo et per Christum sufficimus ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus.

Inst. 2. Mutatio morum, juxta Patres, optima est pœnitentia; ergo satisfactio est superflua.

R. *D. Ant.* Mutatio morum cum contritione, confessione et satisfactione est optima pœnitentia *C.* sola morum mutatio *N.* Unica hæc mens est Patrum. S. Augustinus hom. 50. c. 15. L. 50. homil. (al. hom. 351. c. 5. n. 12.) *Non sufficit*, inquit, *mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Eadem habet cap. 7. Enchiridii. Et ante eum S. Cyprianus epist. 18. (alias epist. 54. et 59.) ad Cornelium, adversus eos, qui lapsos statim reconciliari volebant: *Intercedunt*, inquit, *ne exoretur precibus et satisfactionibus Christus... ne Deo indignanti satisfiat... datur opera, ne satisfactionibus et lamentationibus istis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.*

224. *Obj. II.* Non potest ex condigno et ad æqualitatem satisfieri Deo ab homine pro culpa, ergo neque pro pœna.

R. *N. Cons.* Satisfacere pro culpa est simul restaurare amicitiam cum

Deo: ad omnem vero satisfactionem hominis erga Deum requiritur acceptatio Dei: acceptatio autem Dei jam præsumit Dei amicitiam; ergo est impossibile satisfacere condigne pro recuperanda Dei amicitia. Deinde sicut offensio habet infinitatem aliquam ex parte objecti, ita ut sit æqualitas, satisfactio pro ea debet habere infinitatem aliquam ex parte principii satisfacientis: hæc autem infinitas deest peccatori, qui ut homo est mera creatura; neque opera ejus satisfactoria fiunt a Spiritu Christi ipsum inhabitante, sive ab homine ut membro Christi ac filio Dei per gratiam et caritatem effecto; quippe qui ante expiatam aut gratis donatam offensam est adhuc peccator et inimicus Dei. E contra satisfactio justi pro residua pœna non est restitutio honoris, nec recuperatio amicitiæ, sed tantum compensatio, qua restauretur æqualitas justitiæ, luendo debitum pœnæ temporalis; quod utique præstari potest ab homine Deo grato ex bonis ipsi propriis, cum ad justitiæ æqualitatem non requiratur æqualitas personarum.

Inst. Gloria æterna est præmium æquale bono operi; ergo omnis ejus vis et valor exhauritur promerendo gloriam, neque sufficit ad obtinendam ex condigno remissionem pœnæ.

R. *D. Ant.* Gloria æterna est præmium æquale operi ut meritorio *C.* ut satisfactorio *N. Ant. et Cons.*

ARTICULUS III.

CONDITIONES AD SATISFACTIONEM EXTRA SACRAMENTUM REQUISITÆ.

225. *Dico I.* Ut opus pœnale sit condigne in actu secundo satisfactorium et temporalem pœnam certo tollat, requiritur acceptatio divina. Ita Suarez contra Vasquez.

Prob. I. Deus ut supremus Dominus posset opus istud pluribus aliis nominibus exigere; ergo nisi ipse illud tanquam satisfactionem pro pœna debita destinaverit, non potest illo pœna certo tolli.

Prob. II. Supremi Judicis est reo pœnas commutare, non autem sontis.

Prob. III. Satisfactiones nostræ sunt perinde æquales pro pœnis hujus, ac alterius vitæ; sed certum est, eas sæpe non sufficere in actu secundo pro pœnis hujus vitæ, defectu solius acceptationis divinæ; ergo quod sufficiant pro pœnis vitæ alterius, soli divinæ acceptationi adscribitur.

Conf. Animæ a corporibus solutæ non satisfaciunt pro pœnis, licet intensissima contritione peccata detestentur; neque etiam per pœnas in purgatorio patientissime toleratas: atqui horum alia ratio reddi nequit, quam quod Deus hos actus in eum finem non destinaverit; ergo.

226. *Dico II.* Ut condigne quis pro temporalibus pœnis satisfaciat, opus est, eum adhuc esse viatorem et in Dei gratia.

Prob. 1ª. pars. Hoc discrimen inter satisfactionem et satispassionem intercedit, quod Deus in hac vita ipsam voluntariam acceptationem et perpessionem pœnæ, tam sponte susceptæ, quam divinitus nobis immissæ admittat in partem satisfactionis et expiationis, ita ut satisfactio ista hac ratione

censeatur actio nostra : e contra quia Deus voluntariam tolerantiam pœnarum vitæ alterius non computat in partem satisfactionis, totum quod miseri illi justi etiam libentes sustinent, æstimatur duntaxat ut passio, neque computatur in partem pœnæ satisfactoriæ ad tollendum reatum. Quapropter Christus Joan. 9. v. 4. *Venit nox*, inquit, *quando nemo potest operari.* Ubi per noctem alterius vitæ statum innuit : nam etiam se ipsum inter eos, qui nocte ingruente nihil operari possunt, comprehendit.

Prob. 2ª. *pars* ex TRIDENTINO, quod satisfactionem omnem nostram fieri dicit per Christi gratiam, in qua vivimus.

227. *Dico III.* Ad satisfactionem condignam non sufficit actionem esse liberam, honestam et supernaturalem, sed insuper requiritur, ut sit laboriosa.

Prob. Satisfacere est cum consensu offensi judicis prævenire pœnam ab hoc infligendam, et eam ita evadere, quia æquum non est, ut idem bis puniatur; ergo satisfactio est actio justitiæ vindicativæ : atqui omnis vindicta exigit pœnam; ergo satisfactio omnis consistit in actione pœnali et ærumnosa.

228. *Obj. I. cont.* 1ªm. *concl.* Malæ actiones, secluso decreto et comminatione Dei, merentur pœnam, quia ponunt inæqualitatem cum jure divino : atqui actiones satisfactoriæ hanc inæqualitatem tollunt pretio suo intrinseco ante omnem Dei acceptationem extrinsecam : talis enim promissio non auget valorem operis intrinsecum, ergo non egent acceptatione Dei, sed Deus debet acquiescere, perinde ac creditor repræsentata pecunia debita.

R. *D. M.* Mala opera secluso Dei decreto merentur pœnam in actu primo *C.* in actu secundo *N.* Ubi lex non est, nec est legis trangressio seu peccatum, aut inæqualitas cum divino jure. *D. etiam min.* Actiones satisfactoriæ hanc inæqualitatem tollunt in actu primo *C.* in actu secundo *N.* Ante divinam promissionem sunt idoneæ ad satisfaciendum, si Deus nolit ipse pœnas sumere, et actiones bonas aliis nominibus exigere. Unde apparet ratio disparitatis evidens : nam solius judicis est pœnas decernere aut mutare; mereri autem pœnas est peccatoris solius. Neque ad rem est exemplum creditoris humani et debitoris : nam hi ambo jura et bona propria ac diversa habere possunt; cum e contra substantiæ creatæ, quidquid sunt, Dei sint.

229. *Obj. II. cont.* 2ªm. *concl.* Satisfacere est æquale reddere : atqui peccator pœnam sibi debitam sustinendo, æquale reddit; ergo non opus est ad condignam satisfactionem statu viatoris et gratiæ.

R. *D. M.* Satisfacere est æquale reddere consentiente et probante supremo Judice *C.* hoc non consentiente *N.* Sine gratia Christi in hac vita nulla satisfactio esse potest. Quod autem in altera sustinent damnati, inviti patiuntur; ergo nequit esse satisfactio; cum ne bonam quidem voluntatem, qua justi in purgatorio supplicia admittunt, Deus pro satisfactione acceptet.

230. *Obj. III. cont.* 3ªm. *concl.* Si satisfactio debet fieri per opus pœnale;

ergo actus caritatis, licet perfectissimæ virtutis, esset minus ad satisfaciendum idoneus, quam actus abstinentiæ.

R. *D. seq.* Si actus caritatis sit valde languidus, et actus abstinentiæ sit admodum intensus et ærumnosus *C.* secus *N.* Omnes actus honesti sunt habiles ad satisfaciendum : nam quia adversantur bono alicui sensibili, nobis sunt difficiles et ærumnosi. Quod si hominibus virtute perfectis faciliores videantur, ob habitum vehementer intensum, non minus sunt ideo satisfactorii, cum actio ex virtute absoluta profecta præstantior omnino sit. Cæterum in hoc differt satisfactio a merito, quod hoc non augeatur intensive ab opere externo adjuncto et continuato ; nam meriti pretium maxime petitur ab honestate actionis internæ : cum e contra opus inde dicatur satisfactorium, quod pœnale sit et ærumnosum ; ergo cum opus externum secundum se pœnam et ærumnam augeat, addit vim satisfaciendi actui interno, a quo fuit imperatum, etsi hic physice amplius non perseveret. Ex hucusque disputatis

231. *Coll.* 1°. Satisfieri etiam per opera alias præcepta, licet non peragantur a nobis animo satisfaciendi, sed tantum studio placendi Deo. Nam Tridentinum Concilium Sess. 6. cap. 10. docet, nos non tantum per actiones bonas ultro admissas, sed etiam per præceptas mereri augmentum gratiæ et gloriæ. Ratio autem tota, cur per bonas actiones satisfaciamus, est, quia sunt pœnales, fiuntque per Christi gratiam, in qua vivimus, et Deo placemus.

2°. Hactenus actum esse de satisfactione, quæ ex opere operantis exhibetur : ad quam tamen observa, neminem per se teneri. Neque enim justitia vindicativa exigit, ut quis de se ipso supplicium sumat ; sufficit ergo illi satisfieri in purgatorio. Neque etiam lex caritatis quemquam graviter adstringit ad avertendum a se malum, nisi irreparabile, et quo inimici Dei constituimur : neque jubet procurare accelerationem beatitudinis, ad cujus perfectionem procurandam neminem sub gravi culpa obligat. Et quis peccati lethalis damnabit eum, qui veniale peccatum adhuc in mortis articulo admitteret, aut de venialibus omnibus non contereretur tunc, quando scit, se amplius satisfacere non posse.

ARTICULUS IV.

DE SATISFACTIONE INJUNGENDA IN SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

232. *Dico.* Sacerdos, spectata gravitate peccatorum et facultate pœnitentium, tenetur pœnam peccatis proportionatam illis injungere.

Prob. I. Ex usu perpetuo Ecclesiæ, quæ pœnitentes nunquam sine conveniente satisfactione imposita absolvit.

Prob. II. Concilium Laodicænum seculo IV. celebratum canone 2., Concil. Carthaginense III. sub finem ejusdem seculi IV. can. 31., Turonense III. anno 813. can. 22., Chabilonense II. eodem anno can. 38., Moguntinum I. sub Rhabano anno 847. can. 31., Wormatiense anno 868. can. 25., et Tridentinum Sess. 14. cap. 8. præcipiunt, debere *sacerdotes, quantum spiri-*

tus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere.

Prob. III. a priori, ex institutione divina, Matth. 16. : *Quæcumque ligaveritis*, et cap. 18. : *Quæcumque alligaveritis* : quibus verbis Christus sacerdotibus non tantum potestatem dedit retinendi peccata impœnitentium, sed etiam pœnitentes ad certa satisfactionis et pœnitentiæ opera alligandi : ut, quemadmodum peccata remittunt quoad culpam et pœnam æternam, dum absolvunt, ita etiam retineant peccata quoad pœnam temporalem, dum imponunt mulctam pœnitenti. Ita argumentatur Tridentinum nuper citatum, et Patres antiqui, quos inter Leo M. epist. 91. (al. 108. c. 2.) : *Mediator Dei*, inquit, *et hominum hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Prob. IV. Rationibus compluribus eorumdem Patrum, quas Concilium Trid. breviter stringit. Par omnino erat, a Deo mandari ministris, ut neminem a baptismo lapsum, sine satisfactione reconciliarent : siquidem in lumine fidei et agnitione Dei jam versantes peccarunt, postquam diabolo et pompis ejus renuntiarunt, per gratiam Spiritus sancti habitacula et filii Dei effecti, totque beneficia adepti, Deum offenderunt : quæ quidem omnia de nondum baptizatis dici non possunt. Deinde ita extollenda est divina misericordia, ut et justitiæ, quoad fieri potest, ratio habeatur. Præterea baptismus est regeneratio, quæ citra magnum laborem nascituri accidit : e contra pœnitentia est medicina, quæ per ægroti ustiones, incisiones, sudores, aliasque sanandi molestas exercitationes peragitur. Porro expedit plane, non adeo impunem pœnitentem discedere, ne facilitate veniæ ad iterum peccandum provocetur, sed pœnis coercitus et gravitatem criminum agnoscat, et horum odio virtutisque amore sensim probe vivere discat, extirpet habitus vitiorum, virtutes acquirat; dumque Christi degustat crucem, cum ipso pro peccatis suis compatiatur, ut cum eodem in cœlis regnet. Denique dum unusquisque sua peccata castigat ipse, avertitur a populo christiano ira Dei, corriguntur alii, sarciuntur scandala, et tota exhilaratur Ecclesia.

233. *Obj.* Dici nequit, omnes fere sacerdotes damnatum iri, cum hodiedum soleant pœnitentibus pro multis et gravioribus criminibus aliquot precatiunculas, aut unum et alterum jejunium injungere, licet Concilium Tridentinum nuper citatum dicat, eos alienorum criminum participes effici, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum peccatoribus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo; ergo non videtur debere injungi satisfactionem proportionatam peccatis.

R. *D. Cons.* Non videtur debere injungi satisfactionem proportionatam peccatis solis *C.* proportionatam etiam facultati pœnitentium *N. Debent*, inquit Concilium, *sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere* : fructus enim pœnitentium potissime spectandus est. Quapropter pœnitentes moribundi sine satisfactione injuncta absolvendi sunt, ut constat ex Conciliis et Patribus relatis supra cap. 4. a. 2. concl. 2. et 3. Quoad cæteros moderanda est satisfactio pro ratione infirmitatis corporalis aut spiritualis ipsorum, si nimirum ex pœnitentia duriore

prævideantur fore pusillanimes, alieni a sacramento Pœnitentiæ, aut si ratione morbi, aliusve impedimenti impotentes fiant ad illam peragendam. Nam si moderata ipsis satisfactio dictetur, communiter et per se loquendo, periculum tantum est, ne gravius tantum in purgatorio luant; si vero decernatur pœna austerior, quam pœnitentis infirmitati expediat, verendum est, ne is se alio quodam gravi peccato obstringat, negligendo satisfactionem, reticendo peccata graviora, molliores et imperitos confessarios de industria adeundo. Denique mitiorem satisfactionem imperans non facit sacramento injuriam, ad cujus integritatem satisfactio omnimodis exacta non requiritur, neque etiam satis certo constat, quænam illa sit : neque Deo injurius est, cujus integrum servatur jus pœnam debitam olim in purgatorio exposcendi. Quam in rem in Supplemento S. Thomæ q. 18. a. 4. in 0. ita habetur : *Pœnæ satisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum : sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur : ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, et a pœnitentia totaliter recedat.*

Inst. Canones Apostolorum et Conciliorum priscorum certas, easque graves pœnas peccato cuilibet decernebant; ergo Ecclesia hodie in gravem morum corruptelam defecit, quæ canonum illorum executionem non urget.

R. *D. Ant.* Canones decernebant graves pœnas pro foro Ecclesiæ externo, et quidem ad Episcopi arbitrium injungendas et temperandas *C.* decernebant eas pro foro interno, *subd.* tanquam præcepta divina aut ecclesiastica *N.* tanquam regulas, queis presbyteri instruerentur, et quibus prudenter uterentur *C.* Nullam certam pœnam divinitus esse præscriptam, neque etiam lege humana, quæ pœnitentibus dictetur, sed discreti confessarii arbitrio rem committi, constat tum ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 8., tum ex Innocentio III. c. *Deus qui,* de Pœnit. et Remiss., item ex c. *Mensuram,* de Pœnit. dist. 1. Hinc *N. Cons.* Nam sacerdotem leviore pœnitentia per accidens sæpe contentum esse posse, constat ex usu veteris Ecclesiæ, quando pœnitens insolita signa vehementis doloris edit, aut satisfactiones plures jam ipse præmisit : quando adhibentur indulgentiæ, sacrificia et suffragia ; his enim et pluribus aliis de causis publicæ etiam pœnitentiæ modus olim statuebatur. Ex hisce breviter explicatis

234. *Coll.* 1°. Actiones mere internas, ceu meditationes, actus fidei, contritionis et similes posse, ac interdum expedire in satisfactionem injungi. Sunt enim optimi, et maxime liberi, difficiles ac ærumnosi : atque in q. 86. a. 4. S. Thomæ concorditer tradunt Theologi, remissionem temporalis reatus peccati majorem esse ac minorem pro modo contritionis. Oratio item ab omnibus inter opera maxime ad satisfaciendum accommodata numeratur, non quidem propter solam vocem, sed potissimum ob mentis attentionem, in qua maxima ejus perfectio et difficultas consistit.

2°. Quantumvis Sotus et alii probabilius arbitrentur, actiones aliunde jam præceptas in criminum pœnam imperari posse; raro tamen id expedit : nam pœnitentia injungenda non solum est ad novæ vitæ cautelam, sed ad

præteritorum etiam vindictam et castigationem erratorum, ut Patres Tridentini monent. Quod dici vix potest de actionibus alioqui præscriptis, quæ exsequi Christianos oportet, etiamsi nihil peccassent. Igitur culpa non vacat sacerdos, qui tantum decerneret in pœnitentiam pro peccatis gravibus actiones alia lege ecclesiastica jam ordinatas.

3°. Si sacerdos opus ab alio exsequendum in satisfactionem decernit, hoc opus, prout per alium absolvitur, non est pars sacramenti, sed sola illa actio laboriosa ac difficilis, qua pœnitens opus illud ab alio exsequendum procurat.

4°. Pœnitens, cui satisfactio modica pro gravi crimine injungitur, monendus est, hoc fieri, ut ipsius imbecillitati consulatur; eique sunt explicandæ pœnæ, quas juxta canones antiquos subire deberet, et quas gravissimas Deus adhuc ab ipso in hac vel altera vita in flammis piacularibus repetiturus est, ni ipse ultro manum ejus præveniat.

5°. Qui moderatas etiam pœnas, medicinales præsertim detrectant, absolvendi non sunt.

6°. Pœnitentiæ publicæ nondum sunt penitus abrogatæ, sed instaurari eas posse asseverat Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 8. Quanquam nisi ob crimina publica, et inconsulto Episcopo imperari eas non oporteat.

ARTICULUS V.

DE SATISFACTIONE A CONFITENTIBUS PRÆSTANDA.

235. *Dico I.* Pœnitentes tenentur injunctam sibi a sacerdote satisfactionem accurate absolvere tempore et modo præscripto, nisi fuerit legitime dilata, mutata aut sublata.

Prob. 1ª. *pars.* Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8. : *Claves*, inquit, *sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt, et docent.* Unde sacerdotibus ipsis incumbit gravis obligatio dictandi confitentibus satisfactionem : atqui potestas ista et officium frustra forent, si ex arbitrio pœnitentium penderet parere, et non parere; ergo.

Pars 2ª. non eget probatione. Nam si satisfactio differatur a sacerdote, pœnitens eo tantum tempore ad illam præstandam tenetur, in quod jure conjicitur : si vero ex negligentia culpabili fuit procrastinata, solvi debet, quamprimum poterit. Quod si fuerit sublata, ad nihil tenebitur : si immutata, ad illam solum, quæ fuit in locum prioris substituta. Nunquam autem licet pœnitenti satisfactionem imperatam mutare secundum substantiam; cum reus in judicis sententiam nihil possit. At confessarius, qui illam dictavit, hoc sine dubio potest, utpote cui nec facultas, nec notitia deficit : quæ quidem commutatio ad sacramentum idem, quo primo injuncta, pertinet. Potestatem eamdem habet unusquisque sacerdos, jurisdictione in pœnitentem præditus, modo hunc eadem peccata iterum confitentem audiat, et eisdem absolvat; nam commutatio pœnæ actus judicii est, quod sine cognitione causæ et sacramenti administratione exerceri nequit : sacramentum vero administrare, est confesso absolutionem impertiri.

Præterea tolli aliqua pœnitentiæ pars potest, si fuerit imprudenter imposita : imo ipse pœnitens posset aliquam satisfactionis portionem per accidens tollere, subtrahendo materiam, quando moraliter certus est, se indulgentias lucrari; modo non fuerit satisfactio medicinalis; nam talem nec indulgentia tollere, nec ipse sacerdos, nisi in similem, sine peccato convertere potest.

Denique in præfatis casibus expedit, semper aliquid de prima satifactione relinqui, ut prioris sacramenti integritati consulatur.

236. *Obj. I.* Sacerdos potest satisfactionem pœnitenti committere tantum per modum consilii; ergo pœnitenti tunc liberum erit, eam implere, et non implere.

R. *N. Ant.* Secundum doctrinam Concilii Tridentini facultas dictandi satisfactionem oritur ex potestate ligandi : atqui potestas ligandi non exercetur suggerendo consilium, sed adstringendo et præcipiendo, sicut et justitia vindicativa; ergo cum sacerdos, per se loquendo, teneatur imponere satisfactionem, injungenda est præcipiendo. Neque probatur excusatio Suaresii et Dianæ dicentium, ligari pœnitentem conditionate, si velit consequi fructum ex opere operato sacramenti; quis enim putet reum carcere constringi, cui judex dixerit, si vis in carcere manere, tractabo te laute; si vero discedere mavis, per me licet, abi. Hinc pinguem illorum errorem aversare, qui putant, omnia futura opera pœnitentis in partem sacramenti extolli per verba, quæ post absolutionem sacerdos quandoque profert : *Passio Domini nostri Jesu Christi*, etc.; hæc enim phrasis mere est precatoria.

Inst. 1. Potest pœnitens vel omnem satisfactionem, vel potissimam ejus partem differre in vitam alteram, peracta modica illius parte, ut consulatur sacramenti integritati; ergo.

R. *N. Ant.* quod verum esse diximus de satisfactione extra sacramentum ex opere operantis exhibenda. Secus res habet in sacramento Pœnitentiæ, ubi obligatio explendi satisfactionem nascitur ex potestate ligandi, quæ prorsus quoad hanc partem enervaretur, si pœnitenti liberum foret non obtemperare. Tametsi peccatum grave non committeret, qui etiam de industria negligeret exsequi satisfactionem levem, sicut nec sacerdos, qui hanc non imperaret : neque enim satisfactio pars est talis, sine qua sacramentum informe esset : et Bonifacius VIII. reprehendit confessarios, qui anno Jubilæi pœnitentias alias imponebant, ut refert Glossa in Extravag. *Antiquorum*, de Pœnit. et Remiss. Imo nihil sacerdos delinqueret, sine injuncta pœnitentia absolvendo confitentem, quem certo scit jam satisfecisse.

Inst. 2. Absurdum est dicere, eum, qui injunctam levem ob peccata gravia pœnitentiam omitteret, peccare tantum venialiter; eum vero, qui gravem pro venialibus indictam satisfactionem non præstaret, mortale peccatum admittere.

R. *N. Assumpt.* Levitas et gravitas hujus obligationis ex ipsa satisfactionis materia proficiscitur, non vero a causa, propter quam satisfactio imperatur; nisi forte cum quibusdam teneas, posse rem gravem sub levi obligatione imperari, et vicissim rem levem sub obligatione gravi. Quod si quandoque subditi magistratus civilis leges sine peccato non acceptent, non

continuo sequitur, pœnitentes non teneri obtemperare judici sacro, rationabilem pœnitentiam injungenti; nam magistratus civilis potestatem suam a subditis accipit.

Inst. 3. Nemo tenetur uti privilegio: atqui posse pro magna pœnarum purgatorii satispassione substituere modicam satisfactionem, est privilegium; ergo.

R. *D. min.* Posse pro pœnis purgatorii substituere modicam satisfactionem, est privilegium merum *N.* est privilegium adjunctum præcepto *C.* Adhæret imperium judicis vindicantis delicta, et ferentis sententiam absolutoriam quidem, sed simul obligatoriam, et quidem in reum, qui se huic judicio sponte subjecit, ubi sacerdos potestatem absolvendi non debet usurpare sine potestate ligandi.

237. *Obj. II.* Potest aliquis ipse votum editum abs se mutare in melius; ergo etiam satisfactionem sibi injunctam.

R. *N. Cons.* Determinatio voti pendet a propria cujusque voluntate: e contra satisfactionis modus statuitur a sacerdote tanquam superiore et judice. Quanquam ne hic quidem pœnitentiam, peracta omnino tota actione sacramenti confessionis et absolutionis, in graviorem mutare possit; quia sententia lata semel transiit in rem judicatam, et habet quamdam rationem contractus, qui nolente parte altera mutari postea nequit.

238. *Obj. III.* Solus superior potest alterius judicis sententiam mutare; ergo confessarius æqualis potestatis, mutando satisfactionem ab alio injunctam, huic injurius est.

R. *D. Ant.* Solus superior potest alterius judicis sententiam mutare in causis civilibus *C.* in sacramento Pœnitentiæ, in quo liberum est reo sæpius iterare judicium *N.* Quoad sacrum hoc forum singula, quæ in judicio posteriore peraguntur, habent se tanquam ex accidente ad confessionem priorem.

Inst. Si sacerdos potest commutare pœnitentiam ab alio æqualis potestatis sacerdote dictatam, poterit sacerdos inferior etiam mutare pœnitentiam a superiore ob casum reservatum injunctam; nam pœnitens eamdem confessionem potest apud sacerdotem inferiorem iterare.

R. *N. seq., cujus prob. Dist.* Potest confessionem iterare eo modo, ac si nunquam fuisset facta *N.* tanquam ante jam peractam apud sacerdotem superiorem, qui solus potestatem a casu reservato absolvendi habet *C.* Quod si etiam sacerdos inferior posset mutare materiam, in quam superior votum reservatum commutavit, ut Suaresius contra Navarrum contendit, hoc tamen nihilominus discriminis interest, quod commutando votum superior non imponat præceptum pœnitenti.

239. *Dico II.* Nullo Christi præcepto satisfactionis præstationem absolutioni sacerdotis præmittere jubemur.

Prob. I. Xystus IV. anno 1478. hanc Petri Uxamensis propositionem damnavit: *Quod non sint absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia ipsis injuncta*: et Alexander VIII. istam: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi*

lex et præscriptio, natura rei idipsum aliquo modo dictante. Quam eamdem S. Facultas Parisiensis anno 1644. die 28. Julii damnavit ut temerariam et hæreticam.

Prob. II. In antiqua Ecclesia non tantum publice pœnitentes, si ante expletam pœnitentiam in mortis discrimen incidebant, sed etiam alii graves peccatores, qui in peccato perseverantes pœnitentiam agere differebant, in eodem vitæ periculo absolvebantur, modo constiterit, ipsos sacerdotem, cui confiterentur, desiderasse, ut sæpius supra ostendimus.

Prob. III. Ecclesia latina jam a sex seculis, et græca jam a duodecim seculis, servare desiit morem pœnitentes non absolvendi, nisi perfecta pœnitentia, ut data opera ex Græcorum Ritualibus Joan. Morinus demonstrat L. 6. c. 24.: atqui Ecclesiam in administratione sacramenti alicujus tanto tempore errasse, dici non potest sine enormi temeritate et errore manifesto; nam *quicumque aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, et observat de sacramento confessionis et reliquis Ecclesiasticis sacramentis, vinculo perpetui anathematis innodantur.* c. *Ad abolendam,* de Hæret. Et B. Augustinus epist. 118. ad Januarium (al. epist. 54. c. 5.) ait: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia... quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.*

Prob. IV. Totum fundamentum Jansenianorum satisfactionis executionem absolutioni præmittendam esse contendentium est, quia peccata ministerio sacerdotis non tolluntur, sed ante expiata, et divinitus jam donata tantum declarantur: atqui doctrina ista falsa est, et proscripta a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 6. et can. 9.; ergo.

Prob. V. Si injunctæ satisfactionis executio ex lege Christi tam necessario præmittenda sit absolutioni, ut hæc non sit valida, nisi satisfactio prius completa fuerit; ergo impossibilis erit usus sacramenti Pœnitentiæ hominibus innumeris, qui mortem obeunt, antequam satisfactionem absolvere possint, et consequenter vel neganda his esset absolutio, vel absoluti etiam damnarentur, quod a christiana pietate abhorrere veteris Ecclesiæ Patres et Concilia tradiderunt.

Prob. VI. Ut satisfactio reatum pœnæ tollat, ablatam præsumit culpam: sed ante absolutionem sæpe non est ablata culpa; nisi velis, semper illi debere præmitti contritionis perfectæ actum, quod falsum esse demonstravimus supra cap. 3. art. 3.

Quare merito censura S. Facultatis Parisiensis notatus fuit anno 1644. Theophilus Brachet, qui erroneam illam opinionem in libro, *Veraæ pacificus* inscripto, propugnaverat. Et a Clemente XI. anno 1713. die 8. Septembr. in constitutione *Unigenitus,* inter centum et unam propositiones Quesnelli octogesima septima hoc eodem errore laborans, est proscripta. Hisce præivit insignis apostata M. Antonius de Dominis, Spalatensis quondam Archiepiscopus, in libro de Repub. Christiana c. 7. n. 57., sed et hujus libri una cum defuncti cadavere a carnifice Romæ exusti sunt anno 1634.

240. *Obj.* Absolutio, secundum Patrum doctrinam, merces est et fructus laboriosæ satisfactionis; ergo absolutio satisfactionem sequi debet.

R. *D. Ant.* Absolutio a pœna temporali merces est et fructus laboriosæ satisfactionis *C.* absolutio a culpa et pœna æterna *N.* De hac absolutione

scribit Apostolus Rom. 3. v. 24. : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

Inst. 1. Ex disciplina primævæ Ecclesiæ constat, ante expletam satisfactionem non fuisse datam absolutionem sacramentalem ; nam INNOCENTIUS I. in epist. ad Decentium cap. 7. (Labb. t. 2. p. 1247. D.) scribit, tunc debere *dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.* LEO M. epist. 82. (al. 108.) ad Theodorum ait, *eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittendos esse;* ergo.

R. *N. Cons.* Quamvis Ecclesia eo tempore, quo vigebat pœnitentia publica, ordinarie absolutionem peccatoribus gravibus distulerit usque ad tempus expletæ satisfactionis; nunquam tamen judicavit, satisfactionem istam ex necessitate sacramenti præcedere absolutionem debere; nam præter insinuatum nuper mortis articulum, datam fuisse absolutionem nondum præstita satisfactione pluribus casibus nos monumenta veterum docent, ac 1°. quidem, cum periculum erat, ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad hæreticos vel schismaticos deficerent. Ita Cyprianus epist. 52. ad Antonianum. 2°. Instante tyrannorum persecutione, idem S. Cyprianus epist. 54. ad Cornelium, de pace lapsis danda. 3°. Cum spes erat, hac indulgentia vel plures ad Ecclesiæ gremium reversuros, vel extinguendum schisma esse. Ita S. Cornelius Papa epist. inter Cyprianicas 46. et ipse Cyprianus epist. 19. ad Caldonium. 4°. Ad commendatitias Confessorum, Cyprianus epist. 16. 5°. Cum pœnitens egregia signa vehementis doloris demonstrabat. Ita S. Gregorius Nyssenus epist. canon. (opp. t. 1. p. 1946.) et Concilium Ancyranum can. 5. Tom. 1. Conc. pag. 1458.

Inst. 2. Ecclesia tribus prioribus seculis peccatores, qui post vitam potissime in vitiis transactam sacramentum absolutionis in mortis articulo poscebant, ad illud non admisit; ergo probabilius intelligimus, morem istum ab Apostolis et a Christo ipso profectum esse. *Antecedens* patet ex S. Cypriani epist. 52. ad Antonianum, ex Concilii Arelatensis I. can. 22. (Labb. t. 1. p. 1429. C.), ex Innocentii I. epist. 1. ad Decentium c. 7. (Labb. t. 2. p. 1247. D.) et Leonis M. epist. 91. al. 108.

R. *N. Ant.* Ad cujus probationem

R. 1°. S. Cyprianus cum cæteris Africæ Episcopis statuit, ut lapsi in idololatriam non reciperentur ad absolutionis sacramentum in articulo mortis, si illud usque eo petere distulissent, eo quod sera ista pœnitentia non sincera videatur; non autem quod absolutionem, quæ ante satisfactionem perfectam conferretur, invalidam esse censeret; nam sub finem libri contra Demetrianum scribit c. 23. pœnitentiam, ne sub ipso quidem vitæ temporalis exitu et occasu seram esse : veniam confitenti dari, et ad immortalitatem sub ipsa morte transiri.

R. 2°. De eisdem apostatis loquitur Concilium Arelatense, aitque eis quidem S. Eucharistiam, non autem absolutionem sacramentalem negari. Quod confirmatur a Concilio Nicæno I. paucis post Arelatense annis celebrato, canone 13. (Labb. t. 2. p. 35. B.) ubi, *de his,* inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut, si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime privetur.* Viaticum istud appellat absolutionem sacramentalem; nam canone eodem Eucharistiæ communionem arbitrio Episcopi committit.

R. 3°. Eadem adhuc clarius testatur Innocentius epist. cit. et epist. 3. ad Exuperium c. 2. (Labb. t. 2. p. 1255. C. D.) *De iis*, inquit, qui tota vita incontinentiæ dediti, sub finem vitæ reconciliationem poscunt, *observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est; nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Postea quam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dare abeuntibus placuit... Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur.*

R. 4°. Neque Leo M. dum loco cit. ait, sacerdotibus a Christo potestatem commissam fuisse, *pœnitentibus satisfactionem injungendi, eaque purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittendi*, ullo modo asserit satisfactionem ex necessitate absoluta præmittendam esse reconciliationi sacramentali: nam ibidem addit, urgente periculo mortis, non esse negandam reconciliationem : *Quia*, inquit, *misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire.*

Inst. 3. S. Augustinus serm. 57. de temp. (al. 255. in app.) scribit : *Parum est, peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit*; ergo veteres videntur dubitasse de veritate absolutionis datæ moribundo, qui pœnitentiam eo distulit.

R. *D. Cons.* Videntur de talis absolutionis veritate dubitasse ex eo capite, quod executio satisfactionis præmissa non fuerit *N.* ideo dubitarunt de veritate talis absolutionis, quod pœnitentia sera raro vera sit *C. Datur quidem*, prosequitur idem S. Doctor, *etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi... Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.* Sermone autem 66. (al. 254. in app.) *Pœnitentia, quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud Judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat*, etc.

ARTICULUS VI.

DE EFFICACIA SATISFACTIONIS SACRAMENTALIS.

241. *Nota.* Cum Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. dicat, confessionem, contritionem et satisfactionem esse partes sacramenti, *quatenus ad plenam perfectamque remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur*; effectus etiam aliquis gratiæ ex opere operato satisfactioni sacramentali est adscribendus, eo quod actio ista aliquo modo procedat a potestate solvendi et remittendi peccata, sacerdoti per confessionem subjecta, et ideo Christi merita et satisfactio specialiter per hanc partem applicentur : neque pars ulla sacramenti sit, quæ non operetur, quod peculiari modo significat.

Quanquam autem certum sit, a pœnitentiæ sacramento effectum gratiæ duplicem præstari, quorum altero remittitur culpa, altero pœna æterna, et aliquid etiam temporalis pœnæ relaxatur; negarunt tamen quondam non pauci, gratiam gratum facientem conferri ex opere operato satisfactionis,

in quantum hæc pars pœnitentiæ est, ut refert S. Thomas in 4. dist. 16. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3. in quorum sententiam multi etiamnum concedunt.

Imo Adrianus q. 2. de satisfactione in solutionibus argumentorum, et quidam alii sentire videntur, satisfactionem nequidem remittere pœnam ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, quanquam cum majore merito, quod ex præcepto sacerdotis fiat.

242. *Dico I.* Proprius et maxime indubitatus effectus ex opere operato satisfactionis est remissio alicujus pœnæ temporalis, præter illam quæ respondere posset ex opere seu merito operantis. Ita cum S. Thoma quodlib. 3. a. 28. Theologi communiter, quos citat Suaresius disp. 38. sect. 2. n. 2.

Prob. I. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad remissionem peccati: atqui pars ista non ordinatur ad remissionem culpæ; ergo ad remissionem pœnæ temporalis, ut Concilia nos docent; ergo remittet ex opere operato aliquid temporalis pœnæ.

Prob. II. Sacramenta novæ legis efficiunt, quod significant: atqui pars ista pœnitentiæ significat punitionem peccati et commutationem pœnæ purgatorii in pœnam præsentem; ergo redemptionem pœnæ vel maxime efficit ex opere operato.

243. *Dico II.* Sacramentalis satisfactio etiam post absolutionem peracta confert ex opere operato gratiam aliquam gratum facientem. Ita S. Thomas q. 90. a. 2. ad 2. Cajetanus in comment., Dom. Sotus d. 17. q. 1. a. 2., et Suaresius, qui thesin hanc dubiam censet, ei tamen utpote favorabili adhæret, tam propter auctoritatem B. Thomæ, quam ob rationes seqq.

Prob. I. Si pœnitens ante perceptam absolutionem omnia sibi injuncta satisfactionis opera exhibuisset, majorem utique gratiam ex opere operato, tanquam magis dispositus acciperet: atqui satisfactio absolutionem subsequens, nihilominus cum partibus aliis unum sacramentum constituit; ergo totum sacramentum per hanc quoque partem pœnitenti melius disposito gratiam majorem confert; adeoque per satisfactionem aliquid gratiæ infunditur, quod antea datum non erat.

Prob. II. Pars ista pœnitentiæ instituta non tantum est in vindictam et remissionem pœnæ, sed etiam ad medelam et emendationem peccatorum; ergo, cum novæ legis sacramenta idem efficiant, quod significant, dabitur ex satisfactionis opere operato gratiæ peculiare auxilium adjuvans ad emendanda peccata. Atqui in sacramentali effectu auxilium peculiare gratiæ adjuvantis semper conjunctum est cum habitu peculiari gratiæ sanctificantis; ergo probabile est, dari talem habitum etiam ex opere satisfactionis postea præstito.

244. *Dico III.* Satisfactio impleta in statu peccati non confert effectum pœnitenti, nisi remota fictione.

Pars 1ª. est contra Marsilium, Medinam, Scotum, et contra eos etiam, qui putant a peccatore satisfieri ex opere operantis posse pro pœna temporali. *Prob.* Nullum sacramentum confert effectum specialem sine generali, neque secundarium sine primario, ut constat ex Baptismo et Eucha-

ristia, quæ indigne suscipiens non consequetur remissionem reatus, etiam residui a peccatis olim jam remissis; ergo idem dicendum est de satisfactione post absolutionem in statu peccati peracta.

Conf. Remissio pœnæ temporalis, effectus est supernaturalis, aliquo modo præparans hominem, seu removens impedimentum gloriæ; igitur non decet illam conferri, nisi ei, qui est proportionatus ad gloriam et amicus Dei. Unde status peccati videtur esse obex remissionis pœnæ tam in sacramentorum usu, quam in exercitio aliorum bonorum operum.

Pars 2ª. traditur a Navarro de Pœnit. d. 6. cap. 1. in principio n. 48., Cajetano, Victoria, Petro Soto, quos citat et sequitur Suaresius, rem hanc incertam appellans, licet probabiliorem esse arbitretur. Nam licet satisfactio talis tanquam opus operantis mortuum sit, atque eatenus effectum nunquam consequatur; in quantum tamen opus sacramentale est et applicatio satisfactionis Christi, semper ex se vivum est, et nonnisi mortificatum ratione subjecti, ut non possit in eo habere effectum ratione præsentis dispositionis. Igitur sicut opera mortificata reviviscunt recedente fictione, ita et satisfactio ista obice amoto effectum suum sortitur tanquam pars veri sacramenti.

245. *Obj. I. cont.* 1ªm. *concl.* Remissio pœnæ temporalis alicujus peccato debitæ effectus est communis omnibus sacramentis; ergo non est proprius satisfactioni sacramentali.

R. *D. Ant.* Remissio alicujus pœnæ temporalis est effectus per accidens communis omnibus sacramentis *Trans.* quia hoc incertum est, quamvis pie credatur. Remissio alicujus pœnæ temporalis est effectus quasi per se et ex institutione conveniens omnibus sacramentis *N.* hoc sensu soli pœnitentiæ, et maxime ratione satisfactionis convenit. Equidem verum est, per absolutionem sacerdotis aliquid etiam pœnæ temporalis remitti, atque ideo eum, qui obtenta absolutione, ante satisfactionem peractam moritur, mitius in purgatorio haberi: nihilominus residuum pœnæ ante exhibitam satisfactionem non tollitur, eo quod sacramentum non præstet effectum suum ex opere operato antequam re ipsa suscipiatur; ergo neque pars ejus, proportione servata. Quanquam non ita necessariam hanc satisfactionem a sacerdote injunctam æstimemus, ut aliis bonis operibus pœna redimi nequeat; quem Adriani errorem merito Petrus Sotus lect. 2. de satisfactione reprehendit. Nam ut pœnitens satisfactionem imperatam absolvere teneatur; si tamen hanc explere nequeat, aut ante tempus satisfactioni præscriptum alia opera bona aut sacramenta frequentet, poterit sine dubio per satisfactiones congruas a reatu toto penitus sese exsolvere; neque enim impositio pœnitentiæ cæteris piis actionibus ad satisfaciendum idoneis vim suam ullo modo enervavit.

Inst. 1. Si remissio pœnæ effectus est proprius satisfactionis sacramentalis, ergo si hæc præmittatur absolutioni, et subjectum dispositum sit per contritionem perfectam et per gratiam, effectum illum ante absolutionem consequetur ex opere operato; est enim pars sacramenti, et virtute clavium nititur.

R. *N. seq.* Nullum sacramentum effectum suum sortitur, quod non sit essentialiter consummatum per formam. Deinde remissio pœnæ est effectus secundarius remissioni culpæ conjunctus; sicut ergo pœna ante culpam

non remittitur, ita neque pars ista ante absolutionem potest ad effectum suum sacramentalem pertingere. Denique si contritio, pars potior, effectum suum ex opere operato ante absolutionem non obtinet, quanto minus satisfactio, pars integrans duntaxat? Si quem ergo remissionis pœnæ effectum nondum data absolutione adipiscitur, adscribi is operi operantis debet.

Inst. 2. Absolutio tollit ex opere operato omnem peccati maculam; ergo si satisfactio remissionem pœnæ tanquam peculiarem sibi præstet effectum ex opere operato, quælibet injuncta a sacerdote satisfactio omnem pœnæ temporalis reatum tollit, perinde ac indulgentia plenaria a summo Pontifice concessa; cum uterque faciat totum quod potest.

R. *N. Cons.* Peccati lethalis macula non potest tolli, nisi tota simul: gratia enim æqualiter peccatis mortalibus omnibus et singulis adversatur. Hæc autem absolutionis gratia totum peccatum remittens immediate a sacerdote confertur. E contra sacerdos non immediate tollit reatum divisibilem pœnæ, sed mediante imposita satisfactione divisibili, per pœnitentem peragenda. Eodem modo cum Pontifex per indulgentias immediate reatum omnem tollit, opus injunctum se habet ut mera conditio; cum tamen sacramentalis satisfactio sit causa remissionis pœnæ.

Inst. 3. Deus reliquit sacerdoti potestatem commutandi pœnam purgatorii in satisfactionem impositam; ergo qui sustinendo pœnam a judice impositam, præstitit satisfactionem, nihil debet amplius. Ita Glossa in c. *Mensuram*, de Pœnit. d. 1.

R. *D. Ant.* Deus dedit hanc potestatem sacerdoti servata justitiæ proportione *C.* ut suo arbitrio disponat *N.* Deus non fecit sacerdotes dominos, sed judices; ratio vero judicii æquitatem postulat. Igitur cum reatus sit finitus, dabitur satisfactio, quæ eum exæquet, aut etiam excedat.

246. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* Per unum sacramentum non datur nisi una gratia sacramentalis, ac præsertim in hoc sacramento non confertur alia gratia quam remissiva peccati: atqui satisfactio absolutionem consequens, præsumit gratiam illam jam collatam; ergo non confert gratiam sacramentalem.

R. *D. M.* Per sacramentum omnino jam consummatum posita forma, non datur nisi unica gratia sacramentalis *C.* secus *N.* Item, in hoc sacramento non confertur alia gratia, quam remissiva peccati, si totum cum absolutione perficiatur *C.* si absolutione peracta, adhuc perficiatur integraliter per satisfactionem *N.* Tunc enim alia adhuc gratia habitualis adjungitur.

Inst. Si satisfactio post absolutionem peracta aliquam gratiam sacramentalem confert; ergo illam in statu peccati exhibens peccaret moraliter, eo quod obicem gratiæ poneret.

R. *D. Illat.* Peccaret mortaliter, loquendo speculative *C.* practice et moraliter loquendo, peccaret mortaliter *N.* Quia effectus iste valde est incertus, ac probabiliter etiam negari potest, ideo practice ac moraliter tantum onus nemini est imponendum. Peccare talem venialiter, probabile esse videtur, eo quod recipiat partem sacramenti indigne, et alicui ejus effectui obicem ponat.

247. *Obj. III. cont.* 3am. *concl.* Satisfactio ante absolutionem præcepta et præstita in statu peccati consequitur suum effectum; ergo etiam ea, quæ in statu peccati post absolutionem præstatur.

R. *D. Ant.* Satisfactio ante absolutionem in statu peccati præstita consequitur suum effectum formalem et proximum *C.* consequitur suum effectum finalem ac remotum *N.* Effectus satisfactionis proximus ac formalis est, quod concurrat ad integritatem sacramenti, et impleat obligationem a sacerdote impositam: quem quidem etiam præstat satisfactio post absolutionem in statu peccati exhibita. Confessarius enim non tam modum operis, quam opus ipsum præcipit; quod idem in præceptis aliis apparet: neque enim graviter delinquit, qui in statu peccati sacrificio Missæ diebus festis assistit: neque uspiam extat evidenter grave præceptum contritionis aut confessionis ei, qui in medio injuncti jejunii menstrui iterum in peccatum incidisset. Sicut ergo satisfactio ante absolutionem in statu peccati præstita effectum remotum et finem suum, seu remissionem pœnæ post absolutionem demum assequitur: ita et satisfactio post absolutionem in peccato perfecta reatus remissionem solum obtinet, cum per contritionem, vel per absolutionem reviviscit. Quod quidem verum etiam est, licet opus bonum fiat cum circumstantia aliqua venialiter mala, ut cum ex præscripto jejunans excedat nonnihil in quantitate cibi et potus, aut cum vana gloria id præstet, modo formam servet jejunii: nam actio ejusmodi quoad substantiam bona est ac pœna delicti, habetque se tanquam instrumentum, quo Christi satisfactio applicatur. Exemplum nobis præbent baptismus, qui peccaminose susceptus, recedente tamen fictione pœnam omnem cum culpa remittit, et confessio ipsa aliaque sacramenta, quæ venialiter peccando obita gratiam nihilominus conferunt.

CAPUT VI.

DE INDULGENTIIS.

ARTICULUS I.

DE SUFFRAGIIS.

248. *Nota I.* Hactenus de satisfactionibus propriis pœnitentis. Aliæ autem species satisfactionis sunt suffragia et indulgentiæ: per illa satisfit ex opere operantis, per has ex opere operato. Nomen autem suffragii bifariam sumitur, primo quidem magis ample, pro subsidio, quod sibi fideles mutuo præstant, precationibus præsertim, ad quas hortatur B. Jacobus epist. cap. 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Et S. Paulus c. 15. v. 30. ad Rom. scribit: *Obsecro vos fratres..., ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Jobi etiam ultimo v. 8. ait Deus: *Ite ad servum meum*

Job : Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam. Veritas hujus suffragii adeo certa est, ut eam ne hæretici quidem in dubium vocent : quanquam preces nihil mortuis prodesse contendant, sed ex errore illo, quo præter cœlum et infernum damnatorum, locum tertium negant dari, in quem animæ defunctorum migrent.

De hac suffragii acceptione non disceptabimus, sed de altera pressius sumpta per modum solutionis pro altero, qua tollitur reatus pœnæ illius cui applicatur, aut in quem transfertur satisfactio.

Nota II. Suffragia ista speciatim accepta olim negabat dari Joan. Wicleffus, teste Thoma Waldensi, tom. 3. de Sacramentalib. a cap. 93. ad c. 100., et post eum Lutherani aliique recentiores hæretici, vel quod putent, remissa culpa, nullum pœnæ reatum superesse; vel quod dicant Christum abunde pro omnibus satisfecisse, et consequenter nostra merita et satisfactiones pro reatu proprio aut alieno rejiciant.

Catholici vero hoc suffragii genus admittunt cum conditionibus aliquot, quarum prior exigit, ut uterque, tam is qui tribuit suffragium, quam is qui accipit, sit et justus et viator. Nam justus et viator pro se satisfacere potest; ergo solus id in alterum potest transferre : injustis autem viatoribus non remittitur pœna ante culpam. Beati in cœlo non possunt satisfacere amplius pro aliis, sed cum quadam Dei dispensatione animabus purgatorii suffragari, suas eis satisfactiones applicando, queis in hac vita non eguerunt. Soli ergo viatores justi satisfacere possunt pro justis viatoribus; quibus adhuc accensentur quoad hoc beneficium recipiendum animæ in purgatorio.

Altera conditio est, ut suffragator satisfactiones suas, in justum alterum transferat, eique communicet libere : alioqui satisfactiones sicut cæteræ actiones bonæ, soli satisfacienti, ut par est, proderunt.

249. *Dico.* Potest justus viator in alterum justum viatorem transferre satisfactiones suas, queis hic a reatu pœnæ temporalis ex pacto divino condigne et secundum eam, quæ erga Deum esse potest, justitiam liberetur. Hæc thesis est S. Thomæ in 4. d. 20. q. 1. a. 2. q. 3. et Theologorum omnium, quorum potissimam partem recitat et sequitur Suarez disp. 48. sect. 2. n. 4.

Prob. I. Apostolus Coloss. 1. v. 24. scribit : *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Id est, ut explicant S. Augustinus in Ps. 61. n. 4., Greg. M. in. 1. Reg. c. 9., SS. Anselmus et Thomas in loc. cit. Apost. *Offero passiones meas pro Ecclesiæ membris, ut Christi passiones eis fiant in actu secundo utiles.*

Idem Apostolus ad Rom. c. 12. v. 5. ait : *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* et 1. Cor. 12. v. 27. *Vos estis corpus Christi et membra de membro.* Sicut ergo in corpore naturali, ita etiam in mystico membra sibi mutuo operationis fructum communicant, ut explicant S. Augustinus tract. 32. in Joan. n. 8. et S. Chrysostomus hom. 41. in 1. ad Corinth. (opp. t. 10. p. 393. B.) qui ad hoc etiam expendit verba Apostoli 2. Cor. 1. v. 11. *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis*, etc. et colligit, solere Deum aliis propter alios gratificari. Et infra subdit : *Unum corpus omnes sumus, sint membra licet alia aliis illustriora, undique veniam*

ipsis impetrari licet precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur.

Prob. II. Ex usu veteris Ecclesiæ, in qua pastores publicis pœnitentibus aliquid de pœna seu satisfactione debita solebant remittere propter aliorum justorum intercessiones et satisfactiones, ut colligitur ex TERTULLIANI libro ad Martyres, cap. 1., et ex S. CYPRIANI epistola 11. alias L. 3. epist. 15. et epist. 13. et 14. ubi ait (epist. 13.) : *Qui libellos a Martyribus acceperunt, auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt.* Si ergo ministri in persona Christi remittunt et relaxant pœnas, satisfactiones et censuras secundum illud Apostoli 2. Cor. 2. v. 10. *Cui aliquid donastis, et ego,* nimirum rogatus a vobis : *nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi :* consequens plane est, a Christo quibusdam remitti pœnas peccatorum propter aliorum intercessiones sive satisfactiones. Item si libellis et satisfactionibus Martyrum adjuti pœnitentes venia peccatorum a Deo donantur, quanto facilius pœnæ remissionem obtinebunt, quod minus est.

Prob. III. Ecclesia illum Symboli articulum, quo *communionem sanctorum* credimus, eo sensu semper intellexit, quod fideles sibi mutuo ferre suffragia possint, ita ut alius pro alio solvat pœnam temporalem peccatis remissis debitam. Nam Catechismus Pii V. de sacramento Pœnitentiæ n. 61. *In eo,* inquit, *summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus possit pro alio satisfacere.* Et de modo hujus satisfactionis inquit : *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere; quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo Sanctorum communionem profitemur.*

Prob. IV. In satisfactionibus, quas fideles justi pro se mutuo præstant, est omnimoda æqualitas rei ad rem; nam Caius tantumdem præstat pro Titio, quantum hic pro se ipse præstare debuisset : neque deest pactum Dei ac promissio, ut ex S. Scriptura et doctrina Ecclesiæ modo intelleximus; ergo nihil deficit, quo minus ejusmodi satisfactio sit condigna, et ex ea, quæ Deum inter et hominem intercedit, justitia.

Conf. Ex residuo Sanctorum thesauro Ecclesia tanquam ipsorum hæres satisfactiones fidelibus dispensat; ergo Sancti dum vivunt, multo magis possunt aliis communicare suas satisfactiones saltem aliquas, etiam ex opere operato, quarum sunt domini.

250. *Obj. I.* Testimonia Scripturæ, quæ in hanc rem adduci solent, non evidenter convincunt, posse unum fidelem alteri suffragium ferre, pro illo satisfaciendo et solvendo pœnam debitam; ergo commodius explicantur de intercessione per modum impetrationis et meriti de congruo, ita ut ad preces alterius Deus alteri pœnas gratis ac immediate condonet, aut huic auxilium præbeat gratiæ, cum quo bene operando, pœnæ remissionem merito proprio obtineat.

R. *N. Cons.* Hanc recentiorum quorumdam Theologorum opinionem Suaresius censet esse falsam et valde novam in Theologia; ideoque omnino vitandam in materia adeo gravi, eo quod omnibus Theologis et sensui communi adversetur. Nam 1°. si testimonia Scripturæ indifferenter secun-

dum se loqui videntur, omnem communicationem possibilem et convenientem includunt, quem ipsis Ecclesiæ sensus et perpetua traditio, fidissima voluntatis divinæ interpretatio, attribuit. 2°. Ut Catechismus Rom. n. 52. recte notavit, satisfacere pro altero est debitum pro eo solvere, non autem gratuitam pœnæ remissionem ipsi exorare : quod multo efficacius nobis præstant Sancti in cœlo, qui tamen satisfacere pro nemine amplius possunt. Imo in sensu isto improprio, ad satisfaciendum pro alio, ne status quidem justitiæ requireretur : impetratio enim non tam in postulantis justitia propria, quam in concedentis bonitate ac misericordia innititur.

251. *Obj. II.* Debitum pœnæ est debitum personale ; ergo non potest per alium solvi.

R. *D. Ant.* Est debitum personale hoc sensu, quod ex se talem personam constituat debitricem, et ab ea debitum juste possit exigi *C.* quasi necessario solvendum sit per actionem vel passionem solam talis personæ, ac repugnet legi justitiæ, compensari pœnam unius pro altero *N.* Alioqui nec satisfactio Christi erit aliud quam impetratio : siquidem *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Is. 53. v. 4.

Inst. 1. Hoc sufficit, ut ærumnæ Christi censeantur esse propria satisfactio pro nobis, quia licet hæc non fuerit præstita a nostra ipsorum persona, fuit tamen exhibita a Christo capite nostro. Igitur cum nullus homo sit alterius caput morale quoad hunc effectum, bona opera pro aliis oblata erunt tantum impetrationes.

R. *N. Cons.* Sicut actiones et ærumnæ a Christo pro nobis oblatæ, ideo satisfactiones pro nobis evaserunt, quia Christus a Deo caput morale omnium hominum fuit ordinatus : ita, quia ex eadem Dei ordinatione *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* Rom. 12. v. 4., cum proportione quadam alterius pro altero suscepta et oblata satisfactio sufficit. Ut enim ex divina institutione se habet communicatio capitis ad membra, ita et communicatio membrorum inter se in iis, in quibus commode fieri potest. Quorum unum est hæc satisfactio.

Inst. 2. Debitum pœnæ contrahi non potest per opus alienum ; ergo neque ejus solutio per opus alienum potest fieri.

R. *N. Cons.* Reatus sequitur culpam, quæ cum sit voluntaria aversio a Deo et conversio ad creaturam, aliena voluntate contrahi nequit : solutio autem pœnæ, cum sit bonum opus ac laboriosum, ab alio utique præstari potest, modo is, in quo reatus hæret, consenserit; ad quod sufficit voluntas implicita ac generalis, qua quilibet a malo, quantum in ipso est, liberari desiderat.

Inst. 3. Debitum relictum a peccati actu ad se disponendum pro obtinenda remissione culpæ ita personale est, ut non possit per alium solvi; ergo idem dicendum est de debito relicto ad se disponendum pro remissione pœnæ.

R. *N. Cons.* Remissio culpæ, in adultis ex lege ordinaria, cum ad intrinsecam rectitudinem et sanctificationem hominis pertineat, non fit sine intrinseca et proportionata dispositione convertendi et venia donandi ; at remissio pœnæ solius, quod hominem non faciat meliorem aut magis stu-

diosum, fieri per actionem extrinsecam et satisfactionem communicatam potest.

Inst. 4. Meritum gratiæ et gloriæ ita est personale opus, ut nemo alteri id præstare possit; ergo cum reatus pœnæ etiam ab actione propria oriatur, aliena satisfactione tolli non poterit.

R. *N. Cons.* Augmentum gratiæ et gloriæ, quod acquiritur meritis, cum præmium virtutis sit, et hæc actibus propriis acquiratur, nemo alii illud mereri potest: remissio vero pœnæ convenienter obtingit ex sola liberalitate ejus, qui potest donare; aliquam autem liberalitatem Dei intercedere, quando alius pro alio satisfacit, nuper jam diximus. Neque par est ratio inter dignitatem præmii, et reatum pœnæ: nam ut dignus quis sit præmio, debet in eo actio bona et sanctitas habitualiter saltem adhuc perseverare: at extincto jam ac dimisso peccato manet adhuc debitum pœnæ in homine justo; igitur per solam pœnæ solutionem, absque alia intrinseca pœnitentis dispositione vel majore sanctificatione reatus ille demi potest.

252. *Obj. III.* Secundum doctrinam Apostoli ad Gal. 6. v. 5. *Unusquisque onus suum portabit.* et 2. Cor. 5. v. 10. referet *propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* et 1. Cor. 3. v. 8. *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem,* quod idem Ps. 61. v. ult. habetur. Atqui his testimoniis adversatur thesis nostra: nam justus qui aliis satisfactiones suas communicavit, dum ipse postea pro residuo suorum reatuum pœnas daturus est, non recipiet secundum suum laborem, ac vicissim alter qui per satisfactiones alienas impunis evadit, non portabit onus suum, nec referet malum prout gessit; ergo.

R. *N. Assumpt.* Sensus dictorum testimoniorum est, quod nullus contaminetur peccatis alienis, neque reus pœnæ evadat, nisi ex proprio peccato, prout exponit S. Augustinus serm. 22. (al. 164.) de verb. Apostoli: ac potissimum pronuntiatur de judicio extremo, ubi nullus expiationi locus est; sed quisque ad pœnam in propria persona sustinendam condemnabitur, nisi ei tempore congruo atque in eo statu subventum fuerit, in quo capax adhuc talis subsidii erat. Quæ quidem conditio ex aliis B. Pauli verbis intelligitur, cap. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate*: quod S. Augustinus, L. 2. de consensu Evang. c. 30. n. 72. *de oneribus participandæ infirmitatis* exposuit.

Ad prob. Assumpt. R. quod, si is, qui alii satisfactiones suas cessit, cum adhuc ipse luendum quid habuerit, non fruatur propriis satisfactionibus, id ex arbitrio ipsius libero accidat, qui se ex caritate aut misericordia satisfactionis suæ fructu privat: et quod, si alter, pro quo satisfit, impunis abeat, hoc ipsum alieno beneficio debeat. Nam cum satisfactio fiat solvendo tantum, quantum debetur; non potest eadem sufficere ad solvenda duo debita æqualia, proprium et alienum: quapropter minor in singulis redditur, quæ offertur pro multis. Ita Scotus quodlib. 20., S. Antoninus et Theologi communiter cum S. Thoma d. 45. q. 2. a. 1. quæstiunc. 4. et d. 20. q. 1. a. 2. quæstiunc. 3. Secus in impetratione contingit: nam quia in hac non spectatur æqualitas vel condignitas operis aut operantis, sed sola bonitas ac liberalitas donantis; impetrans alii omnes suas satisfactiones sibi retinet. Sive autem quis cessione suarum satisfactionum, sive per impetra-

tionem prosit aliis, adeo de meritis propriis nihil illi deperit, ut ea adhuc ob studium caritatis et misericordiæ augeantur. Satisfactio enim pro alio et meritum pro se simul in eodem opere esse nihil repugnat : eo quod diversarum sint rationum, ordinentur ad diversos effectus, fundenturque in principiis seu proprietatibus actuum diversis, scilicet in bonitate et reatu pœnæ.

253. *Obj. IV.* Animæ in purgatorio detentæ pertinent ad aliud forum ; ergo satisfactio per suffragia pro ipsis oblata est mera impetratio, qua Deum precamur, ut ipsis liberaliter reatum condonet : nam si Ecclesia sciret, esse solutionem condignam ex justitia effectum infallibiliter habituram, non rogaret Deum, ut suffragia pro defunctis acceptet.

R. *N. Cons.* Sufficit, illas adhuc pertinere ad idem corpus Ecclesiæ, et auxiliis alienis indigere : quapropter licet judicari a nobis ultra non possint, possunt tamen adhuc juvari satisfactionibus nostris per modum suffragii, non vero ad modum sententiæ. Preces Ecclesiæ eatenus solum satisfactoriæ sunt, quatenus pœnales : nam per solam impetrationem nemo fidelium animas in purgatorio suis reatibus, sicut nec se ipsum immediate potest eximere. Quando autem Ecclesia Deum precatur, ut preces et suffragia pro defunctis admittat, solum poscit inspirari fidelibus desideria satisfaciendi pro eis, et eisdem applicari residuas in thesauro suo satisfactiones.

Inst. Satisfactiones hujus vitæ non habent proportionem cum pœnis purgatorii : hæc enim longe alius ordinis sunt et rationis; ergo ad has expiandas illæ condignæ non sunt.

R. *D. Ant.* Satisfactiones hujus vitæ cum pœnis purgatorii non habent proportionem physicam *C.* moralem *N.* Opus liberum in gratia præstitum ab homine viatore æquivalet pœnis acerbioribus vitæ alterius. Fructum tamen sacramenti, aut indulgentias sibi soli concessas transferre in alium nemo potest.

254. *Obj. V.* Preces et aliæ piæ actiones, quas Ecclesia per ministros peccatores pro animabus in purgatorio exsolvit, hisce prosunt; ergo etiam peccatoribus prosunt satisfactiones communicatæ.

R. *D. Ant.* Preces et psalmodiæ ex opere operantis ab Ecclesia per os ministrorum peccatorum Deo exhibitæ prosunt tantum per modum impetrationis, quæ gratiam in subjecto non exigit *C.* prosunt per modum satisfactionis *N. Antec. et Cons.* Solius Christi opera in sacramentis et sacrificio applicata suspenduntur peccatoribus, et iis justificatis reviviscunt.

255. *Obj. VI.* Ordinum Religiosorum superiores solent quandoque hominibus extraneis communionem omnium bonorum suæ familiæ impertiri; ergo non opus est, ut suffragator libere satisfactiones proprias in alium transmittat.

R. *N. Cons.* Religiosi singuli sciunt morem illum et probant : id quod sufficit, ut illorum superiores tanquam Patres ac dispensatores universales justis ex causis possint in communionem satisfactionum et impetrationum sui ordinis alios admittere.

ARTICULUS II.

INDULGENTIARUM VERITAS OSTENDITUR.

256. *Nota.* Indulgentia in sensu theologico accepta est remissio reatus pœnæ infallibiliter facta ex opere operato per legitimam dispensationem thesauri Ecclesiæ. Dicitur 1°. *remissio*, quod vocabulum generale est, complectens actum geminæ justificationis, quo indulgentiæ concedi solent : nam viventibus tribuuntur per sententiam absolutionis; defunctis vero non per sententiam, sed solum exhibitione pretii ex thesauro Ecclesiæ, eo quod non sint amplius subditi. Sicut princeps eum, quem in sua potestate habet, e carcere eximit tam auctoritate sua, quam pretio persoluto : quem autem in potestate non habet, tantum ex ærario publico pretium solvendo liberat; ubi solum in ærarium publicum jurisdictionem exercet. Dicitur 2°. *reatus pœnæ* : neque enim culpa mortalis sine sacramento remitti ab Ecclesia potest; ergo per indulgentias relaxantur solum reatus pœnæ, non ecclesiasticæ tantum, sed etiam debitæ in purgatorio : alias defunctis nihil prodessent, e contra vivis forent noxiæ, quos a pœnitentiis ecclesiasticis avertendo ad supplicia graviora purgatorii differrent. At neque ad tollendum pœnas ecclesiasticas opus foret expendere thesaurum Ecclesiæ, cum in pœnitentiæ sacramento tolli possent. 3°. Dicitur, *ex opere operato* : nimirum vi operis, ut a Christo institutum est, non vero ut ex honestate, ex merito aut satisfactione operantis proficiscitur : quo quidem in puncto indulgentiæ a suffragiis differunt. 4°. *Per legitimam dispensationem* : ad quam quidem non opus est potestate ordinis, sed sufficit potestas jurisdictionis; nam et Cardinales diaconi largiuntur indulgentias. 5°. *Thesauri Ecclesiæ* : ita habent summi Pontifices mox laudandi : nam justitia Dei exigit, ut nihil sine solutione debita remittatur. Nihilominus gratis fit remissio ista : quandoquidem Deus dat, unde solvamus, nempe satisfactiones Christi saltem inadæquate ad solutionem quamlibet concurrentes, sine quibus opus operatum dari nullum potest.

Potestatem dandi indulgentias olim negarunt Waldenses, Joannes Wicleffus, Joannes Hus et Hieronymus Pragensis, ut constat ex Concilio Constantiensi Sess. 8. et 19.

Item Petrus Oxumensis, de quo supra meminimus, inter errores alios docuit, Papam non posse alicui vivo remittere purgatorium. Præ omnibus autem hisce se extulit Martinus Lutherus an. 1517. indulgentias dictitans pias Ecclesiæ fraudes, aut potius imposturas Pontificum fidelibus noxias. Ad quam hæresin ipsum non tam veritatis studium, quam invidia impulit, quod provinciam promulgandi indulgentias a Leone X. concessas Albertus Cardinalis Brandenburgicus Archiepiscopus Magdeburgensis et Moguntinus Dominicanis detulerit. Luthero quoad hunc errorem adhæserunt Zwinglius, Calvinus, et cæteri Novatores.

257. *Dico.* Datur in Ecclesia potestas concedendi indulgentias, queis remittantur fidelibus pœnæ pro peccatis remissis debitæ apud Deum. Thesis ista est de fide Catholica.

Prob. I. Christus Matth. 16. v. 19. promisit Petro claves regni cœlorum, et potestatem solvendi, ita ut soluti etiam sint in cœlis, quos ipse solverit in terris : quod ipsum cap. 18. ad Apostolos alios, et successores eorum Episcopos edixit. Ergo cum hæc potestas citra restrictionem Petro commissa fuerit, potest omnia solvere et amovere, quæ aditum ad cœlos prohibere possunt, cujusmodi sunt pœnæ temporales pro peccatis remissis adhuc pendendæ.

Potestatem istam exercuit B. Paulus dum 2. Cor. 2. v. 10. de incesto pœnitente, quem antea Satanæ tradiderat, rescripsit : *Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*

Prob. II. Potestatem hanc constanter agnovit Ecclesia, ut constat ex Tertulliano, qui L. ad Martyres c. 1. ait, rogatu Martyrum remissas fuisse pœnitentias publice pœnitentibus, et licet L. de pudicitia c. 22. potestatem istam indulgentiarum sugillet factus jam Montanista, hoc ipso tamen ejus usum seculo secundo frequentem inter Catholicos demonstrat.

Morem eumdem pœnitentibus confessis et absolutis ad Martyrum libellos indulgendi pœnas seculo III. nobis refert S. Cyprianus epist. 12. et sæpius alibi. Idem confirmat Basilius M. citatus a Photio can. 73. Nomocanonis. S. Gregorius M. populo Romano indulgentias stationum concessit, ut ipsi adversarii fatentur.

Idem constat ex can. 5. Concilii Ancyrani, (Labb. t. 1. p. 1458. E.) ex Conc. Nicæni I. can. 11. (Labb. t. 2. p. 34. D.) et CC. Lateranensi an. 1115. Lateranensi an. 1215., ex Lugdun. generali, et generali Viennensi sub Clemente V. Clementina un. de reliquiis. Confirmaturque a Clemente VI. Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit., a Paschali II. aliisque deinceps Pontificibus. Concilium autem Tridentinum Sess. 21. cap 9. de Ref. indulgentias *cœlestes thesauros* appellat. et Sess. 25. decretum de Indulgentiis ita inchoat : *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit.* Et infra eos anathemate damnat, qui indulgentias aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

Prob. III. argumento dicti Clementis VI. Extat in Ecclesia thesaurus satisfactionum Christi et Sanctorum : atqui thesaurus iste foret omnino otiosus et inutilis, si per indulgentias applicari fidelibus non possit; ergo dantur indulgentiæ, queis satisfactiones Christi et Sanctorum in egentes expendi possint ac dispensari. *Maj. prob.* Satisfactiones Christi sunt infinitæ; ergo quantumcumque hucusque depromptum ex eis fuerit, thesaurus illarum integer manet. Deinde innumeræ fuerunt actiones bonæ et ærumnosæ Sanctorum, queis aliqui ipsorum non indigebant in satisfactionem suorum peccatorum, ut B. V. Maria, quæ peccati expers plane erat, aliique qui admodum innocentem et pœnitentem vitam degebant. Manent ergo satisfactiones reliquæ adhuc in conspectu Dei, et retinent vim suam, ut dispensentur fidelibus ab Ecclesia, ad cujus ærarium tanquam rei publicæ bona civium sine certo hærede decedentium ex jure gentium pertinent. Ita S. Thomas in 4. d. 20. q. 1. a 3. q. 1.

258. *Obj. I.* Ex capp. 16. et 18. Matth. tantum probatur, posse solvi fideles a peccatis et pœnis per absolutionem sacramentalem et per pœnitentiam

ibidem injunctam; ergo testimonium illud pro indulgentiis non rite adducitur.

R. *N. Ant.* Quia Christus non adstringit suam promissionem ad vinculum aliquod particulare, loquitur de potestate solvendi ab omnibus vinculis, nimirum a vinculo pœnæ, vinculo excommunicationis, vinculo legis, voti, ac juramenti.

Inst. Est eadem potestas solvendi; ergo si culpa non solvitur, nisi in sacramento, neque pœna solvi extra sacramentum potest.

R. *D. Ant.* Est eadem solvendi potestas, uno et eodem modo usurpanda ad solvendum omnia vincula *N.* ad solvendum vinculum quodque, prout conditio ipsius exigit *C.* Peccatum mortale non solvitur sine infusione gratiæ: hæc vero extra sacramentum tribui ab homine non potest; at quia pœna temporalis novam gratiæ infusionem non exigit, sed hanc præsumit, nihil obstabit, quo minus etiam extra usum sacramenti tollatur.

Inst. 2. Si omnia illa vincula a Pontificibus solvi posse probetur ex eo, quod Christus verba sua ad nullum vinculum speciatim adstrinxerit, ergo etiam poterunt solvi ab illis vincula matrimonii consummati; consequens est falsum; ergo.

R. *N. Illat.* Verba Christi tantum comprehendunt vincula solubilia: matrimonii autem consummati vinculum indissolubile esse, Christus ipse declaravit Matth. 5. v. 32.

Inst. 3. Ecclesia nequit solvere, quod ligare non potest: atqui reatum pœnæ retinere nequit; ergo neque per indulgentias remittere.

R. *N. M.* Cujus falsitas apparet in peccatis venialibus, queis Ecclesia solvit, licet retinere ea nequeat.

259. *Obj. II.* S. Paulus tantum loquitur de absolutione a censura excommunicationis et remissione pœnæ ecclesiasticæ: alias non dixisset, se pœnas illas cum tota Ecclesia donare; ergo.

R. *N. Ant.* Apostolus non pœnam solum ecclesiasticam, sed illam potissimum, quam incestus Deo et Christo debebat, remittit; nam ait, se illi remittere non suo aut Ecclesiæ nomine, sed in persona Christi. Verba ipsius refero: *Cui autem aliquid donastis* (h. e. donari petiistis) *et ego*, (supple, *dono*): *nam et ego quod donavi, propter vos* (nempe, donavi), *in persona Christi.* Quod liquet ex pœna, quam huic scelerato 1. Cor. 5. v. 4. inflixerat: *In nomine Domini nostri Jesu Christi.... cum virtute Domini nostri Jesu.* Loquitur ergo ibi de foro divino, non autem tantum de potestate illa externa politica et ecclesiastica, ut exponunt SS. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 6. (al. c. 7. opp. t. 2. p. 399. C.) Epiphanius hæresi 59. et Anselmus in hunc locum.

Inst. 1. Maldonatus disp. de Sacram. tom. 2. q. 3. de Indulg. scribit Scholasticos quosdam putasse, indulgentias non esse antiquiores quadringentis annis, hoc est ante seculum duodecimum eas non obtinuisse; ergo verba illa Pauli male de indulgentiis explicantur.

R. *N. Cons.* Scholastici illi errarunt, quod non satis discernerent modum concedendi indulgentias sub certis conditionibus et operibus, qui a seculo duodecimo usurpabatur, ab usu ipso indulgentiarum, qui Ecclesiæ ipsi coævus est. Nam certo novimus indulgentias concessas fuisse a Paschali II.,

Urbano II. in Concilio Claromontano crucem pro recuperanda terra sancta suscipientibus : a Gregorio VII. in epist. ad Episcopos Britanniæ, et in epist. ad quosdam Fratres Monasterii Massiliensis : qui quidem seculo XI. sederunt: et ante hos a Sergio III. qui seculo X. ineunte, et a Leone III., qui exspirante seculo VIII. vixerunt. Ac Waldenses quidem primi indulgentiarum hostes dicuntur : hi vero sub annum 1070. apparuerunt. Ex quo falsi convincitur Kemnitius, qui indulgentiarum usum anno 1200. cœpisse scribit. Leonem quidem III. plures indulgentias concessisse testatur S. Ludgerus in epistola, quam refert Surius tom. 2. die 5. Mart. post vitam S. Swiberti c. 9. Bellarminus vero L. 1. de Indulg. c. 3. ait, Romæ in Ecclesia S. Martini in montibus extare memoriam in marmore excisam litteris antiquissimis indulgentiæ illi Ecclesiæ concessæ a Sergio II. qui circa medium seculi IX. sedit.

Imo jam a Gregorii M. ætate sat luculenta de indulgentiis notitia extat, quem plenariam indulgentiam concessisse refert fama publica tum Romæ, tum aliis locis, S. Thomas in 4. d. 20. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2., Altissiodorensis, aliique Scholastici septennem ab eo indulgentiam concessam fuisse aiunt.

Inst. 2. Cum Patres scribunt se remittere pœnas pro peccatis debitas, non intelligi eos oportet de pœnis debitis in foro divino, sed de his tantum, quæ debentur in foro Ecclesiæ; ad hoc enim significandum in decretis Pontificum additur, *de injunctis pœnitentiis* : ut c. *Cum ex eo*, et c. *Nostro*, de Pœnit. et Remis., et in Clement. unic. de Reliq. et venerat. SS. Ergo.

R. *N. Ant.* Sicut Episcopi remittebant pœnas ab Ecclesia definitas, quando ad bonum animarum expedire censebant : ita videntur etiam remisisse pœnas apud Deum definitas, quando id fieri oportebat, cum potestas ligandi et solvendi de se omnia complectatur. Deinde cum pœnæ illæ impositæ fuerint non solum ad satisfactionem Ecclesiæ, sed etiam ad compensationem delictorum, non videntur fuisse remissæ, quin alia via compensaretur satisfactio seu remissio pœnæ apud Deum. Unde Cyprianus epist. 4. dicit, ideo has remissiones ad preces Martyrum vel aliorum fidelium fieri, *quia auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt*; indicans, satisfactiones istorum per modum suffragii prodesse lapsis apud Deum, ideoque eorum intercessione merito fieri remissionem apud Ecclesiam.

Denique impossibile est, Ecclesiam universam errare in re morali et gravissima ad bonos mores fidelium pertinente : atqui Ecclesia universa ita acceptat hunc indulgentiarum usum, ac de illo sentit, ut hæreticos æstimet, qui talem usum reprehendunt, seu hanc potestatem Ecclesiæ negant; ergo Ecclesia in hoc more indulgentiarum recte sentit, et conformiter primitivæ Patrum traditioni.

Inst. 3. Apud antiquos Ecclesiæ Doctores græcos et latinos, quales sunt Chrysostomus et Augustinus, non invenitur expressa harum indulgentiarum mentio; ergo.

R. *N. Cons.* Non erat tunc opus, distincte harum indulgentiarum meminisse, tum ad persuadendum, tum ad defendendam fidem, nullo tunc hæretico indulgentias obtrectante : neque etiam propter mores fidelium componendos, eo quod rigor disciplinæ, ac fervor pœnitentiæ tunc magis

vigeret. Unde etiam fortasse accidit, quod in primis Ecclesiæ temporibus rarus esset actus indulgentiarum, ut Sotus d. 21. q. 1. a. 3. in fine annotavit. Sufficiebat ergo Patribus antiquis declarare potestatem remittendi peccata et solvendi Ecclesiæ divinitus concessam, quin modos, queis Ecclesia ligare potest ac solvere, seorsim explicarent.

260. *Obj. III.* Si indulgentia tollit pœnas temporales aut injunctas a sacerdote, aut injungendas per canones; ergo pœnitens non tenetur ad pœnam subeundam, quam sacerdos in tribunali pœnitentiæ injunxit.

R. *N. seq.* Si pœnæ a sacerdote injunctæ sunt medicinales, ab his Ecclesia non dispensat. Sed et cæteras sine gravi causa omittere nemini licet, tum quod nulli constet, utrum fructum omnem indulgentiæ perceperit; tum quod Ecclesiæ disciplinæ consulturi Pontifices in diplomatibus indulgentiarum apponere soleant : *Injuncta salutari pœnitentia.*

Inst. 1. Canones pœnitentiales non vigent amplius, et in sacramento Pœnitentiæ leviores solent injungi pœnitentiæ ; ergo in præsenti statu Ecclesiæ indulgentiarum usus fere nullus est.

R. *N. Cons.* Hoc ipso, quod leviores satisfactiones a sacerdotibus injunctæ impares sunt placandæ divinæ justitiæ, subsidium indulgentiarum nobis est necessarium.

Inst. 2. Ecclesia non potest a jure divino dispensare : atqui si pœnas temporales divinæ justitiæ debitas relaxaret, dispensaret in jure divino ; ergo.

R. *D. M.* Non potest auctoritate humana ac propria dispensare in jure divino *C.* nomine et auctoritate Christi *N.* Ita Paulus 2. Cor. 2. v. 6. ait, se donasse *in persona Christi.* Quanquam ne Ecclesiæ quidem indulgentia quemquam pœnitentem ab omni pœna temporali et laboriosis operibus penitus eximat. Nam Paulus demum post exactam anni unius pœnitentiam incesto illi residuum satisfactionis dimisit. Et S. Cyprianus Tract. de Lapsis, graviter expostulat cum iis, qui lapsis, ad Martyrum commendationem, sine prævia pœnitentia, dabant *pacem irritam et accipientibus nihil profuturam.* Sed et Bonifacius VIII. Extrav. *Antiquorum*, docet, *unumquemque plus mereri, et efficacius consequi indulgentias, qui Basilicas ipsas Apostolorum amplius et devotius frequentat.* Quæ quidem confirmantur ex can. 5. Conc. Ancyrani, et can. 11. Concilii Nicæni I. supra indic., ubi Episcopi arbitrio committitur, mitius tractare, ac tempus pœnitentiæ abbreviare iis, qui ferventius in studium bonorum operum et ærumnas pœnitentiæ incubuerunt. Accedit, quod indulgentiæ eximere peccatores non omnino possint ab onere pœnitentiæ jure naturæ necessario : nam Luc. 3. v. 8. præcipitur : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, et c. 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Atqui pœnitentiæ usus non tantum ob satisfactionem, sed etiam ad extirpanda vitia et cupiditates frænandas saluti æternæ est summe necessarius. Alioqui foverentur peccata, torpor et enervatio disciplinæ ecclesiasticæ irreperet, et hæreticis præberetur occasio indulgentias ipsas petulantius obtrectandi.

Denique si B. Paulus, Heb. 6. soli Baptismatis sacramento perfectam hominis renovationem attribuit, ita ut effectus idem pœnitentiæ austeræ, etiam cum absolutione sacramentali junctæ, non nisi perraro contingat : tantum beneficium indulgentiæ bonis operibus et pœnitentia congrua desti-

tutæ difficile adscribetur. Quapropter quas Ecclesia offert indulgentias plenarias, non continuo omnes assequuntur, sed illi duntaxat, qui cum egregio fervore ac pietate ad illas obtinendas sese disposuerint.

261. *Obj. IV.* Satisfactio Christi fuit infinita, ita peccatum, pro quo satisfecit, etiam erat infinitum; ergo cum in hoc diluendo satisfactio exhausta fuerit, nihil amplius superest.

R. *N. Ant.* Meritum et satisfactio Christi fuerunt infinita simpliciter, peccati vero malitia et offensio est tantum infinita objective et secundum quid, eo quod respiciat Deum objectum infinitum. Hinc Apostolus Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita et donum.* Et infra : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia;* nimirum potentius fuit donum et passio Christi, quam peccatum Adami. Unde Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus,* de pœnit. et remiss. scribit, unicam sanguinis Christi guttam propter unionem hypostaticam toti mundo reconciliando satis esse potuisse.

Inst. 1. Deus reddidit Christo cumulatum præmium pro passione : nam Philipp. 2. v. 8. dicitur : *Humiliavit semetipsum... propter quod et Deus exaltavit illum;* ergo nihil superest, quod in thesauro Ecclesiæ recondatur.

R. *N. Cons.* Nec meritum Christi exhaustum fuit gloria corporis et exaltatione nominis, aut donis gratiæ et gloriæ in homines collatis, cum fuerit infinitum. Passio autem in quantum satisfactoria, ipsi, qui peccare non poterat, nihil profuit, sed tota hominibus reservabatur.

Inst. 2. Si Christi satisfactio est infinita, ergo superfluæ sunt Sanctorum satisfactiones.

R. *N. seq.* Licet Sanctorum satisfactiones non sint absolute necessariæ, utiles tamen sunt ad satisfaciendum : nam Christi satisfactio habet se ut causa universalis ac præcipua, satisfactiones autem Sanctorum tanquam causæ particulares in virtute Christi ad effectum indulgentiarum quodammodo concurrunt.

262. *Obj. V.* Indignum Christo est, infinitis ejus satisfactionibus modicas Sanctorum satisfactiones adjici, quo Sancti etiam præter Christum vocari possent nostri redemptores.

R. *N. Assert.* Si non erat indignum majestate Verbi humanæ naturæ hypostatice uniri, cur indignum sit, satisfactionibus ipsius Sanctorum quoque satisfactiones adjici? atqui aliis etiam in causis divinæ majestati rationes et actiones humanas adjunctas fuisse legimus citra indignitatem. Exodi 14. v. 31. Israelitæ *crediderunt Domino et Moysi servo ejus.* 4. Reg. 19. v. 34. ait Deus : *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum.* Act. 15. v. 28. scribunt Apostoli : *Visum est Spiritui sancto et nobis.* 1. Cor. 3 v. 9. Paulus se cum Apollo, *Dei adjutores* appellat : et alios titulos et officia de se prædicat, quæ Deo et Christo propria videntur.

Quod si Christi precibus nihil indignum committunt Christiani pro aliis precando, neque satisfactionibus Christi fiet injuria, si quisque justus pro reatu proprio aut alieno satisfecerit : nimirum satisfactiones nostræ omne suum pretium ac vigorem ex Christi meritis et gratia nanciscuntur : ac si quæ sunt residuæ, tantum secundario et per accidens ad thesaurum Eccle-

siæ concurrunt, qui primario ac essentialiter ex Christi satisfactionibus constat. Unde etiam apparet, cur solus Christus proprie et absolute Redemptor noster dici queat : hic enim solus nos sua morte liberavit a peccato, quo captivi tenebamur, et omnem vim merendi ac satisfaciendi præstat.

Inst. 1. Sancti receperunt jam superabundantem mercedem laborum suorum. Luc. 6. v. 38. *Mensuram bonam, et confertam et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum*, et Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*; ergo.

R. *N. Cons.* Merita quidem Sanctorum superabundanti præmio compensabuntur : at satisfactiones, queis non indigebant, in communi Ecclesiæ thesauro conduntur.

Inst. 2. Nihil Sancti fecerunt aut passi sunt boni, ad quod non tenebantur, secundum illud Luc. 17. v. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus* ; ergo nihil superest, quod aliis communicent. Nam et prudentes virgines, Matth. 25. v. 9. responderunt fatuis : *Ne forte non sufficiat nobis et vobis.*

R. *N. Cons.* Christus ibi de sola observatione præceptorum loquitur, qua nemo debet gloriari ; Deum enim illa nihil juvat, Job. 22. v. 3. *Quid prodest Deo ; si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* Multa tamen fecerunt et pertulerunt Sancti, quæ præcepta non erant, quas satisfactiones pro reatibus propriis non necessarias Ecclesiæ thesauro reliquerunt. Virgines prudentes non loquuntur de satisfactione, sed de oleo gratiæ et caritatis habitualis, quod uti ad salutem cuilibet est necessarium, ita nemo in alterum potest effundere.

Inst. 3. Si etiam ex justorum satisfactionibus indulgentiæ conferunt remissionem pœnæ; ergo ex eorumdem Sanctorum satisfactionibus, Missæ sacrificium et sacramenta dicentur talem remissionem præstare.

R. *N. seq.* Convenit plane, ut sacrificium Missæ et sacramenta, ceu primaria christianæ Religionis fundamenta, ante ullius Sancti merita a Christo capite instituerentur, et ex illius solius influxu vim omnem et efficaciam participarent. At collatio indulgentiæ, cum non sit actio sacramentalis, sed exercitium ministerii ecclesiastici pendens a potestate clavium, mutuæ caritatis officia ad exhibendam satisfactionem non respuit.

Inst. 4. Pontifex sine expensione thesauri satisfactionum Christi et Sanctorum dispensat in votis; ergo etiam per potestatem a Christo sibi traditam potest proxime remittere pœnas, quin thesaurum illum aperiat.

R. *N. Cons.* Justitia vindicativa non exigit pretium, quo votum tollatur, exigit vero pro expungendo reatu pœnæ, quam nequit immediate solvere Pontifex ; sicut nec culpam sine sacramento remittere.

ARTICULUS III.

CONDITIONES AD DANDAS ET LUCRANDAS INDULGENTIAS REQUISITÆ.

263. *Dico I.* Indulgentiæ debent a legitimo dispensatore, justis de causis, et aliquo signo externo concedi, alioqui nullæ erunt.

1°. Opus est *legitimo dispensatore*, cujusmodi sunt summus Pontifex, qui

potestatem universalem a Christo in Petro accepit : deinde Episcopi, qui et ipsi potestate ordinaria, sicut absolvunt a peccatis, ita indulgentias largiuntur : neque enim hæc eis potestas ex speciali commissione defertur, sed jure communi annexa est ipsorum dignitati, ut decenter suo munere fungantur. Quanquam hæc facultas ipsorum non sit adeo generalis : unum enim tantum annum concedere possunt in die dedicationis Ecclesiæ, et quadraginta dies in casibus aliis : neque possunt eas largiri defunctis, aut non subditis suis, eo quod nullo jure id exprimatur. Suis tamen subditis etiam extra diœcesin suam illas possunt impertiri, c. *Cum ex eo* et c. *Nostro,* de pœnit. et remiss.

Abbates, Parochi, et Sacerdotes alii Episcopis inferiores jure communi non possunt concedere indulgentias, sed solum ex commissione Pontificis et Episcoporum, c. de *Excedentibus,* de excessib. Prælat.

Panormitanus, Felinus, Dom. Sotus, Navarrus et Cordubensis existimant, Concilium generale posse concedere indulgentias : negant alii, eo quod Concilium generale, secluso Papa, non papalem, sed episcopalem potestatem habeat : quod vivente Pontifice probabilius videtur, non item Sede Pontificia vacante.

2°. Dicitur : *justis de causis*, iisque distinctis a remissione pœnæ : has enim prorsus requiri fatetur Clemens VI. in extravag. *Unigenitus,* et Leo X. in sua decretali ad Cajetanum ait, se nullam potestatem habere concedendi indulgentias sine legitimo motivo. Ratio etiam manifesta id suadet : nam dominus non habet ratas profusiones a ministris prodigis factas; Apostoli autem dicuntur, *ministri Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. v. 1. Quapropter si motivum non sit æquale indulgentiis, vel hæ erunt nullæ, vel solum proportionatæ motivo.

3°. Dicitur : *signo externo;* nullus enim actus jurisdictionis exercetur sine signo externo sufficienter indicante voluntatem superioris. Unde patet, ne quidem solo dissensu Pontificis interno revocari indulgentias semel concessas posse.

264. *Dico II.* Ut quis indulgentiam sibi lucretur, debet esse vivens, viator, rationis compos, baptizatus, in statu gratiæ, et opus injunctum omnino explevisse.

1°. Debet esse *vivens* et *viator* : nam qui pro se indulgentias lucratur, fere semper opus aliquod injunctum exsequitur : mortuis autem nullum opus injungi potest : igitur nullas pro se indulgentias lucrari possunt. Nihilominus cum summus Pontifex habeat plenitudinem potestatis ad dispensandum Ecclesiæ thesaurum etiam non subditis, infallibiles indulgentias concedit fidelibus defunctis, sed tantum per modum suffragii et solutionis. Qua de re licet veterum aliqui dubitasse videantur, sententiam suam tamen revocarunt. Nec quisquam sine nota hæreseos jam contradicere posset post Xysti IV., Leonis X., et aliorum Pontificum editas Bullas.

2°. Debet esse *rationis compos* : nam usu rationis destitutus tantum speciatim annuente Pontifice, per alium præscripti operis exsecutorem lucrari indulgentias potest.

3°. Opus est, ut sit *baptizatus* : quia Catechumeno nequit Ecclesia per

modum absolutionis largiri indulgentias; sed tantum per modum suffragii, cum in illum exercere jurisdictionem nequeat.

4°. Debet *in statu gratiæ* esse : peccator enim frui aliena satisfactione non potest, ut Art. 1. docuimus. Excommunicato non vult Ecclesia hoc beneficium impertiri, licet forte gratia divina præditus esset.

5°. *Opus injunctum explendum* est : nam cum hac conditione conceduntur indulgentiæ.

6°. Dictum est, *ut quis sibi lucretur indulgentias* : Nam status gratiæ non exigitur in eo, qui alteri indulgentias lucrari cupit : peccatum enim ejus, qui opus injunctum exsequitur, indulgentias impedire nequit alii conferendas, qui peccati expers, et satisfactionis alienæ percipiendæ capax est.

Navarrus et Cajetanus insuper intentionem lucrandi indulgentias gratis requirunt, cum id Pontifices non exigant.

265. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* Abbates et præpositi Ordinum exercent jurisdictionem in suos Religiosos, faciuntque extraneos aliquando participes meritorum et satisfactionum suæ familiæ. Sacerdotes etiam virtute clavium in Pœnitentiæ tribunali exercent jurisdictionem, et aliqua pœnæ temporalis parte confessos liberant; ergo et isti habent facultatem largiendi indulgentias.

R. *N. Cons.* Potestas concedendi indulgentias pertinet ad forum externum Ecclesiæ, ipsaque concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis, quo relaxantur pœnæ temporales a jure vel ab homine dictatæ, atque idoneæ non tantum ad exemplum et correctionem publicam, sed etiam ad satisfaciendum pro reatu apud Deum residuo. Præfecti autem ordinum jurisdictionem tantum in suos habent quoad disciplinam vitæ regularis; ergo illis publicas et solemnes indulgentias elargiri non possunt, ac multo minus externis, in quos nullam jurisdictionem habent : nam communicatio illa meritorum sui Ordinis non fit virtute clavium, sed tantum conceditur per modum impetrationis ac suffragii. Quanquam autem sacerdotes cæteri virtute clavium in Pœnitentiæ sacramento aliqua pœnæ temporalis parte confessos eximant, hanc tamen jurisdictionem exercent tantum in foro interno ac secreto, non vero in foro externo et publico Ecclesiæ, ad quod potissimum spectat largitio indulgentiarum : nam quod in tribunali pœnitentiæ minus injungunt sacerdotes, expiandum adhuc pœnitenti restat per opera pœnalia, ut habet Bellarminus L. 1. de Indulg. c. 11.

266. *Obj. II.* Valida est actio, qua indigno sine legitima causa beneficium Ecclesiasticum confertur; ergo etiam quando conferuntur indulgentiæ sine legitima causa extrinseca.

R. *N. Cons.* Ecclesia ratam habet illam beneficii collationem, ut caveatur variis incommodis alioqui secuturis. Nullum autem sequeretur incommodum, si indulgentiæ sine causa justa concessæ nullæ sint : imo si valerent, gravia orirentur incommoda, quia homines tantæ impunitatis fiducia facilius in peccata ruerent.

Inst. 1. Ad redimendam culpam sufficit indigentia pœnitentis; ergo eadem indigentia sufficiens est ratio ad remittendam per indulgentias pœnam.

R. *N. Cons.* Peccator non potest liberari culpa nisi contritione et confes-

sione, quæ cum ex se sint actiones laboriosæ, et adjunctam satisfactionem habeant, a peccatis futuris deterrent pœnitentes : at indulgentiæ non sunt ita necessariæ, quia pro pœnis satisfacere unusquisque potest. Hinc ne in civilibus quidem largitiones laude dignæ essent, si indigentibus ansam desidiæ et proclivitatis in vitia præberent.

Inst. 2. Si ad concedendum indulgentias æquale his motivum requiratur, ergo irritæ erunt concessiones fere omnes indulgentiarum, cum pleræque adjunctas preces exiguas aut eleemosynas habent.

R. *N. seq.* Æqualitas motivi non tam petitur a bonitate actus, qui imperatur, quam a bono, quod per indulgentias obtineri posse speratur : cujusmodi esse potest fervor Ordinis Religiosi instaurandus, pax Christianorum, conversio Infidelium, Sancti cujusdam veneratio, aliudve publicum vel privatum bonum distinctum a remissione pœnæ indulgentias lucranti obventura : imo cum ex indulgentiis tanta Dei gloria, quanta ex satisfactione ipsa, speratur.

267. *Obj. III. cont.* 2am. *concl.* Si ad lucrandum indulgentias status requiritur gratiæ; ergo si opus injunctum plures hebdomadas duret, sæpius confitendum esset ei, qui interea peccaret.

R. *N. seq.* Sufficit opus ultimum præstari in statu gratiæ, quando indulgentiæ aut jubilæi gratiæ sunt obtinendæ : nec enim Pontifex exigit, ut opus quodlibet in statu gratiæ peragatur; sed lege Dei ita sancitum est, ut nemo capax remissionis pœnæ sit, qui non fuerit in gratia. Utrum indulgentiæ reviviscant; incertum est. Neque par ratio peti a sacramentis potest : nam secundum S. Thomæ doctrinam, nullum horum, quod characterem non imprimit, reviviscit. Qui culpa mortali vacat, confiteri non tenetur : nam dum Pontifex ad indulgentias obtinendas confessionem exigit, de confessione solorum lethalium a Doctoribus explicatur. Imo si facta legitime confessione in peccatum mortale recideris, confiteri iterum non teneris, modo ultimum opus vere contritus peregeris. Quod potissime dicendum, quando finis a Pontifice intentus obtineri potest, etiamsi actio præscripta in peccati mortalis statu peragatur : ut est ædificatio Ecclesiæ, sublevatio pauperum, repressio Paganorum, recuperatio terræ sanctæ.

268. *Obj. IV.* S. Thomas in 4. d. 26. q. 1. a. 30. docet, *indulgentias tantum valere, quantum sonant*; modo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis caritas, et ex parte causæ pietas; ergo non opus est executione operis per Bullam injuncti.

R. *N. Cons.* Ideo præscripti operis executionem non adjicit S. Doctor, quod opus novum injungi non sit absolute necessarium, quandoquidem propter opus præteritum indulgentia dari potest.

ARTICULUS IV.

VARIÆ DIVISIONES INDULGENTIARUM ADDUCUNTUR.

269. *Dico I.* Indulgentiæ ratione subjecti, cui alligantur, aliæ sunt locales, aliæ reales, aliæ personales.

1°. *Locales* dicuntur indulgentiæ, quæ templo, sacello, altari, aliive loco sacro affiguntur, ut, quicumque illa ingressi fuerint, aut visitaverint, et præscriptas preces vel opera præstiterint, illas adipiscantur.

2°. Interdum addicuntur alicui grano, rosario, cruculæ, imagini aliive rei sacræ, unde *reales* appellantur.

3°. Interdum tribuuntur personæ, quoties illa v. g. sacrum fecerit vel audierit, visitaverit infirmos aut captivos, quam ob causam *personales* nuncupantur. Tres istæ indulgentiarum species, quia sine temporis determinatione subjectis suis affixæ sunt, vocantur *perpetuæ* : nam quæ conceduntur definito spatio temporum, quo solum percipi queunt, dicuntur *temporariæ* : ut cum pro iis lucrandis determinantur viginti quatuor horæ, hebdomas una et altera, vel annus integer, ut in jubilæo. Si generatim dicatur, concedi indulgentias in mortis articulo, quin exprimatur, in *vero articulo mortis*, probabilius etiam obtinentur in articulo mortis præsumpto, quamvis mors revera tum non sequatur.

270. *Dico II.* Ratione effectus dividuntur indulgentiæ in partiales et totales.

Ratio est. Effectus proprius indulgentiarum est remissio pœnæ; ergo si juxta limitationem concessionis, pars tantum pœnæ remittatur, erunt indulgentiæ tantum partiales : si vero citra exceptionem omnis reatus tollatur, ut nihil pœnæ luendum supersit, erunt totales et plenariæ.

1°. Indulgentiæ partiales aliquæ sunt tot dierum vel annorum, significantque remissionem pœnitentiæ, quæ peragenda fuisset tot diebus vel annis secundum Ecclesiæ ritum : nam in primitiva Ecclesia solebat imponi pœnitentibus, ut feria 2. 4. et 6. jejunarent, ut abstinerent a balneo, equitatione, sacra communione, etc., prout ex Tertulliano L. de Pœnit., Conc. Triburiensi Can. 34. (Labb. t. 9. p. 458. D.) et ex L. 19. Burckardi constat.

Quadragenæ indulgentia significat remissionem pœnæ, quæ quadraginta continuatis diebus in jejuniis et aliis laboriosis operibus agenda fuisset. Quod si pœnitens tempus istud in solo pane et aqua transigere debebat, *carena* dicebatur ob carentiam fere omnium ciborum, qualis præmitti solebat pœnitentiæ septenni, ut auctores nuper citati testantur.

Indulgentia, qua pars aliqua, v. g. tertia aut quarta peccatorum donatur, significat, remitti pœnitentiam, quæ pro tanta parte pœnæ peccatis debitæ fuisset peragenda.

2°. Legitur aliquando indulgentia plena, plenior, plenissima. Suaresio disp. 50. sect. 4. num. 7. videtur verbis istis æqualiter significari indulgentia totalis; gradus autem comparationis, putat addi ad majorem rei declarationem, et ad tollendos scrupulos, qui ex variis opinionibus possent oriri.

Sotus ait, indulgentiarum prædicatores exaggerationis causa illam gradationem invenisse.

Quidam plenam ad solam pœnam peccatis mortalibus debitam referunt : pleniore, aiunt, remitti adhuc pœnas venialibus decretas : plenissima vero etiam culpas veniales indulgeri.

Probabilius videtur Bonifacius Papa, qui in extrav. *Antiquorum,* de pœnit. et remiss. primus vocibus illis usus est, indulgentiam plenam retulisse ad remissionem totius pœnitentiæ injunctæ a sacerdote : pleniorem, ad remissionem pœnæ totius secundum canones injungendæ; plenissimam, ad remissionem omnis pœnæ, quæ a divino judicio exigi posset.

3°. Inter plenarias indulgentias eminet Jubilæum, hebraice *ioubal,* quod ipsis significabat annum quinquagesimum remissionis, in quo agrorum cultura quiescebat, et venditæ possessiones prioribus dominis restituebantur, ut legimus Levit. 25. et 27. et Num. ult. Unde Isaiæ 61. v. 2. et c. 63. v. 4. translata est illa vox ad significandum tempus evangelicæ Legis, quod per annum Jubilæi Hebræorum significabatur. Idem vocabulum nobis exprimit annum secularem , quo maximæ indulgentiæ Romæ conceduntur : qui quidem initio fuit annus centesimus, qnando a Bonif. VIII. anno 1300. magnum illud Jubilæum primo Romæ celebrabatur. Postea anno 1350. a Clem. VI. revocatum fuit ad annum quinquagesimum. Denique a Xysto IV. anno 1425. ad vigesimum quintum annum est arctatum.

Quanquam autem amplissima hæc Jubilæi remissio non differat ab indulgentiis plenariis quoad effectum primarium remissionis omnium pœnarum, tres tamen præcipuas prærogativas habet. Nam primo motivi certitudine vulgares omnes indulgentias superat : secundo ratione solemnitatis et consensus totius christiani populi : tertio propter privilegia plurima ; videlicet quod possit quilibet per quemvis confessarium ab Ordinario approbatum ad excipiendum confessiones absolvi a casibus reservatis, et in plerisque votis dispensationem obtinere.

In lucrando autem Jubilæo quatuor potissimum observanda sunt, nempe executio operum injunctorum, eorum commutatio, absolutio a reservatis, et tempus, quo beneficium istud est acquirendum, quorum omnium explicatio Theologis moralibus incumbit.

271. *Obj. I.* Si quis indulgentias, queis Pontifex dimidium pœnarum remittit, bis lucratus fuerit ; vel totus pœnæ reatus tunc donabitur, vel tantum dimidium partis dimidiæ, quæ superfuerat a prima acquisitione indulgentiarum. Si primum, ergo falsum dixit Pontifex, tantum dimidiæ pœnæ remissionem datum iri : si secundum, ibitur in infinitum ; cum dimidium residui semper in duas partes dimidias dividatur, quarum altera novis ejusmodi acquisitionibus indulgentiarum expungi possit.

R. *N.* 1am. *seq.* Quod residuum est pœnarum non æstimaretur tunc ut totum, sed ut dimidium totius quod extabat, cum indulgentiæ primum acquirebantur.

272. *Obj. II.* Non est credibile, aliquem 48000. annorum in purgatorio fore ; ergo gratis ad tot annos sæpe conceduntur indulgentiæ,

R. *N. Cons.* Formulæ concessionum tantum indicant, tolli pœnas purgatorii, quæ tollerentur per pœnas ecclesiasticas tot annorum, statutas a SS. Canonibus, et temperandas pro fervore pœnitentium.

CAPUT VII.

DE POENITENTIA PUBLICA.

ARTICULUS I.

RITUS ET INSTITUTIO PŒNITENTIÆ PUBLICÆ.

273. *Nota I.* Christiani olim in duos ordines dispescebantur, in catechumenos et fideles. Catechumenorum quidam erant audientes, qui conciones quidem auscultabant, baptismum autem nondum petierant; alii e contra catechumeni, qui baptismum jam expetierant, dicebantur electi et competentes.

Fideles dividebantur in tres classes, quarum primam constituebat Clerus, ad quem omnes Ecclesiastici pertinebant : secundam Laici, qui communi nomine fideles nuncupabantur : tertiam Pœnitentes, qui etsi fideles essent, tamen ob crimina a cæteris fidelibus segregati, et quasi in sentinam Ecclesiæ rejecti peculiari nomine censebantur. Nomine autem Pœnitentium soli illi intelliguntur, quibus pœnitentia publica, eaque solemnis imperabatur. Nec enim omnis pœnitentia olim publica erat, sed dabatur etiam pœnitentia privata et occulta, quando peccatum clam commissum soli sacerdoti detegebatur, et satisfactio ita privatim et occulte peragenda injungebatur, ut ex ea crimen aliis innotescere non potuerit; ut constat ex epist. 80. (al. 168.) S. Leonis ad Episcopos Campaniæ.

Nota II. Pœnitentia, quam Gratianus c. *Nihil prodest,* de Pœnit. d. 3. et Magister in 4. dist. 14. solemnem, S. Augustinus epist. 54. (al. 153. ad Macedonium) humillimam, S. Ambrosius et Patres alii simpliciter publicam nominant, pluribus ex capitibus differt a pœnitentia publica non solemni. Nam 1°. pœnitentia solemnis ob aliqua tantum crimina publica et enormia indicebatur, nempe ob idololatriam, homicidium et fornicationem; quibus S. Gregorius Neocæsariensis in epistola canonica adjungit furtum in cives, barbarorum incursione afflictos et fugitivos, admissum. 2°. Pœnitentia solemnis semel tantum in vita concedebatur. Quod si quis deinceps iterum in ejusmodi crimina relaberetur, licebat ei quidem conventui Ecclesiæ et sacrificiis adesse, non autem communicare de corpore Christi, nisi in mortis articulo; ut refert Syricius Papa epist. 1. c. 5. (Labb. t. 2. p. 1019. B.). 3°. Pœnitentia solemnis non injungebatur Clericis majoribus, neque conjugato cuipiam, nisi ex consensu conjugis alterius, et raro juvenibus aut mulieribus. 4°. Solemnis pœnitentia imperari a solo

Episcopo poterat; cum e contra pœnitentia publica non solemnis ob plura alia crimina publica, ac sæpius etiam fidelibus quibuslibet, non ab Episcopo duntaxat, sed etiam a Presbyteris dictaretur.

Nota III. Pœnitentia solemnis tres, septem, decem ac plures interdum annos durabat. Ejus initium dabatur feria IV. ante Dominicam I. Quadragesimæ, quando pœnitentes pulla veste et cilicio induti, tonso capite, exceptis feminis, et cinere aspersi, in Ecclesiam inducebantur. Hinc superest etiamnum ritus, fideles initio jejunii verni cineribus aspergendi. Inductis in Ecclesiam pœnitentibus Episcopus cum Clero manus postquam imposuit, eosdem denuo ex Ecclesia ejiciebat: ubi diversas stationes occupabant, prout in pœnitentiæ temporibus processerant. Harum prima dicebatur πρόκλαυσις, statio *flentium*, qui extra fores Ecclesiæ sub dio, aut saltem in vestibulo preces fidelium cum fletibus postulabant. Secunda appellabatur ἀκρόασις, *auditio*, quando intra portam in porticu cum catechumenis verbum Dei ipsis audire, non autem precibus fidelium interesse licebat. Tertia nuncupabatur ὑπόπτωσις, *substratio*, quando humistrati et genuflexi hærebant, humili ac demisso habitu, variisque pœnis et carnis macerationibus exercebantur. Severissima fuit hæc statio, unde apud veteres absolute *pœnitentia* vocabatur. Isti cum competentibus ad concionem et preces Ecclesiæ intra templi ambitum usque ad ambonem, id est, ad locum, ex quo Epistola et Evangelium legi solebat, admittebantur, non vero ad sacrificii celebrationem. Quarta σύστασις seu *consistentia* erat, cum in Ecclesia ad sacrificium etiam consistere, non vero ad communionem altaris percipiendam admitterentur, ex qua causa etiam statio ista appellabatur *minor excommunicatio*.

Hisce quatuor vulgatis stationibus pœnitentium quintam nonnulli adjiciunt, quæ μέστωσις seu *complementum* vocatur, eratque illorum, qui jam expleta pœnitentia exspectabant feria V. in cœna Domini reconciliari: hoc enim solum tempus reconciliationis erat.

Nota IV. Præter ea, quæ hactenus memoravimus, pœnas plures subibant. Nam 1°. ante expletam pœnitentiam nulli licebat participare sacra mysteria prioribus Ecclesiæ temporibus. Morituris tamen postea sacram communionem concessit synodus Nicæna I. can. 13. (Labb. t. 2. p. 35. B.) et Ecclesia Romana singulis annis feria V. hebdomadæ majoris pœnitentes reconciliavit, eisque sacram communionem tunc solum indulsit, ut testatur Innocentius I. cap. 7. epist. ad Decentium Episc. Eugubinum (Labb. t. 2. p. 1247. D.) 2°. Nunquam poterant promoveri ad Clerum, etiam expleta pœnitentia. 3°. Non concedebantur pœnitentibus nuptiæ, nisi quandoque juvenibus. 4°. Non licebat eis adire militiam, neque convivia aut balnea. 5°. Dum starent in ordine pœnitentium, non poterant esse susceptores in baptismo aut confirmatione. 6°. Privabantur unctione infirmorum. 7°. Debebant sepelire mortuos. 8°. Diebus dominicis et tempore paschali flexis genibus orabant, dum fideles cæteri stantes peccarentur. Diebus autem jejuniorum in Ecclesia comparebant, et in genua provolutis sacerdotes manus imponebant, et preces pro ipsis fundebant.

274. *Dico.* Institutio pœnitentiæ publicæ et solemnis non est a Christo et Apostolis, sed est disciplinæ tantum ecclesiasticæ.

Prob. I. Toto primo seculo, et seculo secundo quoad majorem partem quibuslibet peccatoribus pœnitentibus quorumcumque criminum etiam extra articulum mortis dabatur absolutio : ut constat ex historia illius incesti, quem B. Paulus ob commercium cum noverca 1. Cor. 5. excommunicatum, postea tamen resipiscentem absolvit, et fidelibus cæteris impense commendavit, 2. Cor. 2. Joannes item Apostolus adolescentem ad latrocinia et homicidia degenerantem, per silvas conquisivit cum lacrymis, et reductum brevi fidelium communioni restituit, ut narrat Eusebius Hist. Eccles. L. 3. c. 23. S. Irenæus L. 3. c. 4. aperte ait, Cardonem non semel apostasiæ suæ veniam consecutum fuisse. Tertullianus L. de præscriptionibus c. 30. testatur, Marcionem secundo ad pœnitentiam fuisse admissum, eique, modo, quos corruperat, secum reduceret, communionem et pacem promissam; sed, antequam id exsequeretur, morte præventum fuisse.

Post medium secundi seculi cum gravibus et publicis peccatoribus severius agere cœpit Ecclesia, et tribus criminibus, si manifesta essent, omnem veniam negare extra mortis articulum ; donec non multo post, circa initium tertii seculi hunc disciplinæ rigorem Romæ temperavit S. Zephyrinus Pontifex, et veniam fornicatoribus, postquam convenienti pœnitentia perfuncti essent, indulsit : homicidis et idololatris sine spe veniæ, ut antea, relictis. Indulgentiam istam sancto Pontifici exprobrat Tertullianus L. de pudicitia c. 1., sed injuria : nam sub medium seculi tertii eadem moderatione idololatræ et homicidæ excepti fuerunt, ut constat ex epistola 58. Cypriani (alias 52. ad Antonianum). Cum autem pœnitentiæ hujus publicæ vigor statim cœpisset defervescere, restituta est post persecutionem Diocletiani et Maximiani a Conciliis Ancyrano, Nicæno et aliis.

Prob. II. Si hæc pœnitentia publica fuisset instituta a Christo, et ab Apostolis promulgata, quilibet Christiani, atque etiam de quovis peccato gravi deberent eam obire, neque Ecclesiæ liceret hac in re quidquam mutare : atqui ad eam non tenebantur olim clerici, mulieres, conjugati, neque juvenes; et de paucis tantum, eisque publicis criminibus talis pœnitentia dictabatur ; ejusque ritus sæpe fuit ab Ecclesia immutatus; imo tota hæc solemnitas sensim sublata. Et quamvis Concilium Trident. Sess. 24. c. 8. de Reformatione, pœnitentiam publicam publice et cum scandalo Ecclesiæ peccantibus injungendam decernat; addit tamen, *ab Episcopo hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum posse commutari, quando ita magis judicaverit.*

ARTICULUS II.

PRO QUIBUS PECCATIS PŒNITENTIA PUBLICA DICTABATUR ?

275. *Dico.* Pro solis peccatis publicis; eisque gravissimis et scandalosis olim præcipiebatur pœnitentia publica. Est contra Novatores quosdam.

Prob. I. Origenes hom. 15. in Levit. (opp. t. 2. p. 262. C.) ob graviora quidem crimina semel, aut raro pœnitentiam concedi : de communibus autem culpis, quibus domum nostram spiritualem dæmoni venumdamus, et quæ frequenter incurrimus, quotidianam pœnitudinem agendam non interdici. Gregorius Nyssenus, qui sub medium seculi IV. floruit, in epistola canonica ad Letoium, can. 4. et 5. (opp. t. 1. p. 949. 950.) ait, homi-

cidis et prædonibus, qui illis similes æstimantur, statutam a Patribus esse pœnitentiam publicam; nullam autem iræ aut avaritiæ criminibus, imo ne furto quidem ipsi, neque etiam usuræ, ut testatur Basilius M. epistola canonica 1. can. 14. (opp. t. 3. p. 275. D.) neque raptoribus virginum et viduarum, quando nullus concubitus præcessit : et epist. canonica 2., can. 34. (opp. t. 3. p. 295. B.) prohibitum, ait, fuisse a Patribus, publicare adulteras confessas, aut quomodocumque convictas, ne mortis periculum adirent, sed eas jussas a sacra communione abstinere usque ad expletum tempus pœnitentiæ. S. Leo M. epist. 92. ad Rusticum c. 17. (al. epist. 167. inquisit. 19.) scribit, qui convivio solo et escis immolatitiis gentilium usi sunt, posse jejuniis et manus impositione purgari : idololatras autem, homicidas, et fornicatores non oportere admitti ad communionem, nisi per pœnitentiam publicam. S. Eligius Noviomensis Episcopus, qui seculo VII. floruit, homilia 11. 13. et 15. (Patrol. t. 87.) quas in cœna Domini habuit, fideles etiam in mortalia lapsos, clare distinguit in eos, qui sine pœnitentia publica prius acta, et eos qui nonnisi post pœnitentiam publicam absolutam in Paschate communicaturi erant.

Prob. II. Juxta Augustinum epist. 108. ad Seleucianam (al. epist. 265.), hi tantum ad pœnitentiam, quam proprie publicam appellat, cogebantur, qui merebantur separari a corpore Christi per excommunicationem canonicam: atqui ex eodem Augustino non propter mortalia quælibet, sed tantum propter graviora a corpore Christi sic separari merebantur; ergo teste eodem tantum propter graviora crimina ad pœnitentiam publicam addicebantur.

Prob. III. Ex occultis criminibus etiam gravissimis homicidii et adulterii nemo olim obligabatur ad pœnitentiam publicam. S. Augustinus de homicida sibi privatim noto, sub finem serm. 16. de verb. Dom. (al. serm. 83. c. 8. n. 11.) *Prorsus*, inquit, *nec prodo, nec negligo, corripio in secreto.* Et paulo inferius eadem habet de adultero sibi clam detecto; uti etiam cap. 12. homil. ult. ex 50. (al. serm. 351.) Concilium autem Rhemense II. an. 813. can. 31. (Labb. t. 7. p. 1257. C.) discrimen habere cupit inter eos, qui publice, et qui clam pœnitere debent.

Prob. IV. Ecclesia semel tantum concessit pœnitentiam publicam, ut ex Origene et Patribus cæteris novimus. Quis autem credat, Ecclesiam voluisse omnia mortalia subjecta esse illi pœnitentiæ, quæ semel tantum in vita peragi potest, cum Christus pœnitentiæ sacramentum iterabile pro baptizatis instituerit?

Prob. V. Qui pœnitentiam publicam obierant, nunquam poterant promoveri ad sacros Ordines: cæteris dum duraret pœnitentia, non licebat adire militiam, nec inire matrimonium, aut inito uti; si ergo propter quælibet peccata lethalia subeunda erat publica pœnitentia, quantæ turbæ exortæ fuissent in Ecclesia, dum paucissimis Christianorum ad clerum et militiam adlegi, aut conjugio et procreandis liberis operam dare licuisset?

Prob. VI. Denique cogebantur ad publicam confessionem, qui ad pœnitentiam publicam damnabantur: atqui nemo occultos peccatores ad talem confessionem cogebat, nec consciis criminum licebat illa publicare, ut de mulieribus adulteris tradit Basilius M.; neque licuisse unquam ea crimina

propalari a Presbyteris, quibus privatim confessio facta est, probat inviolabile sacramenti sigillum; ergo.

276. *Obj. 1.* Ideo Patres de pœnitentia publica agentes, tria tantum illorum peccatorum, idololatriæ, homicidii et fornicationis meminerunt, quia ad illa, tanquam capitalia, cætera omnia reduci possunt; ergo inde nequit probari, quod de peccatis cæteris non fuerit agenda pœnitentia publica.

R. *N. Ant.* Quod et pueris absurdum apparet, quibus ex catechismo constat, non tria, sed septem esse peccata capitalia: quomodo enim ebrietatem aut furtum ad illa tria peccata revocabis?

Inst. 1. S. Basilius epist. cit. can. 52. fures, et can. 65. sepulcrorum effossores, aliosque peccatores pœnitentiæ publicæ submittit; ergo non sola illa tria crimina pœnitentiæ publicæ erant obnoxia.

R. *D. M.* S. Basilius illos etiam peccatores pœnitentiæ publicæ submittit, ex traditione Patrum *N.* suamet auctoritate et ex statutis recentioribus *C.* Can. 30. *De his*, inquit, *qui rapiunt* (nempe mulieres) *canonem quidem antiquum non habemus*, etc. Alii Patres diserte eximunt fures, et eos qui idolothyta in conviviis gentilium vescuntur. Concilium Laodicenum seculo IV. can. 7. (Labb. t. 1. p. 1498. B.) hæreticos sola chrismatis unctione ad communionem recipiendos pronuntiat; modo errores detestati fuerint ac publice revocarint. Et Neocæsariense an. 314. can. 4. (ibid. p. 1484. B. E.) *Si quis*, inquit, *mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, et cogitatio ejus non perveniat ad effectum; apparet quod gratia Dei liberatus est*, nempe a pœnis canonicis, adeoque pœnitentia publica fornicariis et adulteris præcepta. Ex quo constat, nullam pœnitentiam publicam peccatis etiam gravissimis sola cogitatione admissis fuisse statutam.

Inst. 2. Tertullian. L. de Pœnitentia meminit solius pœnitentiæ publicæ; ergo pro peccatis quibuscumque tunc agebatur tantum pœnitentia publica.

R. *N. Cons.* Ab initio libri usque ad cap. 7. agit de pœnitentia generatim, quæ post Baptismum lapsis est necessaria. Hanc vero cap. 5. unicam, ait, esse oportere, non quidem ex desperatione indulgentiæ, si quis baptizatus sæpius peccaverit, sed amore innocentiæ ac rigore disciplinæ, quia optandum esset, ut in recuperata justitia perseveraret. A cap. 7. autem usque ad finem tractat de pœnitentia publica, cui tamen non omnia peccata subjicit, meminit enim solius pœnitentiæ, quæ cum Baptismo conferri potest: nam 1°. ait, esse unam, sicut unus est Baptismus. 2°. Sicut a gravissimis criminibus idololatriæ per Baptismum gentiles expiantur et Deo reconciliantur: ita fideles per pœnitentiam publicam ab homicidio et fornicatione. 3°. Sicut catechumenis per Baptismum, ita fidelibus per pœnitentiam publicam omnis pœna et culpa a Deo remittitur.

Inst. 3. Ibidem cap. 10. damnat verecundiam, quæ peccatores abstinebat, quominus peccata sua confiterentur; ergo agit de peccatis occultis, nam peccata publica fateri non prohibet pudor.

R. *N. Cons. et ejus probationem.* Magna pars Ecclesiæ peccata publica pœnitentium ignorabat: igitur ingenti animo opus erat, coram his et aliis omnibus in ea, qua dixi, abjectione et squalore peccata palam omnibus facere.

Inst. 4. S. Cyprianus epist. 4. ad clerum, ait, minora delicta expianda fuisse pœnitentia publica.

R. Fornicationem et adulterium vocat delicta minora intuitu idololatriæ. Libro autem de Lapsis triplicis generis lapsos affert, primo eos, qui palam idolis thus obtulerunt : secundo libellaticos, qui quidem palam fidem non negaverant, qui pretio libellos impunitatis a magistratibus obtinuerant, quo pacto licet et vitæ et idololatriæ exterioris periculum redemissent, seque a satellitum furore et audacia essent tuiti, nominis tamen christiani professionem confusione quadam abnegaverant : tertio illos, qui libellos tales emere cogitaverant. Solos vero illos, qui idolis sacrificaverant, pœnitentiam publicam subire debuisse, constat ex loco citato, ubi cæteros ad confessionem et pœnitentiam privatam hortatur. Et epist. 58. ad Antonianum aperte testatur, libellaticos facti pœnitentes sine mora ad communionem receptos fuisse.

277. *Obj. II.* Patres hortantur ad pœnitentiam publicam, imo jubent eam injungi ob crimina, quæ nonnisi occulte solent committi, et quorum aliquis se sponte accusat : ut S. Gregorius Neocæsareensis epist. canonic. can. 8. (Labb. t. 1. p. 842. A.), Basilius M. can. 61. epist. canon. 2. (opp. t. 3. p. 327. A.) S. Gregorius Nyss. can. 3. epistol. jam citata, Conc. Ancyr. can. 20. Ergo propter occulta etiam crimina debebat obiri pœnitentia publica.

R. *D. Cons.* Si manserint occulta, et soli Episcopo vel Presbytero fuerit ea confessus *N.* Si evaserint nota vel delatione, vel publica peccatoris confessione *C.* Crimen publicum evadere potest, 1°. notorietate juris, quando constat, sententia judicis, vel confessione rei in judicio, vel legitima depositione testium : 2°. notorietate facti, quando commissum est in præsentia multorum, vel in loco publico, vel eo tempore, quo potuit multis innotescere, vel passim versatur ob oculos majori parti viciniæ : 3°. denique redditur famosum, quando ejus fama ex sufficientibus indiciis orta pervenit ad majorem partem communitatis. Quamdiu nullo generis ejus modo crimen evadit publicum, dicitur manere occultum. Igitur Origenes homil. 2. in Ps. 37. (opp. t. 2. p. 688.) et alii Patres commendant et probant confessionem publicam occultorum criminum, et publicam pœnitentiam, quam quis sponte confessus palam subit, ad eamque instanter hortantur : id quod olim in usu fuisse, non negamus. Quod si quis palam suum crimen, alias occultum, sponte confessus fuisset, hunc ad pœnitentiam publicam damnabant canones citati, quamvis ad longe mitiorem, quam si aliis modis illud notorium evasisset. Verum hoc nihil contra thesin nostram evincit : nam quando quis omnino libere ex pietate et pœnitentiæ studio occultum crimen plurimæ parti Ecclesiæ manifestat, pœnitentiam publicam postea injunctam ob crimen notorium subibit.

Inst. 1. S. Augustinus et alii Patres aiunt, duplicis generis peccata dari, alia quidem gravia, mortalia, capitalia ; alia vero leviora, venialia et quotidiana : illa quidem expianda esse, inquiunt, pœnitentia publica, hæc vero precibus quotidianis ; ergo.

R. *Explic. testim. Patrum.* Illa esse expianda, aiunt, pœnitentia publica, si fuerint scandalosa, et commoverint universam Ecclesiam, ut loquitur Concilium Carthag. III. can. 32. (Labb. t. 2. p. 1171. E.) *C.* si fuerint occulta, aut non ita scandalosa *N.* Seculo VI. S. Cæsarius Arelatensis

homil. 1. (Bibl. maxima PP. t. 27. p. 324.) et seculo XI. Fulbertus Carnotensis serm. 2. ad populum (Bibl. magna PP. t. 3. p. 501. C.) distincte addunt, *diutina iracundia, ebrietas assidua* : brevis ergo iracundia et ebrietas raro admissa non plectebantur pœnitentia publica, cum nemo neget ea esse peccata mortalia. Hinc Cæsarius subjungit : *Quia justum est, ut, qui multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.*

Inst. 2. Juxta disciplinam Patrum antiquorum omnia peccata mortalia merentur pœnam excommunicationis, seu privationis S. Eucharistiæ : atqui hæc privatio erat præcipua pars pœnitentiæ publicæ ; ergo mortalia omnia subjiciebantur pœnitentiæ publicæ.

R. *D. M.* Hoc est, nulli licebat accedere ad sacram communionem, antequam peccatum mortale, in quod inciderat, pœnitentia expiaverit, et confessione sacramentali, prout etiam præscribit Concilium Trid. Sess. 13. c. 7. *C.* quasi omnia peccata mortalia, secundum Patres, meruerint excommunicationem canonicam *N.* Excommunicationem canonicam et pœnitentiam publicam, ut præfati sumus, sola peccata canonica vulgata subibant : quod si eadem peccata vel nullo teste committebantur, vel solo complice conscio, pœnitentiæ publicæ non erant obnoxia secundum Canones, sed ex consilio duntaxat Presbyteri, et ex consensu pœnitentis, qui etiam negatione absolutionis sacramentalis compelli ad publicam pœnitentiam quandoque solebat, non vero aperta et publica ab altari remotione. Quam ob rem S. August. supra laudatus, serm. 351. (al. 50. ex 50. hom.) *Nos,* inquit n. 10. *a communione prohibere quemquam non possumus... nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Quod si idem S. Doctor homil. 49. inter 50. (al. 49. ex 50. hom.) adhortans adulteros, *agite*, inquit, *pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia... Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago* : non intelligit pœnitentiam solemnem et publicam, sed generatim illa, quæ virtute clavium peragitur, monetque illos, ne sacerdotum ministerio prætermisso, coram Deo tantum pœnitentiam agant; mox enim addit : *Ergo sine causa dictum est : Quæ solveritis in terra, etc.*

Solet etiam hic tractari quæstio de personis pœnitentiæ publicæ olim obnoxiis. Ubi potissima altercatio est de clericis majoribus, quos multi asserunt subjectos publicæ pœnitentiæ fuisse tribus seculis prioribus, secuti Joannem Morinum, qui id L. 4. c. 12. pluribus adstruit. Verum alii melius hoc negant cum Albaspinæo Observat. 6. et 7. in Optatum. Sane hic Sanctus L. 2. de schismate Donatistarum, n. 25. graviter invehitur in Donatistas, quod lapsos episcopos et presbyteros pœnitentiæ publicæ subjiciant, *quod* quidem persecutionis tempore, ait, *a nullo factum est post thurificationem.* Sed et Synodus Ancyrana anno 314. can. 1. et 2. (Labb. t. 1. p. 1455. C. D.) presbyteris et diaconis, qui idolis sacrificaverunt, pœnitentia ductis, honoris quidem nomen servat, verum absque ulla functione et exercitio Ordinis. Petrus Alexandrinus can. 10. (Labb. t. p. 962. D.) clericis lapsis communionem concedit. S. Leo epist. 2. alias 92. et 167. ad Rusticum, ait, *alienum esse a consuetudine ecclesiastica,* ut presbyteri aut diaconi pœnitentiam publicam obeant. S. Augustinus L. 1. de Bapt. contra Donat. c. 1. testatur, clericis ad Ecclesiam, a qua defecerant, reversis, *manus inter laicos non imponi,* scilicet ad pœnitentiam publicam. Et Conc. Carthaginense V. ætate Au-

gustini celebratum idem can. 11. decidit (Labb. t. 2. p. 1217. C.), *ut lapsis sacerdotibus manus, sicut laicis, non imponantur*. Et habetur c. *Confirmandum est*, dist. 50.

Per pœnitentiam vero publicam intelligitur tantum luctuosa illa ac solemnis, quæ in tertio pœnitentiæ gradu, qui *substratio* dicebatur, peragi solebat, in quo pœnitentes cinere conspersi, induti sacco ac plane lugubri habitu, variis laboribus et carnis afflictationibus, et frequenti manus impositioni Episcoporum et Cleri totius subjiciebantur; a quo dedecore ac verecundia clericos majores Ecclesia semper exemit. Privatam tamen secessionem ac pœnitentiam lapsis clericis injunctam fuisse, ait S. Leo in epistola laudata. Quo modo explicatur, qui objici solet, Canon 76. Conc. Eliberitani, aliaque testimonia, quæ Morinus adducit.

CAPUT VIII.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

ARTICULUS I.

QUÆNAM POTESTAS IN MINISTRO HUJUS SACRAMENTI REQUIRATUR?

278. *Dico I.* Ut quis sit verus sacramenti hujus minister, simpliciter in eo requiritur potestas ordinis, seu ut sit Sacerdos. Ita Catholici omnes contra Waldenses, Wicleffistas, Lutheranos et Novatores cæteros.

Prob. I. Ex Scriptura. Verba Christi Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, solis sacerdotibus dicta fuisse constat ex perenni traditione et usu Ecclesiæ orientalis et occidentalis. Concilium Florentinum in decreto Eugenii §. *Quartum*, inquit: *Minister hujus sacramenti est sacerdos*. Idem statuit Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 6. et can. 10. *Si quis dixerit*, inquit, *non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quorum remiseritis peccata... quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; anathema sit.*

Prob. II. Testimoniis Patrum. Origenes homil. 2. in Levit. (opp. t. 2. p. 191. C.) *Est adhuc*, inquit, *septima peccatorum remissio... cum peccator non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum*. S. Cyprianus L. de lapsis: n. 29. *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suum dum remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est*, etc.

Basilius M. in Regul. brevior. ad interrogationem 288. (opp. t. 2. p. 516. D.) respondet: *Necessario iis peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Non autem cuilibet, sed Apostolis et ipsorum successoribus sacerdotibus hanc dispensationem creditam esse monet B. Paulus 1. Cor. 4. v. 1. et c. 12. v. 28. et seqq.

S. Joan. Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio, cap. 5. (opp. t. 1. p. 383. B.) extollit potestatem sacerdotibus a Deo concessam absolvendi a peccatis, quæ sit major omnium terrenorum Principum potestate, *quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit, etc.* ut fusius retulimus supra c. 1. a. 1. ad Inst. 1. Obj. 3.

Innocentius I. epist. 1. ad Decentium (Labb. t. 1. p. 1247. L.) *De pondere,* inquit, *æstimando delictorum, sacerdotis est judicare.*

S. Augustinus epist. 228. (al. 180. ad Honoratum, n. 8.) deterret sacerdotes, ne deserant oves in periculo, quia magnum *exitium sequitur eos, qui de hoc seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.*

S. Leo epist. 83. (al. 108. ad Theodorum): *Sic divinæ,* inquit, *bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*

S. Cæsarius homil. 41. peccatorem ad non differendam pœnitentiam hortatus: *Nescit,* inquit, *si possit pœnitentiam accipere, et confiteri Deo et sacerdoti.* Plura Patrum testimonia dedimus cit. cap. 1. huj. disp. art. 1. et 2.

279. *Dico II.* Ut quis sacramentum pœnitentiæ administrare possit, opus ei adhuc est jurisdictione.

Prob. Concilium Tridentinum dicta Sess. 14. cap. 7. ait: Nullius momenti esse absolutionem, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Ac rationem hanc reddit: Pœnitentiæ sacramentum est judicium: atqui ad judicium requiritur necessario in judicante jurisdictio, et subjectio in eo, qui judicatur: neutrum autem habetur a sola potestate ordinis; alioqui sacerdotes quilibet essent sibi mutuo pastores et subditi; ergo.

280. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* Jacobi 5. v. 16. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra*; ergo cuilibet fieri confessio potest.

R. *Explic. Ant.* Confitemini alterutrum peccata vestra generatim *C.* speciatim *subdist.* singuli singulis quibusque *N.* reus judici, laicus sacerdoti *C.* Sic veteres intellexisse ostendunt testimonia sæpius allata. Quæ quidem testimonia etiam sufficiunt ad dandam rationem discriminis, cur non æque omnes Christianos concernat dictum Christi: *Quorum remiseritis peccata, etc.* ac illud Matth. ult. *Euntes baptizate.* Præterquam quod major sit baptismi necessitas, quam pœnitentiæ sacramenti, ut notat S. Thomas dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiunc. 1. ad 2. neque in baptismi administratione servetur ratio judicii, quam remittendi et retinendi potestas in pœnitentiæ sacramento exercet.

Inst. 1. Olim defectu presbyteri sacramentalem absolutionem impertierunt diaconi: nam S. Cyprianus epist. 12. ad clerum de lapsis et alibi scribit, lapsos in idololatriam, si libellos Martyrum exhibere possint, presbyteris absentibus, apud diaconum exomologesin facere posse, ut manuum ejus impositione ad Dominum cum pace veniant; ergo.

R. *N. Ant.* S. Doctor loquitur solum de exomologesi, qua morituri tales diacono suum lapsum in idololatriam, et sua vota reconciliationis aperiant, ut ab eo reconciliari, et S. Eucharistiam in viaticum percipere pos-

sint. Idem sensus est Synodi Eliberitanæ, quæ can. 32. (Labb. t. 1. p. 974. B.) facit diacono potestatem concedendæ communionis, si ei jusserit sacerdos : indicat enim solum communionem ecclesiasticam, non vero reconciliationem cum Deo. Sed et Concilium Toletanum I. c. 2. (Labb. t. 2. p. 1223. E.) cum diaconos lapsos privat potestate imponendi manus, non intelligit nisi honorariam illam, cum clerus cum Episcopo pœnitentibus manus sæpe soleret imponere. Ad sensum eumdem Alcuinus, Ordo Romanus aliique dicunt : *Diaconus suscipiat pœnitentes, et det eis sanctam communionem,* susceptione tantum ceremoniali, ut precum Ecclesiæ et Eucharistiæ participes fierent ; non vero absolutione sacramentali. Ordo enim Rom. *Sicut sacrificium,* inquit, *offerre non debent, nisi episcopi vel presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt; sic nec ista judicia alius usurpare debet.* Ordo Parisiensis, in statutis Synodal. Stat. 56. *Prohibetur,* inquit, *districte, ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate : claves enim non habent, nec possunt absolvere.* His Alcuinus cum cæteris antiquis consentit.

Inst. 2. c. *Fures,* Extra, de furtis : *Fures,* inquit, *si furando comprehensi vel vulnerati, presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Alia item Concilia, Patres et præcipui Theologi jubent, absente episcopo et presbytero, confessionem fieri diacono, aut etiam laico ; ergo.

R. Sententia illa in jure can. mendosa est : ita enim canon 31. Conc. Triburiensis (Labb. t. 9. p. 457. A.), in decretales relatus, sonat : *Si comprehensi et vulnerati, Deoque et sacerdoti confessi, etc.* Et ut prior lectio admittatur, tamen recte explicari potest secundum sententiam Conciliorum, Patrum et Theologorum, qui, absente episcopo et presbytero, confessionem aliis jubent fieri, ad præceptum Christi de confessione quoquo modo implendum, et gratiam ipsa operis humilitate consequendam *C.* ad absolutionem sacramentalem ab iis suscipiendam *N.* Juxta hanc expositionem S. Thomas nuper cit. ait, *laicum in necessitate supplere vicem sacerdotis, cui confessio fiat :* eo quod putaret, hominem in articulo mortis teneri peccatum mortale, cujus sibi conscius est, saltem laico confiteri : ibidem tamen ad 1. et dist. 20. q. un. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3. ait, ejusmodi confessionem non esse sacramentalem, nec ita confessum consequi sacramentalem absolutionem, sed defectum sacerdotis erga sic confessum et contritum a summo Sacerdote suppleri. Igitur Morinus, qui in aliam partem propendere visus est, ipsis veterum testimoniis, quæ in suæ opinionis patrocinium adducit, convincitur. Nam Magister sententiarum L. 4. dist. 17. *Si,* inquit, *defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio.... Tanta quippe vis est confessionis, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo.... et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet; fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis.*

Verbis pene eisdem utuntur Gratianus, Præpositus in summa inedita, Albertus M. aliique apud Morinum.

281. *Obj. II. cont.* 2am. *conclus.* Sacerdotes in sua ordinatione accipiunt potestatem remittendi peccata, dum dicitur eis idem ab Episcopo, quod dicebatur Apostolis a Christo, Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, etc.* atqui post illa Christi verba non egebant Apostoli po-

testate alia; ergo neque sacerdotes post collatum sibi sacerdotium egent distincta potestate jurisdictionis.

R. *D. M.* Sacerdotes in sua ordinatione accipiunt potestatem totalem et completam remittendi peccata *N.* accipiunt potestatem radicalem, inchoatam et ex parte principii activi *C.* Potestas totalis et completa remittendi peccata constat necessario ex potestate ordinis et jurisdictionis, quarum prior sola ordinatione confertur, posterior vero ante et post ordinationem conferri potest. Quare Apostolis Christus dicendo : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, etc.* tantum concessit potestatem ordinis : nam cum continuo ante dixisset : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, jam eis conferebat jurisdictionem universalem in omnes Christianos.

Inst. 1. Sacramento ordinis confertur potestas judicandi, seu peccata judicialiter cognoscendi, ac deinde prout videtur, retinendi ac remittendi : atqui hæc est potestas jurisdictionis; ergo non opus est alia potestate jurisdictionis.

R. *D. M.* Confertur potestas jus dicendi remota, inchoata, late et improprie dicta *C.* potestas proxima, completa, proprie et stricte dicta *N.* Jurisdictio proprie accepta, de qua Concilia disserunt, est potestas regendi et gubernandi, quæ non datur per solam ordinationem : nam episcopi absolute ordinati, seu mere titulares, item episcopi episcopatu suo dejecti, aut qui legitime renunciarunt, carent jurisdictione, quam tamen habent episcopi confirmati, antequam ordinentur. Deinde potestas ordinis sola ordinatione confertur verbis istis : *Accipe Spiritum sanctum, etc.* e contra potestas jurisdictionis acquiritur pluribus signis externis, v. g. collatione beneficii ab episcopo, quæ etiam legitime delegatur a beneficiato nondum ordinato. Præterea potestas jurisdictionis augeri, minui, delegari potest, et adimi : potestas ordinis eadem est et æqualis in omnibus, nec delegari potest, nedum amitti. Denique potestas ordinis confertur sine subjecta materia : jurisdictio autem nequit esse sine materia certa et determinata; quomodo enim superior sit sine subditis? Igitur jurisdictionis collatio, cum sit designatio subditorum, habet se sicut approximatio causæ ad subjectum : nam etsi ignis idoneus sit ad comburendum lignum, nullum tamen comburet, nisi sibi admotum.

Inst. 2. Sacerdotes habent potestatem suam absolvendi a Christo, non vero ab Ecclesia.

R. *D. Assumpt.* Habent a Christo hanc potestatem radicalem, inchoatam, et ex parte principii activi *C.* hanc potestatem absolutam et completam a Christo *N.* Accedente jurisdictione ab Ecclesia, potestas absolvendi a Christo per sacramentum ordinis collata, completur et perficitur in ordine ad usum.

Inst. 3. Si non una cum potestate absolvendi simul in ordinatione conferatur jurisdictio; ergo potestas illa absolvendi erit inutilis, cum reduci in actum non possit.

R. *N. Illatum.* Reduci potest in actum accedente jurisdictione, quæ et ipsa non censetur esse otiosa, quod sine potestate absolvendi per ordinationem collata in actum secundum non prodeat. Habet ergo se res fere sicut cum rex aliquibus potestatem absolvendi vel damnandi impertiverit, quam exercere non possint, antequam ipsis a prorege in præfecturis subditi certi designentur.

Inst. 4. Si ad absolvendum requiritur jurisdictio, ergo summus Pontifex

a nemine absolvi poterit : sicut enim in foro externo a nemine judicari potest, ita in judicio interno nemini potest in se dare jurisdictionem.

R. *N. Illat. et ejus probat.* Propter excellentem, omnique humana majorem dignitatis suæ prærogativam, quam auctoritati mere humanæ subjici non convenit, non potest in foro externo cuiquam in se committere jurisdictionem. E contra cum in foro interno auctoritas absolvendi divina sit, ejusque judicium omnibus christianis peccatoribus jure divino necessarium; hoc ipso quod Pontifex confessarium sibi eligit, committit eidem jurisdictionem in se ipsum : perinde ac supremi Principes judicibus, queis causas suas decidendas committunt, jurisdictionem in se ipsos conferunt.

282. *Coll.* 1°. Quilibet sacerdos etiam excommunicatus, si alius haberi nequit, potestatem habet absolvendi quemcumque peccatorem in articulo, aut probabili periculo mortis, v. g. instante prælio aut navigatione. Ubi immerito quidam excommunicatos vitandos, suspensos, interdictos et hæreticos excipiunt : nam Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 7. *In articulo,* inquit, *mortis omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Quod autem excommunicati, penitusque præcisi a sacerdotum ministerio arceantur, et omnino vitari jubeantur, id in odium et pœnam scelerum ipsorum statuitur : ideoque in aliorum fidelium emolumenta, non in separatorum favores pœnam illam legum interpretatione molliri, non vero exasperari decet.

2°. Jurisdictio et approbatio Ordinarii tam requiritur ad absolvendum a venialibus, quam a mortalibus, ut declaravit Innocentius XI. decreto dato an. 1679. neque enim potest judex sine jurisdictione esse. Hinc potest Ecclesia reservare peccata venialia, decernendo, absolutionem a non approbato nullam esse; licet pœnitens aliis mediis sine sacramento hæc extergere possit. Quæ omnia ad iteratam absolutionem a peccatis alias jam in confessione remissis accommodari possunt.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE APPROBATIONIS AD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ ADMINISTRANDUM.

283. *Nota.* Jurisdictio seu potestas ecclesiastica gubernandi populum christianum, alia est ordinaria, alia delegata. *Ordinaria* jurisdictio est ea, quæ habetur ex officio et titulo, cui incumbit cura animarum, ut est Episcoporum, Parochorum, et Superiorum monasteriorum et cœnobiorum in religiosos sibi subjectos. *Delegata* jurisdictio habetur ex commissione hujus, qui ordinaria jurisdictione pollet. Aliquid jurisdictionis delegatæ est *approbatio* : hæc enim non tantum est Episcopi testimonium juridicum de Sacerdotis alicujus habilitate sufficienti ad excipiendas confessiones, sed simul consensus ac deputatio ad id officii in diœcesi obeundum.

284. *Dico :* Sacerdotibus omnibus beneficium curatum non habentibus adeo necessaria est ad excipiendas secularium confessiones approbatio Episcopi, ut sine hac nulla sit ipsorum absolutio. Ita Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 15. de Reform. *Decernit, nullum, etiam Regularem, posse*

confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Dixi 1°. *Non habentibus beneficium curatum.* Hinc omnes Prælati, etiam regulares, hac approbatione egent : non item ii, qui habent beneficium curatum, ut Episcopi etiam nondum consecrati, modo jurisdictionem habeant, Abbates, qui jurisdictione quasi episcopali pollent, atque etiam Parochi, quamdiu beneficium suum obtinuerint. Ut primum autem desinunt ita beneficiati esse, egent approbatione, æque ac cæteri.

Dixi 2°. *Ad confessiones secularium* : cum ergo Concilium nihil innovet circa confessiones Regularium virorum vel feminarum, possunt a quolibet sacerdote jurisdictionem habente audiri, juxta decretum Concilii Tridentini. Quanquam Gregorius XV. constitutione anno 1622. edita sanxerit, ne quis, etiam regularis sacerdos, Monialium confessiones, nisi approbatus ab Episcopo excipiat : quæ quidem approbatio peculiaris esse debet pro hisce personis. Neque etiam is, qui pro Monialibus certo tempore audiendis approbationem tulit, extra illud tempus sine singulari approbatione audire illas deinceps poterit, ut diserte statuit Clemens X. in Bulla, *Superni Principis familias.*

Ex eadem lege Tridentini Concilii conficitur, quod nullus Prælatus secularis non habens jurisdictionem episcopalem confiteri possit cuiquam non approbato ab Episcopo, aut non habenti beneficium curatum. Imo quod nec Cardinalis aut Episcopus aliusve secularis clericus eligere possit alterius diœcesis presbyterum a suo Episcopo non approbatum, ut habetur in declaratione Cardinalium 1158. et 1160. cit. a Suaresio d. 28. sect. 4. n. 8. Quæ quidem ultima pars videtur eidem Suaresio nova et difficilis : nam si Episcopus extraneo sacerdoti jurisdictionem et approbationem in oves proprias impertire potest, cur non idem poterit in se ipsum ?

Dixi 3°. *Approbatio Episcopi* : quo nomine censentur etiam ejus Vicarius, et quicumque habent jurisdictionem episcopalem, ut sunt Abbates quidam, et Capitulum sede vacante. Hinc probabile nullo modo est, quod quidam asserere ausi sunt, sufficere judicium academiæ, aut curati alicujus : hæc enim opinio prorsus adversatur Concilio Tridentino, quod solorum Episcoporum meminit ; et ita quoque explicavit Pius V. in Bulla, quæ incipit : *Romani Pontificis.* Igitur cum necessaria omnino sit approbatio Episcopi, saltem confirmati, suboritur dubium, cujusnam Episcopi ? In qua quæstione accedere non possumus illorum sententiæ, qui opinantur, confessarium debere et posse a solo eo approbari, in cujus diœcesi sacerdos quasi sedem fixam habeat, nec posse approbationem ab alio obtinere, in cujus diœcesi constanter non habitet : eo quod approbatio sit actio quædam jurisdictionem habentis in Presbyterum sibi subditum. Cur enim Episcopus Wormatiensis non possit approbare pro excipiendis confessionibus sacerdotem in diœcesi Spirensi habitantem, et ibidem non approbatum ? Nam sacerdos ab Episcopo non suo petens vel admittens approbationem, fit velut transeunter ejus subditus, dum se illi hoc in casu sponte submittit.

Dixi 4°. *Ut sine hac nulla sit absolutio.* Quapropter necessaria simpliciter est approbatio, vel absoluta pro quovis loco, tempore vel personis

totius diœcesis ; vel limitata ad certum tempus, locum et personas, quos limites si quis excesserit, idoneus non est ad conficiendum absolutionis sacramentum. Nam sicut possunt Episcopi sacerdotibus, etiam regularibus privilegiatis, approbationem simpliciter negare : ita eamdem possunt restringere, ut novimus ex Bulla Clementis X. quæ incipit : *Superna magni Patris familias.*

285. *Obj. I.* In extravagante : *Super Cathedram,* de sepulturis, et in Clementina : *Dudum*, eod. tit. In extravagante : *Inter cunctas*, de privilegiis, et in Bulla Leonis X. quæ incipit : *Sacro approbante Concilio,* statuitur, ut Regulares mendicantes, petita et injuste negata approbatione, possint audire confessiones secularium ; ergo eis non est adeo necessaria hæc approbatio.

R. *N. Cons.* Privilegium illud Regularium insertum fuit corpori juris communis, capitulo autem : *Licet Romanus*, de Constit. in 6. dicitur : Romanus Pontifex edendo constitutionem posteriorem, priorem, quamvis de illa mentionem non faciat, revocare, quando continetur in jure : atqui in Concilio Tridentino, quod Pontifex ipse indixit et confirmavit, ubi approbationis necessitas absoluta inducitur, diserte subjungitur : *Privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Nec fit cuiquam injuria : nam cum Ecclesia omnibus jurisdictionem tribuat, potest, cum videtur, eadem privare ; sicut etiam revera privat omnem, qui approbatus legitime non fuerit.

Accedit Bulla Urbani VIII. anno 1628. edita, quæ incipit : *Cum sicut accepimus*, qua omnia et singula indulta quæ a Sede Apostolica promanarunt audiendi secularium confessiones absque Ordinarii approbatione quibuscumque Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus concessa revocantur, cassantur, tolluntur, reprobantur, annihilantur, viribus et effectu evacuantur, nullisque personis imposterum ullo modo suffragari posse decernitur.

Ex quo nemini deinceps tanquam probabile tueri licet, quod Navarrus in Manuali cap. 27. n. 264. et 265. et nonnulli quondam tradiderunt, etiam post Concilium Tridentinum sufficere licentiam petitam, etsi negetur.

Inst. Actio injusta nemini nocere debet : atqui quando negatur dignis approbatio, est actio injusta ; ergo Regularibus nocere non debet : neque præsumendum est, a Concilio datam Episcopis facultatem agendi contra justitiam.

R. *D. M.* Actio injusta nemini debet nocere per se *C.* per accidens *N.* Quo sensu etiam Concilium, restituendo Episcopis potestatem suam integram, eisdem præbuit occasionem quandoque injuste agendi. Quanquam vix apparet, quomodo Episcopus præsentatos a Superioribus suis religiosos non acceptando injuriam illis faciat ; nam dicta Clementina, *Dudum,* limitationes aliquot continet, queis Episcopi se tueantur. Ac prior quidem, quod Prælatus, Episcopo renuente aliquem, illius loco debeat subrogare alterum : posterior autem, ut non plures præsententur Episcopo, quam sint necessarii : atqui Episcopus dicere posset, eos non esse necessarios, qui se approbandos offerrent, quod alii sibi suppetant sacerdotes. Cæterum decernere hic de justitia actionis non est Religiosorum, sed Episcoporum, uos Concilium judices constituit vel potius restituit justis et maxime neces-

sariis de causis. Quod si Regulares factam sibi injuriam putent, habent, coram quo de illa querantur; absurdissimum autem foret, si penes ipsos maneret potestas causam propriam decidendi, cum vix ullus, utut indoctus, aut improbus sit, non sibi persuadeat, cum rejicitur, injuriam sibi inferri. Licet ergo negetur injuste approbatio, suum nihilominus effectum talis negatio sortitur, sicut e contra cum Episcopus approbat, cui scit esse recusandam approbationem, hæc tamen valida erit : nam cum synodus dicat : *aut alias idoneus judicetur,* loquitur de sententia externa authentice ab Episcopo lata ; ad cujus valorem non requiritur, ut judex interius idem æstimet, quod exterius pronuntiat.

286. *Obj. II.* Pius V. statuit, approbationem Mendicantibus concessam revocari non posse, nec posse eos ab Episcopo, a quo approbati sunt, iterum examinari, sed tantum ab ejus successore; ergo approbatio non potest ad certum tempus limitari.

R. *N. Cons.* Gregorius VIII. Bulla sua, cujus initium, *In tanta rerum et negotiorum mole,* Constitutiones Pii V. pro Mendicantibus et aliis Regularibus contra locorum Ordinarios, ad terminos juris communis et Concilii Tridentini reduxit.

Inst. 1. Approbatio vi sententiæ juridicæ Episcopi approbantis transit in rem judicatam ; ergo revocari amplius non potest.

R. *N. Cons.* Nihil vetat, contra id, quod prius judicatum est, postea judicari, sive licite, sive non, præsertim in hac causa, in qua leges Episcoporum potestatem eatenus extendunt.

Inst. 2. Sententia injusta non aufert jus acquisitum; revocatio autem approbationis digno datæ, et qui dignus adhuc est, est sententia injusta; ergo non aufert ei jus suum.

R. *D. M.* Sententia injusta non aufert jus ad rem *C.* non aufert rem ipsam *N.* Sicut per detractionem vere tollitur fama, quamvis et injuste tollatur, et jus ad eam maneat : ita licet injusta revocatio non tollat jus ad testimonium Episcopi, quia tamen ad approbationem opus est testimonio actuali Episcopi moraliter perseverante, et hoc revocatione etiam injusta tollitur, revocatione quacumque, approbationem ipsam cessare necesse est. Causæ autem justæ revocandæ approbationis sunt nimia ignorantia, et perversi mores sacerdotis, quæ approbantem Episcopum latebant, aut si nimia approbati inertia aliudve vitium approbationem concessam sequatur. Nam cum anno 1633. die 19. Febr. libello ad Emin. Cardinalem Richelium dato, variorum Ordinum regularium Superiores Parisiis degentes agnoverint, Regulares Episcoporum approbatione egere, eamque revocari posse ob incapacitatem notoriam et scandalum publicum, non negant, alias posse subesse causas revocandi, sed, si quæ extiterint, rogant, ne Episcopi approbationem revocent, antequam Superiores moniti sint de causa, ut, nisi providerint ipsi, quod facturos confidunt, ab Ordinariis provideatur.

287. *Obj. III.* Potest sacerdos ab uno Episcopo approbatus ubique sine nova approbatione excipere confessiones; nec enim aliud ex doctrina Conc. Tridentini colligitur; ergo non opus est, ut approbetur confessarius ab Episcopo loci, ubi excipiuntur confessiones.

R. *N. Ant.* quam propositionem proscripsit Alexander VII. in Brevi dato ad Episcopum Andegavensem 30. Jan. an. 1659., et antea rejecit Clementina, *Dudum,* de sepulturis, et Innocentius X. in responsione ad Episcopum Angelopolitanum in causa Patrum Soc. Jesu : et Tridentinum signanter vult obtineri approbationem *ab Episcopis.* Ac ratio ipsa suadet, quod ob regionum et morum varietatem non idem ubique munere hoc rite fungi queat. Ex his constat, neminem posse in templis alienis sine illorum, quibus templa subsunt, consensu confessiones excipere, nisi habuerit facultatem ab Episcopo, cui præses templi subest. Cæterum Constitutio Clementis X. prohibet quidem, ne quis Regularis ad audiendas confessiones se exponat in diœcesi, in qua non est approbatus; non tamen vetat, quominus illac iter forte agens alium suæ diœceseos similiter facientem iter sacramento Pœnitentiæ expiet : quia tunc locus diœcesis alterius habet se tantum per accidens respectu hujus confessarii et pœnitentis. Quanquam autem et hanc licentiam Regularibus privilegiatis quidam et ipsi Regulares inficientur competere; certum tamen est, Parochis licere subditorum suorum confessiones in aliena diœcesi excipere, modo id privatim et sine scandalo fiat : nec enim jurisdictio in foro pœnitentiæ contentiosa est et strepera, ut exerceri in territorio alieno nequeat; nec Parochus proprii quidem Episcopi approbatione eget ad sacramentum suis ovibus in sua diœcesi administrandum.

288. *Obj. IV.* Parochi et Religiosi approbati ab uno Episcopo excipiunt confessiones hominum ex alienis diœcesibus ad se confluentium, licet ab horum Episcopis speciatim ad id approbati non sint; ergo ad legitime ministrandum confessionis sacramentum non opus est, ut sacerdos ab Episcopis pœnitentium etiam approbetur.

R. *N. Cons.* Quod Parochi aliique sacerdotes approbati ab uno Episcopo absolvere possint pœnitentes ex alienis diœcesibus ad se convenientes, fit ex consuetudine a superioribus Ecclesiasticis approbata, aliisque justis de causis in sacris Canonibus descriptis : ubi ab uno Episcopo approbatis quoad tales casus jurisdictio et approbatio in alienos subditos tribuitur.

Cæterum Parochus ad excipiendas suorum confessiones uti potest opera alius Parochi, etsi ad id ab Episcopo non approbati, nisi hoc aliunde prohibitum fuerit. Nam Parochus ordinariam suam jurisdictionem delegare alteri potest, et alter absque approbatione Episcopi ad id muneris idoneus est. Synodus enim Tridentina parochiale beneficium habentes relinquit juri antiquo, secundum quod hi sine approbatione Episcopi poterant suorum confessiones in his parochiis audire, et delegari ad aliorum confessiones in alienis Ecclesiis excipiendas. Quod si juxta caput, *Omnis utriusque sexus,* Parochus suis permittere potest, ut alii Parocho alibi confiteantur; quanto magis potest alium Parochum delegare ad eosdem in sua Ecclesia absolvendos.

ARTICULUS III.

DE JURISDICTIONE MINISTRI HUJUS SACRAMENTI.

289. *Nota.* Diximus nuper, jurisdictionem hic esse facultatem judicandi alterum in foro conscientiæ. Atque ordinariam quidem habent Episcopi, et qui potestatem quasi episcopalem habent, eorumque Vicarii, Cardinales in suis Ecclesiis, Legatus Pontificius in sua provincia, Capitulum cathedrale sede vacante : inter Regulares Præpositus Generalis et Provincialis jurisdictionem in suos habent quasi episcopalem ; Superiores vero locales intuitu illorum se habent ut Parochi erga suos Episcopos. Episcopi, et qui talem potestatem habent, proprie Ordinarii dicuntur a suo episcopatu, unde titulum et munus pastorale habent. Præ hisce autem omnibus supremam in omnes Christi fideles et eorum Pastores jurisdictionem obtinet summus Pontifex.

Jurisdictio autem ordinaria manifeste differt a delegata 1°. quia habens illam tanquam superior potest ex officio Pastoris aliis tanquam subditis imperare. 2°. Potest suam facultatem sacerdotibus aliis communicare ac delegare. 3°. Quia dicitur proprius eorum sacerdos, in quos ex officio jurisdictionem obtinuit. Quæ quidem omnia prædicata tribui nequeunt illi, cui delegata tantum est jurisdictio.

290. *Dico I.* Quilibet Ordinarius communicare potest jurisdictionem suam ad excipiendum confessiones cuivis sacerdoti approbato, ac Superior quidem inconsulto etiam Ordinario immediato. Ita Conc. Tridentinum Sess. 14. cap. 7.

Prob. I. Ordinarius habet universalem in suos potestatem, ergo potest suas oves aliis etiam Pastoribus committere, ne manca sit Christi institutio ; cum raro unus solus amplæ curæ pastorali sufficiat.

Prob. II. Joannes XXII. Extrav. *Vas electionis*, de Hæret. et Schism. hanc thesin nostram stabilivit contra Joannem de Poliaco, qui inficiabatur, posse summum Pontificem inconsulto Parocho hanc aliis sacerdotibus facultatem impertiri. Thesis eadem confirmatur a Clemente IV. in Bulla *Quidam temere sentientes* : ab Alexandro IV. in Bulla *Cum olim* : a Xysto IV. in Bulla *Regimini universalis* : a Leone X. in Bulla *Exponi Nobis fecerunt* : in quibus contrariam sententiam erroris damnant.

Ad hæc extant plus quam triginta Bullæ Pontificum, viginti quinque, queis jurisdictionem personis quibusdam Regularibus Mendicantibus delegarunt, excipiendi confessiones quolibet tempore et quovis articulo, modo ab Episcopis approbationem et a suis Superioribus licentiam obtinuerint ; ut videre licet ex Bullario. Quam etiam delegationem licere decidunt Concilia Viennense sub Clemente V. in Clement. *Dudum*, de sepulturis : Lateranense V. sub Leone X. Sess. 11., et Tridentinum Sess. 25. cap. 20. ubi privilegia firmat Regularium.

Prob. III. Parochi possunt hanc jurisdictionem quibuslibet approbatis sacerdotibus legare in suis Ecclesiis ; ergo multo magis hanc potestatem habent Episcopi et Papa. Ita S. Thomas in 4. d. 17. q. 3. et in supplem.

q. 8. a. 5. et Opusc. 19. c. 4. S. Bonaventura Opusc., *quare Fratres Minores prædicant et confessiones audiant.* S. Antoninus part. 3. tit. 17. cap. 9.

Ex Conciliis Gallicanis novem sententiam istam tanquam certam decidunt conformiter juri antiquo c. *Ex auctoritate,* 16. q. 1. et c. *Sunt nonnulli,* ibid. Quibus accedunt declarationes Cardinalium plures duodecim, approbantes ut in articulo mortis et in paschate fiat apud Regulares confessio : item auctoritas tot Doctorum Sorbonicorum, Cardinalium, Episcoporum, et innumerorum magni nominis Scholasticorum. Quæ testimonia omnia profert eruditissimus Martinonus disp. 53. sect. 5. et seqq.

291. *Dico II.* Ad veram et validam sacramenti Pœnitentiæ administrationem non sufficit futura Ordinarii ratihabitio, aut voluntas ejus præsumpta, aut jurisdictio delegata dubia vel probabilis.

Prob. 1ª. *pars.* Non potest esse absolutio, si confessarius pronuntiando verba non habet jurisdictionem; quia veritas hujus sacramenti non potest suspendi ad tempus futurum : atqui confessarius in casu posito non habet jurisdictionem, sed sperat, se illam habiturum; ergo.

Prob. 2ª. *pars.* Confessarius talis non habet revera jurisdictionem, sed præsumit tantum illam datam esse aut dandam; ergo nulla est ejus absolutio. Quod si tamen adsint indicia omne prudens dubium excludentia, et sufficientia ad certo judicandum, reipsa concessam esse jurisdictionem, sufficiet talis præsumptio ad habendam et exercendam jurisdictionem. Quo item spectat casus, cum quis paulo antequam desinat tempus jurisdictioni destinatum, cœperit excipere confessionem alicujus. Hunc enim posse prosequi munus suum et absolvere pœnitentem, evoluto jam præfixo termino, omnes docti existimant et aiunt, delegantem debuisse jurisdictionem delegatam eatenus extendere, ac revera id fecisse præsumunt.

Prob. 3ª. *pars.* Extra casum necessitatis nunquam licet uti materia et forma dubia, ne valor sacramenti et salus proximi periculo exponantur. Quæ etiam ratio probat quartam conclusionis partem, ut constat ex propositione prima damnatarum ab Innocentio XI. : *Non est illicitum, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id velet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis.*

292. *Dico III.* Qui jurisdictionem delegavit, potest eamdem, cum lubuerit, tollere, aut etiam Superior ipsius : absolute tamen concessa cum legantis morte non exspirat.

Prob. 1ª. *pars.* Gratia, quæ in sui conservatione pendet a voluntate concedentis, cessat, ut primum ab hoc fuerit revocata : atqui jurisdictio delegata est talis gratia; ergo potest adimi externa significatione revocationis a concedente, et multo magis ab hujus Superiore.

Quamvis si absque ratione urgente id fieret, injurius Superior foret deleganti, quem temere privaret jure annexo muneri suo.

Prob. 2ª. *pars.* Tametsi jurisdictio contentiosa a morte concedentis exspiret : hæc tamen jurisdictio spontanea fori interni cum non sit contentiosa, sed merus favor, omnium judicio post mortem concedentis perseverat,

perinde ac privilegia, ut intelligimus ex cap. *Sicuti*, 23. de Præbendis, in 6.

293. *Obj. I. cont.* 1am. *conclus.* Cap. *Omnis utriusque,* Christiani omnes jubentur confiteri sacerdoti proprio, vel alteri cum ejus facultate : atqui sacerdotes proprii sunt Parochi; ergo sine horum facultate nemo alteri confiteri potest. Quod magis manifestum fit ex eo, quod Xystus IV. in Extrav. de Treuga et Pace, vetet, ne Mendicantes prædicent, parochianos in paschate non teneri confiteri sacerdoti proprio.

R. *D. min.* Sacerdotes proprii sunt Parochi soli *N.* sunt etiam Episcopi et Papa *C.* Justa autem erat Xysti IV. prohibitio ; cum falsum sit, fideles non teneri sacerdotibus propriis confiteri. Idem tamen Pontifex adjungit, ab se non impediri delegatos, quominus secundum sua privilegia confessiones excipiant. Delegati autem confessarii censentur, quos ad id muneris destinarint et approbarint summus Pontifex aut Episcopi, qui sunt proprii ac præcipui sacerdotes et pastores fidelium.

Inst. Juxta cap. *Ideo,* 25. q. 1. et cap. *Rescripta,* q. 2. nullum privilegium concedendum est in damnum alterius : atqui hoc Mendicantium privilegium impedit Parochos, quominus oves suas cognoscant, utrum præcepto confessionis obtemperarint ; ergo saltem dubia est hæc Mendicantium jurisdictio.

R. cum S. Thoma *D. M.* Non est privilegium concedendum in damnum alterius, si privilegium cedat in favorem tantum unius personæ particularis, cui conceditur *C.* si cedat in bonum commune *N.* Hoc privilegium magis cedit in commodum commune omnium fidelium. *Ad min.* dico, quod Pastor oves suas debeat nosse tali notitia, qua uti possit ad extrinsecam ipsarum gubernationem, ad quam notitiam ex confessione petitam adhibere non licet, sed eam solum, quam ex inspectione morum et conversationis sui gregis haurit. Demum Alexander V. in Bulla quæ incipit, *Regnans in excelsis,* damnavit hanc propositionem : *Confessio Fratribus admissis facta, est dubitabilis et incerta : quapropter omnes tenentur dimittere incertum.*

294. *Obj. II. cont.* 2am. *conclus.* Absolutio valet, si sacerdos jurisdictionem habere putetur errore communi, cui occasionem dedit titulus coloratus, v. g. collatio parochiæ, vel jurisdictionis delegatio in speciem legitima, quæ tamen valida non est ob defectum occultum simoniæ vel excommunicationis : idque patet ex L. *Barbarius.* D. de officio Pastorum. Quo jure etiam Ecclesia utitur; ergo valet etiam absolutio, cum jurisdictio est præsumpta, dubia vel probabilis.

R. *C. Ant. N. Cons.* Nam in hoc errore communi, cui Ecclesia occasionem dedit, eadem supplet defectum in sacerdote, cui transeunter ad actus singulos necessariam jurisdictionem tribuit, ne ex occasione tituli colorati animæ intereant : e contra ubi est jurisdictio mere præsumpta, dubia aut probabilis, nuspiam constat defectum jurisdictionis suppleri ab Ecclesia.

Inst. Secundum regulam juris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari;* ergo sacerdos jurisdictione carens vere absolvit, si absolutionem postmodum Parochus ratam habeat.

R. *N. Cons.* Regula juris locum tantum habet in casibus, in quibus agitur

de supplendo defectu vel solemnitate juris humani ; ubi actuum valor proxime pendet a voluntate illius, qui eos ratos habet, prout evenit in contractibus: atenim absolutio proxime confertur nomine et auctoritate Dei, non autem hominis. Igitur *ratum habere quis non potest, quod ipsius nomine non est gestùm*, ut R. J. ibid. tradit.

295. *Obj. III. cont.* 3am. *conclus.* Mortuo Episcopo, Vicarii ipsius jurisdictio tota cessat; ergo etiam aliorum.

R. *N. Cons.* Vicarius unicam eamque ordinariam cum Episcopo jurisdictionem habet, quæ necessario cum Episcopo desinit.

Inst. Ergo etiam Superior religiosus aut secularis posset sibi perinde ac aliis dare facultatem, quæ deinceps identidem duret, etiam cum amotus a præfectura fuerit, ut semper possit exire cœnobiis, absolvere a reservatis.

R. *N. Illat.* Inter delegantem et delegatum debet intercedere distinctio. Igitur dum talis erat Superior, sibi delegare nihil poterat; multo minus autem potest, quando decessit magistratu. Quod si tamen toti communitati contulisset privilegium, eodem postea frui ipse posset, atque ita sibi facultatem mediate impertiisset: aut si cui facultatem dedisset cum potestate subdelegandi, ab hoc postmodum præfectura amotus exspectare aliquid beneficii posset. Denique si quam sibi facultatem adhuc Superior dedisset, cujus executio antecedat finem suæ præfecturæ, uti eadem posset deinceps, v. g. si novam sibi vestem comparasset. Ex nuper dictis

296. *Coll.* 1°. Ad legitimam jurisdictionis delegationem requiritur, ut habens jurisdictionem ordinariam non sit excommunicatus aut suspensus non toleratus : ut is, cui delegatur jurisdictio pro administratione hujus sacramenti, sit sacerdos et approbatus; quem tamen Ordinarius habens potestatem episcopalem hoc ipso quod ei jurisdictionem committit, approbat. Denique addunt alii, ut delegans nonnisi suis subditis jurisdictionem committat: quod generatim statui non debet, cum Parochus sacerdoti in alia diœcesi approbato jurisdictionem legare queat.

2°. Delegatur jurisdictio vel jure communi, vel privilegio, vel concessione particulari, cum Episcopus uni certæ personæ jurisdictionem confert, aut cum pœnitentibus potestatem dat eligendi sibi confessarium : quæ quidem delegatio dicitur indirecta, quia Ordinarius presbytero dat jurisdictionem hac conditione, si eligatur. Facultatem autem eligendi sibi confessarium habent omnes Ordinarii, tam seculares, quam religiosi, ut liquet ex cap. fin. de pœnit. et remiss. Sacerdotes item alii seculares pluribus in locis : denique Reges et principes, ex privilegio.

3°. Delegatus non potest subdelegare alium : nam delegato non committitur ipsum officium, sed tantum pars ejus, et jurisdictio adstricta ad certum exercitium. Excipitur tamen Legatus summi Pontificis, qui propter dignitatis Pontificiæ excellentiam subdelegare potest, c. *Cum causam*, de Appellationib. Item is quem Ordinarius delegat committendo ei vicarium aliquod officium, cui jurisdictio annexa est.

ARTICULUS IV.

DE ABSOLUTIONE A QUIBUSDAM PECCATIS RESERVATIS.

Nota I. Reservatio casuum est vel negatio vel reservatio jurisdictionis necessariæ ad absolvendum a certis quibusdam peccatis. Unde constat, penes solos et omnes Ordinarios hanc reservandi potestatem esse. Quæ quidem a primævo Ecclesiæ instituto perpetuo viguit, et confirmata fuit a Conc. Tridentino Sess. 14. cap. 7.

Nota II. Peccatum autem nullum reservari solet nisi mortale nunquam remissum, idque certum, atque opere etiam externo perpetratum : nam etsi peccata venialia et mortalia jam remissa suo modo etiam reservari possent ; quia tamen illa confiteri nemo tenetur, lex reservandi medicinalis finem suum, qui est coercere nimiam peccandi licentiam, in illis non obtineret : ac peccata etiam interna diu committi nequeunt, quin erumpant foras.

Nota III. Eodem modo summus Pontifex potest quidem peccatum quodlibet mortale sibi reservare, nullum tamen sibi reservat, nisi cui annexa censura est. Si Episcopus sine causa reservando sibi soli potestatem absolvendi a quibusdam peccatis illicite agit adversus Ordinarios inferiores, vera nihilominus erit reservatio. Nam etsi divisio parochiarum sit a Papa, nec Episcopus sine causa Parochum ab officio movere possit ; potest nihilominus eum ab officii exercitio suspendere, cum ejus jurisdictio ab Episcopo pendeat.

297. *Dico I.* Extra mortis articulum absolvere a casibus reservatis directe potest

1°. Is qui illos reservavit : nam cum reservatio sit actio superioris in inferiorem, nemo sibi potestatem absolvendi adimere potest aut arctare.

2°. Is qui est reservante superior, aut eidem æqualis : reservatio enim tanquam actio superioris in inferiorem exerceri nequit adversus superiorem aut æqualem. Quapropter successor Episcopi aut summi Pontificis pollet facultate absolvendi a peccatis omnibus ab antecessore suo reservatis. Nullus tamen Episcopus aut Archiepiscopus extra visitationem aut appellationem censetur æqualis aut superior Episcopi alterius esse.

3°. Quicumque habet potestatem delegatam vel a reservante vel ab hujus superiore : sicut enim ab his potest accipere jurisdictionem absolvendi a peccatis aliis, ita etiam a reservatis. Utriusque autem delegationis forma et usus conveniunt.

4°. In mortis articulo potest quilibet sacerdos pœnitentes absolvere a quibusvis casibus reservatis. Constat ex Tridentini Sess. 14. c. 7. Nec uspiam præcipitur, ut ita absolutus sistat se postmodum, quando convaluerit, superiori suo, nisi peccato annexa fuerit censura. Qui obstrictus est censura S. Pontifici reservata, tenetur jurare, cum primum poterit, stiturum se ei, a quo extra mortis articulum absolvi poterat, et pœnitentiam ab eodem petiturum. Si jurare non potuit, monendus postea, cum convaluerit, a confessario est, ut id quamprimum præstet. Quod si non obtemperaverit, recidit in excommunicationem ; et ubi hæc ejus pervicacia constiterit, iterum

vitandus est æque ac ante. Habentur hæc ex c. *Ea noscitur,* Extra, de sent. excom., et ex cap. *Eos qui,* eod. tit. in 6.

5°. Episcopi a casibus occultis summo Pontifici reservatis absolvere possunt, ut tradit Concil. Tridentinum Sess. 14. cap. 6. de Ref. Nomine autem Episcopi non tantum hic intelligi Episcopum electum et confirmatum, aut Capitulum sede vacante, sed etiam Prælatos alios seculares et regulares quasi episcopali potestate præditos, declaratum fuisse a Congregationibus Cardinalium, ait Georgius de Rhodes de Pœnit. q. 6. sect. 4. §. 2.; cum e contra Suarez disp. 30. sect. 2. num. 6. proferat declarationem Cardinalium, quæ omnino oppositum statuit. Istud jure decretalium constat, ab excommunicatione percussoribus clerici inflicta posse per Episcopum absolvi mulieres, senes, valetudinarios, membris debiles, pueros etiam post annos pubertatis, Moniales etiam exemptas, aliosque omnes qui ob legitimum impedimentum Pontificem ejusque Legatum adire nequeunt, ut legimus ex capp. 6. 13. 33. 58. extra de sent. excom., modo ea se præstituros spondeant, et suo tempore exequantur, quæ capitulis citatis præscribuntur. Licere item Episcopo, imo sacerdoti cuilibet a manifestis etiam casibus Pontifici reservatis absolvere mulieres, senes, pueros, pauperes, infirmos, et alios id genus fideles, qui nec Pontificem nec Legatum ejus convenire possunt, communiter a Doctoribus traditur.

6°. Possunt Episcopi per confessarium, quem sibi ipsi elegerint, absolvi ab omnibus casibus reservatis, a quibus ipsi potestate ordinaria absolvere queunt. Quæ facultas etiam competit ipsorum Vicariis et Prælatis regularibus, nisi statutis Ordinis aut Superiorum prohibeantur. Patet hoc ex c. fin. de pœnit. et remiss.; et ratio suadet, quia possunt totam potestatem suam delegare alteri. Equidem facultatem esse penes paucos Episcopos ratione casuum occultorum summo Pontifici reservatorum, a quibus decreto Concilii Trident. absolvere possunt, liquet ex declaratione Cardinalium apud Suaresium loco nuper laudato n. 15. Quod tamen de Prælatis cæteris etiam exemptis, qui potestatem quasi episcopalem habent, dubium adhuc esse intelligimus ex modo dictis.

7°. Non licet amplius Religiosis secundum privilegia sua absolvere a casibus Episcopo reservatis. Constat hoc ex propositionibus damnatis ab Alexandro VII. anno 1659. et 1665. item ex Bulla Clementis X. Quæ tamen doctrina intelligenda tantum est de casibus reservatis Episcopo, in cujus diœcesi Regulares privilegiati versantur : alioqui id possent, modo ne pœnitentes declinandi judicii sui Episcopi causa extra diœcesin se contulerint ad Regulares.

8°. Peregrini et viatores peccatum in sua diœcesi reservatum confitentes in aliena, in qua idem non est reservatum, absolvi possunt non tantum a Regularibus hic approbatis, sed etiam a confessariis secularibus. Quod si attulerint casum hic quidem, non vero in sua diœcesi reservatum, judicandi tantum sunt more ejus loci incolarum : igitur a solis iis qui absolvendi facultatem habent, absolventur, aut a sacerdotibus et Episcopis propriis. Si vero casus utrobique reservatus fuerit, nemo eos, nisi facultatem in casus reservatos habens absolvere poterit.

Hactenus egimus, quomodo peccata reservata tolli possint directe secundum se proxime et immediate : nunc etiam absolvemus quæstionem, an et

quomodo tolli possint indirecte et consequenter, ratione peccatorum non reservatorum, quæ dimitti nequeunt, quin peccatum reservatum simul tollatur.

298. *Dico II.* Extra mortis articulum non potest pœnitens habens casum reservatum, ne indirecte quidem absolvi a sacerdote non habente potestatem in peccata reservata.

Prob. Concilium Trident. Sess. 14. cap. 7. *Quoniam,* inquit, *natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Atqui confessarius seu ordinarius seu delegatus non habens potestatem in reservata, nec ordinariam nec delegatam jurisdictionem habet in pœnitentem obstrictum casu reservato; ergo ne indirecte quidem ab eo potest absolvere. *Prob. min.* Si sacerdos est Parochus, jurisdictioni ejus ordinariæ pœnitens substractus est vi reservationis, et causa illius evocata ad tribunal superioris. Si vero confessarius est alius sacerdos, delegatus tantum est ad absolvendum personas casum reservatum non habentes; ergo nullam habet in talem pœnitentem jurisdictionem. Id quod aperte declarat Concilium Tridentinum nuper citatum de sacerdotibus ejusmodi ita docens: *Extra quem articulum* (mortis) *sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.*

299. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* Facultas absolvendi ab hæresi occulta, quam Conc. Tridentinum concedit Episcopis, sublata fuit per Bullam Cœnæ, ut docet Suaresius nuper citatus num. 11. ubi hanc declarationem Cardinalium affert: *Episcopus non potest absolvere hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hæc facultas a Concilio sit ei concessa.* Ergo Episcopi non possunt amplius absolvere ab hæresi.

Respondent Gallicani, dictam revocationem locum non habere, in iis provinciis, in quibus Bulla Cœnæ recepta non est, nec viget sacræ Inquisitionis officium: in Gallia autem, ubi nec Bulla Cœnæ recepta est, nec sacræ Inquisitionis institutum officium, facultatem illam a Concilio Trid. concessam adhuc vigere. Verum his contradicit S. P. Benedictus XIV. L. 7. de Synod. c. 33. argumentis pluribus ac testimoniis, ipsorummet etiam PP. Gallorum, sententiam suam firmando. Secundum cujus doctrinam accipienda sunt, quæ conclus. 1a. huj. art. §. 5. et alias de hoc argumento disputavimus. Ubi autem officium sacræ Inquisitionis institutum non est, Episcopi sunt inquisitores nati, ex c. *Ad abolendum*, Extra, de Hæret. Juxta quod Episcopi in eos, qui de hæresi suspecti sunt, procedere possunt auctoritate ordinaria, si tales non sint exempti; auctoritate vero Apostolica sibi delegata, si tales exempti fuerint, ut ait Glossa ad c. *Per hoc,* eod. tit. in 6. Quare ubi institutum non est sacræ Inquisitionis officium, jus habent Episcopi per se, vel per alios a se delegatos absolvendi ab hæresi manifesta, in judicium adducta.

300. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* Qui peccati reservati ignarus aut oblitus bona fide confitetur peccata non reservata, est dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum; ergo ita absolvitur ab his peccatis directe, ab illo autem indirecte per sacerdotem carentem facultate in peccata reservata.

R. *N. Cons.* Non est defectus ex parte pœnitentis, sed ex parte sacerdotis, qui, excepto casu mortis, nihil potest in peccata reservata, ut manifeste protestatur Concilium Tridentinum.

Inst. 1. Sacerdos iste saltem est legitimus judex respectu peccatorum non reservatorum in casu proposito; ergo ab his potest directe absolvere, et a casu reservato indirecte.

R. *N. Ant.* Numquid, si sacerdoti huic aperiretur peccatum reservatum, crederet se legitimum judicem talis pœnitentis respectu cæterorum peccatorum? Non sane. Ut ergo dicatur quis legitimus judex pœnitentis, debet habere facultatem expeditam ab eum absolvendum ab omnibus peccatis mortalibus.

Inst. 2. Sacerdos, qui tenetur sacrum facere, nec potest peccatum reservatum confiteri uni, qui in illud potestatem habet, saltem tum indirecte absolvetur ab alio; quia Conc. Tridentinum jubet ipsum ante confiteri, si potest; ergo.

R. *N. Ant.* Cum talis confessarius extra mortis articulum nihil possit in reservata, ut monet ipsum Tridentinum, tenetur memoratus sacerdos elicita contritione perfecta, non confessus celebrare, ut qui copiam confessarii non habet, ac postmodum, quamprimum potest, sacerdoti idoneo confiteri, juxta ejusdem Concilii præceptum.

Inst. 3. Oblitus peccatum reservatum, et cætera confessus ei, qui a reservatis absolvere potest, absolvetur indirecte a reservato; ergo etiam si confiteatur ei, qui non habet facultatem in reservata.

R. *N. Cons.* Ratio discriminis apparet in argumento ipso: quia prior confessarius habet facultatem absolvendi, non item posterior.

Inst. 4. Ergo si quis peccatum reservatum perpetuo oblitus omitteret confitendo sacerdotibus non habentibus potestatem in reservata, nunquam absolvetur, et consequenter damnabitur: quod admodum dure sonat.

R. *N. Illatum.* In articulo mortis quilibet sacerdos potest absolvere etiam a reservatis peccatis. Deinde incredibile est, posse aliquem peccati reservati perpetuo oblivisci, cum non nisi externa, eaque atrocia crimina reservari soleant. Denique alia adhuc sunt media peccato reservato citra confessionem sese expediendi. Ex hactenus disputatis

301. *Coll.* 1°. Si quis a sacerdote ordinariam jurisdictionem in reservata habente ab his indirecte absolvatur, non ideo tolletur reservatio peccati ex oblivione omissi in confessione: alias enim valde imprudenter et contra finem reservationis ageret, si ita esset animo comparatus, ut quemlibet pœnitentem bene dispositum liberare vellet ab obligatione sistendi se superiori propter reservatum peccatum oblitum; etiamsi illius postea recordaretur. Quæ quidem imprudens voluntas de nullo superiorum præsumitur, nisi id aperte declararet. Subdelegatus autem indirecte a reservato absolvens multo minus reservationem tollere potest: nequit enim illam tollere nisi directe et valide in sacramento absolvendo a peccato: neque etiam potest

alii, cui pœnitens peccatum ex oblivione omissum confiteri iterum tenetur, legare facultatem tollendi reservationem. Excipitur tamen casus, cui reservatio propter censuram annexa est : nam in his a quolibet confessario prius tollitur censura, quam detur absolutio. Unde ante absolutionem solet confessarius dicere : *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, etc. quantum possum, etc.*; et subauditur etiam : *quantum licet.* Hinc nemo a censura absolvitur, quam sponte sine justa causa reticet, aut quam ob damnum alteri illatum incurrit, nisi jam satisfecerit, vel aliud exigat necessitas.

2°. Qui percipit a superiore absolutionem a reservatis, quæ ipsi confessus fuit, etsi invalidum esset sacramentum defectu dispositionis debitæ pœnitentis, vere liber est a reservatione : nam superior, vel alius habens potestatem ordinariam, vere vult eum solvere a reservatione, atque id potest absque sacramento; ergo sacramentum invalidum in hoc casu nihil obstat. Dixi, *a superiore vel habente potestatem ordinariam* : nam cum delegatus reservationem tollere nequeat, nisi tollendo omnem obligationem iterum subjiciendi clavibus peccatum, quod fuit reservatum, atque ad hoc directa et vera absolutione sit opus, consequens est, ab eo in confessione sacrilega aut alioquin invalida non tolli reservationem, nisi ex annexa tantum censura fuisset reservatum.

3°. Peccat superior, qui difficilem se præbet in danda facultate, quam pœnitens postulat, ut ab alio sacerdote absolvi a reservatis possit; quia potestas peccata quædam reservandi data est in ædificationem, non vero in ruinam et destructionem.

ARTICULUS V.

QUIBUS ABSOLUTIO DANDA SIT AUT NEGANDA?

302. *Dico I.* Non licet ministro quemquam absolvere, quem non prudenter ac probabiliter judicat esse dispositum ad absolutionis sacramentum digne recipiendum.

Prob. I. Sacerdos gerit vices Christi, et quæ ipse solvit in terris, debent etiam esse soluta in cœlis, secundum illud B. Gregorii : *Tunc vera est absolutio præsidentis, cum æterni sequitur arbitrium judicis.* homil. 26. in Evang. n. 6. (opp. t. 1. p. 1554. E.) et citatur in Decreto causa XI. q. 3. Ergo non potest sacerdos absolvere nisi quem Christus ipse absolvit, hoc est, nisi rite dispositum : alias errabit clavis, et minister illa abutendo peccabit tam contra justitiam, quam contra religionem, eo quod judicium et actionem sacram male tractet.

Prob. II. Ministri sacramentorum tenentur non dare illa indignis : neque in re tanti ponderis sine sufficienti cognitione licet operari, ne se periculo errandi exponant; ergo prudenti ac probabili judicio ante debent decidere de dispositione bona pœnitentis, quam ei gratiam absolutionis impertiant. Cum autem recta pœnitentium dispositio constet ex displicentia præteritorum, et ex proposito in futurum, utrumque confessario est expendendum.

1°. Ac de dolore quidem sufficiente facile judicare sacerdos potest, cum

pœnitens in ipso modo confessionis et accusationis suæ animi contriti signa præfert; aut certe si sit homo valde rudis, et bene moratus, modicam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere. Quod si non appareant sufficientia signa doloris, motivis propositis commode eo inducatur. Si advertat, ipsum laborare ignorantia mysteriorum fidei potiorum, aut eorum quæ ad usum sacramenti pœnitentiæ requiruntur, nec posse sufficienter in præsens instrui, differat absolutionem ad tempus aliud, dum melius institutus redierit; ne impingatur in propositionem 64. inter damnatas ab Innocentio XI. an. 1679.

2°. Ut pœnitens ad propositum concipiendum inducatur, non opus est, proponi illi omnes difficultates, quæ in vitandis peccatis occurrere possunt; imo quandoque non expedit, ne exponatur manifesto periculo non solum non habendi propositum efficax emendationis, sed etiam denuo peccandi. Sufficit ergo, ut proposita generatim fœditate peccati, Dei bonitate, periculo æternæ damnationis, eo peccator concipiat generale propositum nunquam iterum peccandi mortaliter. Neque oportet, ut confessarius et judicet etiam probabiliter ita esse futurum, ut pœnitens a peccando abstineat; sed satis est, ut existimet, nunc ipsum habere verum ac sincerum propositum non peccandi de cætero. Ita cum Suaresio docent omnes auctores; et ratio satis clara id suadet.

3°. Qui protestatur, se obligationem suam expleturum, quamprimum potest ac tenetur in causa restitutionis, nec notatur esse inconstans aut infidelis, continuo absolvi potest ac debet; neque oportet juramentum aut cautionem aliam ab illo exigi, nisi in casibus a jure expressis, ut Navarrus c. 26. n. 2. aliique advertunt. Quod si quis fidem datam aliquoties fefellisset, differenda ei absolutio est, dum officium reipsa expleverit. Quo in casu cautos et constantes decet esse sacerdotes, ne peccatis graventur alienis, ut Navarrus ibid. n. 5. et c. 17. n. 54. Cajetanus, S. Antoninus et omnes Theologi monent. Cui restitutio est impossibilis, etiam moraliter, hoc est, difficillima, absolvi debet, modo proponat se satisfacturum suæ obligationi, cum primum ad pinguiorem fortunam venerit.

4°. Peccandi occasio moralis proxima est, vel ex genere suo talis, ut frequenter homines similis conditionis ad ejusmodi peccata inducat, vel certe experimento probavit habere in hoc homine talem effectum. Quod si occasio vitari non possit, neque censebitur voluntaria, culpabilis et assumpta, sed illata; atque id, quod ex ea nascitur, non tam erit voluntarium et morale secundum se, quam necessitas quædam vel impotentia, propter quam homo non fit absolutione indignus. Quanquam autem talibus absolutio negari non debeat, etiamsi iterum iterumque recidant, maxime si se aliquando contineant, et numerum peccatorum paulatim diminuant; variis tamen mediis opus est ad eos curandos, et ad explorandum, utrum propositum ipsorum sit efficax. Nec abs re erit, absolutionem ita affectis subinde differri, eisque difficiliora pœnitentiæ opera, cautelas emendationi accommodatas præcipi. Tandem si his nihil profici experimento constiterit, adigendi sunt ad tollendam occasionem, etiam cum gravi nocumento temporali, ut Christus Matth. 18. v. 8. exigit. Ubi non modica sacerdotis prudentia requiritur, ut scandalum, aliaque incommoda graviora devitet. Vide propp. 61. 62. 63. ex damnatis ab Innoc. IX.

5°. Sunt adhuc alii, qui inveterata consuetudine peccandi lethaliter detenti sacramenta obire præsumunt. His absolutio ante impendi non potest, nec fides haberi debet, utut dolorem ac propositum protestentur, quam præscriptis mediis usi, aliquod saltem emendationis specimen ediderint, ut monet idem Innocentius XI. damnatione propositionis 60.

303. *Dico II.* Sacerdos non potest absolvere moribundum, qui nullo signo edito dolorem suum de peccatis vel ipse vel per alios sacerdoti testatus fuit, aut absolvi petiit; licet de ejus recta fide et probitate vitæ constiterit.

Prob. I. Sacramentum pœnitentiæ constat ex materia et forma tanquam partibus essentialibus; partes autem essentiales materiales sunt dolor et confessio, ut c. 1. a. 4. hujus disp. demonstravimus; ergo si moribundus nullo signo vel ipse, vel per alios sacerdoti testatus fuit, aut petiit absolvi, sacerdos eum absolvere non potest. *Prob. seq.* Cum deficit pars materialis essentialis, sacramentum non potest confici : atqui cum moribundus nullo signo potest suum dolorem testari, aut confessionem formaliter integram proferre, deficit pars materialis essentialis; ergo minister non potest absolvendo conficere sacramentum.

Prob. II. Administratio sacramentorum debet peti ex doctrina et usu Ecclesiæ : atqui Concilia, Patres et Ritualia ad absolutionem moribundorum Catholicorum exigunt saltem testimonium adstantium, quod sacerdotem petierit, ut supra n. 187. retulimus; ergo veteribus non videbatur vita proba Catholici signum sufficiens esse ad dandum ei absolutionem.

Prob. III. Ut quis sit idoneus ad absolutionem recipiendam, non sufficit signum ex quo præsumi possit, fore ut doleat de peccatis, et se eorum accuset; nam Tridentinum ait, materiam hujus sacramenti esse ipsius pœnitentis *actus*, Sess. 14. c. 3. *nempe contritionem et confessionem* : horum autem signum non est vita christiane acta, utpote quæ cum peccato actuali componi potest. Imo voluntatem confitendi sæpe habent Christiani, dum actu peccant.

304. *Obj.* S. Augustinus L. 1. de adulter. conjug. c. 26. postquam scripsisset, baptizandos esse catechumenos, qui morbo vel casu aliquo sic oppressi sunt, ut nec petere sibi baptismum, nec ad interrogata respondere possint, tales etiam catechumenos, qui viventium conjugibus copulati, retinent adulterina consortia : tandem subjungit c. 28. *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Ergo secundum mentem S. Augustini absolvendi sunt omnes moribundi Catholici, licet signum nullum dare possint.

R. N. *Cons.* Sicut S. Augustinus non quosvis homines in tali casu pronuntiat esse baptizandos, sed catechumenos, qui baptismum jam flagitaverant : ita non quosvis usu sensuum destitutos Christianos vult absolvi, sed pœnitentes, qui per pœnitentiam publicam se jam disposuerant ad absolutionem. Neque ait pœnitentes adulterinis adhuc illecebris irretitos esse absolvendos, tales enim non essent pœnitentes, sed, qui *retinent adulterina consortia*, h. e. occasionem peccandi nondum abdicaverunt. Nam S. Pater mox ita prosequitur, *cum saltem corpore admittamus ad Baptismum, tamen si desperati*

jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri.

Inst. Sacerdotale Romanum Venetiis an. 1560. a Jo. Vorisco excusum fol. 62. profert et approbat sententiam S. Antonini, tract. de sacram. Pœnit. c. 26. qua decernitur, infirmo, *qui amisit loquelam vel usum rationis... si bene vivebat ut bonus fidelis, et frequentabat confessionem et communionem, quamvis non petierit sacramenta, absolutionem esse impertiendam.* Simile quid habetur in statutis synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis conditis an. 1619. c. 21. et Ritualibus Ecclesiarum Moguntinæ, Herbipolensis ac Wormatiensis, editis an. 1671. p. 87. de Pœnit. sacram. Deinde licet Theologi paulo antiquiores dicantur concludere pro sententia rigidiore; non pauci tamen tam veterum, quam recentiorum recitantur benignioris opinionis patroni, a Diana tom. 3. resolut. moral. tract. 3. Porro multi non Theologorum duntaxat scholasticorum, sed Eminentiss. ac Illustriss. etiam Cardinalium et Episcoporum censent, mitiorem istam disciplinam S. Augustino fuisse probatam, et in his Ecclesiis executioni decere mandari. Dubia igitur res est, utri partium adversarum sit adhærendum. Denique utcumque Thomistarum sententia (quod actus pœnitentis sint materia sacramenti *ex qua*) probabilior judicetur, manet tamen sua probabilitas opinioni Scotistarum tenentium, contritionem et confessionem esse materiam *circa quam,* seu dispositionem absolute requisitam, ut habeatur effectus sacramenti pœnitentiæ. Unde sequitur data absolutione integrum esse sacramentum integritate substantiæ, quamvis dolor et confessio ægroto desint. Atqui cum dubium est, an sacramentum valeat ac prosit urgente necessitate; conferendum est, ut hominis saluti consulatur; ergo. Ita Joan. Morinus L. 10. de pœnit. c. 10. n. 4. Merbesius in summa Christiana, dissert. 4. de Pœnitentia. q. 85. et alii recentiores qui pluribus adhuc argumentis sententiam mitiorem laborant stabilire.

R. *N. Cons.* Sive confessio cum dolore sit materia *ex qua,* sive materia *circa quam;* materia tamen sacramenti hujus pronuntiatur a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 3. et pars sacramenti pœnitentiæ, can. 4. Quod certe non essent si nullo signo externo probabiliter sub sensus caderent, prout in dato casu accidit. Absolutio ergo nequit impendi, quando ne probabilis quidem sacramenti materia apparet. Hinc S. Facultas Parisiensis 3. Febr. an. 1665. hanc ex Amadæi Guimenii libro excerptam propositionem proscripsit: *Infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat ut bonus et fidelis, frequentabat confessionem et communionem, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsupponi contritus et faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia et peccato.* Talis quoque est propositio 16, quam inter plures alias a suis Professoribus doceri prohibuerunt Superiores Societatis Jesu in Ordinatione pro studiis superioribus. Sententiam istam non Thomistæ modo, sed Scotistæ etiam amplectuntur: eamque Cardinalis de Lugo dist. 17. de pœnit. sect. 3. n. 39. et 40. ait, merito ab omnibus ut certam supponi, nec expedire, in re tanti momenti sub pietatis specie plus sapere, quam Patres nostri sapuerunt.

Cum hac sententia speculative certa mitiorem conciliant, qui gemitus,

suspiria, respirationes, oculorum membrorumque aliorum inusitatas motiones tanquam signa dubia, queis moribundi suam contritionem et absolutionis desiderium pro tenuitate testari videntur, probabiliter aiunt, sufficere sacerdoti, ut beneficio absolutionis periclitanti et possit, et debeat opitulari. Quod si talium signorum defectu, videatur aliquibus vita christiane acta sufficiens esse confessio, eo quod tali conversatione quivis sibi cupiat prodesse quantum potest, intendat se in tali casu ad obtinendam absolutionem manifestare; putentque ob reflexa et practica judicia, talibus absolutionem, saltem cum conditione, minime esse negandam : non video tamen, qua probabilitate sustineri possit, quod Bonagratia aliique affirmant, in casu posito, absolvi posse laborantem infamia, in actuali peccato sensibus destitutum, in duello vel adulterio confossum. Vid. La Croix L. 6. p. 2. 1163.

ARTICULUS VI.

DE SIGILLO SACRÆ CONFESSIONIS.

305. *Nota.* Inter officia, quæ ministro sacramenti pœnitentiæ incumbunt, ordine postremum est obligatio reticendi omnia, quæ pœnitentes in sacro hoc tribunali confessi sunt, quæque inter ipsum et confitentem in negotio isto salutis fuerant tractata. Nam licet sacerdos, pœnitente dimisso, cæteras suæ functionis partes numeris omnibus absolverit : legibus tamen sacri hujus silentii tum demum arctissime et perpetuo ita incipit adstringi, ut nemini unquam de iis, quæ sibi in pœnitentiæ sacramento credita fuerunt, verbo aut signo alio deinceps mentionem, pœnitente invito, fas sit ingerere.

De sacro hoc vinculo, quo sacerdotum linguæ tenentur, quodque passim *sigillum sacramentale* in scholis audit, tractat S. Thomas in 4. d. 21. q. 3. a. 2. et. seqq. et in supplemento 3. p. q. 11. tota, et cum eo Theologi cæteri. Secundum quorum placita sigilli hujus veritatem, naturam, firmitatem, originem cæterasque proprietates et affectiones breviter expendemus.

306. *Dico I.* Minister pœnitentiæ sacramenti obligatione gravissima tenetur ad reticendum perpetuo ea omnia, quæ sibi pro confessione credita fuerunt a pœnitente. Ita Theologi communiter, et Canonum consulti, qui contrariam quorumdam veterum ac recentiorum opinionem tanquam erroneam rejiciunt.

Prob. I. S. Gregorius M. c. *Sacerdos*, de Pœnit. d. 6. vetat, peccata cuiquam hominum recitari, neque *pro aliquo scandalo* quidem. Quod si sacerdos secus fecerit, *deponatur*, inquit, *et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* At scandali quidem evitandi causa suadet, multa fieri aut omitti, quæ alias citra peccatum omitti non poterant aut exerceri. Concilium Lateranense can. 21. (Labb. t. 11. p. 173. C.) qui habetur cap. *Omnis utriusque*, de pœnit. et remiss. idem statuit : Sacerdos *caveat omnino, ne verbo vel signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem... Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium*

detrudendum. Honorius etiam III., cum Joannem presbyterum Rectores Urbis ad fures sibi confessos prodendum urgerent, jubet illos a proposito abstinere : *quia* perniciosum esset, prædictum presbyterum sibi taliter credita revelare; severissimam ergo hujus silentii legem oportuit olim fuisse.

Prob. II. Eadem obligatio oritur ex jure naturali, quod prohibet revelari occulta proximi peccata et vitia, ne infametur. In quam rem Servator Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum*. Fides item et justitia hanc reticentiam exigunt : credit enim sua peccata pœnitens sacerdoti, et hic tacite condicit silentium. Præterea exigit reverentia sacramenti, secreta haberi, quæ sacro huic tribunali committuntur : sicut injuria et irreverentia loco sacro fieret, si, quæ ibi, ut in asylo deposita fuerant, efferrentur.

Prob. III. Validissimum sigilli hujus omnino inviolabilis argumentum affertur ex Concilio Senonensi celebrato an. 1524. a Suaresio disp. 33. sect. 1. n. 8. petitum ex S. Thoma nuper cit. Christus, qui confessionis sacramentum instituit, necessario etiam censetur ordinasse omnia media, sine quibus præcepta confessio sustineri non posset. Atqui præceptum confessionis non subsisteret, sine arctissimo illo et nullo in casu violabili sacramenti sigillo; ergo tenendum plane est, sapientissimum legislatorem adjecisse hoc præceptum divinum sigilli hujus nequaquam violandi, quod non sit mere positivum, sed simul negativum et naturaliter consequens sacramenti ipsius institutionem. *Minor propositio* constat : nam si secretum hoc pro arbitrio sacerdotis, aut alius magistratus revelari liceret, omnes passim ab eo averterentur; imo tantum timentes incommodum ne tenerentur quidem peccata sua sacerdoti aperire.

Unde liquet, in nullo casu licere secreta confessionis ulli prodere : neque curandum sacerdoti, etiamsi Episcopus ei fulmen excommunicationis intentet, nisi jussus arcana sibi in confessione credita retegat; prout S. Thomas sæpe memoratus monet. Neque sacerdoti tantum ministro sacramenti obligatio ista incumbit, sed aliis etiam, qui non nisi ex confessione secretorum illorum notitiam hauserunt : cujusmodi sunt superiores, qui ad absolvendum a reservatis facultatem concesserunt; interpres adhibitus a pœnitente aut confessario; is quem confessarius cum pœnitentis venia consulit; qui furtim, licet inviti, confitentem audierunt; ii quibus confessarius ex imprudentia, vel ex malitia peccatum prodidit. Quod si tamen quis schedium, in quo pœnitens peccata sua descripsit, fortuito invenisset, ad silentium is quoque teneretur, ex præcepto charitatis, non autem sigilli sacramentalis.

307. *Dico II.* Materia sigilli hujus non sunt tantum peccata pœnitentis, quamvis levissima, sed omnes etiam eorum circumstantiæ et adjuncta, antecedentia, comitantia et consequentia, ex quibus peccatum complicis, item defectus, infirmitates, damna, detrimenta tam pœnitentis quam aliorum cognoscuntur per confessionem, quorum revelatio aut notitia ab ipso etiam confessario in usum deducta sacramentum pœnitentiæ possent reddere odiosum.

Hinc non licet patefacere, si quis defectum natalium, irregularitatem aut

censuram ecclesiasticam pœnitentis ex confessione perceperit. Peccata pœnitentis publica non licet repetere ex confessione, v. g. de meretrice publica dicere non licet sacerdoti, quod peccata illa cum ingenti dolore fuerit sibi confessa, quod in hac vel illa communitate certa crimina grassentur : non licet dicere, se pœnitentem non absolvisse : non licet confesso vultum severiorem postea exhibere. Si sacerdos non nisi ex alterius confessione novit, eum indignum beneficio esse, non potest eum prohibere; sed tenetur, ut alioqui fecisset, eumdem promovere : siquidem a Clemente VIII. cautum est decreto, an. 1594. promulgato, non licere Superioribus Regularium, aut confessariis, qui postea superiores evaserint notitia ex confessione hausta ad externam suorum gubernationem uti. Denique non licet uni pœnitentium se magis addictum ostendere, si id in confessionis alienæ detrimentum cedat.

Ad inducendam vero obligationem sigilli necesse non est, confessionem integram fieri, aut pœnitentem cum vera contritione confiteri; sed sufficit, quod se voluerit accusare coram judice a Christo constituto, vel ut ab illo absolvatur, vel adjuvetur eo modo, quo ipse judicaverit expedire. E contra si confessio tantum in hunc finem institueretur, ut confessarius ad peccandum inducatur, aut acquiratur favor sigilli, et securitas eorum, quæ narrantur, aut solius consultationis vel solatii causa, nulla contrahitur sacramentalis sigilli obligatio : neque enim ejus violatio cederet in detrimentum aut injuriam sacramenti. Quod si tamen fraus illa vel consilium confitentis non moraliter certo constaret sacerdoti, sine dubio tenebitur sacramentali sigillo.

308. *Obj. I.* Quæ juris divini sunt, non ita semper obligant, ut quandoque relaxationi locus non detur, quemadmodum de integritate materiali sacræ confessionis supra dictum fuit; ergo licet sigillum confessionis sit juris divini, posset tamen sacerdoti quandoque officium hoc reticendi relaxari.

R. *N. Cons.* Ex doctrina et traditione Ecclesiæ, ipsaque ratione constat, quod materialis integritas confessionis non semper requiratur, cum pœnitentiæ sacramenti votum aliquando sufficiat, neque ad impossibile ullus teneatur. At vero eadem Ecclesiæ traditio cum ratione nos convincit, nullo in casu licere confessionis arcanum efferre, eo quod, hac facultate permissa, confessionis præceptum a Christo latum sustineri non posset.

Inst. Christus, Matth. 18., jubet quidem fratrem errantem corripiprimo sine teste; mox tamen addit, si non resipuerit, unum aut plures adhibendos esse testes; imo ad Ecclesiæ judicium illum esse deferendum; ergo ex illo Christi præcepto argumentum nullum pro inviolabili sigillo confessionis duci potest : contrarium enim inde sequi videtur.

R. *N. Cons.* Si cui privato non licet injuriam a proximo acceptam ante testibus aliis aperire, quam eum clam admonitum ad sanam mentem reducere frustra tentaverit; ergo sacerdoti nunquam permissum est, crimen occultum pœnitentis pandere tertio cuipiam. Nec enim a pœnitente sacerdos læsus fuit; nec crimen ipse propria experientia detexit, sed peccator id ipsi ultro est confessus hoc pacto, ut ne alteri ulli copiam ejus faceret; multo minus erratum suum obstinate defendit, prout in casu dato Christus ponit, sed a sacerdote veniam supplex petit et medelam. Denique quomodo ad

Ecclesiæ judicium deferet sacerdos crimen pœnitentis cæteroqui occultum, quod nullo argumento idoneo posset probare?

309. *Obj. II.* Cæsarius Heisterbachiens. ex Ord. Cisterc. L. 3. Histor. memorabilium c. 32. refert casum, in quo Innocentius III. consultis Cardinalibus, jusserit revelari peccatum secretum in confessione clam expositum.

R. Narrationem hanc non mereri fidem, quia nequit conciliari cum iis, quæ idem Innocentius, c. *Omnis utriusque*, in Concilio Lateranensi de inviolabili hujus sacramenti sigillo sanxit. Hinc eodem modo exploditur, quod Guillelmus Antisiodorensis L. 4. tr. 6. q. 4. sum. Theol. scribit, Theologos Parisienses decidisse, tribus in hypothesibus sibi propositis licere manifestare secreta in confessione excepta. Nec enim meminit, utrum fuerint privati quidam doctores, an tota Facultas theologica. Sed et explicatio ipsa futilis et puerilis prodit, indignam illo amplissimo senatu fuisse sententiam: ait enim, ipsos dixisse: in casibus illis *sacerdos non infringit sigillum, quod deformitatem importat; sed aperit.* Contrarium plane Parisiensis Academiæ Magistri statuerunt, vulgarem illum versiculum, *hæresis est crimen, quod non confessio celat*, ut pestilentem damnando.

Inst. 1. Adhuc pluribus, eisque certioribus exemplis docemur, Presbyteros, imo et Episcopos peccata evulgasse, quæ ex confessionis sacramento acceperant; ergo. *Prob. Ant.* ex c. *Officii*, de pœnit. et remiss.; c. *Significasti*, de adulter.; c. *Matthæus*, de simon. et c. *Lectæ* de renuntiat., Cardinalis Matthæus et Archiepiscopus quidam confessum sibi peccatorem ejusque peccatum ad summum Pontificem detulisse memorantur. Hisce aliisque argumentis Panormitanus, Hostiensis, Joannes Andreas, Petrus ab Ancharano, ac nonnulli Jurisconsulti ex antiquioribus ostendere nitebantur, licere interdum sacerdoti secreta crimina ex confessione privata cognita, aliis aperire: ex quorum partibus stant Theologi quidam eximii, Alexander 4. p. q. 78. memb. 2. a. 2. et Silvester verbo *Confessio*. 3. q. 5.

R. *N. Ant.* Adducta exempla errori contrario adeo non patrocinantur, ut aliqua illorum veritatem catholicam adhuc fulciant. Cap. *Officii*, detexit quidem sacerdos crimen ex confessione intellectum, suppresso tamen pœnitentis nomine et conditione, unde in confitentis notitiam Pontifex venire non poterat: id quod salva fide arcani sacramentalis sæpe contingit. Cap. *Significasti*, non videtur fuisse confessio sacramentalis: adultera enim publice edixit, tam se, quam adulterum reum sacerdoti flagitium confessos fuisse: quod cum mulier nosse non potuerit, si sacramentalis fuisset confessio, plane conficitur, adulteram dixisse, sed et adulterum tertio cuidam sacerdoti crimen fassos fuisse confessione extrajudiciali, qui forte ambos in Ecclesia deprehensos adjuraverat ad dicendam veritatem, ne ipse in polluta Ecclesia sacris operaretur; aut ipsi sacrilegii pœnas timentes ei se commendarunt. Cap. *Matthæus*, Cardinalis non ait, se quid ex pœnitentiæ sacramento accepisse, sed secrete consilii capiendi causa, ad Papam retulisse scrupulum alterius, qui dubitabat de legitima sui electione. Cap. *Lectæ*, Archiepiscopo Trevir. Abbas quidam secrete ac reverenter aperuit deceptionem, quam ab æmulis passus fuerat. Cap. *Nemo*, de simon. habetur, posse aliquem de alterius reconciliatione ferre testimonium: reconciliationem autem fori externi ceremoniam esse, ut solemniter pœnitentium, aut absolu-

torum ab excommunicatione, constat ex c. *Sanctum*, de consecr. d. 4. Cap. *Exhibita*, de homicidio, quidam morti proximus dixit, se cuidam sacerdoti, qui præsens aderat, suam aperuisse conscientiam: minime vero legitur, sacerdotem aliquid ex auditis prodidisse.

Inst. 2. Olim confessio fiebat presbytero Pœnitentiario, qui graviora peccata retulit Episcopo, cujus deinde erat judicium, an pœnitens deberet easdem suas culpas confiteri publice, aut permittere, ut palam ab alio recitarentur. Quod etiam declarant exempla ex Sozomeno, Petro Damiani, aliisque scriptoribus idoneis nota; ergo. *Ant.* multis adstruit Joan. Morinus L. 2. de Pœnit. c. 10., Tapperus art. 5., Lindanus, Panopliæ L. 4. c. 69., Pamelius in adnot. ad tract. S. Cypriani de Lapsis, et in L. Tertulliani de Pœnitentia.

R. *N. Ant.* Quod nititur falso hoc fundamento, pro criminibus occultis pœnitentiam publicam in primitiva Ecclesia injungi solitam fuisse. Cujus contrarium fuse demonstravimus supra n. 275. ubi etiam diluuntur, quæ ex Sozomeno adducit Morinus. Cum quondam Episcopi quidam in Italia multum se pro disciplina fecisse putassent, dum fideles cogebant, peccata sua scripto tradere, ut iis in Ecclesia publice recitatis et pœnitentes ad satisfaciendum inducerentur, et cæteri a peccatis absterrerentur, Leo M. epist. 80. (al. epist. 168.) ad Episcopos Campaniæ, Samnii et Piceni data, disciplinam talem nuncupat *præsumptionem contra Apostolicam regulam a quibusdam illicita usurpatione committi*; ait esse *consuetudinem improbabilem, modis omnibus submovendam.* Quæ quidem S. Leo non scripsisset, si publicatio illa peccatorum occultorum, quam Morinus et quidam fingunt, consuetudo fuisset ab Apostolis orta, et in Ecclesia primæva communiter usurpata. S. Petrus Damiani L. 6. epist. 32. (opp. t. 1. p. 234. D.) narrat, moriturum quemdam monachum, antequam sacrum viaticum sumeret, *sibi unum ex fratribus applicuisse, ejusque in aures, nescio quod, grave peccatum insusurrasse*: id autem relatum ab ipsomet confessario fuisse. Sed ex facto isto nihil Morinus pro sua opinione concludere potest. Fecit enim ista presbyter defuncto jam pœnitente, speciem criminis reticuit, ac facile crediderim, seculo decimo rudissimo illo et infelicissimo, præter simplicem illum, plures adhuc presbyteros hoc errore fuisse imbutos: ut proinde Pontifices et Concilia tum confessarios de exactissima sigilli hujus custodia merito admonuerint. Inter quos ipse Petrus Dam. serm. de S. Andrea (opp. t. 2. p. 311. D.) ad sacerdotem, *videat*, inquit, *ne unquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem.*

Inst. 3. Sacerdotes ea solum peccata confitentium manifestare prohibebantur, quæ legibus humanis plecti oportebat; ergo.

R. *N. Ant.* S. Leo prohibitionis causas binas subdit cum disjunctione: *Ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis sua facta reserari.* Tum vero pergit: *Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti: tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Ex quibus constat, probabile non esse, quod critici illi obtendunt, nullo veterum concilio, nullo Pontificum antiquorum decreto ante Innocentium III. cautum fuisse, ne audita in confessione revelentur, nec ullum hac super re verbum apud antiquiores Patres extare; cum legem illam suppri-

mendi audita pro confessione S. Leo *regulam Apostolicam* appellaverit. Afferre solebant adversarii etiam testimonium can. 99. et 100. ex Conc. Africano, relatum c. *Placuit*. 6. q. 2. unde videtur Episcopo licuisse revelare crimen, sibi in confessione manifestatum. Sed de confessione sacramentali sermonem ibi non esse, non Glossa tantum animadvertit, sed inde etiam patet, quod initio canonis dicatur : *si quando Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen esse confessum* : inutilis enim foret particula, *soli*, si ageretur de confessione sacramentali, cum nemo nesciat, hanc uni soli fieri, non autem pluribus. Deinde ibidem agitur de crimine, de quo aliis documentis deberet Episcopus convincere reum, cujus convictionis defectu repellitur Episcopi testimonium : at non potest aliis documentis probari, quod ex solo sacramento confessionis cognoscitur.

310. *Obj. III.* Qui confitetur, se cum hoste conspirasse in perniciem civitatis, aut hæresin voluisse inducere, aliamve corruptelam morum, nec ipsum mali propositi ita pœnitet, ut absolutionis sacramentum possit recipere, indignus quoque videtur, qui sub hoc secreti servandi beneficio impunis lateat; ergo potest sacerdos ista consilia prava detegere, quo saluti publicæ consulatur. *Ant. prob.* Tenetur sacerdos talem confitentem absterrere a scelere meditato, eumque adigere ad detegendas pravas hostium aut sociorum machinationes, si aliter cædes innocentum, aut reipublicæ calamitas averti non possit; ergo idem poterit sacerdos ipse præstare, abnuente altero vel negligente. Ita non pauci Jurisconsulti cum Panormitano, qui ad suas partes adsciscunt etiam Innocentium IV.

R. *Trans. Ant. N. Cons.* Ut confessio sigillo muniatur, opus non est, eam absolutione statim dignam esse : siquidem et laico facta confessio in periculo mortis, secundum omnium judicia, eodem silentio premenda est, quo legitimam confessionem premi oportet, quamvis illa absolutionem non obtineat; in c. *Qui vult confiteri*, de pœnit. d. 6. Deinde si confessio nondum sat contriti et dispositi, absolutione perfici tunc nequeat, sacramenti tamen materia eadem evadit, cum primum comminuta duritie, succedenteque vero dolore cum proposito, absolutione divina informatur. Denique constat ex leg. *Qui condemnare*, ff. de re judic. etc.; *Cum inferior*, de major. et obed., ejusdem rationis esse ac fori, cognoscere causas ad condemnandum, cujus est, eas indagare ad absolvendum. Hinc illud Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis*, etc. S. Ambrosius L. 1. de Pœnit. c. 2. inquit, *par jus et solvendi esse voluit et ligandi*. At si manifestatio peccati, sufficiente dispositione prædita, sacerdoti præbet causam absolvendi pœnitentem; profecto ejusdem peccati confessio cum animo non satis ad accipiendam absolutionem disposito, imponet sacerdoti necessitatem, ita male affectum condemnandi, seu retinendi ejus peccata, dum ei negat aut differt absolutionem. Sicut ergo utrobique cognoscit peccata ut minister Dei et Christi vicarius : ita ex ratione pari et lege divina severissima stringitur ad reticendum omnia utriusque confitentis peccata. Innocentius autem IV. hanc ipsam sententiam nostram evidenter enuntiat. Nam postquam vir doctissimus, comment. in c. *Omnis utriusq.* Jurisconsultorum illorum sententiam et argumenta retulisset, mox ita decidit : *Hæc ratio non placet, quia bene credimus, quod ut minister recipiat, etiamsi in peccato remanere proponat.*

Inst. 1. Bonum publicum antecellit privato: atqui sigillum sacramenti cedit tantum in commodum privati confitentis; ergo cum sacerdos prævidet, imminere ingens detrimentum Ecclesiæ aut reipublicæ, tenetur lege divina secretum confessionis pandere.

R. *N. min.* Lex sigilli hujus non privatum duntaxat pœnitentis bonum, sed totius Ecclesiæ commoda, sacramenti a Christo instituti reverentiam et securitatem, omnium denique fidelium utilitatem spectat: malumque quod ex violatione sigilli in universam Ecclesiam redundaret, majus est, quam commodum ex casu quodam rarissimo exspectandum. Ita Honoratus Turnelius in tract. de sacram. Pœnit. ad quæst. quam arcta sit lex et obligatio sigilli Pœnit., Martinus Grandin disp. 1. de Pœnit. c. 4. a. 3. sect. 1., Estius in 4. dist. 17. §. 14., Ludovicus Habert tom. 6. c. 9. §. 7. q. 4. omnes socii et Doctores Sorbonici, aliique tam ex Clero, quam ex ordinibus religiosis, qui in luce Academiæ Parisiensis doctrinam istam tuentur. Unde apparet, quam mala fide Bœhmerus L. 5. Jur. Eccles. Protestant. t. 38. §. 50. appellet hoc *dogma Jesuitarum, quod etiam saniores inter Catholicos horreant.* Nec enim Jesuitæ hoc primum excogitarunt: siquidem Navarrus in c. *Sacerdos* cit. et alii veterum ingentem turbam Cardinalium, Episcoporum, aliorumque Theologorum et Jurisconsultorum recitent, qui sententiam istam, de non vulgando confessionis arcano quacumque de causa, jam ante tradiderant, quam Jesu Societas conderetur. Ac tot insignes viri in Gallia aliisque regnis doctrinam eamdem etiamnum tenent.

Inst. 2. Arctissima hæc sigilli sacramentalis obligatio non nisi in principum ac reipublicæ perniciem cedit; ergo non potuit a Christo præcipi. *Prob. Ant.* Parricidæ regum, aliique in res novas intenti funesta consilia sua sacerdotibus pro confessione aperiunt: hi vero nefas sibi ducunt, illorum quidpiam ad Magistratus deferre. Foventur ergo parricidia et conspirationes, ipsique sacerdotes a crimine proditionis et majestatis excusari non possunt. Ita Joan. Dallæus Minister Calvinista, et cæteri Protestantium, quorum nonnullos adducit Bœhmerus nuper cit.

R. *N. Ant.* Ad confirmationes ejus respondet Cardinalis Perronius in responsione ad regem Britanniæ, c. 6. observ. 2. pag. 563. *Qui regum securitati consulere se existimarunt, opinionem illam vulgando, quod confitentium revelare possint peccata confessarii, si sit læsæ majestatis crimen, ii contrarium ejus, quod se præstituros sperabant, effecerunt. Ut enim de ejus opinionis ad finem quem intendunt utilitate, dicere omittam, ut semel vulgata erit; quia nemo crimina læsæ majestatis in confessione aperiet, vel aperire tenebitur, cum eos confessionem suam revelare, vel se ad regem vel ejus ministros, ut majestatis reum deferre licere noverit: ut, inquam, de hoc sileam, illi reges duobus subsidiis, commodisque privant longe maximis, quæ in eos possunt ex confessione redundare. Primum in eo positum est, quod confessarius possit, et sub pœna damnationis teneatur confitentem reum a nefariis hujusmodi consiliis divinorum judiciorum terrore, et absolutionis denegatione avertere. Alterum in eo positum est, quod sacerdos principem monere possit, et debeat, ut sibi caveat, eumque de conjuratione in ejus personam inita facere certiorem; hoc est, non confitentem nominatim et in individuo indicare, sed ex confessione notam generalem: non reum prodere ac*

revelare, sed crimen. Hactenus Card. Perronius, qui deinde refert, Henrici IV. Franciæ et Navarræ regis vitam a Barrieri cujusdam nefaria machinatione beneficio confessionis fuisse servatam.

Inst. 3. Ipsi Pontifices Romani sigillum confessionis relaxant; ergo non tam arcta videtur esse ejus custodia. *Prob. Ant.* Pius IV. constitutione edita an. 1561. et Gregorius XV. an. 1622. mandarunt confessariis, *ut suos pœnitentes, quos noverint, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, inquisitoribus seu locorum Ordinariis*, etc. Vid. Bullarium M. tom. 2. p. 43. n. 31. et t. 3. p. 432. n. 43. Inde Bœhmerus sup. cit. §. 45. concludit, *per indirectum sigillum confessionis pandi : quamvis enim confessionarii ita non revelent arcana, cogunt tamen pœnitentes feminas, ut semetipsas prodant judici, et factum sacerdotis denuntient.* Editas a Pio IV. et Greg. XV. constitutiones confirmavit Bulla promulgata an. 1741. quæ incipit : *Sacramentum Pœnitentiæ.*

R. *N. Ant.* Sacramentale confessionis sigillum pœnitentibus non est commissum, neque hosce ejus obligatio stringit, quorum gratia tantum sacerdotibus fides hujus arcani est demandata. Non ergo per indirectum fieri potest, ut sigillum confessionis pandatur, ubi nulla est sigilli obligatio. Nam si nulla sacri sigilli obligatio oritur ex confessione, quam constat factam animo inducendi ipsum ad peccandum : multo minus femina sacerdoti obstringetur ad sacri arcani fidem præstandam, a quo scit, se ad flagitium in ejusdem mysterii administratione invitatam. Equidem pœnitentes jure naturali obstringuntur ad celandum omnia confessarii dicta, quorum evulgatione juste possit offendi, quod non Catholici modo cum Paludano, Adriano et Navarro tradunt, sed ipsi quoque Protestantes fatentur : verum hoc ipso maledicentia horum hominum declaratur, qui SS. Pontificum constitutiones tanquam iniquas proscindunt. Nam ipsorummet judicio, jus naturale non obligat ad servandam secreti fidem personæ particulari cum periculo communitatis : ait enim Bœhmerus §. 47. *tam latum ambitum sanctitati hujus sigilli a suis non dari.* Neque in eventu tali locum habent, quæ Matth. 18. v. 15. Dominus præcipit : *Corripe eum inter te et ipsum solum* : magistratui enim ecclesiastico aut civili deferendos esse, qui seductione aliave prava machinatione in perniciem publicam clam grassantur, nemo adversariorum negabit. Quanta autem fidelibus damna, quantum Ecclesiæ periculum immineat, si sollicitatoribus istis tectis esse liceat, non opus est hic demonstrari. Igitur cum SS. Pontifices, queis Christus in Petro *agnos* et *oves* credidit Joan. 20. saluti publicæ memoratis constitutionibus consulant, iis *confessionis sigillum ex obliquo* minime *petitur* : siquidem sigillum sacramentale laicis non est commissum, naturale autem in dato casu neminem stringit; cum e contra præter naturale secretum, sacerdos sacramentalis etiam sigilli fide inviolabili teneatur. Hinc quomodocumque rogatus, an pœnitens certum peccatum fuerit sibi confessus, si aliter quæsitores eludere non possit, tuto negabit : *homo enim non adducitur in testimonium, nisi ut homo, et ideo absque læsione conscientiæ potest jurare, se nescire, quod scit tantum ut Deus,* inquit S. Thomas supra citatus.

Inst. 4. Potest S. Pontifex certis de causis veniam voti aut jurisjurandi dare; ergo eadem auctoritate cum salus publica exigit, poterit arctam

sigilli sacramentalis obligationem relaxare. *Antec.* est Theologorum communiter, 2. 2. q. 88. a. 10. et q. 89. a. 9. Habetur etiam in SS. canonibus, c. 1. et 2. et c. *Verum*, de jurejurando, et c. *Magnæ*, de voto.

R. *N. Cons.* cum iisdem Theologis et Jurisconsultis, quibus etiam, mutata sententia, accedit Ostiensis. Neque enim Papa super scandalo dispensare potest, nec mandare, ut non obstante scandalo fiat aliquid, quod lege Dei non est necessarium. Id quod observavit Innocentius IV. in c. *Inquisitioni*, de sent. excom. et Panormitanus, in c. *Cum teneamur*, de præb. diserte monens, non esse obtemperandum Papæ, si scribat : *non obstante scandalo*, ob defectum potestatis. Jam vero si juxta S. Gregorii mentem, percepta in confessione revelare, etiam *scandali declinandi causa*, nequaquam licet; sequitur evidenter, multo minus posse Pontificem relaxare legem de non violando sacro sigillo, quam super scandalo queat dispensare.

Nec refert, quod Papa in voto ac juramento possit dispensare : ad hanc enim moderationem adhibendam justæ causæ ac necessitas ipsa quandoque urgent. Quanquam nec sic quidem Prælatus, dispensando in voto, dispensat in præcepto juris naturalis vel divini, sed sua auctoritate facit, ut quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinatur in hoc casu non esse congruam materiam voti. Ita similiter argumentatur S. Thomas nuper cit. Ubi idem, et post ipsum Adrianus advertit, quod qui vovet, quodammodo sibi legem statuat : nemo enim adstringitur ad juramentum aut votum sine animo se ipsum obligandi : quare etiam dispensatio voti se habet ad modum dispensationis, quæ fit in observantia alicujus legis; lex autem fertur respiciendo ad id, quod est ut in pluribus bonum. E contra ad servandam secreti sacramentalis fidem sacerdos, aut si quis etiam alius, sine facto suo devincitur præcepto divino, quod consequitur ipsum sacramentum : cujus quidem præcepti laxandi nulla causa sufficiens excogitari potest : neque enim malum tam grave occurrit, quam sacri secreti vulgatio, quo confessio Christianis omnibus suspecta et abominabilis evaderet.

Sanctitatem hujus legis suæ Deo placuit miraculis confirmare, dum linguam S. Joannis Nepomuc. pro asserendo hoc sigillo anno 1383. interempti immunem adhuc a corruptione tot seculis in diem præsentem usque servavit. Ex vitis etiam Patrum refert Altisiodorensis 4. p. c. de confess. cum quidam in navi metu mortis publice confessus esset crimina permulta, cæteri omnes, qui eadem in navi audierant, sic omnium continuo fuisse oblitos, ac si illorum notitiam nunquam percepissent. Sed annon hoc maximum miraculum, quod cum tot sint sacerdotes, quorum nonnulli vitæ profligatæ, aut versi in amentiam, tamen rarissime visum sit sacrum sigillum periclitari? Quod si nihilominus unus et alter tam grandi sacrilegio sacra mysteria profanarunt, eos per Episcopum sacerdotio exauguratos magistratus politicus aut gladio mulctavit, aut laqueo suffocavit, et processu pronuntiato irrito, tam impie proditos pœnitentes dimisit impunes, donec aliunde venirent indicia legitima, prout contigit Venetiis teste Feliciano, de degradatione, c. 14. et apud Tolosates ann. 1579. ut recenset Theophilus Rainaudus in Prato Spirit. scilicet in Ceturia historiar. tom. 17. oper. n. 13. ac Constantinopoli sententiam Patriarchæ Græcorum ratam habentibu. magno Vezirio et Muphthio summo Turcicæ superstitionis antitiste. Tanta

sacro isti arcano exhibetur reverentia non a Catholicis tantum magistratibus, sed etiam a Mahumetanis.

Quanta autem fide tam a clero Protestantium, quam a magistratu civili colatur, ostendit Gobatus, hic n. 778. et seqq. ubi ait, *virum quemdam, qui filium veneno sustulerat in pago quodam; in altero vero mulierem aliud crimen capitale patribus suis spiritualibus prædicantibus bona fide clam confessos; ab his vero Præfecto denuntiatos, capitali supplicio piam simplicitatem luisse.* Exemplum aliud profert Bœhmerus l. c. tit. 38. §. 48. ubi queritur, Annam Nizelin, quæ solatii causa adulterium Pastori suo Lutherano cum multa pœnitudine confessa privatim fuerat, ab hoc ad magistratum delatam: et supplicio fuisse addictam nulla habita ratione responsi, quod Jurisconsulti Hallenses ad hunc casum reddiderant an. 1694.

DISPUTATIO III.

DE SACRAMENTO UNCTIONIS EXTREMÆ.

Decretum concilii Florentini de Extrema Unctione sub Eugenio IV. an. 1439. pro Armenis.

Quintum sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus est; in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc: *Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc.* Et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos: Effectus vero est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Canones concilii Tridentini de sacramento Extremæ Unctionis. Sess. 14. die 25. Novembris an. 1551. sub Julio III.

I.

Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA, MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

—

ARTICULUS I.

VERITAS SACRAMENTI UNCTIONIS EXTREMÆ.

311. *Nota I.* Extrema unctio affinitatem quamdam habet cum Pœnitentiæ sacramento, eo quod ad abstergendas reliquias peccatorum per pœnitentiam sublatorum ordinetur: *Ac non modo pœnitentiæ, sed etiam totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus,* ut notavit Concilium Trid. initio doctrinæ Extr. Unct. Sess. 14. A Latinis quandoque dicebatur *oleum,* aliquando *sacrum chrismatis oleum,* aliquando *oleum infirmorum*: item *sacramentum exeuntium.* Græci appellabant *oleum sanctum,* qui titulus in ipsorum Euchologiis legitur, uti et *oratio cum oleo.*

Nota II. Lutherus, L. de capt. Babyl. c. de Extrem. unct., ritum quidem istum non rejicit, sacramentum tamen esse negat. Calvinus L. 4. Inst. c. 19. §. 18. et seqq. et Kemnitius in 2. p. Exam. ceremoniam istam irrident, ut *histrionicam hypocrisin.* Eamdem e sacramentorum catalogo a Waldensibus, aliisque antiquioribus hæreticis expunctam fuisse, multi arbitrantur cum Bellarmino, c. 1. L. un. de Extr. Unct. Verum Waldenses in professione fidei Uladislao Hungariæ regi oblata, *sacramenta,* inquiunt, *septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus.* Postea extremæ unctionis effectum vere catholicum deprædicant..

Nec refert, quod Reinerus c. 5. aliique scribant de Waldensibus: *Sacramentum unctionis etiam reprobant*: nec enim inficiabantur esse sacramentum, sed spernebant, propter consecrationem olei, propter abusus, *quod tantum divitibus detur, et propter plures sacerdotes, ibi necessarios,* aliosque, quos obtendebant. Quare Innocentius III. redituros ad Ecclesiam Waldenses ita profiteri jussit: *Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur.*

Hussitæ etiam resipiscentes, aut de errore eorum suspecti, ex Concilii Constantiensis præscripto, Sess. ult., rogandi sunt: *Utrum credant, quod*

Christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis et Extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter? In dicto autem Concilio Constantiensi Sess. 8. et 15. damnantur quidem nominatim articuli Wicleffi et Hussi; de sacræ Unctionis autem negatione nullus eorum meminit. Unde colligimus, Wicleffum L. 4. Trialogi c. 25. negantem, quod hoc sacramentum a Christo aut Apostolis institutum fuerit, de consecratione olei fuisse locutum. Quod Albigenses Extremam Unctionem e sacramentorum numero eliminaverint, teste S. Antonino, Summæ Theol. p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5., mirum non est: nam propago ista impietatis Manichaicæ longissime omnium a sacris christianis recessit.

312. *Dico.* Extrema unctio est verum novæ Legis sacramentum.

Prob. I. S. Jacobus epist. c. 5. v. 14. ita scribit: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hac Apostoli sententia continentur omnia, quæ ad essentiam sacramenti a Catholicis omnibus, et a plerisque Protestantium requiruntur. Imprimis symbolum externum est unctio olei et oratio fidei: deinde promissio gratiæ, est allevatio infirmi et remissio peccatorum: denique ipsa eadem Apostoli dicta divinam institutionem produnt, quia a nemine alio potest institui signum, quod gratiam Dei certo conferat.

Prob. II. Innocentius I. epist. ad Decentium c. 8. (Labb. t. 2. p. 1248. B.) eadem Jacobi verba repetit: ac postquam consecrationem olei ab Episcopo peragendam, et ejus usum fuse descripsisset, ita subdit: *Pœnitentibus* (i. e. solemniter, ac nondum reconciliatis), *istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?*

Eadem Jacobi verba ad nos pertinere, et debere etiam nunc et omni tempore presbyteros id facere quod Jacobus scripsit, Patres expresse dicunt: ut Origenes hom. 2. in Levit. (opp. t. 2. p. 191.), Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio (opp. t. 1. p. 385. A.), Augustinus in speculo, et serm. 215. de Tempore (al. 265. in app.), Auctor operis de visit. infirm. L. 2. c. 4. tom. 9. oper. S. Augustini: Ven. Beda in c. 6. Marc. et 5. Jacob. aliique, quos large proferunt Bellarminus c. 4. et Suaresius disp. 39. sect. 1. (et omnium fusissime Sanbovius in cursu completo Migne, t. 24.).

Prob. III. Concilium Chabilonense, an. 813. celebratum, can. 48. (Labb. t. 7. p. 1283. B.): *Secundum B. Jacobi Apostoli,* inquit, *documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent,* etc. Eadem est præceptio Concilii Aquisgranensis, an. 836. (Labb. t. 7. p. 1711. D.), eadem Moguntini an. 847., eadem Regiaticensis an. 850. celebratorum, aliorumque deinceps usque ad Concilium Trid. Sess. 14.

Eadem leguntur in Capitularibus Caroli M. L. 7. c. 75. et 76. (Labb. t. 7. p. 1180. D.), in capitulis Heraldi Turonensis, quæ an. 856. fuere promulgata. Eadem capitula Hincmari Rhemensis sub idem tempus, et canones Isaci Lingonensis: et duobus ante seculis, liber pœnitentialis Theodori Cantuariensis ordinati a Vitaliano Pontifice an. 668. ex quo Ivo Carnutensis, decreti parte 15. cap. 26. statutum excerpsit (Patrol. t. 99. p. 977. D.). In sacramen-

tario autem Gregorii M. feria V. in cœna Dom. præscribitur ritus consecrandi oleum infirmorum : ac in ordine ad visitandum infirmum modus ipse inungendi et preces addendæ recitantur (opp. t. 4. p. 236. A.).

His accedit, quod Græci traditione perpetua Extremam unctionem inter septem sacramenta venerentur, eosdemque ritus in ejus administratione observent, quos Latini, ut Εὐχολόγιον seu rituale ipsorum declarat : et scribunt Simeon Thessalonicensis, L. de septem sacram., Nicolaus Cabasila in Expositione S. Liturgiæ, c. 29., Hieremias Patriarcha Constantinop. in respons. ad Confessionem Lutheranorum, c. 7. ubi testimonium S. Jacobi repetit.

Idem testantur exempla apud Surium L. 2. et ipsos hæreticos Centur. 8. et seq. c. 6. Tresanus presbyter sanctissimus seculo VI. moriturus, accepta sacra Unctione, Viaticum petiit, ut legitur in ejus vita 11. Februarii, apud Bollandum. Sancta Kunegundis, sec. VII. *Sacræ unctionis oleum et Eucharistiam sibi petiit ministrari*, ut scribit Surius c. 14.

S. Adelardus Corbeiensis Abbas ante obitum a S. Hildemanno Episcopo, *benedictionis oleo, sicut a B. Apostolo sancitum est, inungi* petiit, ut in ejus vita narratur.

313. *Obj. 1.* Unctio, de qua epistola Jacobi meminit, eadem erat, quam Marc. 6. Apostoli a Christo missi ægris adhibebant : atqui hæc juxta omnium fere et præstantissimorum Theologorum sententiam non erat sacramentum ; ergo nec illa, quam epistola Jacobi prædicat.

R. *N. M.* contra Theophylactum, Bedam, Lyranum, Catharinum, Maldonatum et alios apud Tirinum. 1°. A Concilio Tridentino Sess. 14. c. 1. dicitur hoc sacramentum a Christo *apud Marcum insinuatum, per Jacobum autem Apostolum et fratrem Domini fidelibus commendatum ac promulgatum.* Insinuatur autem id, quod non expresse proponitur, sed adumbratur et obscure indicatur, ut inquiunt Estius, Bellarminus et alii. 2°. Marci 6. v. 13. Apostoli tantum utebantur unctione ad sanationem prodigiosam morborum : nam a Christo mittebantur tantum ad prædicandum Evangelium, et ad confirmandum miraculis doctrinam suam, ut etiam videre est Matth. 10. Luc. 9. 3°. Apostoli tunc temporis nondum erant sacerdotes. Constat autem ex verbis Jacobi, solorum presbyterorum esse, extremæ hujus unctionis ceremoniam peragere. 4°. Apostoli cæcos, claudos, et omnis generis ægrotos tunc linebant. Certum autem est, sacramentum unctionis extremæ solis lethali morbo decumbentibus ministrari posse. 5°. Apostoli promiscue fideles æque ac infideles Marc. 6. ungebant, neque rogabant prius, utrum languentes baptizati essent : sacramentum unctionis solis baptizatis conferri potest et prodesse. Probabilius ergo sacramentum istud tunc a Christo institutum fuit, cum pœnitentiæ sacramentum primo ordinavit, cujus quidem consummativum extremæ unctionis sacramentum existimatum esse a Patribus, inquit Concilium Tridentinum, proœmio doctrinæ de Extr. Unct. Ubi etiam ratio, cur sacramentum hoc a Christo institutum fuerit, redditur ; quia congruebat, hominem eo maxime tempore novis et majoribus præsidiis muniri, quo dæmon omnes vires et artes suas in illius perniciem exserit.

Inst. 1. Extremæ unctionis ritus fuit ab Apostolis institutus ; ergo sacramentum verum esse non potest. *Ant.* docuit olim Hugo Victorinus L. 1. de

sacram. p. 15. c. 2., quem secuti sunt Magister in 4. d. 23., Alensis, S. Bonaventura, Altisiodorensis et alii quidam.

R. 1°. Iidem Theologi negant consequentiam : aiunt enim, mediate a Christo institutum fuisse hoc mysterium per Apostolos, quo nihil putant detrahi efficaciæ atque excellentiæ sacramenti.

R. 2°. *N. Ant.* Quamvis non inficiemur, potuisse Christum hominibus delegare facultatem sacramenta condendi ; constat tamen, omnia septem Ecclesiæ Catholicæ sacramenta immediate a Christo solo fuisse instituta.

Inst. 2. Non legimus, veteres usque ad IX. sæculum ulli extremam unctionem impertiisse aut recusasse : neque scriptores, qui piorum mortes consignaverunt, indicant, aliquem illorum extremæ unctionis sacramento munitum decessisse; ergo.

R. *N. Ant.* Argumentum hoc negativum hæreticorum abunde confutavimus testimoniis Patrum et exemplis. Nam præterquam quod plurima primorum Ecclesiæ Patrum scripta ad nos usque non pervenerint; in his, quæ supersunt, aliqua tantum rei christianæ capita tractantur. Hinc in argumentum trahi non potest, quod auctor libri de Hierarchia Eccles., secundum multos Dionysius Areopagita, unctionem extremam prætermittat : agit enim accurate de sacramentis novæ legis, prout per ea innotescere potest Ecclesiasticæ hierarchiæ ordinata dispositio secundum actiones ministrorum et recipientium : non vero omnia sigillatim determinat, et ex proposito exponit : quam ob causam nec pœnitentiæ, nec matrimonii facit mentionem.

Sed neque in hoc eodem L. de Hierarchia Eccl., neque in LL. Constitutionum Apostolicarum, Clementi Romano tribui solitis, fit mentio Eucharistiæ morituris dari solitæ per modum viatici : neque Eusebius, nec Gregorii Nazianzenus et Nyssenus, nec Ambrosius, Sulpitius, Hieronymus, Metaphrastes et alii piorum mortem enarrantes referunt, datam ipsis sacram Eucharistiam in viaticum fuisse; quod tamen can. 13. (alias 12.) præcipitur : mirum igitur videri non debet, quod de unctione extrema nihil meminerint. Nam 1°. Scriptores ea, quæ usu vulgari trita sunt, ut plurimum omittunt. 2°. Cum extrema unctio sit quasi perfectio et consummatio sacramenti pœnitentiæ, ea delibuti præsumuntur fuisse, qui pœnitentes discesserunt. Atque hæc ratio esse videtur, cur nec in vita Bernardi legamus, ipsum in morbo ultimo sacram unctionem recepisse; nec ipse, S. Malachiam eodem sacramento inunctum fuisse, in Episcopi hujus vita meminerit : cum tamen sanctus hic Episcopus mortis suæ vates, sat opportunitatis ad illam recipiendam habuerit, et certo constet, S. Bernardum sacramentum istud maximi fecisse. 3°. Denique cum sacramentum hoc non sit simpliciter necessarium, et multi ejus copiam, morte occupati, non habuerint, scriptores piorum obitum ex hac vita narrantes, de eo tacuerunt.

314. *Obj. II.* S. Jacobus et Concilia dum ungendos esse infirmos dicunt, non excludunt sanos ; ergo nihil differre videtur ab unctione, qua olim Apostoli, Marc. 6. alios etiam ungebant, modo defectu aliquo corporis tenerentur.

R. *N. Ant.* Quando speciale sacramenti subjectum designatur, cætera excludi censentur ; præsertim ubi nulla in contrarium exempla extant.

Atqui ex tota Ecclesiæ traditione nequit ostendi, quod alteri, quam ægroto, sacramentum istud fuerit collatum. Sed et decretum Eugenii in Concilio Florentino, solis infirmis id esse administrandum præcipit. Præterea juxta Tridentinum c. 3. eadem necessitate infirmus est subjectum hujus sacramenti, qua sacerdos est ejusdem minister : constat autem, hunc solum ministrum esse posse. Denique eodem Concilio Tridentino dicitur hoc sacramentum *infirmorum,* et *exeuntium,* non profecto ideo, quia solet hisce dari : alias Eucharistia et Pœnitentia forent etiam sacramenta infirmorum et exeuntium : ergo ideo tantum, quia his solis, non vero sanis potest administrari; ut pridem argumentabatur S. Thomas cit. Quæ quidem omnia ex effectu utroque sacramenti Extremæ Unctionis inferius confirmabuntur.

Inst. Græci hoc sacramentum sanis etiam conferunt.

R. *T. Ant. N. Cons.* Joannes Nathanaël Cresensis, apud Arcudium L. 5. Concord. c. 4. et ipsemet Arcudius detestantur hunc morem, tanquam novitium apud Græcos, et S. Scripturæ adversantem. Verum Goarius ait, injuriam fieri ab Arcudio Græcis, eo quod hæc ceremonia ipsis non sit sacramentum, quippe quæ sine forma sacramentali, et intentione sacramentum conficiendi peragatur tantum ut ritus pius : perinde ac veteres Latini eodem oleo ungebant varios ægrotos, ad morbos depellendos.

Hinc ille abusus apud Græcos increbuit, satisfactionis loco ungendi pœnitentes. Quam quidem relaxationem disciplinæ interdicit Innocentius IV. epist. ad Episc. Tuscul. Sedis Apostolicæ legatum.

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

315. *Dico I.* Materia proxima sacramenti Unctionis extremæ est inunctio ægroti. Ita Catholici omnes contra quosdam antiquos, quibus oleum ab Episcopo benedictum videbatur esse sacramentum, unctio vero usus ejusdem sacramenti. Hanc opinionem referunt SS. Thomas et Bonaventura in 4. d. 23. et tanquam improbabilem rejiciunt : et merito.

Prob. Præter Eucharistiam nullum sacramentum consistit in materia permanente, sed in usu. Sicut ergo ex verbis Christi, Matth. ult. *baptizantes eos,* intelligimus, baptismi materiam proximam esse actionem tingendi in aquam aut abluendi vel aspergendi aqua, non vero aquam ipsam : ita ex verbis Jacobi, *ungentes eum,* recte cognoscimus materiam proximam Unctionis extremæ esse actionem ungendi oleo, non vero oleum.

Conf. Concilium Trid. Sess. 14. cap. 1. cum dixisset, *materiam esse oleum,* mox addit : *Nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam.... repræsentat.* Igitur docuit, unctionem esse sacramentum; quia ait, illam esse signum efficax gratiæ. Id quod etiam ex ipso nomine hujus sacramenti discimus.

Plures sensus inungendos esse, constat ex Decreto Eugenii IV., ex Rituali et catechismo Romano, a quibus oculi, aures, nares, os, manus, renes et pedes ungi jubentur. Nihilominus plurium partium inunctionem tantum ex præcepto Ecclesiæ necessariam esse, inde colligimus, quod B. Jacobus

simpliciter scribat, *ungentes eum* : quemadmodum ex Christi verbis, *baptizantes eos*, immersionem unicam, aut lotionem aspersionemve unius membri novimus sufficere. Idem suadet usus Ecclesiarum varius, plures, aut pauciores partes inungentium. In Ecclesia Romana olim caput solum, vel frons linebatur, ut ex libro Sacram. Gregorii M. (opp. t. 4. p. 237.) legimus his verbis : *Postea faciat ei signum crucis in capite de oleo benedicto, dicens : In nomine Patris*, etc. quamvis ibidem ita quoque habeatur : *Multi enim sacerdotum perungunt insuper in quinque sensus corporis*. Renum inunctionem in mulieribus honestatis causa semper omittendam monet Rituale Rom. uti et Concilium Mediol. IV. sub S. Carolo. In Codice Remigio Rhemensi, in Rituali Parisiensi, Mechliniensi approbato ab Academia Lovaniensi an. 1588. aliisque pluribus præscribitur unius duntaxat sensus unctio, quando morbus contagiosus, aliave necessitas ita suadent, modo in fine formæ dicatur : *Quidquid per sensus peccasti*.

316. *Dico II.* Materia remota hujus sacramenti est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum.

Pars 1ª. traditur in epistola S. Jacobi : *ungentes eum oleo*. Unde concludunt Patres et Concilia, quæ supra laudavimus, oleum ad sacram hanc inunctionem requiri, et quidem *oleum olivarum*, scilicet ex olivarum baccis expressum, ut Decretum Eugenii in Concilio Florentino declarat : tale enim intelligitur, cum oleum simpliciter appellatur. Quibus consentit traditio orientalis et occidentalis Ecclesiæ ; quæ materia alia nunquam usæ sunt.

Convenientissime autem oleum a Christo fuit præscriptum : mitigat enim dolores, affert hilaritatem, sanat morbos, robur membris conciliat, etc., prout alias ostendemus. Quamvis autem nonnisi purum oleum adhibendum sit, valet tamen actio, si ei mixti sint alii liquores, aut unguenta odorifera, modo olei substantiam non destruant.

Nec refert, quod Innocentius I. loc. cit., materiam hujus sacramenti ait esse *chrisma* : nam vocabulo hoc græco unguentum quodlibet significatur ; sive simplex illud fuerit, sive mixtum.

Pars 2ª. quod debeat oleum esse ab Episcopo benedictum, tum a Conciliis supra cit. quibus accense Concilia Wormatiense cap. 72. (Labb. t. 8. p. 958. C.) et Aquisgranense tit. 2. cap. 8. ; tum ab Innocentio I. qui scribit ægrotos inungendos esse *oleo ab Episcopo confecto*, a Gregorio M. in L. Sacramentorum, a Ven. Beda commentario in c. 6. Marci, et super epistolam Jacobi : tum a perpetuo usu et traditione totius Ecclesiæ tam solide firmatur, ut Bellarminus, Estius, Suaresius et non pauci Theologi putent, se evicisse, benedictionem illam istam non tantum esse de necessitate præcepti, sed etiam sacramenti.

Verum Franciscus Victoria, Cajetanus, Maldonatus, Sambovius aliique insignes Theologi nihilominus repugnant : quorum sententia adhuc probabilis manet, ut ex eorum argumentis infra adducendis videbimus.

317. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* S. Thomas in 4. d. 24. q. 2. a. 3. q. 2., Bonaventura, Durandus, Richardus, aliique veteres Scholastici omnes quinque sensus necessario inungendos esse censuerunt ; ergo non erit verum sacramentum, quando una tantum pars corporis ungitur.

R. *N. Cons.* Suaresius ait, non omnes distincte loqui de necessitate sacramenti, sed absolute. S. Thomas in supplem. q. 32. a. 6. in 0. *Illa unctio*, ait, *ab omnibus, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti.* Ex quibus cum eodem Suaresio concludimus, varias illas unctiones solum de necessitate præcepti esse adhibendas.

318. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* Concilia et traditio necessariam quidem aiunt, esse benedictionem olei ab Episcopo faciendam, non tamen ideo sequitur, eam esse essentialem : sicut non est essentialis Eucharistiæ admixtio aquæ, licet eam tota traditio commendet. Ergo oleum non benedictum sufficere posset ad substantiam hujus sacramenti, eo quod illud simpliciter ab Apostolo præscribitur.

R. *N. Ant.* Aqua baptismi etiam ex Ecclesiæ præcepto debet esse benedicta, nec tamen Concilia dicunt, materiam baptismi debere esse aquam benedictam, sed naturalem; ergo cum materiam unctionis extremæ dicunt esse oleum benedictum, majorem, quam præcepti necessitatem indicant. Quod aqua vino miscenda sit in sacrificio tantum ex usu et præcepto Ecclesiæ, distincte declarant Decretum Eugenii ad Armenos et Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 7.; talem autem explicationem de benedictione oleo impendenda nuspiam Concilia ediderunt.

Inst. Etsi materia hujus sacramenti ab Eugenio IV. et Concilio Tridentino dicatur esse oleum ab Episcopo benedictum; non tamen ideo sequitur, benedictionem Episcopi esse de essentia materiæ ad sacramentum idoneæ : nam Clemens VIII. instructione de ritibus Græcorum edita an. 1595. prohibet, ne cogantur presbyteri Græci accipere oleum ab Episcopo Latino : quia ex antiqua consuetudine Ecclesiæ orientalis, presbyteri possunt oleum infirmorum de licentia et commissione Episcoporum benedicere; ergo tota olei benedictio non est necessaria, nisi ex præcepto Ecclesiæ.

R. *N. Cons.* Posse sacerdotibus legari hanc potestatem, constat ex usu Ecclesiæ orientalis, quam Ecclesia latina nunquam reprehendit : oleum autem non benedictum sufficere ad hoc sacramentum non satis probatur.

Verum quod Maldonatus tom. 2. de sacramentis, quæst. 5. de cerem. Extr. Unct., ad opinionem S. Thomæ et aliorum Scholasticorum de necessaria inunctione quinque sensuum dixit : *Ego non arbitror, de essentia sacramenti quidquam affirmandum esse, nisi suppetant majores rationes*; idem quæstione 1. ad 1. argumentum Catholicorum respondet, non esse necessariam consecrationem olei ad veritatem sacramenti; sed tantum propter præceptum et disciplinam Ecclesiæ, quæ consuevit materiam omnis sacramenti prius benedicere, quam sacramentum conficiat. Ac propterea a Conciliis institutum fuit, ne unctio extrema fieret nisi oleo benedicto. S. Jacobum autem simpliciter de oleo pronuntiasse, perinde ac Christus locutus est de aqua, cum baptismum instituit.

Eugenius IV. docere Armenos voluit ritum Latinorum : Concilium Tridentinum damnare voluit errorem hæreticorum Waldensium, Calvini et aliorum, qui consecrationes materiæ sacramentorum spernebant : ideo autem benedictionem olei, non vero aquæ baptismatis meminerant, quod litem Scholasticorum, an illa olei consecratio ad veritatem sacramenti necessaria sit, an non, dirimere noluerint. Cæterum Basilius M. L. de Spiritu

sancto cap. 27. (opp. t. 3. p. 55. A.), tam de aqua quam de oleo ita æqualiter enuntiat : *Benedicimus aquam baptismatis, et oleum unctionis.*

Quod autem quidam dicant, Apostolum per verba illa, *in nomine Domini,* indicasse benedictionem olei ab Episcopo præmissam, adeo frivolum est, ut ne ipsis quidem hujus sententiæ assertoribus probetur. Id enim solum verbis illis significatur, sacerdotem vice Christi fungi, et ejus nomine et auctoritate inungere decumbentem.

319. *Dico III.* Forma hujus sacramenti est precatio, quam sacerdos inungendo pronuntiat.

Prob. S. Jacobus in epist. formam hanc satis aperte indicat, dicens : *Orent super eum... et oratio fidei salvabit infirmum,* etc. Ex quibus verbis Eugenius IV. in Decreto Concilii Florentini, et Patres Tridentini probant formam hanc Ecclesiæ Romanæ : *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum,* etc. : qua formula Ecclesiæ occidentales olim utebantur. Orientales autem Ecclesias omnes formam mere precatoriam adhibuisse; evidens fit ex Græcorum Euchologiis, ubi sacramenti hujus ritus describitur, nec quidquam reperitur verborum modi indicativi et absoluti.

Hinc S. Thomas d. 23. q. 1. a. 4. q. 2. ita concludit : *In hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis.* Idem senserunt SS. Albertus et Bonaventura aliique, quos refert et sequitur Suaresius disp. 40. sect. 3.

320. *Obj.* SS. Thomas et Bonaventura, Durandus aliique præstantissimi Theologi affirmant, sua ætate Mediolani in usu fuisse formam, quæ dicebatur Ambrosiana, absolutam et indicativam, his verbis conceptam : *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Similes formæ notantur in Codice Remigii Rhemensis, in Codice Ratoldi, in Ritualibus Ecclesiarum Suessionensis, Catalaunensis, Ambianensis, etc. Albertus M. d. 23. a. 4. scribit, se vidisse antiquissimos Germaniæ Rituales libros et observasse, formam extremæ Unctionis mere indicativam, quem ritum *Gregorianum* vocabant. Atqui durum valde videtur, cum S. Thoma contra Albertum M. et alios Theologos pronuntiare, formas tot Ecclesiarum indicativas fuisse invalidas; ergo.

R. 1°. S. Thomas l. c. et in supplem. q. 29. a. 8. ad 3. aliique dicunt, verba illa indicativi modi non esse formas hujus sacramenti, sed prævias dispositiones ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per verba illa. Verum probabile non videtur esse, Albertum, Bonaventuram, Durandum, Paludanum, Aureolum aliosque Theologos qui scripserunt, Ambrosianam, aliasque formas Ecclesiarum fuisse tantum indicativi modi, et ad conficiendum sacramentum suffecisse, omnes tunc ignorasse, quod adhiberentur præterea aliæ formæ precatoriæ. Deinde sicut is, qui affundendo aquam, ait, *baptizo te*, etc., non recte dicetur proferre dispositionem præambulam formæ Baptismi, sed vere dicitur sacramenti formam adjicere : ita cum ad actionem unctionis dicebat sacerdos : *ungo te,* ect., haud apte satis dicetur, illum protulisse præambulam tantum dispositionem, quæ ad genuinæ formæ pronuntiationem ministrum præparet.

Ita Hugo Menardus in notis ad sacramentarium Gregorii M., contra Petrum Ledesmam.

R. 2°. Formas illas solum grammatice, verbotenus et mere materialiter fuisse indicativas; moraliter autem, virtualiter et æquivalenter preces fuisse. Confirmat hanc responsionem S. Bonaventura, qui a. 1. q. 4. ad 2. objectionem, quod non sit eadem forma, *Dicendum*, inquit, *quod secundum id quod est necessarium et essentiale sacramento, eamdem oportet esse. Sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Suaresius item hanc formam esse sufficientem asserit : *Ungo te oleo sancto, ut Deus tibi remittat quidquid peccasti*, etc., quia verbo indicativi modi adjungitur sufficiens deprecatio. Atqui similem precationem adjunctam habent tam forma Ambrosiana, quam cæteræ nuper laudatæ; ac præsertim quam Palacius ex lib. sacramentali Venetorum approbato per Leonem X. ita recitat: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Indicativo modo adjungit deprecativum forma L. Sacram. Greg. M. *Inungo te de oleo sancto, etc... Operare creatura olei in nomine Dei Patris*, etc., *Per eumdem Christum*, etc. Iisdem ferme verbis concepta est forma, quam Arcudius L. 5. Concordiæ, c. 5. ex Serario legi ait, in antiquo codice manuscripto Halitgarii Episcopi Cameracensis, qui florebat Ludovici Pii temporibus.

CAPUT II.

DE EFFECTIBUS ET MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS.

—

ARTICULUS I.

DE EFFECTIBUS HUJUS SACRAMENTI.

321. *Dico I.* Finis et effectus omnium præcipuus Extremæ Unctionis est confortatio animi adversus difficultates in articulo mortis occurrentes.

Prob. Apostolus ait : *Et alleviabit eum Dominus*, græce ἐγερεῖ, excitabit, novum ei robur, alacritatem, lætitiam et vigorem suppeditando. Rationem reddit Synodus Tridentina in proœmio de Extr. Unct. Christus hominibus sanis et valentibus per cætera sacramenta satis consuluit, auxilia in iis maxima præparando, queis se adversus tela hostium integros conservent. Opus ergo adhuc erat, ut firmissimo hoc Unctionis extremæ præsidio munirentur graviter ægrotantes eo tempore, quo et vires corporis nobis deficiunt, et dæmon *vehementius omnes versutiæ suæ nervos intendit ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos; cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.* Eadem confirmat Concilium Coloniense part. 7. cap. 40.

Ex his conficimus, sacramenti hujus effectum proprium non consistere in gratia habituali, hæc enim eadem omnium sacramentorum est; sed in specialibus gratiæ auxiliis, accommodatis ad finem hujus sacramenti, qui tres potissimum spectat effectus ab illis auxiliis præstandos. Primus ad roborandam, ut dixi, spem, in mortis articulo vel maxime necessariam. Alter ad hilaritatem animi concipiendam, qua morbi incommoda et ærumnæ levius toleremus. Tertius, auxiliis illis gratiæ reddimur fortiores animo et promptiores ad superandum tentationes dæmonis, quæ tunc acrius urgent. Effectuum horum typus est sacra unctio : hæc enim sanat et roborat, et per eam disponi solent luctatores et pugiles ad certamen. Vid. Conc. Trid. cap. 1. et cap. 2. *Hæc gratia...* inquit, *ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando : qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* Sed et Eugenius IV. in Concilio Florentino, sacramenti hujus effectum docuit esse mentis sanationem. Merito ergo Extrema unctio *sacramentum spei* appellatur : sicut Baptismus sacramentum fidei, Eucharistia sacramentum amoris, et confessio a Theologis dicitur *sacramentum pœnitentiæ.*

322. *Dico II.* Finis et effectus secundarius Extremæ unctionis est, per se proxime disponere animam ad introitum gloriæ.

Prob. Extrema unctio dicitur a Patribus *sacramentum exeuntium,* et totius christianæ vitæ *consummativum,* ut habet proœmium et cap. 3. doctrinæ de Extr. Unct. in Concilio Trid.; ergo ejus effectus secundarius est, proxime disponere ad introitum gloriæ. Duplex autem hæc dispositio spectari potest, ac prior quidem est perfecta animæ sanctificatio, quæ, præter habitum gratiæ, consistit in remotione omnis mali a peccato provenientis : posterior autem est perseverantia in illo bono usque ad mortem. De hac posteriore satis modo egimus in conclusione prima; priorem vero præparationem nunc breviter expono.

1°. Sacramento Unctionis sacræ tolluntur peccata; ait enim S. Jacob. : *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Idem significant verba formæ : *Per istam unctionem... indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per,* etc., et quod cap. 2. docet Concilium Tridentinum : *Res hujus sacramenti gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Quæ quidem testimonia, cum sint universalia, et sensu proprio intelligenda, etiam de peccatis mortalibus accipi oportet. Præsertim quia constat, quod peccata in rigore magis significent mortalia, quam venialia, atque in illo articulo magis necessaria sit illorum remissio, quam istorum. Denique propter sola peccata venialia, aut pœnas residuas, ne opus quidem erat annecti ab Apostolo conditionem, *si in peccatis sit* : vix enim reperitur homo, qui culpa veniali, aut pœnarum reatu non sit obstrictus. Quomodo autem sacramento Extremæ Unctionis peccata lethalia interdum remittantur, fuse explicatum fuit ubi de sacramentis generatim.

2°. Cum peccata venialia etiam ab ingressu regni cœlestis nos morentur, etiam hæc ex opere operato hujus sacramenti, ac *per se* quidem remittuntur quoad culpam. Nam nec verbis Apostoli, nec forma hujus sacramenti, peccata generatim appellantibus, venialia a remissione excipiuntur. Sed

etiam Origenes, hom. 2. in Levit. ut probet, eum quem peccati pœnitet, consequi illius remissionem, utitur verbis Jacobi : *Infirmatur quis in vobis*, etc. ubi distincte tam de sacramento pœnitentiæ, quam de unctione extrema disserit : cui adde cæteros Patres art. 1. in concl. laudatos.

Corollarium istud admittitur etiam ab iis Theologis, quibus non probatur, remissionem peccati mortalis per sacramentum unctionis fieri : aiuntque fide catholica certum esse, peccata, saltem venialia virtute hujus sacramenti remitti.

3°. Idem sacramentum Unctionis Extremæ remittit etiam pœnas temporales peccatorum, his quoad culpam remissis residuas. Sequitur corollarium istud ex eo, quod sacramentum hoc institutum sit, ad hominem proxime disponendum ad introitum gloriæ, et ad tollenda ingressus hujus impedimenta : arcet autem ab hoc ingressu omnis reatus pœnæ residuus. Ex verbis etiam Jacobi, et forma sacramenti hujus effectum istum intelligimus : asserunt enim universum et absolute peccata, si quæ supersunt, remissum iri, atque nomen peccatorum pœnis post culpam remissam adhuc pendendis sæpe tribuitur in sacris paginis; ceu Lev. 20. v. 20. et 2. Mach. 12. v. 46.

Porro dum idem Concilium Tridentinum c. 2. ait, *delicta, et peccati reliquias abstergi* in hoc sacramento, indefinita hæc et universalis doctrina merito de peccatorum residuis pœnis intelligitur, quippe quæ et peccatorum reliquiis vere possunt accenseri, et multo magis proprie dicuntur abstergi seu tolli, quam cæteræ reliquiæ peccatorum. Diximus autem initio conclusionis, effectus istos secundarios esse unctionis extremæ : nam effectus primarius sacramenti universalis est, omnibusque suscipientibus communis, et promittitur absolute, non vero, ut remissio peccati, conditionate.

4°. Reliquiæ aliæ adhuc sunt peccatorum, præsertim actualium, propensio quædam ad malum, torpor ad bonum operandum, et ineptitudo ad meditationem rerum cœlestium. De quibus Augustinus L. ult. de Trinit. c. 27. *Quæ*, inquit, *causa est, cur acie fixa* (lucem) *ipsam videre non possis, nisi infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?* Hæ quoque tristes reliquiæ Rom. 7. et alias, peccata vocantur, et in extremæ unctionis sacramento absterguntur, teste S. Thoma in 4. d. 24. q. 2. a. 2. q. 1., Alberto M. et aliis passim Theologis. Quanquam non proprie et omnimodis tolluntur, ut idem advertit in supp. q. 3. a. 1.; manent enim concupiscentia pravique habitus in iis, qui a sacramento hoc convaluerint : sed per sacram unctionem datur contra debilitatem ex peccato relictam robur quoddam et vigor mentis per auxilia gratiæ, quæ in conclusione prima probavimus conferri. Unde etiam novimus, effectum istum non esse secundarium, sed sub primario ibidem exposito comprehendi.

323. *Dico III.* Extrema unctio aliquando sanitatem corporis sua virtute confert. Ita SS. Thomas, et Bonaventura cum Magistro in 4. d. 23. et aliis Theologis.

Prob. I. S. Jacobus dum ait : *Et oratio fidei salvabit infirmum*, sanitatem ab infirmitate corporis promittit; alioqui ejus oratio non cohæreret : verba enim ista respondent iis, quæ initio dixerat : *Infirmatur quis in vobis?* etc. Hinc ubi latinus reddit salvabit *infirmum*, in græco legimus κάμνοντα, *laborantem morbo.*

Prob. II. Idem fuit semper Ecclesiæ sensus. In sacramentario Gregorii M, ad olei consecrationem hæc oratio præscribitur... *Ut tua benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.* Idem petitur in precationibus aliis, quas ibidem sacerdos inuncturus infirmum fundere jubetur. Gabriel Philadelphiæ Metropolita homo græcus, in suo de septem Sacramentis opere, sub initium seculi XVII. Venetiis edito, *Forma*, inquit, *sunt verba, quæ a sacerdotibus super ægros annuntiantur, quæ quidem vim habent dimittendi peccata, sanandique morbos eorum, qui sacramentum certa fide suscipiunt.* In omnibus autem Græcorum Euchologiis infirmum uncturus sacerdos ita precatur : *Pater sancte,... sana servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate*, etc.

Eugenius IV. in Concilio Florentino, decreto ad Armenos, ait, sacramenti hujus effectum mentis esse sanationem ; *in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Concilium Tridentinum cap. 2. *Infirmus*, inquit, *sublevatus,... et sanitatem corporis interdum, uti saluti animæ expedierit, consequetur.*

Quamvis autem B. Jacobus conditionem istam non expresserit; quia tamen sanitas corporis per se non est necessaria homini, atque interdum non expedit, promissio ejus non censetur absoluta, sed dicta conditio ex natura talis effectus subauditur in verbis Apostoli comprehensa. Cum conditione simili cætera bona naturalia, a Deo postulanda esse monet Augustinus epist. 121. (al. 130.) c. 12. et L. 2. de serm. Dom. in monte, c. 12. et 24. Igitur cum conditione memorata erit effectus sacramenti hujus certus et infallibilis.

324. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* Tempore Apostolorum quidem erat Extrema unctio sacramentum, propter donum curationum, quod tunc vigebat; postquam autem cessavit, etiam cum illa desiit esse sacramentum.

R. *N. Ass.* Triplici in errore hic versantur Calvinus et alii hæretici, 1°. quod putent, sacramentum ullum fuisse institutum ad curationem corporis; cum e contra sacramenta ad animorum medelam sint condita. 2°. Quod putent, desinere posse evangelicum aliquod sacramentum; cum sacramenta ex natura sua signa sint stabilia et perpetua, ut disp. 1. c. 1. de sacramentis in genere ostensum est. 3°. Quod putent, sacramentum aliquod institutum esse ad propagandum Evangelium. Nam sacramenta non sunt data infidelibus, sed Christianis : miracula vero per sacramenta quandoque fiebant propter infideles. Quam ob rem S. Augustinus L. 3. de Baptismo cont. Donatist. c. 16. scribit, illa olim miracula propterea facta fuisse in quibusdam sacramentis, et jam non fieri, ut homines assuescerent etiam credere, cum non viderent, ea miracula jam esse in illis. Denique male confunditur miraculosa curatio ægrotorum, quam adhibebant Apostoli Marc. 6. cum sacramento extremæ unctionis.

Inst. 1. Apostolus soli orationi fidei tribuit salutem ægrotantis; ergo unctio nihil præstat effectus.

R. *N. Ant.* Ait : *Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Et hanc precationem appellat *orationem fidei*, non subjective quidem, quasi minister debeat cum fide actuali sacramentum hoc conferre, aut ægrotus

illud suscipere : sed quiâ hæc ceremonia pro solis fidelibus instituta est, sola fide intelligitur ; et magnum fidei mysterium continet. Hinc recte dicitur oratio fidei objective : quemadmodum S. Augustinus tr. 80. in Joan. n. 3. ait, verbum fidei in sacramento mira operari, *non quia dicitur, sed quia creditur.*

Inst. 2. S. Thomas in 4. d. 23. q. 1. a. 4. q. 3. ad 2. ait, exprimi debere in forma sacramenti effectum principalem : atqui in hac formula : *Indulgeat tibi Deus*, etc., exprimitur tantum remissio peccatorum, nihil vero de confortatione animi contra difficultates in illo articulo occurrentes ; ergo vel formula Romana est vitiosa, vel effectus principalis hujus sacramenti est remissio peccatorum.

R. *N. Ass.* Quod ad remissionem peccatorum non fuerit primario instituta unctio extrema, ex dictis hactenus liquet. Certe ad venialium remissionem novo sacramento opus non erat, quippe quæ sunt idonea materia sacramenti pœnitentiæ, in quo directe etiam remittuntur, licet pœnitentiæ sacramentum potuerit non institui ad venialium condonationem. Deinde venialia peccata sine bono motu animi adversus ea nunquam dimittuntur : atqui unctionis sacramentum sine bono motu cordis digne solet suscipi. Porro neque opus erat, sacramentum unctionis extremæ primario institui ad tollenda peccata mortalia : præstabant enim hoc abunde baptismus et confessionis sacramentum, ideo sacramenta mortuorum appellata, quod mortuos ad vitam spiritualem suscitent. Cum e contra unctio extrema sit primario sacramentum vivorum : nam ægrotus tenetur peccatum suum lethale, cujus est conscius, prius confiteri, aut, si hoc fieri nequit, saltem illud contritione perfecta eluere. Hinc dicitur a Conciliis : *medicina et sanatio mentis*, non vero resuscitatio, aut regeneratio, ut argumentatur S. Thomas sup. cit.

Secundum hactenus disputata respondeo, per laudatam formulam Romanam Ecclesiis occidentalibus communem exprimi generatim et absolute peccatorum remissionem, qua non solum culpæ, si quæ adsunt, dimittantur, sed etiam amoveantur peccatorum reliquiæ, torpor ille, debilitas animi, pravæque dispositiones ex peccatis præteritis ortæ, quas sacramenti hujus gratia præcipue sanat, robur et vires addendo ad resistendum pravis illis affectionibus. Et quoniam ex peccatorum antecedentium meritis oportebat, hominem auxiliis gratiæ extraordinariis et superabundantibus privari, suæque fragilitati ac debilitati relinqui, debitum istud peccatorum per sacramentum istud ita dimittitur, ut vicissim auxiliis gratiæ sacramento huic propriis instruatur, et in spem erectus contra reliquias illas peccatorum confortetur. Qui quidem primarius sacræ unctionis est effectus, indicatus his verbis : *Indulgeat tibi Deus*, etc.

325. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* Extrema unctio non est sacramentum mortuorum, ergo per se ac directe non tollit peccata mortalia.

R. *D. Ant.* Non est sacramentum mortuorum simpliciter et ex institutione primaria et præcipua *C.* secundum quid et cum particula restringente ad certos casus, in quibus subit vices sacramenti pœnitentiæ tanquam ejus supplementum, perfectio et consummatio *N.* Baptismus et Pœnitentiæ sacramentum ex sua institutione, et lege ordinaria supponunt in subjecto pecca-

lum mortale sacramento alio nondum remissum, atque valentibus corpore plerumque conferuntur. E contra unctio extrema nullum ante se supponit peccatum mortale ex sua institutione præcipua et lege ordinaria, quod non sit remissum per duo memorata sacramenta; nec tribuitur ulli, nisi morbo periculoso laboranti. Ex verbis tamen B. Jacobi intelligimus, quod tanquam sacramentum mortuorum secundum quid, peccata etiam mortalia *per se* ac *directe* deleat, si quando absolutio ex defectu occulto nulla fuisset : aut si post absolutionem æger in peccatum mortale aliud rediisset, ad quod postea non advertit : aut ob difficultates morbi, aliasve causas confiteri amplius nequeat; modo attritionem generalem bona fide susceptioni unctionis, cum actu dilectionis inchoatæ, præmiserit. Ita S. Carolus Borromæus in Instruct. de Extr. Unct.

Inst. Si peccata venialia et pœnæ peccatorum per sacramentum extremæ unctionis remittantur; ergo sacro oleo inuncti non erunt obnoxii post mortem igni purgatorio.

R. *N. seq.* Si peccatum mortale unicum in hoc sacramento tollitur, certum est, cætera omnia illi adjuncta simul tolli : facit enim hoc sacramentum ex attrito contritum, non quidem mutando actum imperfectum in perfectiorem, sed sola infusione gratiæ, quæ suapte natura lethalibus peccatis æqualiter adversatur. Peccata venialia non semper omnia in sacramenti usu deleri, sed effectus istius modum statui a dispositione ejus, qui sacramentum recipit, supra ostendimus num. 63. et 64. Pari ratione tenemus, in sacra unctione non remitti semper omnem pœnæ reatum, quod soli Baptismo proprium est; sed tolli quidem reatum pœnæ ex opere operato sacramenti hujus, ita tamen ut effectus iste respondeat dispositioni et devotioni suscipientis.

326. *Obj. III. cont.* 3am. *concl.* Sæpe post extremam unctionem convalescunt, qui sanitate recuperata in animæ detrimentum abutuntur : e converso, sæpe accepto hoc sacramento moriuntur, qui si superstites forent, non tantum piam et honestam vitam ducerent, sed alios quoque complures ad bonam frugem revocarent; ergo non confertur ex hoc sacramento sanitas corporis, si ita ad salutem animæ expedierit. *Conf.* Sanitas corporis non est medium necessarium ad profectum animi : imo sæpe opus miraculo foret ob vim morbi invalescentis et vires plane absumptas; effectus autem sacramenti non est per miraculum expectandus.

R. *N. Ant.* Si qui ex morbo convalescentes sanitate male utantur, non constat hos valetudinem virtute sacramenti recuperasse. Potuit etiam fieri, ut sanitas spiritualem fructum attulerit, quem homo postea tentationibus sponte cedens iterum amiserit : neque enim opus est, ut salus animæ, quam Tridentinum ex sacramento, ait, obventuram, perpetuo duret. Incertum etiam est, utrum justi, qui accepta sacra unctione decedunt, iidem sint permansuri, si convaluerint. Quare rationes istæ convenientiæ et utilitatis petendæ potius sunt ex ordine providentiæ divinæ, quam ex conjecturis hominum. Eam ob rem Concilium Coloniense habitum an. 1536. p. 7. c. 49. (Labb. t. 14. p. 543. A.) ait : *Si Deo ita visum fuerit.*

Ad Conf. R. Sufficere ad sacramenti effectum, quod salus corporis ad animæ profectum sit proficua, licet non semper sit necessaria. Neque est contra

sacramenti institutionem, quod valetudo aliquando supernaturali virtute restituatur; hoc enim cum nos lateat, non censetur inter effectus miraculosos : sicut nemo pro miraculo habet transsubstantiationem in Eucharistia, aliosque supernaturales effectus sacramentorum, qui sensus nostros fugiunt.

Inst. S. Jacobus jubet omnes infirmos ungi : sacramentum autem unctionis non præbetur, nisi semimortuis cadaveribus; ergo unctio ista non est ritus a B. Jacobo præscriptus.

R. 1°. *N. M.* Cum peculiari Dei beneficio, atque interdum miraculo sananda fuerint per unctionem sacram corpora, credi non potest præscriptam a Christo fuisse, aut a Christianis adhibitam illis, quibus v. g. dentes dolerent aut qui levi quodam valetudinis incommodo tenerentur. Sane Jacobus ungendum præcipit Κάμνοντα, h. e. morbo oppressum ac fatiscentem.

R. 2°. *N. min.* Nuspiam præscribitur in Ecclesia, sacramentum hoc solis semimortuis cadaveribus esse impertiendum, licet ejus capacia sint. Eugenius IV. in Decreto ait, *hoc sacramentum non nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debere.* Tridentinum cap. 3. declarat, *hanc unctionem infirmis adhibendam: illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur,* etc. Theodorus Cantuariensis in L. Pœnitentiali scribit, inungendos *infirmos in periculo mortis positos.* Eadem plane verba habet Concilium Mogunt. c. 26. (Labb. t. 8. p. 49. D. E.) an. 847. celebratum. Eadem constant ex historiis Ecclesiasticis, quarum exempla quædam supra adduximus, ex quibus intelligimus sensum eumdem fuisse Patribus et Conciliis cæteris, qui dicunt infirmis adhibendam esse sacram unctionem, etsi de mortis periculo mentionem nullam faciant.

Cæterum monet Synodus Bituricensis habita anno 1584. et Burdigalensis anno sequente celebrata, Tit. 13., et Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromæo coactum, Tit. 6. de Extr. Unct. (Labb. t. 15. p. 458.) *Ut tempestive hoc sacramentum ministretur ægroto, dum integris est sensibus; nec differatur, dum omnibus pene sensibus destitutus sit.* Nec sine multa ratione: ita enim utilior erit infirmo, qui se per actus pietatis ad fructus ejus percipiendos potest disponere. Deinde cum animam alleviet hoc sacramentum, profecto hoc levamento ægrotus magis indiget initio morbi et in ejus decursu, quam cum prope depositus omnem doloris sensum amisit. Denique sera illa inunctio plane adversatur secundario effectui hujus sacramenti, quæ est recuperatio sanitatis: non enim miraculo effectus iste præstatur, sed supernaturali virtute; quæ vim causarum naturalium non suppleat, sed adjuvet.

327. *Obj. IV.* Unctio sine dono curationis partim ab hæreticis, partim ab ethnicis fuit introducta. S. Irenæus L. 1. c. 21. ait, Valentinianos omnium primos ceremonia hac usos fuisse. De veterum unctione scribit Virgilius: *Lavant corpus frigentis, et ungunt.* Ergo a Christo non fuit instituta unctio, nisi cui fuit annexum donum curationis morborum.

R. *N. Ant.* Valentiniani ungebant cadavera mortuorum, ut hæresi 36. aperte testatur Epiphanius. Aquam oleo miscebant, ut talis unctio illis esset loco baptismi; utebantur inauditis quibusdam et horribilibus verbis hebraicis, a quorum impietate multum dissidet nostrum sacræ unctionis mysterium. Quanquam etiam Christiani olim laverint mortuorum corpora, ut de Tabitha legimus Act. 9. v. 37. et nunc adhuc lavant. Ungi quoque consuevisse

a Judæis mortuos indicat Dominus Matth. 26. v. 12 dum ait: *Mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Et Joannes c. 19. v. 40. scribit, corpus Christi de cruce depositi pretiosis unguentis et aromatibus fuisse conditum, *sicut mos est Judæis sepelire.* Morem istum a majoribus suis acceperunt: nam Gen. ult. traditur, cadavera patriarcharum Jacob et Joseph sic fuisse curata. Unde apparet, quam impudenter mentiatur Kemnitius, ritum, quem Dionysius c. 7. de Eccles. Hierarch. refert, ab ethnicis superstitionibus desumptum fuisse.

Nemini autem ritus Christianorum pii et divinitus instituti ideo debent vilescere, quod ethnici aut hæretici similes ceremonias adhibeant ad suas superstitiones: scimus enim, eos etiam aqua et vino in abominandis mysteriis suis usos fuisse: quæ elementa nihilominus adhuc in Baptismi et Eucharistiæ celebratione usurpamus.

ARTICULUS II.

MINISTER EXTREMÆ UNCTIONIS.

328. *Dico I.* Soli sacerdotes sunt ministri idonei Extremæ unctionis.

Prob. I. S. Jacobus in epist. jubet induci *presbyteros Ecclesiæ*, qui ministerium hoc peragant. Quæ verba de solis sacerdotibus consensus Ecclesiæ orientalis et occidentalis, ac perpetua traditio Patrum et Conciliorum explicant. Ex quibus Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, *Minister,* inquit *hujus sacramenti est sacerdos.* Et Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. de Extr. Unct. declarat, nomine *presbyterorum Ecclesiæ,* eo loco, non ætate seniores aut primores in populo esse intelligendos; sed aut episcopos, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii. Et contrarium dicentes, can. 4. damnat.

Prob. II. Idem B. Jacobi nomen *presbyteros,* de sacerdotibus accipi oportere, scribit Innocentius I. in dicta ad Decentium epist. et addit: *Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est.* S. Gregorius in Sacramentario ministros hujus unctionis modo presbyteros, modo sacerdotes vocat. Concilium Aquisgranense can. 5. monet, curandum esse sacerdoti, ne per ejus negligentiam infirmus confessione, sacerdotali oratione aut unctione sacrati olei careat. His adde alia Patrum et Conciliorum testimonia n. 312. adducta, quibus nonnisi episcopi aut presbyteri sive sacerdotes ad sacramenti hujus ministerium a B. Jacobo designati fuisse dicuntur.

329. *Dico II.* Quamvis sacramentum istud a presbyteris pluribus aut Episcopis administrari possit; ad ejus veritatem tamen vel unicus eorum sufficiet.

Prob. 1ª. pars. In Ecclesia græca septem sacerdotes adhiberi solent ad sacram unctionem peragendam, ut constat ex Arcudio L. 5. c. 3. et ex Simeone Thessalonicensi apud Joan. Morinum sub finem commentarii de sacram. Pœnit. Quin etiam in Ecclesia latina plures olim ministros ad sacram unctionem conferendam accersitos fuisse, cognoscimus ex L. sacra-

mentorum Gregorii M. ubi præscribitur, infirmum tam a Pontifice, quam ab omnibus presbyteris benedici ad inungendum..... *Multi enim sacerdotes infirmos perungunt in quinque sensus corporis.* Eadem confirmant rituales libri supra memorati. Eparchius Engolismensis in vita Caroli M. scribit, ipsum ab Episcopis oleo sancto inunctum fuisse an. 814. Ejusdem sententiæ fuit S. Thomas L. 4. contra Gentes, c. 73.

Vario autem ritu sacramentum hoc a sacerdotibus pluribus ministrabatur. Aliquando alius oleum applicabat, altero formam pronuntiante, ut liber sacramentorum S. Gregorii, aliique Rituales supra memorati innuunt. Aliquando singuli ungebant easdem corporis partes, et formam ungendo efferebant, prout videre est in Codice Tiliano et Remigio Rhemensi (v. notas Menardi ad sacramentarium S. Gregorii. Patrolog. t. 78. p. 326. et seqq.) : quo in casu non multiplex, sed unum erat sacramentum ex plurium actionibus resultans. Aliquando sacerdos quilibet aliud organum vel membrum ungebat, ut præcipiunt Euchologia Græcorum. Quam methodum probat S. Thomas in 4. d. 23. q. 1. a. 1. q. 2.

Prob. 2ª. *pars.* Innocentius I. epist. cit. Episcopum ad hoc sufficere judicat. Alexander III. c. *Quæsivit,* de verb. sign. *Sacerdos uno,* inquit, *præsente clerico, et etiam solus potest infirmum ungere.* Quare et Eugenius IV. in dicto Decreto, et Concilium Tridentinum can. 4. nup. cit. sacerdotem numero singulari dicunt ministrum esse hujus sacramenti. Denique ab uno sacerdote administratum unctionis extremæ sacramentum fuisse, novimus ex vita S. Eugenii, ex Everhelmo in vita S. Popponis, ex Prudentio Tricassino, qui solus S. Mauram inunxit, ut ipse in ejus vita consignavit. (Patrol. t. 115. p. 1374.)

330. *Obj. I. cont.* 1ᵃᵐ. *concl.* Nomen græcum πρεσβύτερος, quo Jacobus utitur, significat seniorem, virum spectabilem, aut legatum; ergo per τὸ *presbyteros,* recte intelliguntur ætate majores, aut primores in populo.

R. *N. Cons.* Equidem aliquoties in Evangelio et Actis Apostolorum vocabulum *presbyter* magistratum populi significat : alias tamen semper Actis eisdem et Epistolis canonicis, soli, qui dignitate seu ordinatione sua ad episcopalem et sacerdotalem gradum evecti sunt, hoc nomine appellantur. 1. Pet. 5. v. 1. *Seniores* (πρεσβυτέρους) *qui in vobis sunt, obsecro, consenior* (συμπρεσβύτερος) *et testis.* B. Joannes initio secundæ et tertiæ epistolæ scribit : *Senior* (πρεσβύτερος) *Electæ* : *senior* (πρεσβύτερος) *Caio.* Quæ quidem significatio vel maxime in hoc loco epistolæ S. Jacobi valet : nam imprimis dicuntur *presbyteri Ecclesiæ* : deinde jubentur precari et ungere *in nomine Domini* : ac denique ipsorum precibus et unctioni promittitur remissio peccatorum, relevatio et salus ægroti; quæ functiones non senioribus ætate, sed legitime vocatis Ecclesiæ ministris conveniunt. Quod si annis provectiores intellexisset B. Jacobus, exclusisset ab hoc sacro ministerio Episcopos et ministros Ecclesiæ quorum quidam tunc temporis adhuc juvenes ordinabantur, ut S. Timotheus, 1. Tim. 4. v. 12.

Insl. 1. V. Beda ad c. 5. Jacobi scribit (opp. t. 4. p. 39. Patrol. t. 93.), monendos esse infirmos, *ut seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant;* ergo per presbyteros intellexit ætate provectiores.

R. *N. Cons.* Verba Apostoli: *Infirmatur quis in vobis?* primo accepit moraliter, pro infirmitate animi alieno consilio egentis, cui sanandæ non juvenes, sed senes quærendi sunt. Tum vero ad sensum litteralem versus, Innocentii I. rescriptum ad Decentium laudat, et in eadem verba: *Infirmatur*, etc. *inducat presbyteros*, etc. ait, *hoc et Apostolos fecisse, in Evangelio legimus, et nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris.*

Inst. 2. Idem Innocentius epist. cit. *Oleo chrismatis*, inquit, *ab Episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitatibus inungendo.* Ergo præter presbyteros, putavit, alios adhuc esse hujus sacramenti ministros: nam quæsierat Decentius, an soli sacerdotes essent sacræ unctionis ministri?

R. *N. Cons.* Cum S. Jacobus jubeat induci presbyteros, quæstio tantum erat Decentii, an soli sacerdotes, Episcopis exclusis, sacram unctionem conferre possint? Multo magis hoc munus Episcopo competere affirmat Innocentius. Tum vero subjungit, eodem oleo per Episcopum consecrato posse Christianos omnes tam sese, quam alios infirmos inungere, sed hæc inunctio non erat sacramentalis. Exemplum simile nobis præbet usus antiquus et hodiernus fidelium, qui aqua ad conferendum baptismum consecrata, aliisque rebus ab Episcopo aut alio sacerdote benedictis passim utuntur ad levandos dolores, morbosque depellendos. Ita quondam oleo isto infirmorum, sine forma sacramentali, ex sola pietate, non infirmos tantum se aut alios, sed energumenos etiam linebant. Ut de S. Macario narrat Palladius, Historiæ Lausiacæ c. 20., de Eutychio Constantinopolitano Eustathius presbyter. Gregorius Turon. in vitis PP. c. 12. n. 2. refert S. Martium Abbatem quartanis, tertianisque febribus hoc oleo mederi solitum. S. Genovefa virgo energumenum ita curavit, ut Surius in ejus vita recenset.

331. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* Apostolus ait: *Inducat presbyteros: orent super eum, ungentes.* Ergo ex mente Jacobi unus presbyter ad ministerium hujus sacramenti non sufficit.

R. *N. Cons.* Apostolus utitur phrasi solita S. Scripturæ. Hebr. 11. dicitur: *obduraverunt ora leonum, lapidati sunt, secti sunt:* cum tamen solus Daniel ora leonum obduraverit, solus Jeremias lapidatus, solus Isaias ex Prophetis sectus fuerit. Scribunt Matthæus et Marcus, latrones de cruce maledixisse Christo, cum tamen Lucas diserte testetur, unum duntaxat hoc fecisse, ut observat Augustinus L. 2. de consensu Evangelist. c. 16. Christus leprosis mundandis dicit, Luc. 17. v. 14. *Ostendite vos sacerdotibus:* cum tamen sufficiat, uni se ostendisse sacerdoti, Lev. 14. v. 2. Est ergo tantum enallage numeri; ut cum dicimus, oratione indefinita, solos presbyteros posse absolvere a peccatis: medicos accersendos, quando vis morbi ingruit. Nec enim unus multis confitetur sacerdotibus, et unus expertus medicus sufficit ad ægrotum curandum.

332. *Ex hactenus dictis collige:* Quilibet sacerdos valide administrat hoc sacramentum, cum ad id muneris sufficiat sola potestas ordinis. Hinc urgente mortis periculo, et absente proprio Pastore, quilibet presbyter, etiam

religiosus, sacramentum hoc ministrare infirmo potest, ut contra Navarrum ostendit Dom. Sotus : et S. Carolus Borr. statuit, ut absente Parocho, *alius sacerdos administret*. Quod si Religiosi alias in hoc se ministerium ingesserint, incidunt in excommunicationem soli Pontifici reservatam : cæteri clerici id audentes gravi tantum peccato se obstringunt.

ARTICULUS III.

QUÆDAM PROPRIETATES ET AFFECTIONES SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

333. *Dico I.* Extremæ Unctionis sacramentum ministrari debet solis infirmis adultis periculose ægrotantibus. Ita S. Carolus Borromæus in IV. Concilio Mediolanensi tit. VI. (Labb. t. 15. p. 458.)

Constant hæc ex epistola Jacobi : *Infirmatur quis in vobis?... oratio salvabit infirmum*. Deinde declarat Concilium Tridentinum cap. 3. esse hanc unctionem infirmis adhibendam : præsertim *qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*. Ex eodem Concilio Mediol. dicimus, dandum esse hoc sacramentum *senio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris* : defectus enim virium, quo laborant homines senio confecti, gravis est infirmitas. E contra minime ministrandum est *pueris rationis usu carentibus*, ut idem Concilium Mediolanense tradit : nec enim capaces sunt effectuum præcipuorum hujus sacramenti. Neque dari debet mulieribus parituris, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus et iis, qui mox ultimo supplicio mactandi sunt. Nam licet his vitæ immineat periculum, si ægroti non sunt, iis non accensentur, quos infirmorum nomine Apostolus intelligit.

334. *Dico II.* Ægroti periculose decumbentes ad sacram unctionem percipiendam non tenentur præcepto divino. Ita S. Thomas in 4. d. 23. a. 1. q. 3. ad 1., Paludanus, Dom. Sotus, Gabriel, Navarrus c. 22. n. 16., Covarruvias in c. *Alma*. 2. p. §. 2. n. 6.

Prob. I. Tale præceptum non sequitur ex natura et institutione hujus sacramenti : nec enim est necessarium hoc sacramentum ad salutem, sed tantum utile, et ad melius esse. Neque enim extat de ea obligatione præceptum divinum : Jacobus enim sacramentum hoc promulgando, nullo verbo utitur, quod præcipiendi vim habeat, sed simpliciter ait : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros*.

Prob. II. Ecclesia non injungit præceptum de suscipiendo aliquo sacramento, nisi præceptum divinum supponatur : nullum autem exstat præceptum divinum de extrema unctione suscipienda ; ergo neque præcepto ecclesiastico urgemur ad sacramentum hoc obeundum.

Sed nec Theologis tale præceptum ex sufficienti aliqua traditione aut consuetudine introductum esse videtur. Quid ? quod Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 4. de Sacram. in gen. protestatur, non omnia sacramenta singulis esse necessaria. Et Sess. 14. cap. 3. dicit, unctionem extremam non posse a fidelibus sine peccato contemni.

Denique cum Ecclesia tempore interdicti permittat fidelibus ministrari ea sacramenta, quæ sunt necessaria; hoc tamen minime permittit, ut habetur c. *Quod in te*, de pœnit. et remiss. Quod argumento est, sacramentum hoc non esse ad salutem necessarium absolute, nec ejus usum divino præcepto injunctum.

335. *Dico III.* Sacramentum extremæ unctionis iterari potest. Thesis est contra Goffridum Vindocinensem Abbatem et Cardinalem L. 2. epist. 19. (inter opera Sirmond. t. 3. p. 700.) cui consensit Ivo Carnutensis Episc. epist. 20., et contra alios seculi XII. scriptores, quos confutat Petrus Cluniacensis L. 5. epist. 7. (Biblioth. Cluniacensis. p. 887.).

Prob. I. Eugenius IV. in decreto ad Armenos, docet, Baptismum, Confirmationem et Ordinem, quod characterem in anima indelebilem imprimant, iterari in eadem persona non posse: reliqua vero quatuor characterem non imprimere, et *reiterationem admittere.* Speciatim autem de hoc sacramento, Sess. 14. cap. 3. Si infirmi, inquit, post susceptam hanc unctionem iterum convaluerint, *iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt*, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.

Prob. II. Olim durante eodem infirmitatis statu iterabatur sacra unctio. Eam septies in eadem infirmitate repetendam esse præscribebatur in sacramentario S. Gregorii, editionis Menardi p. 253. eumdemque ritum ex pluribus Ritualibus probat P. Martene L. 1. de antiquis Eccl. rit. c. 1. a. 2. n. 5. Verum a multis seculis usus Ecclesiæ obtinuit, ut nonnisi semel in eadem infirmitate eodemque statu posito sacra unctio ministretur. Quod si tamen ejusdem morbi vis ita remiserit, ut ægrotus mortis periculum evasisse censeretur, quin tamen a morbo plane sit liber, postea vero recrudescente malo in periculum simile mortis recideret, denuo ei sacramentum hoc impertiendum esse consentiunt Theologi cum S. Thoma in 4. d. 23. q. 2. a. 4. q. 2.

336. *Dico IV.* Olim extremæ unctionis sacramentum ante S. Eucharistiam ægrotis ministrabatur. Ita S. Thomas et alii, quos citat Suaresius disp. 44. sect. 1. n. 9.

Prob. I. Theodorus Cantuar. relatus c. *Ab infirmis.* 26. q. 7. hanc seriem præscribit: ut infirmi, post confessionem sacra unctione inuncti, communione viatici reficiantur. S. Bernardus in vita S. Malachiæ (opp. t. 1. p. 689. edit. Mabill.), *ungitur*, inquit, *Episcopus, et sumpto viatico, ad lectum revertitur.* Petrus Cluniac. L. 3. epist. 4. ita scribit: *A domino Viseliacensi Abbate eum inungi, ac sacri corporis viatico refici fecimus.* S. Arnulphum prius inunctum die sabbati fuisse, postea vero ad vesperam viaticum sumpsisse Surius refert c. 50. ejus vitæ, die 15. Aug. B. Gertrudis L. 5. Divinar. insinuation. 2. 29. narrat, ægrotis imprimis ministrari solitum sacramentum pœnitentiæ, deinde extremæ unctionis, ultimo Eucharistiæ in viaticum.

Et congruebat quidem, tum quod Eucharistia finis est omnium sacramentorum, ad quam cætera quodammodo referuntur, tum quod illi præmitti decet perfectissimam animæ purgationem, etiam quoad reliquias

peccatorum, tum quod viaticum detur discessuris; cum e contra unctio conferatur, ut quandoque iterum convalescant. Sed quoad hunc ordinem inspiciendi sunt libri rituales singularum diœcesium : nam per se talis ordo non requiritur, eo quod extremæ unctionis dispositio sufficiens sit perfecta contritio de peccatis, quorum sibi conscius est æger : neque etiam de hoc sacramento invenimus speciale latum esse præceptum præmittendi confessionem, ut de Eucharistia compertum habemus.

Ex accidente tamen necessarium plane est, præmitti confessionem : sacramentum enim unctionis supponit hominem jam in extremo mortis articulo, in quo necesse est, omnia peccata mortalia confiteri. Quo quidem in periculo præstaret omitti unctionem extremam, quam pœnitentiæ sacramentum.

337. *Obj. cont.* 2am. *concl.* Concilia et Patres verba Jacobi explicantes indicant præceptum divinum et ecclesiasticum esse, ut infirmi hoc sacramento utantur.

R. *N. Assumpt.* Quod Theodorus Cantuariensis in libro Pœnitentiali præcipiat, infirmos, *secundum auctoritatem canonicam, sacra unctione olei inungi, et communione viatici refici secundum statuta SS. Patrum*, indicat, præceptum esse Pastoribus, administrare sacram unctionem ægrotis, pro quibus ea petitur.

Neque est par ratio unctionis et communionis viatici, ut aliqui ex allata sanctione volunt argumentari; alias dicam, *orationes et consolationes ecclesiasticas* divino præcepto requiri, nam et his ægrotum refici Theodorus jubet. Nec magis causam adversariorum juvat canon 48. Conc. Chabilonensis : non enim ait, ex præcepto divino debere suscipi hoc sacramentum, sed *secundum Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt*, ungi infirmos debere. Eodem modo dum Concilium Coloniense an. 1536. habitum, cap. 50. part. 7. ait, impendendam esse unctionem cum expositione unctionis et *mandati Apostolici*, loquitur de mandato, quo ritus et modus sacramenti hujus administrandi ac suscipiendi præscribitur, non vero quo usus ejus simpliciter jubetur. Et, ut cum scholis loquar, mandatum est quoad specificationem, non quoad usum absolute latum : cujusmodi præceptum Domini Paulus 1. Cor. 7. v. 10. declarat de matrimonio.

Denique Concilium Senonense in decretis fidei decreto 10. (Labb. t. 14. p. 454. A.) negat, sacram unctionem nostram esse præceptum illud Christi, quod Marci 6. v. 13. expleverunt Apostoli ungendo infirmos : sed ait, esse sacramentum, idque verbis Jacobi, *infirmatur quis*, etc. confirmat.

Inst. 1. Qui sacramentum extremæ unctionis contemnit, sine dubio in jus divinum peccat : atqui qui sacramentum hoc, cum potest facile accipere, negligit, saltem facto censetur illud contemnere; ergo jure divino obligantur omnes ad usum hujus sacramenti.

R. *D. Cons.* Ad usum hujus sacramenti jure divino omnes obligantur per se et absolute *N.* ex accidente *C.* Synodus Tridentina decidit quidem sacramentum hoc non posse sine peccato contemni, studiose tamen omittit definire, utrum sit peccatum mortale, eo quod in contemptu ipso gradus esse possint, et ex imperfecta deliberatione contemptus levis detur. Neque per se

peccaret mortaliter, aut gravis contemptus se reum faceret, qui ideo sacramentum hoc non peteret, quod non esset præceptum, aut quod aliunde difficultatem et repugnantiam sentiat. Igitur ad gravem contemptum requiritur, ut quis parvi pendat sacramentum et fructus ejus : qui quidem contemnendi modus vix esse potest, nisi in eo, qui errore vel hæresi circa hoc sacramentum laborat. Quod si quis sacramentum hoc, quod facile accipere posset, respuit, merito in eo præsumitur esse talis contemptus, meritoque talibus sepultura ecclesiastica interdicitur cap. ult. Conc. Coloniensis sub Adolpho Episcopo celebrati an. 1549.

Inst. 2. Quo jure effectus est necessarius, eodem necessaria est causa : atqui jure naturali et divino tenemur superare tentationes dæmonum, quæ sub finem vitæ sunt gravissimæ; ergo tunc tenemur jure naturali et divino adhibere extremam unctionem, tanquam medium a Christo institutum ad tentationes illas superandas. *Confirmatur* argumentum inductione confirmationis, quam imminente persecutione Christianus quilibet suscipere tenetur, ut adversus hostes fidei roboretur.

R. *D. M.* Eodem jure est necessaria causa, si hæc sit medium unice necessarium ad effectum obtinendum *C.* si sit medium valde utile ad effectum, qui per causas alias obtineri adhuc possit *N.* Quamvis extremæ unctionis sacramentum conferat plurimum ad vincendas dæmonum insidias; tamen per orationes et sacrificia, aliosque modos juvari ægrotus potest. Non ergo est sacramentum hoc tam necessarium medium, ut ob illius defectum homo se morali et proximo periculo exponat peccandi mortaliter in alio genere, seu consentiendi tentationibus dæmonis. Igitur ratione periculi, cui se exponit omittens hoc remedium contra insidias inimici, non est per se peccatum mortale.

Exemplum de confirmationis sacramento nihil probat. Nam S. Thomas in 4. d. 7. q. 1. a. 1. q. 2. et in 3. parte summæ q. 77. a. 8. ad 4. docet, secluso contemptu, non esse peccatum mortale omittere sacramentum confirmationis toto tempore vitæ. Cujus sententiam amplectuntur Sotus, Ledesma, Adrianus, Navarrus, et plures alii, quos recitat et sequitur Suaresius tom. 3. disp. 38. sect. 1. et rationem reddit, quod neque in S. Scriptura, neque in traditione exstet præceptum de confirmationis sacramento suscipiendo. Si enim Patres scribunt, requiri confirmationem ad perfectionem et plenitudinem hominis Christiani, perfectionem substantialem non intelligunt, quæ solo baptismate confertur : neque etiam indicant plenitudinem sufficientiæ, sed loquuntur de plenitudine abundantiæ, et de christiano milite consignato, ut Alensis advertit.

Quod si confirmatio jure divino esset præcepta, daretur fidelibus in articulo mortis; quod Ecclesia tamen non solet. Sed et alias non inducit fideles ex necessitate quadam obligando ad susceptionem confirmationis, sed tanquam invitando ad id, quod per se bonum est ac utile.

Denique constat, confirmationis sacramentum esse quidem valde efficax et maxime utile ad perseverandum in fide, non tamen esse simpliciter necessarium, eo quod sint alia media ad finem hunc obtinendum sufficientia, ceu oratio, meritum, exercitationes virtutum, Eucharistia et similia. Igitur propter hunc quoque sacramenti finem non videtur illud esse præceptum

proprie et intrinseca sacramenti obligatione ; et consequenter dicendum, et vi objecti et intrinsecæ obligationis nullum esse peccatum, confirmationis sacramentum omittere.

Quamvis ejus neglectus ex accidente peccatum dici possit, nimirum ratione contemptus aut scandali ; item ratione conscientiæ et caritatis propriæ : ut si practice quis sibi persuadeat, se non posse sine hoc medio tentationes contra fidem vincere. Quæ omnia de negligentibus sacram unctionem dici posse, nuper indicavimus.

TRACTATUS

DE

ORDINE ET MATRIMONIO.

PROOEMIUM.

1. Si S. Augustinum observamus Lib. 19. de Civit. cap. 13. *Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* At ampla nimis, atque æquo generalior plerisque videtur ea ordinis acceptio. Quod si tamen res eæ inter se diversæ certa quadam graduum superiorum atque inferiorum varietate distinctæ sibi mutuo ita nectantur, ut una referatur ad alteram, atque ad unum tendant, hoc sensu data ab Augustino notio ordinis vel maxime usum habet; et vero si præcipuam vim ordinis et notionem attendamus, ex se idem sonat, ac dispositio supremarum et inferiorum rerum, quæ sunt ita aptatæ inter se, ut una ad alteram referatur. Quin hoc sensu ab antiquis Patribus, scriptoribus Ecclesiasticis, atque Theologis frequenter ac proprie ordo accipitur pro *Hierarchia Ecclesiastica,* sive pro certo hominum statu in Ecclesia, in quo varii sunt distinctique gradus ordinum, sive ministrorum, ita ordinati, ut sit graduum subordinatio, perque minores ad majores ascendatur, omnesque in eumdem finem tendant.

2. Æque frequenter iisdem ordo gradum certum ac dignitatem significat, quæ sic communis est multis, ut tamen sit ipsis propria, illosque discernat a cæteris omnibus: uti enim in republica civili varii distinguuntur ordines, ut ordo senatorius, ordo equestris; sic in Ecclesiæ hierarchia ordo Episcoporum; ordo Sacerdotum; ut apud Aug. epist. ad Generos. quæ est 165. (al. 53.), Tertullian. de exhort. Castit. c. 7. Illaque ratione jam a primis Christianæ religionis nostræ incunabulis ministri Ecclesiæ dicebantur ordo, teste Tertulliano de Idololat. c. 7.; cum e contra plebis appellatione venirent, quicumque in Ecclesiasticum ordinem non essent adlecti, quos et jam tum Tertullianus frequenter *laicos,* seu *populum* appellabat, ut L. de Monogam. c. 11. *Quomodo totum ordinem Ecclesiæ de monogamis disponit, si non hæc disciplina præcedit in laicis, ex quibus Ecclesiæ ordo proficit.* Alii etiam *seculares* dicebant: item *idiotas,* hoc est, privatos homines, non autem indoctos, teste Binghamo, Orig. Eccles. vol. 1. pag. 41.

3. At vero ordo a Theologis ubi de sacramento hujus nominis disputant, quasi translato nomine effectus ad causam, et, phrasi Scholæ, *active* sumitur, hoc est, pro ritu, vel actione illa, qua cui confertur potestas sacra ad celebrandum Eucharistiæ sacramentum, vel illi ministrandum, itaque in ministrorum Ecclesiæ et hierarchiæ Ecclesiasticæ ordinem evehitur. Quo quidem sensu rectius *ordinatio* diceretur. Hac enim consideratione sola ordo sacramentum est, quippe in fluente et transeunte actione consecrantis, vel

ordinantis situm, non vero in re fixa et permanente, sive stabili illa potestate sacra, quæ confertur. Itaque sumptus ordo pro sacra illa ordinantis actione bene definitur et est *Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, quo specialis datur potestas aliqua, et confertur gratia ad munia Ecclesiastica rite decenterque obeunda.* In qua definitione hæc : *specialis datur potestas,* sacramenti hujus differentiam ab aliis novæ Legis constituunt; vox vero *aliqua* innuit, non eamdem in omni ordine potestatem conferri. Tota vero potestas, quæ datur, ad sacrum Christi corpus consecrandum traditur, eoque ordo quilibet tendit et refertur, tanquam ad finem suum et objectum primarium.

4. Hoc sensu spectatus ordo, sive ipsum sacramentum ordinis, alio insuper a Latinis nomine præsertim antiquioribus, *impositio manuum* dicitur, a ritu illo externo, impositionis manuum ordinantis, quo confertur; qui mos, opinante Morino de Sacr. Ordinat. p. 3. Exercit. 7. c. 4.; item Seldeno ad Eutychii Origines pag. 30. et Baronio ad an. Chr. 44. ad Christianos a Judæis transiit, qui Sacerdotes et Doctores suos ad eam dignitatem impositione manuum provehebant. Et vero de ordinatione intelligi debet, quod ait Lucas Act. 6. v. 6. de septem primis Diaconis : *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Item quod Apostolus 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Ac cap. 5. v. 22. *Manus cito nemini imposueris.* Demum 2. ad Tim. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Cum vero Ecclesia in sacramentis quibusdam aliis, ut Confirmationis ac Pœnitentiæ, item in ritibus subinde, velut cum olim publice pœnitentes, aut lapsi in hæresin reconciliarentur Ecclesiæ, uteretur impositione manuum, hæc, de qua agimus, discriminis gratia, *ordinatoria* dicebatur.

5. Sed et Græci gemino vocabulo, χειροτονίας, et χειροθεσίας, ordinationem designant. Utriusque vero quæ sit vis atque usus apud scriptores Ecclesiasticos, scire interest.

Χειροτονία, si vim præcise nominis ac primam originem spectemus, idem sonat, quod manuum extensio et porrectio; eoque sensu primum ab Atheniensibus usurpata ad significandam electionem magistratuum, quod esset illius gentis consuetudo porrecta manu ferre suffragia. Sed inde ad Ecclesiam translata vox est, ac diverso quidem sensu, ut contendit Beveregius in Annot. ad Can. 1. Apost. apud Cotelerium, Patrum Apost. vol. 1. edit. Amstelod. novæ pag. 453., contra Lutheranos et Calvinistas erudite commonstrans, apud scriptores Ecclesiasticos χειροτονίαν non nisi pro impositione manus, sive vera ordinatione sumi; nec ordinatione qualicumque, sed Episcoporum.

Erudito huic scriptori Anglo eatenus consentio, quod apud scriptores Ecclesiasticos frequentissime ac plerumque *chirotonia* ad ipsam ordinationem et consecrationem, licet non Episcoporum tantum, designandam usurpetur, ad nudam vero electionem indicandam vix unquam. In Synodo Laodicena Can. 5. (Labb. t. 1. p. 1497. A.) pro simplici electione quibusdam videtur accipi; ait enim ibidem Synodus *non oportere* χειροτονίας *fieri in præsen-*

tia eorum, qui audiunt; quod de electionibus statutum esse putant Balzamon et Zonaras ad illum Canonem (Can. apost., etc. p. 341. edit. Paris. 1618.): *Cum namque in electionibus, aliquorum crimina, propter quæ illi forte a sacro Ordine arcendi sint, a Præsulibus enuncientur; Patres existimarunt, a ratione penitus esse alienum, aliquos adesse, qui ea, quæ dicerentur, exciperent.* At, quod idem Beveregius in Notis ad Can. Apost., Hubertus in Archieratico observant, chirotoniam aliquando quidem utrumque simul complecti, electionem et ordinationem, non vero electionem solam, idem ad Can. 5. Laodicenum non incongrue dixeris. Et vero omnes editiones latinæ pro græco χειροτονίας habent *ordinationes.*

At vero ita esse, quod modo dictum, χειροτονίαν vix unquam pro electione sumi a scriptoribus Ecclesiasticis, sed pro ordinatione, inde liquet, quod vocem illam semper ad ipsam ordinationem restringant. Auctor Constit. Apostolicar. L. 8. c. 21. (Labb. t. 1. p. 489. D.) *Quando*, inquit, *Subdiaconum ordinas* (χειροτονῶν) *Episcope, impones super eum manus.* Canon Apostol. 1. *Episcopus*, inquit, *a duobus, aut tribus Episcopis ordinetur*, græce χειροτονείσθω. S. Epiphanius hær. 75. (opp. t. 1. p. 908. A. edit. Petav.) Aerium refellens, qui presbyteros Episcopis esse pares ex eo asserebat, quod æque ac Episcopi manus imponerent, ait presbyteros manuum imponendarum jus nullum habere. Οὐ μὴ ἔχεῖν χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν. Eodem sensu S. Chrysostomus constanter eam vocem usurpat homil. 14. 27. et 31. in Act. Apost. Homil. vero 13. in 1. Timoth. ad illud Apostoli: *Cum impositione manuum presbyterii: non de presbyteris*, ait, *hoc loco, sed de Episcopis loquitur Apostolus; non enim profecto presbyteri Episcopum ordinabant*, ἐχειροτόνουν. S. Hieron. in cap. 58. Isaiæ, cæterique passim, ut vix ex omnibus unum nominare queant Protestantes adversarii, qui pro mero suffragio, aut nuda electione chirotoniam usurpasset.

Atque istud præter Beveregium, de quo ante, plerique eruditi observarunt. Simeon Thessalonicensis Opusc. de Ordinationib. χειροτονίαν a χειροθεσία distinguit et priorem vocem de duobus majoribus ordinibus proprie accipi docet: *Lectoris est*, inquit, *signari; subdiaconi benedici manuum impositione* χειροθεσία; *diaconi vero ac presbyteri ordinatione*, χειροτονία. Front. Ducaeus in Not. ad Chrysostom. *Apud profanos quidem scriptores*, ait, χειροτονία, *quæ proprie manuum extensionem sonat, decretum significat, vel suffragiorum lationem, sed apud auctores sacros pro Ecclesiasticorum ministrorum ordinatione sumitur.* Morinus de sacris Ordinat. P. 3. Exercit. 1. cap. 2. *Proprie*, inquit, χειροτονία *est ipsa ordinatio*; tum ibidem monet, non aliud in libris ritualibus Græcorum ad significandam ordinationem nomen occurrere. Demum Illustriss. de Marca L. 6. Concord. cap. 2. num. 7. errorem detegens Zonaræ, Balzamon. et Blastaris circa Can. 4. Synodi Nicænæ I. et Synodum Nicæn. II. inquit: *Ideo facilius sibi persuaserunt, quod existimarint vocem* χειροτονία, *quæ in Can. IV. Nicæno habetur, accipi posse, quasi significet electionem, cum eo sensu reperiatur apud Demosthenem et alios auctores profanos. Apud auctores tamen Ecclesiasticos vox illa semper significat ordinationem, quemadmodum a Frontone Ducæo adnotatum est in Notis ad opera Chrysostomi.*

6. Χειροθεσία, ex vi nominis sui impositio manuum, antiquioribus præ-

sertim Græcis quamlibet sonabat impositionem manuum. Ac 1°. pro impositione manuum ordinatoria sumit Epiphanius hær. 75., et in fine Panarii ordinationem Episcopalem referens idem vocabulum adhibet. Quin χεῖρας ἐπιτιθεῖν usurpatur Act. 6. v. 6., 1. ad Tim. 4. v. 14., 2. ad Tim. 1. v. 6. idemque observat Petavius Lib. 2. de Hierarch. Eccles. c. 6., Cangius in Glossario, aliique. 2°. Pro nuda benedictione Episcopi vel presbyteri, quæ fieri elevata manu solet, dum datur populo, accipit Aristænus ad Can. 106. Conc. Carthag. 3°. Impositionem manus reconciliatoriam, vel benedictionem, qua recipiebantur redeuntes ad Ecclesiam Episcopi cum susceptis jam ordinibus, importat apud Tharasium Patriarcham Constantinop. Act. 1. Synodi generalis VII. 4°. Synodus gen. I. Nicæna Can. 19. de Diaconissis agens, earumque consecrationem non esse veri nominis ordinationem monens, eadem voce utitur.

At, si recentiores Græcos adimus, χειροθεσία *chirotesia* ab iis modo magis restricte sumitur, ut vel impositionem manus tantum ceremonialem sonet; vel non nisi ad exprimendas ordinationes Diaconatu minores inserviat, ut notant Jacobus Goar in Euchologio pag. 239. et 257., Bingham, Orig. Eccl. vol. 11. L. 4. cap. 6., item Bevereg. et Cangius citati; tum paulo ante ex Simeone Thessalonicensi, scriptore Græco vidimus.

7. Cæterum ordinationem e numero sacramentorum novæ Legis hodie expungunt Lutherani et Calvinistæ omnes; tametsi eorum majores circa hoc dogma variaverint. Equidem Lutherus ordinem esse verum sacramentum constanter negabat, præsertim L. de Captiv. Babyl. c. 7. de ordine, quem secuti Melanchton in editione prima Locorum communium : Illyricus in Confess. Antuerpiensi : Kemnitius parte 1. Exam. Syn. Trident. Negavit et Calvinus, duo tantum sacramenta recensens, Baptismum et Eucharistiam; at postea Inst. Lib. 4. cap. 14. sect. 20. et cap. 19. sect. 31. ordinem verum novæ Legis sacramentum pronuntiat, seque idcirco duo tantum statuisse sacramenta inquit, quod de iis tantum ageret, quæ Ecclesiæ toti et Christianis omnibus essent communia. Sed et Lutherani olim in Apologia Confess. August. ad artic. 13. ordini locum inter sacramenta concedebant; quin et Melanchton postea in posterioribus, ordinem sacramentis accensuit. Cæteros eorum errores circa dogma de sacramento ordinis, suo quosque loco referemus.

DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS.

---

8. Subversionem catholici dogmatis de existentia sacramenti ordinis relati ante Novatores Acatholici velut e longinquo moliuntur. Pernegant dari in Christi Ecclesia ordinem ministrorum hierarchicum, seu statum quemdam ministrorum a laicali sive populari distinctum : aut si quid discriminis clericos inter et laicos ponatur, totum id, quantum est, ab arbitraria hominum institutione profluere. *Quod*, inquit Luther. Lib. de abrog. Missa privata ad illud S. Petri : non dominantes in cleris, *nostra translatio habet, non dominantes in cleris, interpretis incuria fuit, quæ fecit, ut clerum hoc loco intelligerent, quos nunc a laicis discrevit impia hominum traditio* : et infra : *hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta : nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus*. Eodem modo Calvinus loquitur L. 4. Instit. c. 4. *Appellatio*, cleri, *aut errore, aut certe ex prava affectione nata est, cum tota Ecclesia clerus, id est hæreditas Domini a Petro dicatur*. A quo tempore discrimen clericos inter et laicos in Ecclesia obtinuerit, posteriores nostri temporis scriptores Protestantium non omnino conveniunt. Ad primum Ecclesiæ seculum refert illud Joseph Bingham, vir Anglicanæ addictus Ecclesiæ, in præstantissimo opere de Origin. Eccles. L. 1. c. 5., Moshemius Inst. Hist. Eccl. sec. I. p. 2. sect. 1. cap. 2. aliique. Contra vero Boehmerus. Dissert. ad Tertullian. quæ est inter ejusdem Diss. Jur. Eccles. Lipsiæ editas 1711. ordine 5. quam Illustrissimo de Marca opposuit, discrimen illud enatum non ante Tertulliani tempora sec. III. contendit; etsi cætera in hoc conveniant distinctionem status ecclesiastici et laici non juris aut institutionis divinæ, sed humanæ esse; nimirum conformiter capitali Protestantium systemati, quod primus Lutherus L. de captiv. Babyl. construxit : Ecclesiam esse societatem, sive collegium æqualium, cui sacrorum potestas in communi concessa sit, quam Pastores non nisi ex consensu populi exerceant; ut proinde nihil habeant principatus et imperii in populum, sed ministerium nudum, sive exercitium a populo concessum. A quo tamen tam adamato alias Protestantibus systemate eatenus recessere scriptores eorum alii, qui sacram potestatem in uno eodemque summo imperante ex natura et indole summi Imperii esse consociatam volunt, a quo Ministris cæteris delegetur. Ita Christian. Thomasius in cautelis circa præcognita Jur. Eccl. c. 18., Henric. Henniges de summa Potest. Imperator. circa sacra c. 2. aliique a Thomasio *Thomassiani* appellati.

Quare, quo adversarios e vestigio sequamur, cap. 1°. de hierarchia Ecclesiastica, sive Ordine sacro hierarchico ministrorum Ecclesiæ, a laico peni-

tus distincto; 2°. de Ordine, in quantum est novæ Legis sacramentum, agemus; præmissa tamen de hoc sacramento summa doctrinæ catholicæ ex Conciliis FLORENTINO et TRIDENTINO.

Decretum concilii Florentini de sacramento Ordinis sub Eugenio IV. an. 1439. pro Armenis.

Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem : et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* : et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

Canones concilii Tridentini de sacramento Ordinis Sess. 23. die 15. Julii an. 1563. sub Pio IV.

I.

Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile, et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et sacramentorum; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere : Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse, similiter et alias Ordinis ceremonias; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.

CAPUT I.

DE ORDINE SACRO HIERARCHICO MINISTRORUM ECCLESIÆ A LAICO STATU PENITUS DISTINCTO.

9. Uti Protestantibus Ecclesia nonnisi æqualium societas vel collegium est, ita e contra Catholicis inconcussum veritatis dogma est, Ecclesiam societatem esse inæqualem ex *imperantibus* et *subditis* compositam, in qua sacrum principatum tenent cleri, ita tamen, ut et inter eos diversi majoritatis et obedientiæ gradus sint, laicis, cujuscumque sint dignitatis ac ordinis, *in spiritualibus* sola relicta obedientia gloriæ. Appellatur hic sacer principatus, derivato a græcis nomine, *Hierarchia Ecclesiastica;* quæ definiri in genere potest : *Potestas a Deo instituta, et personis sacris eum in finem legitime collata, ut in Ecclesia Christi ministerium et regimen exerceant.* Unde dupli-

cis generis Hierarchia se prodit : alia est *ministerii* seu *ordinis*, alia *jurisdictionis*. Prior vel proxime, vel remote circa corpus Christi verum, sive SS. Eucharistiam versatur : posterior circa corpus Christi mysticum, omnem clavium potestatem suo ambitu complectens. Personæ sacræ ex prima Hierarchiæ specie quæ potestatem SS. Eucharistiæ mysterium conficiendi acceperunt, dicuntur esse in sacerdotio, ut *Episcopi* et *Presbyteri*; aliæ in ministerio tantum ; eæque vel in *majoribus ordinibus*, sive *sacris*, ut si aut diaconatus gradu, aut subdiaconatus insignitæ sint, quæ conficienti propius ministrant ; vel si ministrant remotius, *in ordinibus minoribus*, quo pertinent *Ostiarii*, *Lectores*, *Exorcistæ*, *Acolythi*, quibus singulis ad Hierarchiam per *primam tonsuram* via parari debet. Omnes ordinem efficiunt, qui ordo hierarchicus ministrorum Ecclesiæ dicitur, item passim ordo clericalis, vel uno verbo, clerici. Et de his nunc sequentes moventur controversiæ in Doctorum Protestantium gratiam : I. Utrum ministri Ecclesiæ recte appellentur clerici, et clericorum a laicis discrimen semper fuerit in Ecclesia, etiam primis duobus seculis? II. Utrum hoc discrimen juris divini sit, adeoque totus ordo hierarchicus ministrorum ex institutione divina ortum ducat? III. Annon saltem ex jure divino competat laicis electio ministrorum Ecclesiæ? quas sequentes enodabunt articuli.

ARTICULUS I.

UTRUM MINISTRI ECCLESIÆ RECTE APPELLENTUR CLERICI, ET ALIQUOD CLERICORUM A LAICIS DISCRIMEN SEMPER FUERIT IN ECCLESIA, ETIAM PRIMIS DUOBUS SECULIS.

10. *Nota*. Vocabula, *clerici, laici,* licet jam pridem latio donata, græcam habere originem; in vulgus enim notum est idem esse λαὸν græcis, quod populum latinis ; ac similiter idem illis esse κλῆρον, quod sortem et hæreditatem nobis. Inde igitur laici compellati sunt, quasi plebeii, aut populares, quibus nihil functionis Ecclesiasticæ demandatum ; clerici vero velut Domini sors, et hæreditas, qui consecrati divino cultui, ad rerum sacrarum curam, et Ecclesiastica ministeria suscepti. *Clericus*, ait S. Hier. epist. ad Nepotian. (opp. t. 1. p. 258. edit. Vallars. et Maffeii.) *interpretur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur; si enim* κλῆρος *græce, sors latine appellatur; propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est.* Sortis autem nomine etiam hæreditas venit, quod hæreditas in plures plerumque dividi sorte soleat. Ac licet ad unum duntaxat pertingat hæreditas, id tamen sæpissime etiam sorte fit, quod plerumque nascantur hæredes, non fiant. Unde et juxta alios ex simili ratione Ecclesiasticis clericorum nomen adhæsisse dici potest, quod ad Ecclesiasticum ministerium sint sorte assumpti, uti Mathias olim ad Apostolatum. Cæterum ut Ecclesiastici ministri appellentur clerici non placet nostri ævi sectariis ; adeo enim statum ipsum clericorum oderunt, ut etiam nomen execrati sint. Lutherus Lib. de abrog. Missa priv. et Calvinus L. 4. Institut. cap. 4. sect. 9. impia traditione, et errore factum dicunt, ut illud nomen inderetur ministris

Ecclesiæ, quam avorum suorum vocem repetunt etiamnum juniores Protestantes. At

11. *Dico I.* Ministri Ecclesiæ recte appellantur clerici.

Prob. I. Ex Scriptura S. Nam Jerem. 12. de veteris Ecclesiæ ministris loquens Deus, juxta versionem LXX. *et cleri,* ait, *eorum non proderunt eis,* id est, si officium suum negligant, non ideo salvabuntur, quod in hæreditatem Domini peculiariter adsciti sint per vocationem ad ministerium, hoc enim ibi significare, quod hebraice dicitur *neqlou,* i. e. *hæreditatem adierunt,* pro quo LXX. verterunt *cleri eorum,* testantur inter omnes pene Ecclesiæ Patres hebraici et græci idiomatis peritia nominatissimi: Origenes qui homil. 7. in Jerem. (al. 11. opp. t. 3. p. 189. B. C. edit. Ruæi.) verba relata sic exponit: *Hæc,* cleri eorum non proderunt eis, *ante me alii exposuerunt, et quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eamdem profero: nos, qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis Ordine præsidemus, in tantum, ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis, non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus; multi enim et presbyteri pereunt, et laici beatissimi reperiuntur.* S. Epiphanius epist. ad Joannem Hierosolymit. (opp. t. 2. p. 312. A.) *Oportebat,* inquit, *nos, dilectissime, clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei, et observatione diligentissima hoc esse, quod dicimur; si enim S. Scriptura loquitur, cleri eorum non proderunt eis, quæ arrogantia clericatus conducere nobis poterit, qui non solum cogitatione et sensu, verum etiam sermone peccamus?* S. Hieronymus in Comment. ejus loci (opp. t. 4. p. 929. B.): *Dicitur,* ait, *hoc et Ecclesiasticis qui verba Domini, et doctrinam ejus mala conversatione disperdunt. De quibus infertur, cleri eorum non proderunt eis. Quid enim eos juvare poterit Episcopi nomen, et Presbyteri, vel reliquus Ordo Ecclesiasticus, cum magis graventur dignitatibus suis,* etc. Cur igitur, quam ministris Ecclesiasticis in Scriptura Spiritus sanctus ipse tribuit prærogativam, proprio vocabulo non significemus?

Prob. II. Ex auctoritate Patrum, et ipsa re, quam per id vocabulum significamus; nam antiqui Patres ut in Concilio Nicæno Can. 1. 2. 3. 8. 17. 18., item ante relati aliique ministros Ecclesiæ soliti fuerant appellare *clericos;* at maxime impium est dicere, id eos errore, impiaque traditione fecisse. Deinde ne ipsi quidem Protestantes negare possunt, ministros Ecclesiasticos peculiari quadam ratione destinatos esse ad divinum obsequium, atque adeo singulari quodam modo ad curandam atque excolendam hæreditatem Domini, sive Ecclesiam, quid igitur prohibet hoc ipsum eorum munus appellatione idonea exprimere?

12. *Dico II.* Jam a prima Ecclesiæ origine, adeoque ante Tertulliani, qui initio seculi III. florere cœpit, ævum, clericos inter et laicos discrimen fuit. Abstrahit adhuc conclusio, ex quo jure hoc discrimen ortum ducat, de quo art. seq. ex quo etiam probationes ex Scriptura sacra petitæ huc jam trahi possunt. Adeo vero conclusio hæc duorum priorum Ecclesiæ seculorum, quibus modo maxime eam probamus, testimoniis nititur, ut mirum videri debeat, potuisse ab adversariis negari. Igitur

Prob. I. Ex Clemente Romano, seculi I. scriptore, et summo Pontifice,

et anno Trajani tertio martyrio coronato, qui in priore ad Corinthios epistola, apud Coteler. Patr. Apost. vol. 2. pag. 170. Ecclesiastici ordinis viros clare secernit a laicis, *summo*, inquiens, *Sacerdoti sua munia tributa sunt et sacerdotibus locus proprius assignatus est : et levitis sua ministeria incumbunt : homo laicus præceptis laicis constringitur*. Atqui hic non re solum, sed et nomine laicos ab Ecclesiasticis Clemens distinguit, quos sibi invicem opponit; epistola vero hæc ab omnibus semper habita fuit authentica, etiam ab adversariis, ejusque mentionem faciunt passim veteres Patres ut epistolæ gravissimæ, et illi S. Pauli ad Hebræos quam simillimæ, S. Irenæus L. 3. cap. 3., Clemens Alexandrin. L. 7. stromat., Eusebius L. 3. Histor. cap. 12., S. Hieron. L. de Scriptor. Eccles., quidquid sit de epistola Clementis, quæ secunda ad Corinthios dicitur, quæ neque extat, neque probatur ab Ecclesiis, teste S. Hieron. loco notato.

Respondet Boehmerus, cumque eo alii, Clementem hæc non de Ecclesia, sed veteri Testamento scripsisse, eoque exemplo hortatum Corinthios, ut, ad evitandam confusionem, omnia ordine facerent, sicut apud Judæos erant distincta personarum munera, inde vero non sequi, esse similiter inter Christianos diversitatem statuum, cum ne mentio quidem clericorum a Clemente fiat.

At contra est, quod, etsi allata verba de clericis et laicis veteris Testamenti dicta sint, Clementem tamen aperte eo diversitatis inter Judæos exemplo illud unice contendere, esse talem distinctionem multo magis in Ecclesia : estque hoc Clementis argumentum velut a minori ad majus : in vetere Testamento apud Hebræos erat talis statuum diversitas, et sua Synagogæ hierarchia; ergo multo magis illa est in Christi Ecclesia.

Patet hoc ad oculum legenti epistolam ex hujus scopo, et iis, quæ Clemens subjungit. Nimirum seditio erat inter Corinthios, dum Episcopo, aliisque ministris sede et loco, etsi ab Apostolis ipsis constituti essent, pulsis, alii involarent in ministeria. Ut proinde eos ad pacem reduceret, ostendit 1°. etiam in veteri Lege fuisse illam diversitatem statuum et munerum, quam turbare, involando alterius munus, scelus erat morte piandum; in nova vero Lege graviore pœna id dignum esse. En verba : *Unusquisque vestrum, fratres, in suo statu* (ergo diversos in Ecclesia status supponit) *gratias Deo habeat... Non ubique offeruntur sacrificia jugia, vel votiva. Sed Hierosolymis tantum; atque illic non in omni loco fit oblatio, sed ante templum et altare, prius facta a summo Sacerdote et prædictis ministris oblati inspectione... Qui ergo præter id, quod voluntati ejus consentaneum est, aliquid faciunt, morte mulctantur. Videtis, fratres, quo majori cognitione digni habiti sumus, eo periculo magis obnoxii sumus*. Sensus est : Si in veteri Lege morte mulctaretur, qui limites sui status egrediens involaret vel in Levitarum, aut summi Sacerdotis munus, quanto magis id in nova Lege tenet?

2°. Refert deinde, quomodo Apostoli a Christo, ab Apostolis autem Episcopi, Presbyteri, Diaconi, suo cuilibet assignato officio, sint constituti : *Neque hoc novum est*, inquit, *a multis enim temporibus de Episcopis et Diaconis scriptum fuerat; sic enim alibi Scriptura refert : Constituam Episcopos eorum in justitia, et Diaconos eorum in fide*, Is. 60. v. 17. *Et quid mirum si, quibus in Christo commissum est a Deo hoc munus, prædictos constituerint?* Unde

3°. Postquam ad unitatem eos esset hortatus, ac consilium dedisset illi, ob quem orta fuerat seditio, sponte cederet, *solum ut ovile Christi in pace degat cum constitutis Presbyteris*, reprehendit Corinthios. *Neque enim leve erit nostrum peccatum, si eos Episcopatu privaverimus. Beati Presbyteri, viam prius emensi*, etc.; monet eos agere pœnitentiam, et esse Presbyteris subditos: *Vos ergo, qui seditionis fundamenta jecistis, subditi estote Presbyteris, et in pœnitentiam corripimini.* Sed nihil evidentius, quam asseri hisce a Clemente Ecclesiasticum statum, sive clerum ex Episcopis, Presbyteris et Diaconis constantem, distinctumque a laicis; imo hos illi subjectos; ac proinde non de veteri solum Lege loquitur; sed ad ejus imitationem esse in Ecclesia diversitatem statuum divinitus institutam contendit.

13. *Prob. II.* Ex S. Ignatio M. sec. I. cujus testimoniis nihil evidentius, cum in epistolis suis plerisque id velut ex instituto intendat, ut inculcet, esse obtemperandum Episcopo ut Christo; Presbyteris ut Apostolis. 1°. In epist. ad Magnesianos (Patrum Apostolicorum opp. edit. Hefel. 1847. p. 177. et seqq.) postquam singillatim nominasset *Damam* eorum Episcopum, *Bassum* et *Apollonium* eorum Presbyteros, *Sotionem* Diaconum, vult hoc esse debere eorum studium, ut in Dei concordia omnia agant, *Episcopo præsidente Dei loco, et Presbyteris loco senatus Apostolici, et Diaconis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi.... quemadmodum Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi unitus, ita neque ipsi sine Episcopo et Presbyterio.* Igitur juxta S. Ignatium Episcopi et Presbyteri in locum Christi et Apostolorum successerunt: atqui Apostoli certe a plebe reliqua discreti erant. 2°. Epist. ad Trallianos (ibid. p. 191.) idem inquit: *Cum enim Episcopo subjecti estis ut Jesu Christo... necessarium est, ut sine Episcopo nihil agatis. Sed et Presbyterio subditi estis ut Apostolis.... Cuncti similiter revereantur Diaconos.* Sic et Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum distinctam mentionem facit epist. ad Philadelph. ac epist. ad Ephes. hos laudat, quod una fide obediant Episcopo et Presbyterio. Adeo luculenta sunt ista S. Ignatii testimonia, ut, cum in pravum sensum deflecti non possint, negent adversarii esse genuinas S. Ignatii epistolas, imo pernegent, ullas unquam ab eodem scriptas fuisse; sed inepte, ut eo potius desperatione adducti videantur, quam fundamento aliquo, ut ex responsis ad objecta patebit.

14. *Prob. III.* Ex aliis Patribus et monumentis. 1°. Ex actis martyrii S. Ignatii, de quorum authentia, teste Ruinartio in Actis selectis §. *Martyrum* pag. 7. et 13. edit. Amstelod. nunquam dubium fuit. Ea vero perhibent, (PP. Apost. opp. p. 251.) quod cum S. Ignatius Smyrnam discessisset videndi S. Polycarpi gratia, eum Smyrnenses exceperint *per Episcopos, et Presbyteros, et Diaconos,* idemque fecerint civitates aliæ. Hi ipsi porro ibid. dicuntur *rectores, præfecti Ecclesiarum* ἡγούμενοι; quod idem versio latina habet ab Usserio edita. 2°. S. Justinus M. qui sec. II. floruit, Liturgiam describens inquit, apol. 2. (opp. p. 97. C.) *Deinde ei qui fratribus præest* προεστῶτι, *panis offertur, et poculum aquæ et vini... postquam preces et Eucharistiam absolvit, populus* λαὸς *acclamat... qui apud nos vocantur Diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt.* Postea et *Lectoris* meminit. 3°. His addi possunt Hege-

sippus Justino coævus apud Euseb. L. 4. cap. 22. edit. Valesii. Epistola Ecclesiæ Viennensis apud Euseb. Hist. Eccl. L. 5. cap. 4. Clemens Alexandr. qui ante Tertull. scripsit, L. 6. Stromat. diserte Episcopos, Presbyteros distinguens. Ac Tertullianus ipse, qui licet sec. III. ineunte florere cœperit, discrimen tamen hoc clericorum a laicis, et ipsorummet ministrorum hierarchicum ordinem, non sua primum ætate invectum, sed ut quid omnibus notum ac vulgare supponit L. de Præscript. cap. 41.

15. *Obj. I.* cum Calv. et Luth. Populus christianus unus et simplex esse debet, in quo nulla personarum differentia, nullus clericus, nullus laicus, nullus unctus. *Prob.* 1°. Ex Apostolo ad Gal. 3. v. 28. *Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Ergo omnem distinctionem et eminentiam unius præ alio inter Christianos rejicit. 2°. S. Petrus epist. sua priore cap. 5. totam Ecclesiam clerum appellat ad Episcopos scribens : *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*; igitur errore et traditione impia ab honore clerici nominis dejecti sunt laici. 3°. Christus damnat istam diversitatem status inter Pastores et plebem : *Qui voluerit inter vos major fieri, sit vester minister,* Matth. 20. Alios textus art. seq. dabimus. 4°. Omnes Christiani fratres Christi sunt : sed Christus vere Sacerdos est ; ergo et illi ; ergo inepte illa differentia statuitur.

R. 1°. Vox illa, spectato adversariorum sensu, simillima est illi rebellium Core, Datan et Abiron, qua olim impetebant sacerdotes Testamenti veteris Num. 16. *Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus, cur elevamini super populum Domini?* At quorum schisma severe castigavit Deus : *Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos, cum tabernaculis suis, et universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum.*

R. 2°. *D. Ant.* Populus christianus debet esse unus et simplex unitate fidei; item animorum, ut idem sentiant, nec sint in eis schismata *C.* unitate status, sensu adversariorum *N.* Priorem unitatem urget Paulus ad Ephes. 4. hortans eos servare unitatem spiritus in vinculo pacis, quia *unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium.* Cum hac vero unitate æque parum pugnat distinctio clericorum et laicorum, quam diversitas munerum, de quibus ibid. Apostolus. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii* v. 11. Item, quam membrorum distinctio cum unitate corporis. Unum est humanum corpus; neque tamen totum est oculus, auris, manus, pedes; alias, ut ait Apostolus 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? ubi odoratus?... et si essent omnia unum membrum, ubi corpus? nunc autem multa quidem sunt membra; unum autem corpus.* Ita plane in Ecclesia alii clerici, alii laici; ac rursus clericorum alii sacerdotes, alii ministri ; laicorum alii principes, alii subditi : sed hæc membrorum et partium varietas est, corpus vero unum, quoniam unus omnium Dominus est, una fides, unum baptisma, unus Deus Pater, uno pane nutrimur.

Ad prob. 1am. *D. Cons.* Rejicit distinctionem omnem et præeminentiam in ordine ad clericos et laicos in Ecclesia *N.* de hoc enim ibi ne cogitat quidem Apostolus : in ordine ad justificationem, salutem aliasque gratias in Christo vel per Christum consequendas *C.* Neque enim verbis illis : *Non est Judæus*, etc. Apostolus excludere ab Ecclesia diversitatem sexuum, nationum, conditionum voluit, qui enim alias Ecclesia consisteret? sed æque parum clericorum et laicorum differentiam exclusam voluit; verum monere tantum, non illa esse, quæ filios Dei faciant, et regni æterni hæredes, sed fidem, quæ nos verum Abrahæ semen efficit, cui facta uni, juxta v. 16. hæreditalis promissio; et in hoc jam nos omnes unum in Christo, sive pares esse; ait enim : *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, etc. omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Tum concludit : *Si autem vos Christi; ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.* Unde, spectato scopo Apostoli, æque potuisset dicere : non est clericus, neque laicus; quia æque parum sine fide prodest conditio cleri et laici, quam liberi et servi, quam maris et feminæ, Judæi et Græci; cum hæredes Regni non istæ graduum et conditionum differentiæ, sed fides, cum spe et charitate, constituat.

Ad prob. 2am. R. 1°. *N.* hæc, *in cleris*, a S. Petro ad totam Ecclesiam referri; sed de iis tantum reipsa dici, qui proprie clerici dicuntur; ita S. Hieron. epist. ad Nepotian. cit., et Œcumenius in Commentario hujus epistolæ sentiunt. Tametsi enim ad Episcopi gregem et clerici et laici pertineant, quia tamen majus erat periculum, ne fastuosum imperium Episcopi exercerent in clericos, quam laicos, quod clerici, utpote vi status sui Episcoporum administri, iis sint magis subjecti quam laici; idcirco S. Petrus Episcopos monet, ut totum quidem gregem diligenter pascant; in pascendis vero laicis fugiant turpe lucrum, in regendis clericis arrogantem dominatum. Quo proinde non damnatur Episcoporum potestas ipsa, et jurisdictio in subjectos clericos, sed potestatis abusus et fastus imperii.

R. 2°. *Permisso gratis Ant. N. Cons.* Potest enim eadem cleri appellatio tribui ratione diversa tum Ecclesiæ toti, tum solis Ecclesiæ ministris. Tametsi proinde Ecclesia universa sors hæreditas sit Christi, quod eam acquisierit sanguine suo; eo tamen non obstante certa Ecclesiæ portio, consecrata ministerio altaris magis propria ratione dici potest sors Christi et hæreditas, non secus, ac olim totus Hebræorum populus passim vocabatur hæreditas Domini, quod eum Deus liberasset servitute Ægypti, itaque velut redemisset, ac tamen solam tribum Levi, quam rebus sacris præfecerat, ratione quadam speciali sortem suam et hæreditatem esse voluit Num. 18. et Deut. 18. Porro Levitis, qui speciali modo sors Domini dicebantur, non respondent nunc in Christi Ecclesia Christiani omnes, sed sacerdotes soli, eorumque ministri.

Ad prob. 3am. R. *N. A.* Eo enim loci, occasione ambitiosi postulati matris filiorum Zebedæi, humilitatem commendat; suosque monet, ne dominationem imperiosam et acerbam exerceant; præmittit enim : *Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos.* Vult igitur solum non eo modo præesse suos, quo principes gentium *dominantur*, h. e. dominatione austera;

græcum enim κατακυριεύουσι *dominantur*, ipso Beza ad eum locum teste, significat dominari *contra eos*, dominatione imperiosa, cumque acerbitate conjuncta.

Deinde observo ad eum locum contra Calvin. qui illo plurimum nititur, ut hierarchiam Ecclesiasticam ac clericorum præeminentiam convellat, rectius multo ac solide dogma catholicum stabiliri. Nam 1°. non ait Christus, vos non præsidebitis ullo modo, sed non sicut principes gentium vel infidelium, qui sine suorum amore bonove et gravi præsunt imperio; qui autem dicit, tu non sic præeris sicut ille, id significat, tu præeris quidem, sed aliter quam ille. 2°. Nonne clare subjungitur : *Quicumque voluerit inter vos major esse, sit vester minister, et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus?* Lucæ autem 22. 26. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor*, græce ἡγούμενος, *sicut ministrator*; ergo supponitur aliquis ipsos inter Apostolos major futurus reliquis, quo nihil clarius pro hierarchia Ecclesiastica. 3°. Suum exemplum adhibet : *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*; sicut ergo Christus vere præerat omnibus, licet non ita, ut more regum gentium dominaretur, sed potius ministraret, ita vult suos præesse aliis, sine tamen dominandi libidine, sed præesse Ecclesiæ ut pastores et patres.

Ad prob. 4am. R. *D. A.* Omnes sunt fratres adoptione *C.* natura *N.* At filii adoptivi non gaudent ea amplitudine jurium, quibus naturales, intellige, ut naturalis opponitur adoptivo. Quin in illustribus familiis naturales fratres non semper juribus pares sunt, non raro sibi potiora vindicante, qui inter eos primogenitus est.

16. *Obj. II.* Plurimum nituntur Catholici ad probandum inter clericos et laicos discrimen epistolis S. Ignatii M. sed ex his nihil evinci potest. *Prob. min.* Nullas enim scripsit epistolas Ignatius; sed pleræque, quæ ejus inscribuntur nomini, confictæ sunt. Ita passim ex adversariis Protestantium plures sine rationibus aliis. *Prob.* 1°. In epistolis Ignatii denominationes Episcoporum, Sacerdotum, Clericorum leguntur, quæ duobus prioribus seculis erant incognitæ. 2°. Si genuinæ essent epistolæ, Ignatius non Apostolicus, sed apostaticus esset vir; quippe qui in suis epistolis ipsos etiam reges regio clericorum sacerdotio subjicit. Hactenus Boehmer. Dissert. 7. §. 11. 3°. In epist. ad Magnesianos refellit errorem Valentinianorum : *Quoniam unus Deus est, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum filium ipsius, qui est ipsius Verbum æternum, non a silentio progrediens*; Valentinus vero in suo commento de Syzygibus Æonibus Verbum aiebat prodiisse e *Sige*, quæ est *silentium*, ut de eo notat S. Epiph. ex Irenæo. Ergo Ignatii hæc saltem epistola esse nequit, utpote qui vixit ante Valent. hæresin; orta enim ea est hæresis an. 140. At Ignatius post S. Petrum et Evodium sedere cœpit in Antiochena sede an. 71. ut communiter volunt Chronologi, et testibus iisdem sedit annis 40. Romæ passus anno undecimo Trajani, unde fit, 30. ante Valentin. hæresiarcham annis decessisse Ignatium. 4°. In ead. epist. dignitatem episcopalem et προστασίαν vocat νεωτερικὴν ταξίν, h. e. *recentiorem ordinem*; sed hoc ipsis adversatur Catholicis; sequeretur enim hunc ordinem tunc primum fuisse invectum, cum conficeretur epistola, petit enim ea epistola Ignatii a Presbyteris illius Ecclesiæ, ut patienter ferant, nunc

Episcopum sibi recens contra ac alias fuisset, omnibus præpositum. Ita iterum alii.

Non abs re me facturum credidi, si paucis saltem, et quantum satis epistolarum S. Ignatii M. vindicias ponerem; quarum videlicet testimoniis tum aliis in dogmatibus, tum præsertim quoad ordinem magnopere illustratur et adstruitur traditio Catholica. Quare ad argumentum

R. *T. Maj.* Quia, etsi, ut modo dictum, iis sat clare adstruatur Catholica de Ecclesiasticorum ordinum discrimine traditio, si tamen etiam illæ non essent, adhuc subsisterent rationes conclusionis cæteræ, et quæ art. seq. proferentur. *N. min. et hujus prob.* si tamen probatio dici queat, et non potius assertum inane nimium temere et inscite prolatum.

Nam 1°. teste antiquissimo et ejusdem cum S. Ignatio ætatis Polyc. in epist. ad Philippenses (PP. apost. opp. p. 275. edit. Hefel.) quam in Asianis Ecclesiis legi solitam asserit S. Hieron. de Scriptor. (al. de viris illust.) c. 7. S. Ignat. scripsit *epistolas utilissimas*, quas ait Polycarp. ibid. collegisse se quotquot invenire potuisset. 2°. Suppar ætatis utriusque et Polyc. discipulus Irenæus ad epistolam Ignatii ad Romanos provocat, ex eaque sententias producit L. 5. contra hæreses cap. 28. quod et refert Eusebius Histor. L. 3. cap. 36. fidem epistolarum Ignatii, Polycarpi auctoritate adstruens. 3°. Origenes homil. 6. in Lucam (opp. t. 3. p. 938. A.) Ignatium laudat ejusque epistolam, qua dixerat, Virginis partum latuisse principem hujus seculi, hoc est, diabolum; qui locus extat in Ignatii epistola ad Ephesios: ad hanc quoque S. Athanasius appellat, inde sententias referens L. de Synodis n. 47. pag. 709. Theodoret. Dial. 1. p. et alibi. 4°. Eusebius L. 3. Histor. cap. 30. S. Hieron. loc. cit. septem recensent S. Ignatii epistolas: unam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Philadelphos, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum. Præter has, quinque adhuc aliæ reperiuntur, una ad Mariam Cabassolitam, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta, ad Heronem quinta; quæ quidem ad manus Eusebii et Hieron. non pervenerunt; ob styli tamen similitudinem, et spiritum vere apostolicum, inquit Bellarm. de Script. Eccles. de S. Ignatio, a viris doctis recipiuntur. Item tres aliæ, ad B. Virginem Deiparam una, duæ ad S. Joannem Evangelistam; sed neque in Codicibus Græcis habentur, neque gravitatem eloquii S. Ignatii omnino redolent. Unde et de prioribus septem hic nobis solum disputatio erit. Præterea 5°. præter memoratos ante, epistolarum Ignatii mentionem faciunt, apud Petav. L. 2. de Hier. Eccl., Chrysostomus, Antiochus, Joan. Damascenus, Antonius Melissa, Phot. plurimique alii. Inscite igitur et temere prorsus negatur, ullas ab Ignatio Martyre epistolas scriptas fuisse.

At priores Ignatii epistolæ, quas Eusebius et Hieronymus referunt, atque omnes, præter Romanam, quæ sola desideratur, anno 1646. Lugduni Batavorum Isaac Vossius e Bibliotheca Florentina acceptas edidit, omni carent prudenti suspicione suppositionis. Multum illæ discrepant ab iis, quæ antea sparsim circumferebantur; habentque hanc characteristicam authentiæ notam, quod omnes in illis reperiantur sententiæ, eodemque prorsus verborum ordine, quo eæ ab antiquis Patribus ex Ignatii epistolis citatæ leguntur, quæ quidem in vulgatis antea diversisque editionibus absunt, quas

proin merito eruditorum crisis in dubium, vel corruptionis suspicionem vocaverat: vide hujus rei exempla apud Petav. Theol. Dogm. de Incarn. L. 3. cap. 6. Consonant etiam cum latina versione veteri, quam, diu latentem, sed fortuna repertam aliquot ante Vossium annis edidit Jacobus Usserius. Nihilque similius, quam illa versio latina vetus Usserii, et codex græcus Florentinus divulgatus a Vossio, ut nemo prudenter dubitet, illas esse genuinas Ignatii epistolas, quas antiquorum consensus illustribus adeo testimoniis commendatas et approbatas reliquit. Nunc

Ad prob. 1am. R. 1°. Nonne Paulus ad Philippens. 1. v. 1. orditur epistolam: *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus?* sive ut versio habet Syriaca: *cum Presbyteris et Diaconis?* Nonne idem *Presbyterorum* nomen adhibet ad Tit. 1. v. 5.? Lucas *Episcoporum* Act. 20. v. 28. Non tamen ideo hæc supposititia sunt. 2°. Falsum, quod nomen *sacerdotis, cleri* usurpet, ut ex allatis verbis liquet; sed quod vulgariter clerum modo dicimus, Ignatius per præcipuos Ecclesiæ ministros expressit, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quod quoad rem, de qua sola est nobis disputatio, perinde est. 3°. Manifestum circuli vitium committit scriptor utut cætera clarus, dum per id, quod est in quæstione, alterum æque controversum vult dirimere. Quæritur enim, utrum duobus primis seculis inter clericos, sive ministros Ecclesiæ, et laicos fuerit discrimen? Affirmant Catholici idque probant ex S. Ignatio M. Negat Boehmerus cum suis, genuina illa esse Ignatii loca, quia in his ministrorum Ecclesiæ distinctorum inter se et a laicis fit mentio. Quod sane in tanto viro nemo non rideat.

Ad prob. 2am. Nihilo melior hæc ratio est præcedenti. *N. seq.* Subjicit fideles omnes regio sacerdotio, sed in *spiritualibus*; in politicis omnes tum Cæsari fuisse subditos, nemo ambigit. Reges ibidem Ignatius nequidem nominat; sed, etsi non nominet, etiam hi in spiritualibus sacerdotio subjecti sunt; cum nusquam eximantur, ac, licet dignitate præeminent; hæc solum politica est, eos nihilominus *in statu laicorum* relinquens. Neque illud *apostatici* est dicere, nisi apostaticum quis velit Apostolum facere, qui regimen hoc spirituale sat luculente exercuit 1. Cor. 5. et declaravit Mileto digressurus Episcopos extremum alloquens: *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et ostendit passim alibi. Vel si ex hoc ipso capite rejiciendas ut spurias velit epistolas, quod in iis *spirituali* Episcoporum regimini subdantur reliqui, rursum, ut ante, in turpe incidet vitium circuli.

Ad prob. 3am. R. *N. A.* Falsa et inanis hæc conjectura est; longe enim diversus est verborum Ignatii sensus. *Verbum* hujusmodi, vel *Sermonem* (ita enim Latinorum veterum quidam λόγον interpretati sunt) Ignatius ait esse Christum Dei Filium, non qualis creatus et humanus sermo est, qui post silentium oritur, et in silentium desinit; non enim est æternus: sed Dei Filius est Verbum non a silentio prodiens, quia est æternum, illudque Pater produxit ab æterno. Audiamus Augustinum serm. 1. de Nat. Dom. (al. serm. 369.) ad eum sensum nobis ita præeuntem: *Quænam est illa generatio, qua in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus ante non silebat: quo dicto non siluit, qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit cœptum, clausitve finitum.*

Ad prob. 4um. N. Maj. νεωτερικὴ τάξις, est *novitia ac recens ordinatio*, vel *institutio*, quæ jactari tum cœperat, quibusdam ambitiose molientibus, ut Episcopatus, non libera electione conferretur, sed antiquissimo, hoc est, ex ætatis vel temporis antecessione, quo in clerum erant assumpti. Nam hactenus, ex Apostolica ordinatione, non antiquiores quique, sed aptiores et digniores per Ecclesias instituebantur Episcopi; quod in Timotheo fecit Apostolus; hunc enim juniorem veteranis prætulit; et ideo monet, ut ita se gerat in administranda Ecclesia, ut ne adolescentiam ipsius contemnant, et ejus electione offendantur alii, 1. Tim. 4. 12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Tum ut idem in eligendis præpositis Ecclesiarum institutum teneant, tam illi, quam Tito præcepit; nam utrique, quales eligere oporteat Episcopos, h. e. quibus ornatos virtutibus præscribit ad Tit. 1. Hæc igitur est νεωτερικὴ τάξις nupera, recens institutio ab Apostolico præscripto et ordinatione deflectens, quam quidam, *unus et alter* ἕν ἢ δύο πρόσωπα introducere volebant, querentes, sibi prælatum alium, qui in clerum posterius adscriptus esset.

Istud vero aperte falsum, Ignatium ibi hortari presbyteros, ut patienter ferant, superimponi sibi Episcopum nunc, qui unus præsit omnibus, quasi non ita jam ante fuisset; ut enim legenti epistolam patebit ad oculum, presbyterorum exemplo utitur ad movendos Magnesianos, ut, licet ætate juniorem, Episcopum revereantur. En verba : *Sed et vos decet non conti ætate Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem reverentiam ei tribuere, sicut agnovi et sanctos presbyteros, non assumentes juniorem ordinem, quo volebant quidam antiquiores præferri, sed ut prudentes in Deo concedentes ipsi*; ergo presbyteri de hoc non querebantur.

17. *Inst.* In epistola ad Ephesios auctor aperte dogma Arianum tradit; ergo vel Ignatii non est, vel hic Christi divinitatem non credidit. *Prob. Ant.* Christum enim ibi *factum* dicit, teste Theodor. Dial. p. 1. (opp. t. 4. p. 33.) ubi locum ita recitat : *factus ex non facto*, uti etiam codex Florentinus habet γενητὸς ἐξαγενήτου, sed hoc rigidi Ariani dicebant.

R. *N. Ant. Ad prob. D. Maj.* Dicit factum *simpliciter*, ut alias creaturæ dicuntur factæ *N.* Dicit factum, scilicet *hominem C.* Hoc sensu ipse Theodoretus Dial. cit. verba Ignatii, *factus ex non facto*, refert, ut ibid. contra Eutychianum duplicem in Christo naturam ex Ignatio probet. Estque sensus : qui qua Deus est non factus; postea tamen est factus, nimirum homo. Utrumque igitur, et *factus*, et *non factus* unum eumdemque Christum appellat; non vero ista *ex non facto* Patrem respiciunt, quasi ab hoc factus esset Filius, ut perperam putant adversarii. Id amplius ex S. Athanasio perspicimus, qui L. de Synodis pag. 709. ex eadem epistola hunc ipsum locum totum ita refert : *Unus medicus est carnalis et spiritualis : factus et non factus : in homine Deus : in morte vita æterna : ex Maria, et ex Deo : Dominus noster Jesus Christus.*

ARTICULUS II.

AD ORDO HIERARCHICUS MINISTRORUM ECCLESIÆ SIT JURE DIVINO, EX INSTITUTIONE CHRISTI A LAICORUM STATU DISTINCTUS?

18. *Nota.* Hierarchia Ecclesiastica spectari potest 1°. comparative ad se ipsam; 2°. comparative ad laicos. Unde duplex consurgit quæstio. *Prima:* utrum intra ipsam Hierarchiam unus gradus differat ab altero, sitque illo jure divino superior? quam, quantum ad Hierarchiam jurisdictionis pertractatam habes Tract. de Principiis Theologicis, ubi de Primatu Romani Pontificis; tum amplius intelliges ex sequentibus, ubi de excellentia Episcoporum, uti pariter quantum concernit Hierarchiam ordinis. *Altera*, quæ hic specialiter in Protestantium gratiam pertractanda venit: utrum totus hierarchicus ministrorum Ecclesiæ ordo sit immediate ex jure divino, sive Christi instituentis ordinatione ab illo laicorum distinctus, itaque constituat statum a laico penitus separatum? Pernegant hoc Protestantes hodie omnes, juxta dicta num. 8. non aliud inter ministros et reliquum populum discrimen agnoscentes, quam ut, si qui eo deputati fuerint a communitate, magistratu vel principe, quibus a Christo immediate concessam potestatem sacram volunt, soli habeant et merum potestatis ita delegatæ usum, nudumque ministerium. Recole, quæ num. 8. de illo Protestantium systemate diximus.

19. *Dico.* Ordo hierarchicus ministrorum Ecclesiæ jure divino, ex prima institutione Christi, a laicorum statu distinctus est. Est de fide; ut constat ex Tridentina Synodo, quæ postquam Sess. 23. cap. 1. et 2. plurium ministrorum necessitatem ex Eucharistiæ celebratione asseruisset, ita definit Can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.*

Prob. I. Ex Testamento veteri, in quo Tribum Levi sibi inter cæteras selegit Deus, quæ sola perageret sacrificia et sacra obiret munia, ut tum sacerdotium, ipso ita ordinante Deo, esset a reliquo Hebræorum populo omnino separatum; nec cuiquam alteri extra eam Tribum esset licitum se sacris immiscere. Unde Saul reprobatus 1. Reg. 13. Ozias lepra percussus Paral. 26. Core, Dathan et Abiron terra absorpti Num. 16. quod, cum essent ex aliena Tribu, in sacerdotalia munia involassent. Hinc quoque speciali ratione dicuntur esse Dei: *ego tuli Levitas... eruntque Levitæ mei,* Num 3. Speciali ritu debebant *consecrari* Deo, Exod. 29. Num. 8. 13. Et ipse Dominus eorum sors et hæreditas dicitur, Deut. 18. 2. Ergo id magis verum esse debet de ministris Ecclesiæ; quod a reliquo fidelium populo divina ordinatione Christi suam instituentis Ecclesiam distincti sint. Consequentia est Apostoli, cum enim 2. Cor. 3. dixisset: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti non littera sed spiritu,* ministerium Evangelicum ministerio veteris legis ita præfert: *si ministratio mortis fuit in gloria... quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?*

20. *Prob. II.* Ex Testamento novo varie. Nam 1°. ut olim Testamento veteri Deus ipse leviticam Tribum, ita in Testamento novo Christus ipse *elegit* Apostolos Luc. 6. 13. *Misit* amplissima donatos potestate : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. 20. 21. Speciali ritu potestatem ipse per se contulit, inque ministros Evangelii inauguravit, insufflando et tradendo Spiritum sanctum. Ibid. 23. Ita vero haud dubie illos a reliquo cœtu segregavit. Similiter præter Apostolos *designavit* alios septuaginta duos, Luc. 10. 1. illosque misit minore potestate præditos.

2°. Apostoli se passim vocant ministros Christi, 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* 2. Cor. 3. 6. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Aiunt sacerdotes a Deo vocari debere : Hebr. 5. 4. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Episcopos a Spiritu sancto esse positos, ut regant Ecclesiam Dei Act. 20. 28. *Attendite vobis et universo gregi; in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* non Ecclesia tunc recens ab Apostolis collecta, non magistratus, non populus; sed Spiritus sanctus a quo acceperant potestatem ordinis et jurisdictionis, non solum ut *docerent*, sed etiam *regerent* Ecclesiam Dei.

3°. Apostoli, vi potestatis a Christo acceptæ Joan. 20. speciali ritu impositionis manuum ministros consecrarunt, 1. ad Tim. 4. 14. ad Timotheum, quem Apostolus Epscopum ordinaverat, *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*, h. e. ait S. Chrysost. ad eum locum, *Episcoporum*, vel Episcopalium, substantivo posito vice adjectivi; et colligitur ex 2. ad eumd. Tim. 1. 6. *Admoneo, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Porro Titus a Paulo jussus pariter ordinare presbyteros ad Tit. 1. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Ac demum

4°. Sic primos septem diaconos, sibi a fidelibus licet oblatos, de quo artic. seq. ipsi tamen in ministros ordinarunt Apostoli : *et orantes imposuerunt eis manus*, Act. 6.; ex qua eorum inauguratione, illoque inaugurationis ritu merito conficitur, non fuisse illos tantummodo constitutos temporalis mensæ ministros, et ad distributionem eleemosynarum et communium bonorum Ecclesiæ (quanquam et ad hoc instituti fuerint, ut colligitur ex Act. 6. et inquit S. Leo serm. 85. al. 83. de S. Laurentio.) sed et ad spirituale ministerium; atque inde patet, quod Apostoli voluerint esse *plenos Spiritu sancto*, tum quod eodem et sequenti cap. spirituale exercuerint ministerium; Stephanus disputando et habendo concionem ad populum; Philippus baptizando atque evangelizando : sed maxime id evidens fit ex 1. Tim. 3. ubi quales diaconos esse oporteret, docet Apostolus : *Diaconos*, inquit, *similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes Mysterium fidei in conscientia pura.* Ac de iis subjungit : *Et hi autem probentur primum, et sic ministrent... Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide.* Quibus indicat, illorum ordinem inferiorem esse Episcoporum et

Presbyterorum ordine, quorum pariter mores ante eod. cap. descripserat; ait enim, si bene ministrent, *gradum bonum acquisituros*, h. e. perventuros cum dignitate ad ordinem altioris ministerii.

Atqui hæc singula sat clare demonstrant, jure divino inductam esse ordinis Hierarchici ministrorum Ecclesiæ a reliquo fidelium populo differentiam; nusquam Christus toti communitati, aut singulis ejus membris, aut aliis in populo magistratibus potestatem sacram parem concessit, ut eam, cui vellent, delegarent, sed neque Apostoli; qui tamen, cum eos constituisset Christus rectores Ecclesiarum orbis, auctores et conditores, voluissetque, ut conditam a se Ecclesiam ipsi porro regerent, id non neglexissent, vi sui muneris, si novissent, aut credidissent, esse hanc divini Magistri sui mentem, hanc ab eo delineatam ideam Ecclesiæ, ut sacerdotium sit commune omnibus, vel spiritualis potestas resideat æqualis in singulis, vel in communitate, aut magistratu politico, unde tantum illius usus non nisi aliquibus delegetur.

Respondent recentiores nostri Protestantes passim cum Boehmero Dissert. ad Pinium et Tertullianum, statum Ecclesiæ primitivæ, seu Apostolicæ, fuisse *extraordinarium*: Christi et Apostolorum ævo Ecclesiam non fuisse societatem æqualium, seu paribus ex membris conflatam; sed inæqualem omnino, constantem ex Christo ceu imperante summo; tum Apostolis ab ipsomet Christo omni potestate sacra instructis, sicque a reliquo fidelium cœtu distinctis; at statum hunc extraordinarium post Apostolorum decessum commutatum esse in *ordinarium*, potestate sacra omni ad communitatem instar peculii redeunte, nec nisi ab hac deinceps deleganda aliis, qui soli præ aliis usum habeant; tantum consilio regant, sine imperio, atque ita sec. III. ob communicatum aliis usum cœpisse discrimen illud ministros inter et plebem, sicque esse humanæ originis.

Verum contra est 1°. quod divisio illa status Ecclesiæ in extraordinarium et ordinarium prorsus commentitia sit, nullo nixa fundamento. Cumque adversarii alias obstinate obfirmarint animum, quod nihil velint admittere, nisi cujus præceptum, vel exemplum Scriptura sacra, ac quidem Testamentum novum suppeditet, jure exigitur ab iis, monstrent, ubi Christus voluerit, Ecclesiæ a se conditæ formam in aliam plane oppositam degenerare; aut, cum hujusce voluntatis Christi nullum extet in novi Testamenti tabulis vestigium, indicent, quis eam ipsis revelarit? neque enim in re gravissima, cujusmodi est præsens controversia, fingendi licentia habere locum debet. 2°. Quin directe Scripturis sacris illa divisio adversatur, quæ omnes, ubi de Christi Ecclesia agitur, conclamant, illam, quam Christus erecturus esset Ecclesiam, æternam fore; talis prædicitur nomine *civitatis*, spiritualis videlicet, quam *fundavit Deus in æternum*, Ps. 47. quem totum de fundatione Ecclesiæ Christi passim nobiscum intelligunt adversarii. Sub nomine *fœderis perpetui* Is. 61. 8. quod ipsum caput de Ecclesia sua exposuit Christus Luc. 4. *Regni æterni* Luc. 1. 32. Ideo *supra petram* ædificanda dicitur Matth. 16. 19. Ac demum cum hac Ecclesia, quam ipse *erexerat*, se permansurum promisit usque ad consummationem Matth. ult. Unde sic argumentor: Ecclesia Christi eamdem semper debebat referre formam (saltem quantum ad munia status ordinaria, neque enim omnes Apostolorum prærogativæ erant transituræ ad eorum successores, cum multæ essent

personales, ut dona gratis data, inspiratio ad scribendos libros Canonicos etc.) Atqui forma illa Ecclesiæ erat forma societatis inæqualis ex Ministris sacris a populo distinctis, jurisdictionis, ordinisque potestate divinitus instructis; ergo. Unde si, ut volunt adversarii, alia postea subintrarit forma Ecclesiæ, non potest dici eadem, quæ condita a Christo, quæ regebatur ab Apostolis; nec erit porro Ecclesia Christi, nisi *objective* tantum, quatenus in Christum credit, non ratione originis; cui quoque Christus suam haud promisit assistentiam.

21. *Prob. III.* Ex Testamento novo in quo D. Paulus 1. Cor. 12. 17. discrimen inter ministros sacros et plebem, vel laicos, ex jure divino aperte repetit : *Si totum corpus oculus : ubi auditus ? Si totum auditus : ubi odoratus ? Nunc autem posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum : ubi corpus ? Nunc autem multa membra et unum corpus. Et quosdam quidem posuit in Ecclesia, primum Apostolos : secundo Prophetas : tertio Doctores.* Deinde enumerat dona gratis data, ac subdit : *numquid omnes Apostoli ? numquid omnes Prophetæ ? numquid omnes Doctores ?* Hoc loco 1°. evidens est alios esse Apostolos a Doctoribus : nec ista officia esse communia singulis; sed quibusdam tantum *a Deo*, non autem a plebe, tradita. 2°. Nihil prohibet Apostolorum nomine etiam intelligi Episcopos; hoc enim elogium commune iis prima illa ætate fuisse, constat ex Theod., qui non solos duodecim, sed etiam Paulum et Barnab., aliosque septuaginta testatur vocatos esse *Apostolos* in Comment. in 1. Cor. 12. (opp. t. 3. p. 183. D.) indeque infert, Epaphroditum, per ea epistola ad Philippenses missa, a Paulo ordinatum fuisse Episcopum, eo quod *Apostolus* ad Philipp. 2. 25. vocetur. Et in cap. 2. ejusd. epist. (ibid. p. 333. C. D.) *Eum autem Epaphroditum ipsorum Apostolum vocavit, ut cui esset illorum cura concredita; ut clarum sit sub eo fuisse eos, qui principio dicti sunt Episcopi, Presbyterorum scilicet in ordine constituti.* Porro æque nihil vetat, Doctores dicere Presbyteros et Diaconos, quibus Evangelii annunciandi, et sacramenta, Baptismi præsertim ac Eucharistiæ administrandi curam incubuisse constat. Unde jam infertur; ergo cum hi positi sint in Ecclesia *a Deo*, divino etiam jure, necesse est, fuerint distincti a populo; alioquin omnes fuissent Apostoli, omnes Doctores, etc., et aliqui tantum deputatione Ecclesiæ fuissent ad ea munia assumpti, quod quantum repugnet sensui, et scopo Pauli, nemo non videt. Atque hoc est argumentum Concilii Tridentini Sess. 23. c. 4. quod ex illo Apostoli loco desumpsit : *Si quis*, inquiens, *omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere, perinde ac si, contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores.*

22. *Prob. IV.* Ex Traditione, quæ habetur a consensu Patrum e quibus sequentes rem satis evincunt. 1°. S. Clemens Romanus, qui sec. I. Ecclesiæ præfuit, et floruit, epist. 1. ad Corinth. constitutionem ordinis Hierarchici ministrorum Ecclesiæ divini juris esse his aperte tradit (Labb. t. 1.

p. 150. C.) : *Apostoli nobis evangelizaverunt a Domino Jesu Christo : missus est igitur Christus a Deo, et Apostoli a Christo : et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Itaque acceptis mandatis... Episcopos et Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt. Neque hoc nove; a multis enim temporibus de Episcopis et Diaconis scriptum fuerat; sic enim alicubi dicit Scriptura : constituam Episcopos eorum in justitia, et Diaconos eorum in fide.*

2°. S. Ignatius M. qui sec. II. doctrina et martyrio illustravit Ecclesiam in plerisque suis epistolis relatis art. præc. de hierarchico ministrorum ordine non aliter, ac de re divinitus instituta loquitur, dum inquit Episcopos Dei loco præesse, Presbyteros Apostolorum vice, sicque priores Christo, posteriores successisse Apostolis, epist. ad Magnes. Sed hoc non nisi divina ordinatione fieri potuit. Item : Episcopo nos subesse ut Christo, Presbyterio ut Apostolis : revereri eos debere Diaconos, *ut mandatum Jesu Christi,* epist. ad Trall. Tum ad Philadelphos, eorum salutans Ecclesiam : *Si unum sint,* inquit, *cum Episcopo, et qui cum eo sunt, Presbyteris, et Diaconis, designatis per sententiam Jesu Christi.*

3°. S. Polycarpus S. Ignatio synchronus, et ejusdem cum illo sententiæ, epist. ad Philippenses citata, Diaconos appellat *Ministros Dei et Christi, non autem hominum;* Presbyteris et Diaconis debere nos subjici *tanquam Deo et Christo;* igitur et a Deo et Christo reliquis præpositi sint, necesse est.

4°. Origenes L. 3. contra Celsum, n. 30. (opp. t. 1. p. 466. Edit. Ruæi.) innuit divinam Ordinis hierarchici institutionem, dum ait : *Sic etiam senatum Ecclesiasticum, si componas ad senatum singularum civitatum, invenies quosdam senatores Ecclesiasticos ubivis gentium dignos qui administrent civitatem Dei. Cum e contrario qui cernuntur passim senatores, eorum mores nil præ se ferant dignum tributa illis dignitate qua videntur præ civibus eminere. Et si eodem modo Ecclesiæ Antistitem cum singularum urbium præsidibus comparaveris, intelliges, inter senatores et moderatores Ecclesiæ Dei, etiam eos, qui a cæteris superantur, et apud officiorum observantiores haberi possunt desidiosi, in progressione ad virtutes præcellere iis qui in urbibus senatorum et præsidum dignitatibus præfulgent. Quæ cum ita sint, an non æquum est in Jesu, qui hæc tanta constituere potuit, non vulgarem agnoscere divinitatem?*

Ergo, Christus Deus hanc constituit Ecclesiæ rempublicam; ergo et ipsius senatores et præsides; ergo hæc qua præfulgent dignitas juris divini est, vel quid demum juris divini erit?

Idem homilia 20. in Lucam (opp. t. 3. p. 956. E.) cum nondum esset sacerdotio initiatus, ait : *Si Jesus filius Dei subjicitur Joseph et Mariæ, ego non subjiciar episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater? non subjiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est?*

5°. Et specialiter ex Tertulliano, qui initio sec. III. floruit, quod eo maxime adversarios niti sentiam. At vero hic 1°. L. de præscript. adversus Hæret. sugillat sui temporis hæreticos, quod nullum clericos inter, tum laicos discrimen servent : *Non omittam,* inquit L. cit. c. 41. *ipsius etiam conversationis hæreticæ descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit* (h. e. humanæ adinventionis, sicque divinæ contraria institu-

tioni)... *ipsæ mulieres hæreticæ, quam procaces, quæ audeant docere... exorcismos agere... forsitan et tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos* (i. e. juxta ALBASPINÆUM, in Notis ad hunc locum, præfectura aliqua inter gentiles fungentes; vel, ut alii putant, laicos), *nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt... Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam et Laicis sacerdotalia munia injungunt.* At planum est, TERTULLIANUM hic differentiam inter ministros sacros et laicos jure divino constitutam supponere; nam 1. qua ratione exprobrare alias potuisset illa hæreticis, ut quod laicis sacerdotalia munia injungant, si omnes in Baptismo nascantur et fiant sacerdotes; si hæc differentia humana solum auctoritate, et quidem TERTULLIANI ævo constituta fuisset? 2. Hæreticorum ordinationes reprobat tanquam *humanas;* ergo *divinum* aliquid agnovit in ordinationibus ministrorum Ecclesiæ; qui enim secus his illas opponeret? 2°. L. eodem c. 32. sic porro arguit: *Si quæ* (hæreses), *audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia, habens Polycarpum, ab Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale quid hæretici.* Sed hic, ut vides, Tertullianus Episcopos, Apostolorum prædicat successores, imo *Apostolici seminis traduces;* igitur et sic distinctos a plebe, ut erant Apostoli, jure divino. Et vero inepte rursum exegisset ab hæreticis, ut ipsi pariter Ecclesiarum suarum origines deducerent, si tota potestas sacra post Apostolorum decessum delapsa esset instar peculii ad cœtum fidelium: omnes baptizati hoc ipso essent ex æquo sacerdotes, ut solum quibusdam jurium sacerdotalium usum posset, cum vellet, delegare communitas. Sic Tertullianus sensit adhuc orthodoxus, a qua mente nequidem discessit, etiam cum ad Montani castra discessisset transfuga, ut solutione objectionum constabit.

His addi possunt, quæ infra proferentur Patrum sententiæ, quibus Episcopos jure divino Presbyteris superiores pronunciant, tum quibus in Theologia alibi primatus Romani Pontificis non tantum honoris, sed et jurisdictionis illi ex jure divino competere asseritur; si enim ita Romanus Pontifex ministris Ecclesiæ omnibus, Episcopi Presbyteris et reliquis, item Presbyteri Diaconis præeminent, atque ab his discreti sint, quanto magis a populo? Ac demum Constantini M. illustris professio apud RUFFINUM L. 10. Histor. cap. 2. et D. GREGORIUM L. 4. Registri, epist. 75. ad Mauritium Imperatorem, ac Gratianum 2. q. 1. Can. *Continua. Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi... vos nobis a Deo dati estis dii, et conveniens non est ut homo judicet deos.*

23. *Obj. I.* Ex Scriptura S. Hæc vult sacerdotium commune esse Christianis omnibus; ergo nulla est illa Ministrorum distinctio. *Prob. Ant.* 2. Pet. 2. 5.

de omnibus fidelibus indistincte dicitur : *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sanctum sacerdotium.* Ac v. 9. *vos genus electum, regale sacerdotium.* Idem asseritur Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo regnum et sacerdotes.* Cap. 20. 6. *Erunt sacerdotes Dei et Christi.* Ergo omnes sacerdotes sunt.

R. *N. A. Ad prob. D. Cons.* Ergo omnes sunt sacerdotes ad offerendas hostias *spirituales*, internas, laudis, precum, sicque sacerdotes impropric *C.* ad offerendum externum et verum religionis nostræ sacrificium, sicque sacerdotes proprie *N.* Dicuntur sacerdotes ut reges, h. e. metaphorice, neque enim Christiani omnes veri reges sunt. Deinde 1. Pet. 2. metaphoricum hoc sacerdotium satis innuitur ; additur enim : *offerre hostias spirituales*, ad distinctionem videlicet hostiarum, quæ veri habent rationem sacrificii. Porro fideles ait ædificari sacerdotium sanctum, quo modo dixit ædificari in domum spiritualem ; sed domus ista non proprie sed metaphorice intelligi debet, ut patet ex addito *spiritualis*. Demum Apoc. 5. æque de Beatorum in cœlis sacerdotio sermo est, at certum est hoc esse improprium, nec nisi ad offerendas hostias laudis.

Inst. Christus in ultima cœna Luc. 22. in Apostolorum præsentium persona omnibus fidelibus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo sicut per hæc verba Apostoli sunt instituti sacerdotes veri, ita Christiani omnes.

R. *D. A.* Dixit fidelibus omnibus, si ea verba intelligantur de sola Eucharistiæ sumptione *T.* si de Eucharistiæ consecratione *N.* Et vero alioquin fideles omnes non solum possent consecrare, sed tenerentur, eo quod verba præceptiva sint ; at hoc negant adversarii.

24. *Obj. II.* Tertullianus L. de exhortat. Castitat. c. 7. fideles a secundis nuptiis ea de causa deterrere conatur, imo has iis suadere interdictas, eo quod sacerdotes debeant esse monogami ; ergo supponit eo ipso fideles omnes sacerdotes esse ; quin tales ibidem aperte pronunciat. En verba : *Inde igitur apud nos plenius, atque instructius præscribitur, unius matrimonii esse oportere, qui adleguntur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco dejectos. Sed dices ; ergo cæteris licet, quos excipit. Vani erimus, si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est : Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo, ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, et sacerdos es tibi solus, Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est; habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis ubi necesse sit habere jus sacerdotis.* En adversariorum Achillem !

Responderi potest 1°. Teste S. Hieronymo de Scriptorib. Eccles. librum de exhort. Castit. conscriptum a Tertulliano esse, cum jam ad Montani castra transiisset apostata. Esto igitur, ea mens esset Tertulliani eo loco, quam volunt adversarii, nihil haberet ponderis, utpote *hominis non de Ecclesia*, ut inquit alibi Hieronymus idem, L. adversus Helvid. Quanquam hac responsione opus non sit, cum, sive Montanista, sive Catholicus eum librum conscripserit, nihil faveat adversariis. Unde

R. 2°. *D. Cons.* Ergo supponit, quin pronunciat omnes fideles sacerdotes esse improprie tales, sensu n. præc. exposito *C.* proprie tales, et quantum ad ipsam consecrationem sacerdotalem *N.* Responsio ex ipsomet Tertulliano constat. Nam 1°. argumentum Tertulliani eo loco istud est, quod laici debeant esse monogami, quia ex ipsis assumuntur sacerdotes; sed bigami non possunt esse sacerdotes, scilicet pro disciplina illius ævi, qua bigami addicebantur pœnitentiæ publicæ, atque ad suscipiendos sacros ordines erant inhabiles. Ita seipsum Tertullianus ibid. explicat subjungens: *Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus... Usque adeo nisi et laici ea observent, per quæ presbyteri adleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest, quam laicus qui semel fuerit maritus.* Igitur laicos vocat sacerdotes remote, dispositive, sive aptitudinaliter, quatenus ad sacerdotium adlegi possunt, si a se arceant impedimentum bigamiæ; sed hoc est improprie sacerdotes esse.

2°. Quod sacerdotium improprie dictum intelligat, omnino manifestum fit ex L. de Monogamia. cap. 12. quem, teste Hieron. cit. pariter jam Montanista scripsit, ubi idem argumentum pertractat, probans omnes debere esse monogamos, quia tales debent esse Episcopi et Presbyteri, hi autem ex laicis adlegantur: *Audi*, inquit, *et subtilissimam e contrario argumentationem. Adeo, inquiunt* (Catholici), *permisit Apostolus iterare connubium, ut solos, qui sunt in clero, monogamiæ jugo adstrinxerit; quod enim quibusdam præscribit, id non omnibus præscribit.* Sed respondet: *Numquid ergo et quod omnibus præcipit, solis Episcopis non præscribit, si quod Episcopis præscribit, non et omnibus præcipit? Unde enim Episcopi et clerus? nonne de omnibus? Si non omnes monogamiæ tenentur, unde monogami in clerum?... Sed cum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus; tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo et Patri suo fecit; cum ad præparationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus infulas et impares sumus.* Quibus istud dicit: cum superbia nos stimulat laicos, sacerdotibus pares nos jactamus, eo quod etiam sacerdotes vocemur Apoc. 1. 6. ubi tamen eo duntaxat sensu dicuntur sacerdotes, quo reges, h. e. sensu latiore; at cum a nobis exigitur, ut, si sacerdotes esse velimus, eamdem cum sacerdotibus disciplinam teneamus, a secundis nos nuptiis continentes, illico deponimus fastum, fatemurque *nos impares esse*, sive non sacerdotes veri nominis.

Inst. 1. At Tertullianus addit: *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus;* ergo non jure divino, sed ecclesiastico tantum differunt sacerdotes a plebe.

R. *D. A.* Constituit Ecclesiæ auctoritas *inchoative*, quatenus Ecclesiæ decreto quis e laicorum statu adlegitur in Ecclesiæ ministrorum collegium, deinde ordinandus vere, vel consecrandus *C.* adæquate et complete *N.* Primo enim e laicis a clero et populo eligitur, atque eatenus hanc differentiam, quæ solum *inchoata* dici potest, constituit Ecclesia; e contra vero *honor per ordinis consessum sanctificatus* et quidem *a Deo* (nam hæc *a Deo* ad relata adhuc verba pertinere, non ad sequentem sensum, dicemus

modo) sive ipsa ordinatio et consecratio a Deo instituta facit, ut talis jam supra plebem emineat divino jure.

Inst. 2. Idem Tertull. loc. cit. subdit : *ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, et sacerdos es tibi solus;* ergo.

R. 1°. Juxta Pamelium operum Tertulliani editorem accuratissimum, textus Tertulliani sic legendus est : *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis est consessus, offert et tingit sacerdos, qui est ibi solus.* Sic vero prorsus nihil ex Tertulliano evincitur.

R. 2°. Permissa etiam lectione alia, Tertullianum intelligendum non de oblatione vera in sacrificio altaris, sed latius dicta, oblatione laudis, precum, aliorumque bonorum operum, respectu quorum, ut supra dictum, etiam laici vocantur sacerdotes metaphorice ac latiore sensu. Equidem etiam de tinctione baptismali ibidem loquitur, sed dispar ratio est; cum enim sacerdotes desunt, baptizare potest quilibet, etiam mulier, ob hujus sacramenti necessitatem.

25. *Obj. III.* Apostolorum ævo omnes fideles pares erant, nec Apostoli diversum a reliquis affectarunt ordinem; ergo. *Prob. A.* Ipsi Apostoli professi sunt, se eo electos a Christo, ut resurrectionis Christi testes agerent Actor. 1. 8. prædicando Evangelium Doctorum munus exercerent, Actor. 6. 4. juxta illud Christi Matth. ult. *Euntes in mundum universum, docete omnes*, etc. itaque sine imperio omni ac vi persuaderent solum religionem Christi. At hæc communia erant fidelibus cæteris; nam testes resurrectionis Christi præter Apostolos fuerunt alii, quin feminæ : prædicabant, docebant alii plures. Sic Paulus et Barnabas prædicabant Antiochiæ adhuc laici, Actor. 14. 23. Imo post Apostolos Origenes etiamnum laicus ad publice docendum in Ecclesia invitatus ab Episcopis fuit, teste Eusebio Hist. Eccl. L. 6. cap. 19. nec aliunde laicali ordini docendi munus repugnat; ergo.

Conf. Ostendendæ hujus æqualitatis gratia ipsi Apostoli fideles omnes; sine discrimine, communi nomine appellabant *fratres*, Actor. 15. Late hoc argumentum deducit Boehmer. Diss. cit. ad Plin. et Tertull.

R. *N. A. Ad prob.* 1°. *D. M.* Professi sunt se eo *tantum* electos a Christo *N.* etiam se instructos esse potestate sacra tam *ordinis*, quam *regitiva* et jurisdictionis *C.* Munus prædicandi Apostoli acceperant a Christo paulo ante Ascensionem his verbis Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* At vero potestatem *ordinis* in ultima cœna Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus eis datam potestatem in corpus Christi verum, et constitutos veros sacerdotes, passim evincunt Theologi, ut videre est in Tr. de Sacram. Euchar. Potestatem demum *jurisdictionis* post Resurrectionem acceperunt pluribus ante Ascensionem diebus, dum *claves regni cœlorum, potestatem ligandi, solvendi, peccata remittendi;* quin eamdem potestatem, quam ipse habuit, concessit, Joan. 20. 21.

2°. *Quoad min. N.* munus prædicandi commune fuisse omnibus; sed proprium hoc et *ordinarium* Apostolorum fuit, ac tale Episcoporum mansit, qui Apostolorum successores sunt, adeo ut auctoritate *ordinaria* docere ac prædicare publice in Ecclesia nullus possit, nisi illam vel immediate a

Christo, ut Apostoli, vel ab Apostolis, eorumque successoribus acceperit, teste Paulo ad Rom. 10. 14. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Unde et merito Tridentinum Sess. 5. cap. 2. de Reform. officium prædicandi declarat sic esse proprium Episcopis, ut nemo alius, nisi de eorum licentia illud exercere valeat. De Episcopi vero vel mandato vel consensu, prædicandi officium competit presbyteris, quin et diaconis. Sic, teste Possidio in vita S. Augustini cap. 15. Valerius episcopus Augustino presbytero suo prædicandi potestatem fecit, quod ipse, cum Græcus esset, minus commode latino populo prædicare posset; ac in Concilio Vasensi II. Can. 2. (Labb. t. 4. p. 1680. B.) Episcopi potestatem prædicandi fecerunt presbyteris; tum ibid. præcipitur, ut diaconi, quando non est presbyter, qui prædicet verbum Dei, homilias sanctorum Patrum, loco concionis recitent. Hoc sensu, ex facultate videlicet, leguntur prædicasse diaconi, S. Vincentius martyr, teste S. Augustino serm. 2. (al. 188. in app.) de S. Vincentio; Gregorius M. cum adhuc diaconus esset; qui idem ait L. 4. epist. cap. 88. (al. t. 3. p. 1288. in app. ad Epist.) officium prædicandi ad diaconos pertinere. At nunquam id commune fuit toti laicali ordini.

26. Quoad Paulum et Barnabam equidem eos Antiochiæ prædicasse constat ex Actor. 11. 26. non item eos saltem presbyteros non fuisse. Quin etsi tales nondum fuissent, nihil officit, cum uterque vi missionis extraordinariæ docendi ac prædicandi munus obivisset. Paulus quidem immediate ab ipso Christo missus ac destinatus Apostolus, Actor. 9. 15. ut portaret nomen ejus coram gentibus; unde et ad Gal. 1. 1. se Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem pronunciat. Idem ad Rom. 1. 5. tum alibi declarat. Barnabas vero Antiochiam missus erat ab Apostolis Act. 13. 22. *vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide,* ibid. 24. Missione vero extraordinaria etiam laicum docere aut prædicare posse, inficiatur nemo; potest enim Deus inspiratione sua immediata vocare aliquem ad executionem divinæ voluntatis suæ, eumque donis extraordinariis instruere, ut fidem inveniat, se legatione pro Deo, vel Christo fungi, sicut et Paulus se Evangelium accepisse per revelationem Christi, testatur ipse ad Gal. 2. v. 11. At istud negatur, ex prima institutione Christi munus docendi et prædicandi in Ecclesia, citra ullum discrimen, ex æquo omnibus competere.

27. Origenes tum saltem ex clero inferiore probabilius fuit; nam teste Eusebio eod. L. 6. cap. 3. ante a Demetrio Alexandrino instituendis catechumenis præfectus fuit; quod munus catechizandi aliquando ipsi subibant Episcopi; quandoque presbyteris conferebant; item diaconis, ut probat Bingham Orig. Eccles. vol. II. pag. 52. aliis autem, quam clericis ordinariam catechumenorum institutionem fuisse tum creditam, nullo, quod sciam, exemplo constat. Unde dum idem Demetrius Alexandro Hierosolymorum Episcopo, quo se Origenes contulerat, quique huic concionandi facultatem fecerat, objicit, quod eam homini laico dedisset, laicum sumit pro nondum presbytero; sic et Eusebius cit. non inquit Origenem fuisse laicum, sed solum non fuisse presbyterum. Deinde Alexander, quo præsente concionabatur Origenes, hoc ei munus non tanquam ordinarium contulerat, sed

una alterave vice permisit; id vero potest de licentia Episcopi quicumque clericus, cum prædicatio ex se neque sit actus ordinis, neque jurisdictionis episcopalis, aut sacerdotis. Demum etsi laicus adhuc fuisset Origenes, nihil inde pro laicis omnibus inferri potest; cum enim Origenes jam tum ob eminentem prorsus scientiam et probitatem summæ esset admirationi et venerationi, ita ut teste Eusebio cit. c. 19. ad exteras passim provincias evocaretur, ut suam ibi doctrinam communicaret, poterat Alexander eum, velut dono scientiæ et sapientiæ divinitus instructum admittere, ut aliquando sermones haberet ad ædificationem populi, cum hoc non videatur excedere facultatem Episcopi; sicque in Origene fuisset missio extraordinaria, comprobata Episcoporum judicio, secus ac in cæteris laicis.

Ad Conf. R. *D.* Vocabant fratres charitate, fide *C.* potestate, et auctoritate *N.* Nam non obstante, quod sub una ratione fratres simus, sub alia tamen differentiam declarat Apostolus inter ipsos fratres 1. Cor. 12. 28. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos*, etc. et 19. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ?* etc. ac ad Ephes. 4. 11.

28. *Inst.* At S. Ambrosius in commentario in epist. ad Ephes. (opp. t. 2. p. 2. p. 241. 242.) hæc quatuor clare tradit: 1°. Ab initio omnes docuisse. 2°. Postea vero crescente plebe constitutos esse rectores, seu presbyteros auctoritate Ecclesiæ. 3°. Inde cœpisse alieno ordine et providentia regi Ecclesias, postquam hæc differentia ordinem inter et plebem invecta fuit. 4°. Libertatem docendi tunc restrictam fuisse, ut sine auctoritate Episcopi hæc facultas exerceri non posset. En verba: *Primum omnes docebant, et omnes baptizabant, quibuscumque diebus, vel temporibus esset occasio... Ut ergo cresceret plebs, et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, et evangelizare, et baptizare et Scripturas in Ecclesia explanare. At ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, et rectores, et cætera officia ni Ecclesiis sunt ordinata.* Ergo.

R. 1°. Communi eruditorum hodie judicio commentarios illos in epistolas Paulinas non esse S. Ambrosii Mediolanensium Episcopi, cujus rationes reddit Bellarminus L. de Scriptorib. Eccles.; cujus vero sint, non omnino certum est: communi tamen opinione Hilario Sardo tribuuntur, olim Ecclesiæ Romanæ diacono et confessione celebri; at postea S. Damasi tempore in schisma Luciferianum lapso, ejusque propugnatori, uti et erroris rebaptizantium, hostique Romanæ Ecclesiæ præ aliis jurato, quam, quod hæreticorum baptisma admitteret, meretricem compellavit; sed quem idcirco S. Hieronymus castigavit, cum *Deucalionem orbis* appellans Dial. cont. Luciferian. Neque mirum esse debet, inquit Bellarminus ibid. Hilarium illum a S. Augustino *sanctum* vocari, cum nuncupatio ista tunc satis communis esset christianis, maxime Ecclesiasticis. Non est igitur, quod, si vere is auctor commentariorum illorum sit, ejus auctoritati aliquid concedamus.

R. 2°. Cujuscumque ii commentarii sint, omnia aptissime explicantur: nam 1°. *Dist. Omnibus* inter initia concessum est *evangelizare, baptizare, Scripturas explanare,* qui extraordinarie ad hoc missi, ideoque gratiis gratis datis instructi *C.* secus *N.* Numquid enim omnes Apostoli? omnes Prophetæ? omnes Doctores? omnes Evangelistæ? Alii loquebantur linguis, alii

prophetabant ; alii curabant, Deo pro suo placito sua dividente charismata. 2°. Ly *omnibus* bene exponi potest de *clericis,* maxime *diaconis,* quibus sec. IV. quo vixerat ille personatus Ambrosius, jam non omnia erant permissa, quæ Apostolorum tempore, nisi speciale haberent mandatum Episcopi, ut jam Tertullianus de suo notavit tempore L. de Baptismo. c. 17. Quin et S. Ignatius epist. ad Smyrnens. (PP. apostol. opp. p. 231. edit. Hefel.) *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant... Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare,* etc. Inde est, quod pergat auctor : *At ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, et rectores et cætera officia in Ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clericis auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum, vel concessum... Hinc ergo est, unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici, vel laici baptizant,* etc. sensus enim est : Olim clerici omnes, imo laici extraordinariis donis instructi missique quædam obibant officia, instructionis, baptismi, quæ Ecclesia nunc late extensa, et pace fruens solis rectoribus, sive Episcopis et Presbyteris, non autem Diaconis, aliisque de inferiore clero concessit. Inscite vero Boehmerus contendit, nomen *cleri* ab auctore hic sumi pro *fidelibus,* cum planum sit, hunc nomine *cleri* non nisi clericos intelligere, ut distinctos a laicis et fidelibus ipsosque diaconos tanquam superiores a cæteris clericis ; dum inquit : nec diacono hodie integrum esse docere publice ; nec clericis, vel laicis baptizare, nimirum solemniter, vel extra casum necessitatis. Demum propositæ occasione objectionis

29. *Observa.* In Apostolis diligenter distingui oportere *munus Apostolicum,* tum *potestatem,* cujus distinctionis neglectus Novatores ultimos in illam rerum confusionem quoad hierarchiam Ecclesiasticam induxit, cum præceptis iis, quæ Christus Apostolis dedit pro executione muneris Apostolici, totam Apostolorum auctoritatem definitam vellent. *Munus Apostolicum* totum in prædicando Evangelio, instruendo, docendo, verbo : in persuadenda Christi *religione,* seu *fide* situm est. Vi muneris Apostolici convinci intellectus debet, non vi compelli : ipsi vero viri Apostolici sine ambitione, dominandi libidine, sine armis ; sed non nisi charitate, lenitate, mansuetudine trahere debent ad Christum populos. Atque hoc præcepta illa volunt, quæ Christus Apostolis dedit, dum eos ad prædicandum misit, voluitque ut irent sine sacco, sine pera ; nihil proprii possiderent ; docerent ; non baptizarent nisi volentes.

Sed præter munus Apostolicum, aliam iis insuper *potestatem* contulit ; eamque triplicem : 1°. Apostolis *qua talibus* propriam, sicque *personalem,* sitam in auctoritate prædicandi ubivis gentium, fundandi Ecclesias, edendi miracula, scribendi libros sacros, etc. 2°. *Ordinis* Luc. 22. ut supra dictum et Tr. de Sacram. in gen. disp. 3. de Euchar. eos formando sacerdotes, Episcopos autem Joan. 20. *Sicut misit me,* etc. 3°. *Jurisdictionis,* cum enim Christus præsciret, plerasque gentes Evangelium amplexuras, sicque in cœtum, vel Ecclesiam coituras ; hanc vero æque parum sine forma imperii posse consistere, ac quamvis aliam late diffusam rempublicam, illi de forma regiminis providere voluit, fecitque, potestatem regitivam Apostolis cum imperio conferens, cum claves regni cœlorum, potestatem ligandi, solvendi, peccata remittendi, imo eamdem potestatem iis daret, quam ipse habebat Joan. 20.

cit. Ac reipsa se potestatem illam accepisse, passim testabantur Apostoli. Inde enim inquit Paulus Act. 20. 28. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Cum leges daret : *Hoc autem præcipio.* 1. Cor. 2. 35. *Cætera, cum venero, disponam.* ibid. ac passim alibi de quo plura vide Tr. de Legibus. Ac quoniam rempublicam illam sacram, Ecclesiam suam Christus non ad suam duntaxat, ac Apostolorum ætatem, sed ad mundi usque finem perdurare voluit, regitiva illa potestas ad Apostolorum successores transire debuit. Vel, si Christus tunc aliam induci formam in Ecclesiam voluit, ostendant adversarii, ubi voluerit. Certe Episcopi illi Actor. 20. cit. qui jam in munere pastorali succedebant Apostolis, regitivam illam potestatem *a Spiritu sancto* acceperant, quidni similiter alii ?

ARTICULUS III.

AD QUEM PERTINEAT JUS INSTITUENDI MINISTROS ECCLESIÆ?

30. *Nota.* Sub generali *institutionis* nomine tria hic veniunt : electio, ordinatio, vocatio sive missio. Electio est certæ personæ ad præfecturam Ecclesiæ designatio. Ordinatio sacer ille ritus est, quo ministri consecrantur, iisque exercendi functiones sacras in Ecclesia potestas confertur, ut dum inungitur et consecratur Episcopus vel Sacerdos. Missio sive vocatio jurisdictionem confert, reque ipsa et actu Pastorem et Præsulem facit. Est igitur celeberrima controversia Catholicos inter et Novatores ultimos, penes quem jus illud resideat ministros Ecclesiæ, pastores præsertim Episcopos ita instituendi? Jus *ordinandi* ex lege divina Christi solis Episcopis competere dicetur infra, ubi de ministro Ordinis. Pariter non esse populi alteriusve, sed Episcoporum, maxime summi Pontificis *vocare* sive *mittere* ministros, ex iis abunde constat, quibus tum Tr. de Princip. Theol., tum Tr. de Legib. demonstratum, ecclesiasticam jurisdictionem non esse in ipso cœtu fidelium, sed principaliter in Romano Pontifice D. Petri successore, deinde in Episcopis; sed et colligetur ex sequentibus, quibus demonstrabimus, electionem ministrorum populo haud competere, ex quo majori certe ratione sequitur, vocationem seu missionem ad eumdem non pertinere. Solum igitur hic in controversiam venit : an electio ministrorum, etiam ad populum, et quidem jure divino pertineat? Dixi *jure divino :* nam et populo et cæteris ex laicorum ordine posse *jure humano*, concessione Ecclesiæ, uti jus præsentandi, nominandi, sic et eligendi convenire, facile concedunt Catholici.

Duplex vero circa hanc controversiam occurrit Novatorum error. Primus Joannis Wicleffi et Joannis Huss, docentium, teste Thoma Waldensi L. 2. Doct. fidei. c. 39. Dei solius munus esse eligere Pastores Ecclesiæ, quod soli pii et prædestinati esse possint Pastores et Episcopi, solus vero Deus noverit, qui pii et prædestinati sint. Colligitur hic eorum error amplius ex Conc. Constantiensi, quod Sess. 8. damnat hunc articulum Wicleffi octavum : *Si Papa sit præscitus et malus, non habet potestatem super fideles,* et hunc quadragesimum : *Electio Papæ a Cardinalibus per diabolum est introducta :* tum Sess. 15. hunc Joannis Huss 22. *Papa, vel Prælatus malus et præscitus*

est æquivoce Pastor: ac 26. qui ex priore deducitur: *Non eo ipso quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa. Unde sive electores bene, vel male egerint, operibus electi debemus credere.*

Alter est Lutheri L. de potestate Papæ, item Calvini L. 4. Instit. cap. 3. §. 15. tum quorumdam Protestantium hodie, totam ministrorum institutionem jure divino ad Ecclesiam universam, hoc est, clerum et populum pertinere volentium, adeo ut sine populi consensu ac suffragio nemo legitime electus, aut vocatus censendus sit. *Hunc ritum*, inquit Lutherus L. cit. *per multas epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, et judicium propinquorum Episcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronunciet.* Calvinus in eumdem sonum concinit cit. loc. *Habemus esse hanc regulam, ex verbo Dei ministri vocationem, ubi ex populi consensu et approbatione creantur, qui visi fuerint idonei; præesse autem debere electioni alios Pastores, ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum a multitudine peccetur.* A quibus tamen eatenus recessit potior hodie Protestantium pars, ut principibus omnem sicut regionis, ita religionis, ac in specie constituendorum ministrorum curam vindicet, sive quod populus jus hoc transtulerit in principes, ut sic tamen adhuc suo modo eligantur ex consensu populi, ut alii rursum cum Pfaffio volunt; sive quod jus hoc pars sit juris majestatici, illive inhæreat, ut iterum alii sentiunt, ut vides in relato eorum systemate n. 8.

At contra tuentur consensione unanimi Catholici omnes, jus eligendi ministros Ecclesiæ *ex jure divino* prorsus non pertinere ad populum, neque ad principes; sed quidquid juris in electione Episcoporum habuerunt, vel adhuc possident, ex Ecclesiæ, vel summi Pontificis concessione esse unice derivandum. Proin

31. *Dico I.* Electio Ministrorum Ecclesiæ non fit a solo Deo. Contra Wicleff. et Huss.

Prob. I. Auctoritate Scripturæ S. ex qua constat, ab ipso Christo electum fuisse Judam, Joan. 6. qui tamen minime e numero prædestinatorum fuit: *nonne,* inquit Christus, *ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* quæ Christi sententia unice Judam ferit.

Prob. II. Auctoritate Patrum e quibus sequentes delibare sufficit. Ac primo Origenes hom. 4. in Lib. Jud. (opp. t. 2. p. 466. 467.) pluribus commonstrat, non raro providentiam divinam ad punienda peccata efficere, ut impii non regnis modo, sed etiam Ecclesiis regendis præsint. S. Chrysost. hom. ult. in epist. ad Hebr. (opp. t. 12. p. 311. et seqq.) S. Augustinus Lib. 2. c. 4. contra epist. Parmen. S. Bernard. serm. 66. in Cant. velut data opera, docent, etiam pravos, si modo legitime eligantur, veros esse Episcopos, idque amplius Bernardus (opp. t. 1. p. 1498. D.) confirmat argumento a Caipha desumpto, qui verus fuit Pontifex, tametsi reprobus; cum ejus Pontificatus gratia ipsi daretur a Deo, ut prophetaret, Joan. 11.

Prob. III. Ratione. Si solus Deus per se Pastores eligeret, nesciremus, quinam veri essent Pastores, possetque quilibet ambitiosus se a Deo electum jactare, non sine perturbatione Ecclesiæ; sicque talis electio nihil prorsus prodesset.

Nec dici potest, Deum signo aliquo externo se declaraturum, quem ipse elegerit; vel rem posse sortibus committi, ut S. Mathiæ electio Actor. 1.

Nam 1°. signa illa externa, quæ non sine prodigio fierent, licet aliquando contigerint, rarissima fuerunt; neque talia cernuntur amplius. 2°. Nusquam se Deus promissione sua ad talia edenda signa obligavit; ergo non nisi temere et stolide exspectantur in quavis electione. 3°. Nec sortibus uti licet, si res humano consilio peragi potest; nam, ut merito observat Bellarmin. Controv. de Cler. cap. 5. sortes illæ creduntur regi vel a casu, vel diabolo, vel Deo. Si primum : pessime sane tantum negotium, unde salus pendet Ecclesiæ, committeretur fortunæ temeritati, quod melius maturitate consilii terminari potest. Si secundum : per se constat, impium esse et sacrilegum. Si tertium : peccatum committetur tentationis Dei, expetendo, vel exspectando a Deo, ut ipse sortes temperet, cum id se facturum nusquam pollicitus sit, atque humano consilio res sufficienter peragi possit. Quare rationem eligendi Præsules sortibus merito reprobavit Ecclesia, c. *Ecclesia,* extra de sortilegiis.

Ad exemplum S. Mathiæ 1°. non satis constat, an proprie dictæ sortes fuerint; vel non potius cœleste lumen aliquod, ut putat S. Dionysius Areopag. de Eccl. Hier. c. 5. (opp. t. 1. p. 238. C. D.) 2°. Permisso, quod propriæ sortes fuerint, iis Apostoli ex singulari inspiratione divina usi sunt. Omnino enim præsumi potest, Christum, ut cæteros Apostolos, atque post Ascensionem suam Paulum et Barnabam ipse elegerat, sic et tali modo eligere Mathiam voluisse, ne reliquis videretur minor. Sed factum hoc extraordinarium trahi non potest in eligendi regulam, inquit Hieron. in c. 1. Jonæ, sicut neque electio Pauli et Barnabæ. 3°. Vel si citra peculiarem inspirationem hoc modo eligendi usi essent Apostoli, nihil hoc prodest adversariis; pares enim sanctitate et doctrina videbantur Mathias et Barsabas, ut discerni non posset, uter altero esset dignior; quo casu licitus per se sortium usus est; tum quia eo casu non tentatur Deus, cum ab homine res discerni nequeat; et tum maxime, quod, uter ex æqualiter dignis sorte vincat, nemini inde periculum et damnum nascatur.

32. *Dico II.* Jus eligendi tam summum Pontificem, quam cæteros Ecclesiæ pastores et ministros neque populo, neque principibus jure divino convenit; sed si quid ea in re potuerint aliquando, vel possint adhuc dum, id vel ex conniventia, vel concessione Ecclesiæ aut Pontificum ortum.

Prob. I. Ex Scriptura S. multiplici argumento. 1°. Ex verbis Christi Joan. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* h. e. volo, ut vos Apostoli (hos enim alloquitur) eadem ratione et potestate gubernetis Ecclesiam, ac ministros alios mittatis, sicut ego missus sum, et ego mitto vos : atqui imprimis Christus solius voluntate Patris missus fuit; ipseque Apostolos elegit independenter a consilio, suffragio, consensu populi et principum; sic et eadem cum independentia collegit discipulos alios 72. Quod vero cit. loc. ad Apostolos dixit, ad eorum successores, Prælatos Ecclesiæ pertinet ex ratione jam data art. præc.

Neque dicas : Si, ut ex citato textu sequitur, electio ministrorum Ecclesiæ *jure divino* pertineat ad Prælatos Ecclesiæ; ergo contra jus divinum sæpe multumque peccasset Ecclesia, in electionibus ministrorum expetendo vel

consensum, vel suffragia plebis ac principum. Nam *N. illatum.* Ex relatis enim Christi verbis illud solum habetur, jus eligendi ministros pertinere jure divino ad Apostolos, eorumque successores Prælatos; non vero istud : ergo *jure divino,* vel vi præcepti divini excluduntur laici a ferendo vel consensu, vel suffragio; ab hoc enim in textu abstrahitur. Sed cum eo loco amplissima potestas concedatur Apostolis circa regimen Ecclesiæ; nec parte alia excipiatur facultas adhibendi in electionibus laicos, sequitur potuisse, uti Apostolos, sic postea Ecclesiam, pro varietate circumstantiarum vel temporis adhibere laicorum suffragia, vel non.

2°. Quia, ut id Apostolus probet, ad exemplum Aaronis provocat, Hebr. 5. 4. inquiens : *Nemo sibi honorem sumit, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Atqui Aaron a Deo per Moysen duntaxat, citra populi consensum et consilium sacerdos institutus fuit Levit. 8. sicut et ministri cæteri Exod. 18.

3°. Ex jure divino scripto Episcopi sunt Pastores, reliqui in laico ordine sunt oves 1. Petr. 5. 2. *Pascite, qui in vobis est gregem.* Et Act. 20. 28. *Attendite vobis et universo gregi*, etc. At gregi non convenit, ut pascat et regat, sed regatur pascaturque; ergo neque ut eligat Pastorem; eligere enim Pastores indubie ad regimen pertinet, actusque jurisdictionis est.

33. *Si ais :* Etiam in republica civili cives dicuntur oves; reges vero pastores, ac nihilominus electio regis ad cives vel populum pertinet; ergo idem dici potest de Ecclesia, quæ non solum formam gregis vel ovilis, sed et reipublicæ gerit.

R. *N. Cons.* Etsi Ecclesia sit etiam respublica, scilicet sacra, magna tamen hanc inter et politicam disparitas est; nam 1°. in politica omnes nascuntur naturaliter liberi; ac proinde plebs immediate politicam potestatem habet, donec eam in principem quemdam transferat : at respublica Christiana similem libertatem nascens non habuit; cum ipsa enim natus est Pastor ejus, ut hic illi sit coætaneus; Christus enim simul Ecclesiam condidit, eique Petrum præfecit. 2°. In politica republica tunc rex eligitur, quando deest, qui regat; Ecclesia vero nunquam rege caret; cum Christus sit *semper vivens* Hebr. 7. 25. et Ps. 109. ac deinde semper alii sunt in Ecclesia Episcopi, qui eligere et creare Pastores novos possint independenter a plebe et principe, vel magistratu.

34. *Prob. II.* Ex Traditione, quæ relucet, et quidem maxime

1°. *Ex ipsorummet Apostolorum factis,* qui passim eligebant Episcopos sine suffragio tam populi, quam principum et magistratuum, ut tum vel ex eo constat, quod creatos a se Episcopos sæpe ad absentes et infideles populos mitterent; tum ex omni Ecclesiastica historia. Sic Joannem Apostolum finitimis Ephesinæ Ecclesiæ provinciis dedisse Episcopos, solo Spiritus sancti instinctu, sine populi vel magistratuum suffragiis, inquit Clemens Alexandr. apud Eusebium hist. Eccl. L. 3. c. 23. *Joannes,* inquiens, *ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret* καταστήσων, *partim Ecclesias formaret... homines sibi a divino Spiritu indicatos in clerum quemdam seu sortem Domini seponeret.* Ab eodem Joanne Smyrnæorum Ecclesiæ Polycarpum datum fuisse, Tertullianus scribit de Præscript. cap. 32. Nec dissentit Irenæus, qui ab Apostolis episcopatum acce-

pisse ait apud Eusebium hist. Eccl. L. 4. c. 14. vers. Valesii; ut proin nihil tribui possit spuriis Polycarpi Actis, quæ illum a Bucolo Smyrnensium Ecclesiæ præfectum dicunt, de quibus vide Cardin. Gotti Tom. 5. de Christi et Apostolorum discipulis c. 9. Alexandrinæ Ecclesiæ primum Episcopum a S. Petro datum esse S. Marcum Evangelistam, habetur ex Eusebio Hist. Eccl. L. 2. c. 16. Gelasio, Decr. de Libris apocryphis apud Baronium ad an. 45. aliisque ab eod. cit., nemine hactenus, quod sciam, contradicente. Antiochenam Ecclesiam S. Ignatio M. regendam traditam fuisse ab Apostolis, consentiunt Scriptores veteres. Auctor Constit. Apostolic. a S. Petro quidem Evodium, a S. Paulo autem Ignatium illi Ecclesiæ præfectum ait L. 7. c. 46. quod ita intelligendum, quod Evodio ante Petrum defuncto, ei in sede suffectus a Paulo fuerit Ignatius, ut ait Eusebius hist. Eccl. L. 3. c. 22. Plura id genus in eod. Eusebio lege L. cit. c. 37. Demum, ne plura referam, singula egregie confirmat S. Clemens I. in epist. 1. ad Corinthios omnium consensu genuina, dum inquit (Labb. t. 1. p. 150. B.) : *Prædicantes igitur* (Apostoli) *per regiones ac urbes, primitias eorum spiritu cum probassent, in Episcopos et Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt.*

Respondent adversarii Episcopos, qui ab Apostolis missi ad absentes populos, electos simul fuisse a populo ejus loci, in quo ordinabantur, et ex quo mittebantur. Sed contra est 1°. quod id nullo prorsus nitatur fundamento, cum ne unum afferre possint, qui de eo testetur. Unde igitur id probant adversarii? 2°. Quo jure populus unus eligere potest Episcopum populi alterius? præsertim cum ideo electionem Episcopi jure divino velint pertinere ad populum, ne populus Pastorem accipiat, quem nec novit, nec vult?

35. 2°. *Ex Patrum aliorumque testimoniis,* qui posterius floruerunt. Sic Frumentium quemdam a S. Athanasio Indorum creatum Episcopum, ipsis Indis nihil ea de re cogitantibus tradit Ruffinus L. 10. Histor. c. 9. In Ecclesia Alexandrina a D. Marci tempore Episcopos a clericis solis electos fuisse refert S. Hieron. epist. ad Evangelum 85. (al. 146.) : *Alexandriæ,* inquit, *a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Paulinianum D. Hieronymi fratrem a S. Epiphanio creatum Presbyterum, et ultro missum ad monachos, his nihil tale opinantibus, ut apud hos sacerdotii fungeretur muneribus, ipse narrat Epiphanius epist. ad Joannem Hierosolymitanum (opp. t. 2. p. 312.). S. Augustinus monachus a divo Gregorio designatus est Episcopus sine Anglorum vel suffragio, vel postulatione ulla, ut patet ex Beda L. 1. de Histor. gentis Anglor. c. 23. et seqq. Ita et S. Bonifacius a Gregorio Papa ejus nominis II. Episcopus creatus et missus ad Germanos est, ipsis Germanis nihil de eo cogitantibus.

36. 3°. *Ex Conciliis.* E quibus Laodicenum an. 370. Can. 13. (Labb. t. 1. p. 1498.) *Non est,* inquit, *permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi.* Ubi non id prohibetur tantum, ne solæ turbæ sine sacerdotibus, vel senioribus eligant, ut Calvinus fingit; id enim prohibere opus non erat, cum semper electionibus ejusmodi soliti essent interesse et sacerdotes, et clerici reliqui, sed, ne turbæ ipsæ omnino eligerent, Concilium prohibuit. Nicænum II. Can. 3. (Labb. t. 7. p. 598. B.)

statuit, *omnem electionem, quæ fit a magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere. Oportet enim, qui est promovendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi.* Constantinopolit. IV. inter generalia ordine VIII. etiam principes excludit laicos et magnates (Labb. t. 8. p. 1141. A. B.): *Sancta et universalis Synodus..... definit, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi; cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentum vel cæterorum laicorum habere conveniat.*

37. *Prob. III.* Ratione. 1°. De jure divino non est, quod, pro varietate temporis, varie mutavit Ecclesia; sed modum eligendi quoad suffragia, vel consensum populi, aut principum, varie mutavit Ecclesia; ergo hic modus de jure divino non est, ut populus, vel principes laici in electionibus ferant suffragia, vel dent consensum.

Maj. apparet certa; jus enim divinum immutabile est, nec humanæ subest dispositioni; ipse enim Deus immutabilis est, dumque fert legem, ita eam format, ut intento fini in omnibus circumstantiis, quas singulas optime habet cognitas, semper congruat; secus, ac se res habet in humanis legibus; aliunde vero constat, veram Ecclesiam, qualis Protestantium consensu tribus prioribus seculis et præsertim tempore Apostolorum fuit, in jure divino, quod dogma constituit fidei, errare non posse.

Min. patet ex historia Ecclesiastica ab ipsa Apostolorum ætate usque ad nostram; Apostoli enim Actor. 6. in electione septem Diaconorum expetebant suffragia multitudinis; at sæpissime pastores Episcopos sine ejus suffragiis crearunt per se, ad exemplum Christi, qui ita ipsos elegerat Apostolos; ut patet ex dictis n. præc. Sec. III. testimonium petebatur a populo de vita et moribus præficiendi, ut de summis Pontificibus testatur Auctor Constit. Apostolic. item Lampridius in vita Alexandri Severi; de Episcopis ex Origene, hom. 4. in Levit. Sec. IV. ex Conc. Nicæni I. sanctione can. 4. (Labb. t. 2. p. 30. E.) non *ordinari* solum, sed etiam *eligi* et *constitui* debebant Episcopi a comprovincialibus; alicubi tamen populo adhuc ad ferenda suffragia, seu rectius testimonia, admisso; quin eodem adhuc seculo ob populi tumultus, et dissensiones eligentium Episcopi indulsere Imperatoribus, ut dignam ipsi personam designarent, ut de designando Nectarii Constantinopolitani successore perhibet Palladius, vel quicumque demum auctor sit Dialogi de vita S. Chrysostomi (opp. t. 13. p. 17 et seqq.). Sec. V. et VI. in orientali et occidentali Ecclesia populorum suffragia postulari debebant, a quo modo sec. VII. recessit Ecclesia Gallicana, sicque post mutationes varias Episcoporum electio ad eam formam pervenit, quæ adhuc hodie non est eadem in regnis singulis, uti videmus; tum illa Rom. Pontificis electio tandem ad Cardinales devoluta est; ut proinde merito Tridentina Synodus reprobet doctrinam adversariorum Sess. 23. cap. 4. et damnet can. 7.

38. *Obj. I.* Actor. 14. 22. ubi Vulgata habet: *Et cum constituissent illis per singulas civitates presbyteros,* versio Syriaca, Tigurina, Pagnini et Erasmi habet: *Cum per suffragia elegissent, vel creassent presbyteros;* græcum enim χειροτονήσαντες, significat, cum elegissent per suffragia; nam χειροτονέω,

est quasi χειρας τείνω, sive manus attollo in signum suffragii, qui mos olim fuerat Græcorum ferendi suffragia.

R. 1°. Etsi vox *chirotonia* inde ortum ducat, quod olim attollendo manus ferrent suffragia, ab ecclesiasticis tamen et sacris Scriptoribus sumi cam pro impositione manus ordinatoria abunde probatum est in Proœmio. Igitur nihil ille textus favet adversariis.

R. 2°. Etiamsi χειροτονεῖν significaret eligere per suffragia; non tamen significat eligere per suffragia *ab aliis data,* sed eligere suffragio proprio, ut ex etymologia liquet, et auctorum usu. Ac revera τὸ χειροτονήσαντες non referri ad populum, sed Paulum et Barnabam, clamat tota Scripturæ sententia; de quibus enim ibid. dicitur: *Cum constituissent presbyteros,* de iisdem subditur: *Commendaverunt illos Domino, in quem crediderant;* sed hæc indubie solos Apostolos Paulum et Barnabam respiciunt.

39. *Inst.* 1. Sed Act. 6. 5. multitudo credentium elegit septem Diaconos; ergo populus habet aliquod jus eligendi. Item Act. 1. non soli Apostoli, sed tota Ecclesia elegit Mathiam et Bassabam, ut eorum alterum Deus assumeret.

Ad 1um. R. *D. Ant.* Elegit ex concessione Apostolorum, ut S. Lucas aperte indicat *C.* vi juris divini *N. Ant. et Cons.* Id consulto permiserant Apostoli, ut tanto melius sedarent murmur exortum, et præcaverent futuro, si videlicet ii præessent mensis et distributionibus, quos fidelis populus ad hoc præ aliis elegisset. Eadem de causa aliquando Ecclesia in electionibus Episcoporum adhibuit suffragia et consensum populi, ut, quo gratior esset expetitus populi votis Episcopus, tanto huic promptius obediret; usque dum experientia doceret, quantis tumultibus, imo cædibus obnoxia esset popularis electio, ut videre est in S. Aug. epist. 110. et 225. (al. 213. et 126.) ubi turbulentissimam refert seditionem popularem in Piniani electione; item Ruffino L. 11. Hist. (al. L. 2.) c. 11. et ante c. 10. commotionem narrans in S. Damasi electione coortam, qua 137. homines in templo necati, quod idem referunt Ammianus Marcellin. L. 27. et S. Hieron. in Chronico. Deinde exemplum hoc Apostolorum non probat jus divinum populi, vel secus ita constanter facere debuissent Apostoli, fecissentque sine dubio; at contrarium constat ex dictis.

Ad alterum R. 1°. similiter cum S. Chrysostomo ad eum locum, id ex concessione Petri, non necessitate, exque divino jure factum. 2°. Illa non tam electio fuit, quam postulatio, qua petebant a Deo eligi aliquem in Judæ locum. 3°. Nequidem ex textu colligi clare potest, quinam hos duos *statuerint in medio?* quinam *sortes dederint?* cum tam ad Apostolos, quam populum trahi textus possit. 4°. Demum *permisso*, quod populus hos duos selectos statuisset in medio, si ab hoc exemplo eruere velint jus divinum pro populo, cur non consequenter arguunt adversarii, esse pariter juris divini, ut electio committatur sortibus?

40. *Inst.* 2. At aliunde constat ex Scriptura Episcopos esse *ministros Ecclesiæ*, non dominos, 1. Cor. 3. 1. Petr. 5. Deinde de Ecclesia dicitur, quod sit columna et firmamentum veritatis 1. Tim. 3. Igitur suprema jurisdictio est penes Ecclesiam, non Episcopos, igitur et ipsa eligere et vocare ministros potest; is enim est jurisdictionis actus.

Ad 1um. R. *D.* Sunt ministri Ecclesiæ, eo quod in officio subsint fidelibus; vel obediendo *N.* quia laborant in utilitatem fidelium; vel regendo Ecclesiam, illique præsidendo *C.* Sicut et rex dicitur servire regno, regendo videlicet illud, ejusque utilitatem procurando, sic et Pastores serviunt Ecclesiæ, ejusque ministri sunt; regendo illam Act. 20. *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Item Hebr. 13.

Ad alterum R. *D.* Quia semper audit Petrum, vel Pastores suos cum capite Ecclesiæ Petri successore conjunctos *C.* secus *N.* Pro Petro Dominum orasse novimus, ne deficeret fides ejus. Hic jussus est immediate a Christo pascere agnos et oves, minime vero ullibi grex Petrum: pariter Episcopos scimus a Spiritu sancto positos regere Ecclesiam Dei, non ab Ecclesia; suprema igitur jurisdictio penes Petrum ejusque successorem est, et cum proportione penes Episcopos; ergo et ministrorum electio atque vocatio.

41. *Inst.* 3. Si non est jure divino potestas penes populum suos eligendi Pastores, ad quid ergo præcipit Dominus Joan. 10. 5. non audire vocem alienorum? Matth. 7. 15. vitare falsos Prophetas? igitur vi divini præcepti debet Christianus populus eligere suos Pastores, ut veros possit discernere a falsis.

R. Vult quidem Christus populum discernere Prophetam verum a falso, at regula non alia, quam attendendo, an ille, qui prædicat, dicat contraria iis, quæ dicebantur ab antecessoribus, vel iis, quæ prædicantur a Pastoribus ordinariis aliis, præsertim a Sede Apostolica. Unde Paulus ad Gal. 1. vult anathematizari, qui docerent nova et contraria illis, quæ evangelizata sunt. Et vero, cum rudis sit populus, aliter de doctrina ejus, qui se Prophetam vel Pastorem venditat, judicare non potest; unde et populo Christus præcipit audire Pastores suos, Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit.*

42. *Obj. II.* Auctoritatem Concil. generalis II. quod in epist. ad Damasum Papam teste Theodoreto L. 5. c. 9. (opp. t. 3. p. 717. C.) ait a se Nectarium Episcopum ordinatum esse *sub aspectu etiam Deo amabilis Imperatoris, universique cleri, cuncta decernente pariter civitate.* Item, Concilii Nicæni I. epist. ad Alexandrinos apud Theodoretum L. 1. c. 9. (opp. t. 3. p. 547. D.) præcipientis ut in clerum eligantur, si videantur digni, *et populus eos elegerit, condecernente simul et designante maxime Alexandrinæ civitatis Episcopo.* Præterea S. Leonis P. epist. 89. (al. 10. ad Episc. Viennensis provinciæ.) S. Ambrosii L. 10. epist. 82. tum aliorum, quos refert Gratianus dist. 23. 24. 62. 63. 65. et 8. q. 1. Can. *Licet.* Ergo.

R. *N. Cons.* Nam 1°. citata loca nec verbulo innuunt, quod populo competat *jure divino* jus eligendi, de quo solo est controversia. 2°. In plerisque, ut legenti apud Gratianum patebit, duntaxat fit mentio postulationis vel testimonii. 3°. Quod sec. IV. ex cujus ætate plurima petita sunt, cœperint suffragia populi exposci, jam supra ipsi diximus, nemoque negat, elegisse aliquando et populum, sicut nunc in Hispania et Gallia reges; id autem ex jure divino neque factum olim, neque fit nunc, sed concessione Ecclesiastica. Vide Boetium de Regalibus et jure Principis in benefic. Eccles. cap. 76. et sequentibus.

43. *Inst.* At S. Cyprianus epist. ad clerum et plebes in Hispania de Basilide et Martiale propter libellorum idololatriam episcopatu dejectis scribens, ait hoc esse juris divini, ut populus eligat; ergo. *Prob. Ant.* Ait enim cit. loc. *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis et Deum metuens a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur : Sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit dicens : apprehende Aaron fratrem tuum, et Eleazarum filium ejus, et impones eos in montem coram omni Synagoga, et exue Aaron stolam ejus, et indue Eleazarum filium ejus,* etc. Ergo.

R. *D. Ant.* Tribuit populo maxime potestatem eligendi dignos per modum *judicis N.* per modum *testis,* ferendo testimonium, ut ipse Cyprianus se explicat *C.* Hoc solum *ex auctoritate divina* descendere ait Cyprianus, ut quilibet ex populo ordinandi Episcopi, si qua noverit crimina forte occulta, quæ illum eo munere indignum redderent, detegere teneatur, et quoad hoc *plebem maxime habere potestatem eligendi dignos,* prædicando illorum merita, *vel indignos recusandi,* detegendo eorum crimina, ita ut, si ea sciret, nec detegeret, merito illi imputaretur indigni ad episcopatum electio. Minime vero vult Cyprianus, esse præcepti divini, ut populus, præter testimonium vitæ, etiam, more judicum vel episcoporum, ferat suffragium. Ratio responsionis ex ipso Cypriano sumitur; nam 1°. ad probandum, quod dixerat, affert exemplum Eleazari; at hic certe non Synagogæ vel populi suffragio, sed immediate divino imperio, Synagoga solum præsente, constitutus est Pontifex. 2°. Quia proposito Eleazari exemplo, subdit : *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit, et ostendit, ordinationes sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri debere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima,* etc. Ac inferius : *Propter quod diligenter de divina traditione et apostolica observatione observandum est... ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Refert quidem etiam post Eleazari exemplum, electionem Mathiæ et septem Diaconorum, sed ad quæ jam responsum est, et præterquam quod Mathiæ electio principaliter sit peracta sortibus, hæc exempla tantum sunt, quæ nondum jus divinum constituunt, sed præcepta divina sunt, e quibus jus divinum nascitur.

44. *Nec dicant* porro : In Romana vero Ecclesia hoc ipsum examen et populi testimonium hodie non observatur amplius. Nam, quidquid sit de aliis regnis, in quibus etsi reges Episcopos nominent, non tamen sine inquisitione in dignitatem ac merita promovendi fit, in Germania, postquam jus eligendi ad solum clerum Cathedralem devenit, simul hic obligatione gravi tenetur, eligere eum, quem cæteris digniorem judicat, atque hoc ipso in vitam moresque eligendorum inquirere, quo modo nomine diœcesis digniorem seligit, et plebis supplet testimonium; idque melius; cum Canonici ex

magis familiari et quotidiana conversatione nosse possint dignitatem promovendi, quam dispersa plebs. Quod vero ministros inferiores attinet, præterquam quod ab ordinandis testimonia exigantur Academiarum de doctrina et moribus, præterea subire examen debent; ac porro ante ordinationem ipsam Archidiaconus ab Episcopo de ordinandis interrogatus : *Scis, illos dignos esse?* palam in Ecclesia, ac totius populi nomine fert testimonium.

Unde non premit Catholicos objectio; recte tamen Protestantes, qui plerique, quod *juris divini* tantopere alias prædicabant, ut populus eligeret, nunc penitus videntur contemnere; cum jus eligendi ferme singuli principibus asserant, alii quidem sic, ut Majestati intrinsecum, vel partem juris territorialis, qui putatitios Episcopos sine ullo plebis suffragio, neque semper cleri Cathedralis consensu, sine examine præficiunt; imo subin jure successionis hæreditario. Ita in episcopatu Osnabrugensi alternative ex Hannoveranis quis principibus succedit, juxta Instr. pacis Osnabrug. art. 13. In episcopatu Lubecensi ex pacto inito anno 1647. sex ordine Episcopi, aut Coadjutores eligendi sunt ex Gottorpiensi domo, de quibus vide Mascovii Princip. jur. publ. imper. Romano-Germanici L. 4. cap. 4. Hornii Jus publ. Prud. cap. 38. At qui hæc conveniunt, si *plebs jure divino* ipsa ferre debet suffragium? aut qua ratione Protestantes redarguere audent Catholicos?

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

—

ARTICULUS I.

ORDINEM SACRAMENTUM ESSE DEMONSTRATUR.

45. *Nota I.* Appellatio ordinis nunc pressius accipitur pro certo gradu hominum, qui ad res sacras ac divinas destinati sunt. Ordo hic bifariam considerari potest, vel *active,* ut scholæ loquuntur, vel *passive.* Priori modo ipsamet est *ordinatio,* seu ritus, quo ministri consecrantur, eisque potestas exercendi actiones sacras, ad sacrificium et altaris ministerium spectantes tribuitur; posteriori modo est ipsa potestas, quæ confertur; et de hac sermonem hic non instituimus, sed de illa; quæ quidem communi definitione circumscribitur, quod sit *ritus sensibilis, quo traditur potestas consecrandi ac ministrandi corpus et sanguinem Christi, nec non sacerdotio ex officio inserviendi.*

Nota II. Lutherus L. de captiv. Babyl. cap. de Ordine, Illyricus cap. 11. Confess. Antuerpiensis, Kemnitius 2. part. Exam. sacram. ordinationem e numero sacramentorum expungunt. Philippus Melanchthon in locis communibus an. 1523. Argentorati procusis duo duntaxat sacramenta statuerat: at in posterioribus ejusdem operis editionibus, nec non in Apologia art. 3.

Confess. August. ordinem inter vera sacramenta recenset, propterea quod ritum, mandatum ac promissionem habeat. Calvinus, tametsi plerisque in locis duo tantum asserat sacramenta : attamen L. 4. Institut. c. 14. §. 20. et c. 19. §. 28. ordinationem verum esse sacramentum ingenue fatetur, et excusans, quod hoc sacramentum alibi non commemoraverit, ait, ideo factum, quod duo tantum baptismus et cœna, omnibus sint fidelibus communia. Non inutile judicavimus, hanc Novatorum inter se dissensionem, variationem, et erumpentem ex invitis pectoribus veritatem adnotare. Porro duplex quæstio institui potest : prior generalis, utrum ordo sit sacramentum? posterior specialis, quinam ordines sacramenta sint? De priore nunc

46. *Dico.* Ordo est vere ac proprie novæ Legis sacramentum.

Prob. I. Tria sunt, quæ ad sacramentum constituendum, hæreticorum consensu, sufficiunt, symbolum externum, promissio gratiæ, et divinum mandatum, sive institutio. Hæc autem in sacra ordinatione reperiri manifestum est ex Scripturis. Nam symbolum externum, manuum scilicet impositio, legitur Act. 14. v. 22. *cum* (Paulus et Barnabas) *constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros,* ubi græca lectio habet χειροτονήσαντες, h. e. *impositione manuum ordinassent.* Haud alio ritu ordinatus est Timotheus, quem Paulus 1. ad Tim. 4. v. 14. ait, donatum fuisse gratia *per impositionem manuum presbyterii.* Et epist. 2. c. 1. v. 6. *per impositionem manuum* ejusdem Pauli. De externo itaque ritu hac in re nefas est dubitare. Deinde eadem ceremonia collatam fuisse gratiam, idem testatur Apostolus commonefaciens Timotheum priori loco : *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; in altero autem : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Denique huic ritui non deesse divinam institutionem compertum fit tum ex hujusmodi gratiæ promissione illi ceremoniæ annexa; neque enim homines unquam sensibilibus rebus vim effectricem gratiæ alligarunt: tum ex plurimis Scripturæ locis, in quibus Dominus Apostolis tradidit potestatem remittendi peccata, conficiendi Eucharistiam, ac sacra mysteria dispensandi.

Prob. II. Traditione Patrum. Ex Græcis Gregorius Nyssenus orat. in Baptismum Christi (opp. t. 2. p. 802. B.) ait vi verborum Christi fieri Sacerdotem *augustum et honorandum, novitate benedictionis a communitate vulgi separatum, et invisibili quadam vi et inaspectabili gratia invisibilem animum in melius transformatum gerere.* Nysseno consentiunt Chrysostomus hom. 1. in 2. ad Tim., Theodoretus in illud 1. ad Tim. 5. *Manus cito nemini imposueris,* Theophylactus et Œcumenius in 2. ad Tim. 1. Non minus diserte loquuntur Patres Latini. S. Ambrosius L. de dignitate Sacerdotali c. 5. (opp. t. 2. in app. p. 363. D.) interrogat : *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam, Deus, an homo? respondes : sine dubio Deus; sed per hominem dat Deus.* Et rursus : *homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* S. Augustinus, nomen etiam Novatoribus venerandum, L. 2. contr. epist. Parmenian. cap. 13. Donatistas exagitans sic scribit : *Ipsi* (Donatistæ) *explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti. Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, et illud amittitur? neutri sacramento injuria facienda est.*

Idem asserunt S. Hieronymus in Dial. contra Lucif. (opp. t. 2. p. 183.) Innocentius I. in epist. 18. ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum (Labb. t. 2. p. 1269. E.), Leo I. aliique Patres ac Pontifices apud Bellarm. Mentitur itaque Lutherus, cum loc. sup. cit. ait, e veteribus Patribus nonnisi unum Dionysium nobis suffragari.

Prob. III. Ecclesiæ definitione. Multa enim concilia ordinationes simoniacas ut illicitas damnarunt, quod in his pretio darentur sacramenta, et venalia fierent instrumenta gratiarum. Ita Synodus Chalcedonensis Act. 15. can. 2. (Labb. t. 4. p. 772. E.) gradu dejici jubet Episcopos, qui *propter pecunias ordinationem fecerint, et non venalem gratiam in venditionem deduxerint,* quod et factum in Bracarensi II. an. 572. can. 3. (Labb. t. 5. p. 897. B.) Synodus quoque Florentina in Decreto pro Armenis ordinem sacramentis annumerat, idque confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 23. can. 3. *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum... anathema sit.*

47. *Obj. I.* Impositio manuum, de qua Paulus in laudatis testimoniis, erat ceremonia quædam communis et vaga, quæ bonæ precationis causa adhibebatur infirmis æque ac sanis, uti fecit Christus parvulis, et Apostoli ægris, atque olim etiam in ordinatione Diaconissarum usurpabatur; ergo inepta est ad peculiare sacramentum constituendum.

R. *D. Ant.* Impositio manuum *materialiter,* ut aiunt, spectata est ceremonia communis et vaga *C.* accepta *formaliter,* prout est ad diversum effectum significandum et producendum instituta *N. Ant. et Conseq.* Argumento hoc aliud non evincitur, nisi quod non omnis impositio manuum fuerit sacramentum, quod de hac ceremonia curandis ægrotis, benedicendis parvulis adhibita ultro concedimus. At illa, quæ in ministrorum sacra inauguratione fiebat, erat verum ordinis sacramentum; nam ei annexa est gratia, usitata fuit ritu perpetuo, et satis secernitur a bona precatione, ut vel ex eo perspicuum est, quod ait Apostolus 1. ad Tim. 5. *manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Ubi sola præcox ordinatio prohibetur, minime vero bona precatio; neque enim qui pro alio, quantumvis indigno, precatur, communicat peccatis alienis.

48. *Inst.* 1. Nomen chirotonia χειροτονία, quod in Scriptura legitur, significat tantum manuum extensionem, qua olim populus magistratum civilem, et Clerici Episcopum, ut constat ex 4. canone Nicæno et 19. Antiocheno, deligebant, elata in altum manu suffragium ferendo; ergo inde non probatur sacramentum ordinis.

R. *N. Ant.* Nam juxta Scripturas et Ecclesiæ usum, manum extendere seu attollere, oportet intelligi cum addito, nempe super capita ordinandorum: Apostolus siquidem 1. ad Tim. 4. v. 14. et epist. 2. c. 1. v. 6. phrasi ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν, *impositionis manuum* utitur, et Tertullianus L. de Resurrectione cap. 8. extensionem manus, qua sacros ordines designat, *adumbrationem* appellat. Græci vero, tametsi χειροτονίας nomen interdum ad significandam Episcoporum electionem adhibeant; frequentius tamen illud usurpant pro sacramenti ritu, nec ordinant attollendo manum suffra-

gii ferendi gratia, sed super capita ordinandorum, ut constat ex Chrysost. hom. 10. in 1. ad Tim.

49. *Inst.* 2. Clerici inaugurantur ab Episcopis; at illa chirotonia, de qua Apostolus 1. ad Tim. 4., peracta fuit a presbyteris; ait enim Paulus: *per impositionem manuum presbyterii*; ergo ex impositione manuum facta Timotheo non infertur sacramentum ordinis.

R. *Presbyterii* nomine hic intelligi Episcopos, non presbyteros: primum quia Chrysost. hom. 13. exponens citata Pauli verba inquit: *non de presbyteris hæc ait, sed de Episcopis; non enim presbyteri Episcopum ordinabant.* Deinde quia Paulus in altera epist. ait: *per impositionem manuum mearum.* Sed de hoc infra iterum dicemus.

50. *Inst.* 3. Nullo Scripturæ loco legitur, Christum instituisse manuum impositionem, aut ea usum fuisse, sive in ultima cœna, quando constituit Apostolos sacerdotes, sive cum insufflando dedit eis potestatem remittendi peccata; ergo, etc.

R. *N. Cons.* Christus enim citra sacramentalem actionem gratiam impertiri poterat, utpote præditus potestate, ut vocant, excellentiæ. At homines illa virtute carentes id peragere debent mediis et instrumentis a Christo institutis. Cæterum quod nonnulli ex Gregorio Nysseno referunt, nempe Gregorium Thaumaturgum tridui itinere distantem a Phaedimo Amaseæ Episcopo in Neocæsareensem Antistitem fuisse ordinatum, non est ad rem. Phaedimus enim hortatu et precibus Gregorium detrectantem movit, ut episcopatum admitteret; *observatis tamen atque peractis, quæ fieri solent, legitimis sive solemnibus,* ut inquit Gregorius Nyss. orat. in Gregor. Neocæs. (opp. t. 2. p. 977. A.) Unde falsum est, solo voluntatis imperio creatos aliquando Episcopos fuisse.

51. *Obj. II.* Gratia sacramentis promissa est gratia sanctificans, seu *gratum faciens*, non *gratis data*; sed gratia, de qua citatis locis commemorat Paulus, est gratia gratis data; nam gratia ibi collata non χάρις dicitur, sed χάρισμα, quo nomine 1. ad Cor. 12. designantur, gratia sanitatum, discretio spirituum, aliaque dona, quæ eo loci διαιρέσεις χαρισμάτων *divisiones gratiarum* dicuntur. Accedit, quod Apostolus affirmet gratiam illam datam esse per *prophetiam*, h. e. ad donum prophetiæ. Unde Hieronymus in cap. 4. primæ ad Tim. gratiam hanc explicat de dono vel interpretandi Scripturas, vel futura prædicendi; Chrysostomus vero hom. 13. in eumdem locum, de auctoritate alios docendi.

R. *D. min.* Gratia ab Apostolo commemorata erat sola gratia gratis data *N.* conjuncta cum gratia sanctificante *C. min.* Ratio distinctionis ex ipso contextu petitur, cum Apostolus 2. ad Tim. 1. e vestigio subjungat: *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis,* quæ sane gratiæ sanctificantis signa sunt ac proprietates. Nec obstat, quod Apostolus utatur vocabulo χάρισμα, non χάρις; utriusque enim eadem vis est apud Græcos; et Paulus ipse ad Rom. 5. v. 15. gratiam justificationis aperte vocat χάρισμα, *sed non ut delictum, ita et donum,* οὕτω καὶ τὸ χάρισμα. Imo 1. ad Cor. cap. 12. variis gratiarum generibus enumeratis, inquit: *æmulamini autem*

charismata meliora. Quis vero credat Apostolum hortari nos ad æmulationem *virtutum* et *signorum*, et non potius sanctitatis et charitatis, qua seclusa gratiæ gratis datæ non sine argumento superbiæ postularentur.

Non minus ineptum est argumentum, quod Novatores petunt ex illis vocibus, *per prophetiam* : hæ etenim nequaquam significant donum vaticinandi Timotheo tunc collatum, sed cum peculiari Spiritus sancti jussione aut revelatione fuisse inauguratum Episcopum, quod manifeste ostendit B. Paulus c. 1. v. 18. ita scribens : *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* Atque huic interpretationi ipse Calvinus comment. in dict. loc. subscribit. Quanquam si legeretur etiam *ad prophetiam,* nihil nos urgeret. Fatemur enim, primis illis temporibus ad fidei primordia dilatanda ac commendanda una cum gratia sanctificante collatas fuisse gratias, quas gratis datas vocamus.

Quapropter de his etiam ceu notioribus et insignioribus donis Patres supra laudati meminerunt, quin tamen hi, aut sacræ paginæ excludant gratiam sanctificantem. Nam S. Chrysostomus hom. 1. in 2. ad Tim. explicans illa verba (opp. t. 11. p. 661. C.) : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei,* etc. inquit : *Hoc est, gratiam Spiritus, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, et ad omne religionis obsequium ; quippe in nobis est hanc vel extinguere vel excitare.* Postea vero demonstrat gratiam, quæ extinguitur, esse gratiam adoptionis, et charitatis, qua clamamus : *Abba Pater.* Videantur ulterius, quæ in Tract. præcedente de Eucharistiæ consecrandæ ministro dicta sunt.

ARTICULUS II.

DE ORDINUM ECCLESIASTICORUM NUMERO PERTRACTATUR.

52. *Nota.* Duplex hic movetur quæstio, 1°. an admittendæ sint variæ ordinum species, quas Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 2. enumerat. Rejiciunt enim eas Novatores, quos inter Calvinus cæteris impudentior L. 4. Instit. c. 19. minores ordines vocat *sacramentula*, ait ex turba illa minorum pullulasse subdiaconatum, nec usquam alibi de septem ordinibus, quam apud *ineptos istos rabulas Sorbonistas et Canonistas legi.*

2°. Disceptatur, an Græci eumdem nobiscum ordinum numerum admittant. Recentiorum enim complures asserunt quatuor duntaxat a Græcis ordines numerari ac conferri, scilicet *Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi et Lectoris*, quinque autem, si ordinibus *Episcopatum* accenseas. Ita Morinus de sacris ord. part. 3. Exercit. 1. c. 2. Martene L. 1. de Antiq. ritibus. c. 8. art. 1. Natalis Alex. de Ord. art. 4. c. 1. Tournely de sacram. Ord. q. 6. Witassius et alii.

53. *Dico I.* Septem ab initio ad hæc usque tempora apud Latinos obtinuerunt ordines, nempe Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, Ostiarii.

Prob. I. Ex summis Pontificibus. Cornelius Papa seculo tertio in epistola ad Fabium Antiochenum (apud Eusebium L. 6. Hist. c. 43.) testatur,

fuisse id temporis Romæ *Presbyteros quadraginta quatuor, Diaconos septem, totidem Subdiaconos, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas et Lectores cum Ostiariis quadraginta duos.* CAIUS item Rom. Pontifex eodem seculo constituit, ne per saltum clerici promoverentur, nec aliquis esset Episcopus, nisi prius esset *Ostiarius, Lector, Exorcista, Sequens, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter.* (ex L. pontificali Damasi papæ. apud Labbe t. 1. p. 923. E.) Recensentur iidem ordines in epistola GELASII ad Episcopos Lucaniæ exarata an. 494. de qua etiam in Decreto dist. 77. can. *Si quis* et can. *Monachus.*

Prob. II. Ex Conciliis. Carthaginense IV. celebratum an. 398. expressam mentionem facit septem illorum ordinum a canone secundo usque ad nonum (Labb. t. 2. p. 1199-1200.). Eosdem commemorat Concilium Aquisgranense an. 816. (ibid. t. 7. p. 1313. et seqq.) L. 1. de Instit. Clericorum, Florentinum in decreto Unionis de singulis ordinibus pertractat. Tridentinum denique Sess. 23. can. 2. ita statuit: *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur; anathema sit.* Hoc canone non determinat quidem, nec figit, quis sit illorum ordinum numerus; at cap. 2. ejusdem Sess. rem paulo amplius evolvit, cum recensens septem illos ordines ait, eorum *ab ipso Ecclesiæ initio nomina atque propria ministeria in usu fuisse.* Accedit unanimis hac super re scriptorum Ecclesiasticorum consensus, Isidori Hispal. L. 7. Etymologiarum c. 12. Rabani L. 1. de institutione Clericorum c. 6. et seqq. Amalarii L. 2. de officiis Eccles. c. 7. et seqq. Hugonis Victor. L. 2. de Sacramentis p. 3. c. 5. Magistri sent. in 4. Dist. 24. apud Bellarm. L. de Clericis c. 11. Neque hæc Romanæ Ecclesiæ doctrina everti potest institutis ritibusque Ecclesiæ græcæ, ut mox ostendemus.

54. *Dico II.* Septem pariter in antiqua saltem Græcorum Ecclesia ordines fuere. Est contra Theologos supra laudatos, asserentes gradus Acolythi, Exorcistæ, et Ostiarii nunquam apud Græcos obtinuisse.

Prob. S. DIONYSIUS, seu auctor operis de Hierarchia Eccles. c. 3. (opp. t. 1. p. 187. D.) de Ostiariis ita scribit: *Ministrorum hi quidem ad januas templi clausas consistunt; cæteri autem aliud quid proprii muneris exequuntur.* S. IGNATIUS martyr in epistola ad Antiochenos, *Saluto,* inquit, *sanctum presbyterium, saluto sacros Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas.*

Nec dicant adversarii, hæc SS. Dionysii et Ignatii scripta inter spuria et suppositiitia amandari. Nam hoc cum Bellarmino L. de Script. Eccl. alii viri doctissimi negant. Deinde etsi istud largiremur, ex iis tamen scriptis, cum non sint fœtus posterioris ætatis, perspicuum est non deesse Græcos, qui præter Lectoratum alios ordines minores agnoscant. Præterea Synodus Laodicena can. 24. (Labb. t. 1. p. 1502. A.) *Non oportet,* inquit, *sacratos a Presbyteris usque ad Diaconos, et deinceps quemlibet Ecclesiastici ordinis, usque ad Ministros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Exercitatorum ordinis in cauponam ingredi.* EPIPHANIUS quoque in Exposit. fidei cap. 21. (opp. t. 1. p. 1104. C.) Ecclesiasticis ministris *Exorcistas* et *Janitores* annumerat. Invenimus ergo apud Græcos præter Lectoratum alios quoque ordines minores.

Dixi : *in antiqua saltem Græcorum Ecclesia.* Non enim diffitemur, Græcos successu temporis a veteri more recessisse, quod et in ipsis reprehendit INNOCENTIUS IV. epistola ad OTHONEM Tusculanum Cardinalem Sedis Apostolicæ in Cypro legatum (Labb. t. 11. p. 614. n. 19.). Quanquam dici potest, solum Exorcistatum a Græcis recentioribus negligi, Acolythatum vero et Ostiariatum simul cum Subdiaconatu conferri. Colligitur hoc 1°. ex formula in ipsa Subdiaconi inauguratione a Græcis usurpari solita, in qua præter alia verba hæc leguntur : *Ipse Domine, conserva illum in omnibus sine querela et reprehensione : da illi amare honestatem et decorem domus tuæ, assistere portis templi sancti tui, et accendere lumen tabernaculi gloriæ tuæ.* Morinus de Sacris Ordinat. part. 2. pag. 84. Conficitur 2°. ex constit. BENEDICTI XIV. *Etsi Pastoralis* super ritibus Græcorum, ubi Pontifex ait, quod clericus Græcus *per Subdiaconatum græco ritu collatum, Acolythatum et Ostiariatum recepisse censeatur.* Igitur revera hi ordines existunt apud Græcos, quamvis seorsim non conferantur.

53. *Obj. I. contra Assert.* 1um. Dionysius c. 5. Hierarch. Eccl., Hieronymus in cap. 19. Isaiæ, Optatus L. 2. de schismate Donastist. n. 14. tres duntaxat ordines recensent, Pontificum, Presbyterorum, et Diaconorum ; ergo perperam septem a Catholicis statuuntur. Ita Calvinus et Kemnitius.

R. Iidem Patres aliorum quoque ordinum meminerunt : de Dionysio constat ex dictis supra. S. Hieronymus commemorat Subdiaconos in epist. 91. (al. 102. ad Augustinum.), Acolythos ac Lectores in epist. 2. (al. 52. n. 5.) ad Nepotianum, Exorcistas denique et Ostiarios in Commentario cap. 2. epist. ad Titum. Optatus loc. cit. Ecclesiæ ministros generali appellatione commemorat. Unde *D. Ant.* Patres illi tres tantum ordines recensent, relate ad suum propositum *C.* excludendo cæteros *N.* Dionysii (si tamen is auctor est istius operis) scopus erat exponere, non numerum ordinum, sed hierarchiarum, quæ quidem tres sunt, prima Pontificum, Sacerdotum altera, tertia Diaconorum. Diaconi enim, tametsi comparati ad Sacerdotes, ministri dicantur et sint; attamen præsules etiam sunt, si comparentur ad plebem, ideoque et hierarchæ dicuntur. At inferiores ordines non præsunt populis, sed Diaconis et Sacerdotibus ministrant. S. Hieronymus eo loci non loquitur de ordinibus clericorum, sed christianorum : hinc primo loco clericos, deinde laicos, quos fideles vocat, ultimo catechumenos, velut in Ecclesiæ vestibulo, collocat. Ex clericis autem tres duntaxat nominat, quibus tamen comprehenduntur reliqui, quos aliis in locis distincte commemorat. Porro si qui Patres ac Theologi veteres duorum tantum ordinum meminerunt, Presbyteri scilicet et Diaconi, ideo fecerunt, quod horum ministerium proxime spectet ad Eucharistiam, quam Sacerdotes consecrant, Diaconi vero olim sub specie vini ministrabant.

56. *Inst.* 1. Admissis semel ordinibus aliis præter Sacerdotium et Diaconatum, necessum erit adstruere plures, quam septem. Nam apud veteres etiam *Psalmistæ* seu *Cantores*, et *Fossarii* seu *Laborantes*, qui defunctorum corpora humabant, connumerantur ; ergo.

R. *N. Assert. Prob. D.* Connumerantur isti tanquam ordines Ecclesiastici *N.* tanquam officia Ecclesiasticorum *C.* Apud latinos Psaltæ quandoque

erant ii, qui citra ullam initiationem clericalem fungebantur officio cantorum, uti constat ex can. 10. Concilii Carthag. IV. jam citati, ubi : *Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero : vide, ut quod ore cantas, corde credas ; et quod corde credis, operibus comprobes.* Aliquando etiam *Psalmistarum* nomine intelliguntur ii, qui sola tonsura initiati ad psallendum in choro admittuntur cum aliis clericis, ut colligitur ex cap. *Cum inter,* Extra. de re judic. Apud Græcos vero Lectorum Cantorumque idem censetur ordo. Concilium enim Laodicenum can. 15. statuit, *non licere præter canonicos psaltes, id est, qui regulariter cantores existunt, quique pulpitum ascendunt, et de codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia psallere.* Qui autem e suggestu legebant, erant Lectores : igitur horum nomine *Psaltæ* comprehenduntur.

Idem dicendum de *Fossoribus,* qui non alia de causa clericorum nomine interdum cohonestantur, nisi quia iisdem clericis id negotii dabatur, ut mortuos tumulo mandarent : quod præsertim in sepultura martyrum servatum fuisse, extra controversiam est. Porro *Fossarios,* qui et *Copiatæ* dicebantur, veros non fuisse clericos, ex eo constat, quod in codice Theodosiano L. 12. de Episc. asseratur, occupatos defunctorum obsequiis *clericorum vocabula* sibi usurpare, ideoque non esse in aliquo clericali ordine constitutos.

57. *Inst.* 2. Episcopatus est ordo a presbyteratu distinctus : pariter prima tonsura c. *Cum contingat,* de ætate et qualit. præficiendorum, ordo clericalis vocatur. Plures ergo sunt ordines, quam septem.

Ad 1um. R. *D.* Episcopatus præcise seu incomplete spectatus, est ordo a presbyteratu simplici distinctus *C.* Episcopatus complete sumptus *N.* Cum dicimus septem esse ordines, Sacerdotium, etc. ordo Sacerdotum accipitur, prout Presbyteratum simul et Episcopatum complectitur, quoniam ex utroque efflorescit unum Sacerdotium atque perficitur. Unde Episcopatus a Sacerdotio complete spectato inadæquate tantum distinguitur. Ex quo et illud consequitur, quamvis Presbyteratus sine præviis ordinibus aliis valeat, Episcopatum tamen sine Sacerdotio minime valere.

Ad 2um. R. Tonsuram non esse ordinem in pressiore significatione acceptum, sed, ut ait Catechismus Rom. p. 2. c. 7. §. 13. *quamdam præparationem ad ordines suscipiendos : ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent : ita cum tonso capillo Deo dicantur, tanquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur.* Nulla quoque spiritualis potestas per tonsuram clericalem initiatis confertur, sed hi deputantur duntaxat ad vacandum præ cæteris divino cultui, psallendo præcipue, quod quidem munus ad Eucharistiam peculiari titulo non pertinet, quemadmodum de *psalmistatu,* quem eumdem cum *tonsura* esse ordinem adversarii contendunt, paulo ante ex Concilio Carthag. IV. docuimus. Quare *ordinis clericalis* nomine, quod usurpatur cit. c. *Cum contingat,* intelligitur status, quo clerici præeminent laicis. Præterea eo loci cum tonsura etiam alii minores ordines comprehenduntur ; refertur quoque canon 14. Synodi VII. (Labb. t. 7. p. 607. D.) quo statuitur, Lectores ab Abbate in proprio monasterio ordinari posse, ideoque cit. capituli sensus esse potest, tonsura et minoribus ordinibus initiatum revera esse clericum, revera ordinatum.

Non minus infirmum est, quod ex Constit. Sixti V. quæ incipit : *Sanctum et salutare* proferunt de eorum *degradatione*, qui tonsura sunt initiati, ac de *charactere clericali*, quo tonsurati dicuntur insigniri. Liquet enim, *degradatione* initiatum non dejici ab ordine, prout sacramentum et character est, sed ab officio, habitu et privilegiis arceri, et ad laicorum conditionem redigi. Nomine autem characteris, qui in eadem Bulla tonsuratis tribuitur, non animi habitudo denotatur, sed exterior nota commode intelligi potest.

Cæterum animadvertendum est, hoc unum a Concilio Trid. adversus Novatores fuisse definitum, nempe ordinem esse verum novæ Legis sacramentum, ac septem esse ordines ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora usitatos, per quos ad sacerdotium rite ascendatur. Utrum vero septem *tantum* sint ordines, hoc non est de fide. Unde Concilium Trid. non dixit esse septem *tantum* ordines, quemadmodum definivit esse septem *tantum* novæ Legis sacramenta.

58. *Obj. II. contra Assert.* 2um. In nullis Græcorum Ritualibus mentio aliqua Acolythorum, Exorcistarum et Ostiariorum reperitur : atqui credi vix potest, illos ordines, si revera apud Græcos aliquando obtinuissent, iis in libris fuisse prætermissos; ergo.

R. *N. min.* Cum enim ex productis supra Græcorum veterum monumentis perspicuum sit, alia præter Lectorum munia a principio extitisse; merito creditur, ea successu temporis in desuetudinem abiisse, clericosque in compluribus Orientalium Ecclesiis per saltum, ut aiunt, fuisse promotos, ut fortasse ante Cornelii Papæ tempora etiam in Ecclesia Rom. aliquando agebatur. Roboratur hæc responsio ex eo, quod Gabriel Philadelphiensis apud Morinum part. 2. pag. 202. de ordinibus scribit : *Septem sunt ordines Sacerdotii. Primus est Janitorum et Acolythorum ; secundus Exorcistarum ; tertius Lectoris; quartus Subdiaconorum ; quintus sacrorum Diaconorum ; sextus Sacerdotum ; septimus principum Sacerdotum seu Episcoporum. Hunc numerum antiquum esse in Ecclesia testatur S. martyr Ignatius in epistolis suis.* Ubi nota in septenario ordinum numero comprehendi quidem Episcopos, sed Janitores et Acolythos simul conjungi.

59. *Inst.* 1. Concilium generale VIII. act. 10. can. 5. (Labb. t. 8. p. 1371.) declarans non alium ad episcopatus honorem evehi debere, quam qui *per omnes gradus Ecclesiasticos* definitis temporibus prius transiisset, quatuor duntaxat gradus ordinum appellat. Huic canoni consentiens Joannes VIII. S. Pontifex, in sua epistola ad Imperatorem Basilium data, volumus, inquit (Labb. t. 9. p. 132. D.), *quod nec præpropere contra canones ecclesiasticos, decretaque majorum cito quilibet lector, cito acolythus* (pro subdiacono acolythus hic ponitur), *cito diaconus, cito sacerdos vel episcopus fiat.* Ergo Græci præter lectoratum alios minores ordines non conferebant.

R. 1°. *N. Conseq.* Ob rationem in obj. allatam.

R. 2°. *D. Cons.* Præter lectoratum alios minores ordines non conferebant seorsim seu separatis ordinationibus *C.* conjunctim cum ordinibus aliis *N.* Ordines acolythatus et ostiariatus una cum subdiaconatu apud Orientales conferri supra demonstravimus, atque ipsa adversariorum consensione firmatur. Fatentur enim Joannem VIII. qui nobis objicitur, acolythi nomine

significasse subdiaconum, cui, ut Morinus ipse advertit part. 3. Exercit. 14. c. 1. n. 6. *Græci ea prope omnia officia, quæ Acolythis suis Latini tribuunt.* Quod ergo Joannes Pontifex probans Synodi VIII. canonem, ordines proprio nomine non distinguat, ratio est, quia acolythatus et ostiariatus simul cum hypodiaconatu conferuntur a Græcis, neque Pontifex exigit sejunctas ac distinctas initiationes; quas tamen a Græcis aliis Latinorum ditioni subjectis seculo XIII. servandas præcipit Innocentius IV. Porro exorcistatum a recentioribus neglectum fatemur; ab aliis tamen Orientalibus tribui solitum constat ex Gabriele Philadelphiensi supra relato.

60. *Inst.* 2. Ostiarii, Exorcistæ, et Acolythi, qui a vetustis illis scriptoribus memorantur, non sunt veri, ac proprie dicti ordines, ex aliqua scilicet vera *ordinatione*, sed officia quædam ex *commissione* in templis exerceri solita absque peculiari initiatione: patet ex eo, quod in laudatis scriptorum istorum testimoniis aliquis ex receptis ab Ecclesia Romana ordinibus prætermittatur, aliquis insuper addatur; ergo.

R. *N. Ant.* Nam quod ad *Ostiarium* attinet, is in canone Trullano 4. (Labb. t. 6. p. 1144. C.) aperte secernitur a laico, et in ordine Ecclesiastico constituitur. Hoc enim canone statuitur, ut, si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel *Ostiarius* mulieri Deo dicatæ vitium attulerit, deponatur; *sin autem laicus, segregetur.* Exorcistam vero peculiari ordinatione non minus, ac lectorem et hypodiaconum apud Græcos initiari, apertum est ex can. 10. Synodi Antiochenæ an. 341. (Labb. t. 2. p. 566. D.) ubi Chorepiscopis permittitur, ut *ordinent Lectores et Subdioconos, et Exorcistas.* Denique *Acolythi* ordinationem Χειροθεσίαν appellat Simeon Thessalonicens. L. de sacris ordinat. cap. 1. apud Morinum part. 2. pag. 129. Quid præter impositionem manuum, et verborum formam, quæ pariter in græca ordinatione Acolythi reperitur, ultra ad ordinem proprie dictum exigas? quid aliud præcipiunt Græcorum Euchologia in ordinatione Lectoris? Queritur præterea Simeon Thessalonic. hanc *Ceroferi* ordinationem sua ætate cessasse, quæ tamen, ut ait, *vigebat ante paucum tempus in Thessalonicensi Ecclesia, et in antiquis formulariis describitur.* Atqui munus deferendi cereos in Ecclesiis Græcorum nunquam fuit abolitum: igitur ægre fert Simeon ritum *ordinationis* fuisse neglectum. Cæterum ex quo scriptores Græci non omnes distincte ordines recensent, minime sequitur, eos, qui alicubi prætermittuntur, ex ordinum numero esse expungendos; neque enim necesse est, ut, ubicumque de ordinibus sermo est, singillatim omnes enumerentur, quod et adversarii de ordinationibus Latinorum fateri debent.

ARTICULUS III.

DE QUATUOR ORDINIBUS MINORIBUS.

61. *Nota 1.* Ordines distinguuntur in *majores et sacros,* hoc est, per quos datur jus propius ad altare accedendi, sacra peragendi, aut presbyteris rem divinam peragentibus proxime assistendi; et in *minores* seu non sacros, id est, qui non ita prope ad Eucharistiam accedunt. *Ordo dicitur sacer,* inquit

S. Thomas in 4. Dist. 24. q. 2. a. 1. q. 3. *qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam : et sic sunt tantum tres ordines sacri, scilicet sacerdos et diaconus, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata : et ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant.* Quatuor igitur sunt minores ordines, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus. De quibus hic agere instituimus.

62. *Nota II. Ostiarii* munus est aperire et claudere templorum fores, res, quæ in Ecclesiis servantur, custodire, arcere infideles et excommunicatos, vel ausu quodam templum ingressos ejicere, præsertim dum sacra celebrantur, et juxta Pontificale Romanum, aperire librum ei, qui prædicat. *Lectoris* officium est legere clara distinctaque voce libros novi veterisque Testamenti, cantare lectiones, benedicere panem ac novos terræ fructus. Nonnulli dixere, huic ordini alligatum olim fuisse ministerium concionandi, eo quod in Pontificali Rom. habeatur, *Lectorem oportere legere ea, quæ prædicat, et lectiones cantare.* At *prædicare* hic aliud nihil sonat, quam alta claraque voce e suggestu publice legere, nisi fortasse hujusmodi prædicatio ad rudimenta fidei, quæ aliis explicet, revocetur; hoc enim ad Lectorem spectare asserit Catechismus Rom. de Sacram. Ord. n. 16. *Exorcistæ* præcipuum munus est ejicere dæmones ex obsessis corporibus : fundit præterea aquam in baptismi ministerio, monetque, ut, qui sacram synaxin non sumunt, cæteris sumpturis locum cedant. Ad *Acolythos* denique (quorum nomen idem sonat ac *pedissequus* a verbo ἀκολουθέω, sequor) pertinet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, et aquam ad Eucharistiam ministrare. Videatur Pontificale Romanum.

At difficilior restat controversia, an minores ordines sint sacramenta proprie dicta. Negant cum nonnullis veteribus complures recentiores : Morinus part. 3. Exercit. 11., Juenin. q. 7. c. 1., Lud. Habert. part. 1. de Ord. c. 6., Tournely q. 6. art. 5., Witassius q. 5. art. 1. aliique ex Sorbonicis. Affirmant cum S. Thoma Thomistæ fere omnes, cum Scoto Scotistæ. Idem sentiunt Paludanus, Richardus, Victoria, Sylvius, et veteres Scholastici omnes, perpaucis exceptis, ex recentioribus vero gravissimi quique, ut testatur Bellarminus, qui et ipse sententiæ affirmanti subscribit, sic tamen, ut eam intra probabilitatis fines contineri fateatur.

63. *Dico I.* Probabilis est sententia negans quatuor minores ordines esse sacramenta.

Argumentum I. hujus opinionis est, quod nullus ex antiquis asserat, eos ordines esse institutionis divinæ. Non igitur assurgunt ad dignitatem sacramenti.

Argum. II. Urbanus Papa II. in concilio Beneventano apud Yvonem Carnotensem Decreti part. 5. cap. 72. inquit : *Ordines sacros dicimus Diaconatum et Presbyteratum. Hos si quidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse : super his solis præceptum apostolicum habemus.* Ergo.

Argum. III. Minores ordines nec semper iidem nec eodem numero habiti sunt : nonnulli enim extitere olim, qui jam plane desierunt, ut Psalmistarum, etc. Ecclesia autem græca nullum ordinem inferiorem præter Lecto-

ratum agnoscit. At Græci tres ordines non prætermisissent certe, si eos ad dignitatem sacramenti a Christo evectos existimassent; ergo.

Argum. IV. Minorum ordinum officia sunt ejusmodi, ut iis etiam laici licite perfungi possint. Non igitur eisdem inesse sacramenti ratio videtur.

Argum. V. Cæteri ordines non alia de causa sacerdotio et diaconatui videntur adjecti, nisi ut ad sacerdotium digniores tantum et adulti, posthabitis tironibus et neophytis, promoverentur, et ut ad sacerdotalem gradum productior esset ascensus. Aliam rationem indicat Amalarius L. 2. de officiis Ecclesiasticis c. 6. (Bibl. mag. PP. t. 10. p. 380. A.). Postquam asseruit duos esse in Ecclesia ordines necessarios, quos S. Paulus appellavit, presbyterorum nempe et diaconorum, addit : *cæteri ordines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum : ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpositorum.* Deinde laudat in eumdem sensum, auctoritatem S. Ambrosii, vel potius Ambrosiastri, in Tractatu de epist. ad Timoth. 2ª. Ergo ordines isti ad Ecclesiasticam disciplinam, non ad Christi institutionem referendi sunt. Hæc aliaque momenta profert Morinus, queis e sacramentorum numero etiam subdiaconatus expungitur. Nihilominus

64. *Dico II.* Probabilior videtur sententia affirmans, minores ordines esse sacramenta proprie dicta.

Prob. I. Ex Concilio Florentino, quod in Decreto super unione Armenorum sic habet : *Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane porrectionem : diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem : et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et sic de aliorum ordinum formis. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus : effectus augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.* Hucusque Decretum : ubi Armenis principio traditur, sextum sacramentum esse sacramentum ordinis. Deinde recensitis rebus, quibus apud Latinos conferuntur majores ordines, subjicitur : *et similiter de aliis :* definita pariter ordinationis forma, qua sacerdotii ordo confertur, subjungit Concilium : *et sic de aliorum ordinum formis.* Videtur itaque sub generali appellatione *ordinis* et quidem *sacramenti*, non majores tantum, sed et minores ordines complecti.

Respondent prioris sententiæ patroni, materiæ *sacramenti* ordinis exemplum in sacerdotio duntaxat et diaconatu a Concilio reponi, et ex data occasione subjici materiam subdiaconatus, atque indicari materiam minorum ordinum; minime vero statui, quemcumque ordinem esse sacramentum; cum ad Synodi propositum sufficiat, quod vel una ex ordinationibus, quarum materiam assignat, sit sacramentum. Valeret, fateor, hæc responsio, si, quæ hic debet, dispar ratio eaque efficax afferri posset, cur Florentinum exemplum de *sacramenti* ordinis materia in presbyteratu et diaconatu, non item in reliquis ordinibus ponat. Certe vox *similiter*, qua utitur Decretum, haud obscure sacramenti rationem utrobique denotat; præsertim cum deter-

minatio una, quæ ad plura determinabilia refertur, ea pari eodemque modo determinet.

Prob. II. Concilium Trid. postquam Sess. 23. can. 2. definiverat, *præter sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios ordines majores et minores,* sequenti canone citra ullam restrictionem statuit, *sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.* Et can. 6. definit in Ecclesia esse Hierarchiam *divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris* : ministrorum nomine intelligens omnes reliquos ordines, quos cap. 2. diserte nominaverat. Ergo præter sacerdotium et diaconatum cæteri quoque ordines divina sunt ordinatione instituti, ac proinde veri sacramenti rationem habent.

Tametsi igitur concedamus, quod aiunt adversarii, noluisse hac de re quidquam definire Tridentinum, utpote coactum ad extirpandos errores Novatorum, negantium sacramentum ordinis, et septem hujus gradus deridentium, quod et Pallavicinus L. 21. cap. 13. fatetur : manifestum tamen est, Tridentinos Patres in eam, quæ cæteris ordinibus sacramenti proprietatem tribuit, sententiam propendisse.

Prob. III. Ordines etiam inferiores imprimunt characterem sacramentalem. Affirmat hoc S. Thomas q. 35. Suppl. a. 2. probatque ex eo, quod hi ordines nunquam iterentur, iisdemque clerici *constituantur supra plebem in aliquo gradu potestatis spiritualis ordinatæ ad dispensationem sacramentorum;* ad quod *requiritur signum distinctivum ab aliis.* Suffragatur Pontificale Romanum, in quo Tit. *de Ordinibus conferendis,* Episcopus in omnibus ordinationibus jubetur monere ordinandos, *quod instrumenta, quibus character imprimitur, tangant.*

Reponunt, qui tuentur oppositum, etiam primam tonsuram repeti nequaquam posse, nec tamen ea characterem imprimi. Idem itaque dicendum de subdiaconatu et minoribus ordinibus, qui si iterari non possunt, ideo fit, quod Deo semel consecrata, semper consecrata maneant, ut in altarium quoque et Ecclesiarum consecratione patet. Verum videntur hæc argumentum adeo non diluere, ut corroborent magis. Ipse enim Morinus, a quo opinionis suæ momenta ferme omnia reliqui mutuantur, part. 3. Exercit. 15. c. 4. n. 12. affirmat, tonsuram *omnibus sacrorum ordinum candidatis separatim, et ante quemvis ordinem* olim collatam fuisse. Ut igitur modo non iteretur, sola Ecclesiæ consuetudo facit. Deinde quemadmodum templorum consecratio non repetitur, eo quod chrisma consecrationem tribuat permanentem; ita haud alia de causa non iteratur ordinatio, nisi quia signum aliquod indelebile imprimit, ut infert S. Thomas : et merito quidem ; nam et ex eo quod compertum nobis sit, Baptismum et Confirmationem iterari non posse, recte colligimus, id provenire ex permanente quodam effectu, scilicet charactere.

Prob. IV. Quidquid ad sacramenti constitutionem requiritur ac desiderari potest, id omne in collatione inferiorum ordinum reperitur. Primum enim habetur symbolum externum, situm in materia et forma, non qualibuscumque, sed quæ exprimunt potestatem ministerii in ordine ad mysterium Eucharistiæ. Deinde nec deest divina institutio, ut ex Tridentino docuimus. Demum ex eodem effectus gratiæ exteriori ritui annexæ ostenditur. Nam Sess. 23. c. 3. generatim docet, *per sacram ordinationem, quæ verbis*

et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri. Accedit, quod unus sacramenti effectus, cujusmodi est character, ab alio, qui est gratiæ, ubi suscipientis non deest dispositio, sejunctus esse nequeat.

Hæc argumenta, tametsi demonstrationis vi non polleant; plus tamen habere ponderis, quam oppositæ sententiæ momenta videntur. Quare si quis assertionem hanc posteriorem tueri velit; ad rationes prioris sic respondere poterit.

Ad 1um. R. *N. Ant.* Ordines enim inferiores a Christo institutos fuisse, inde magna probabilitate conficitur, quod Concilia Patresque antiquissimi eorum mentionem faciant, Concilium vero Tridentinum definiat, *uniuscujusque eorum propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse*, nec ostendi possit, quando primo in Ecclesiam fuerint invecti; tametsi non semper per omnes gradus seorsim susceptos, initiati ad Sacerdotium ascenderint. Nam, ut ait S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. a. 1. *in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una diaconi potestate, sed postea ampliatus est cultus divinus; et Ecclesia, quod implicite habebat in uno, explicite tradidit in diversis.* Unde

Ad 2um. R. *N. Conseq.* Dici enim percommode potest, *collationem* subdiaconatus atque minorum ordinum relictam fuisse Ecclesiæ dispositioni et arbitrio, et idcirco URBANUM asserere, quod de his *præceptum Apostolicum* non habeamus; non autem, quasi illorum ordinum institutio a Christo non proficiscatur.

Ad 3um. R. *D. Ant.* Minores ordines nec semper iidem, nec eodem numero habiti sunt *explicite C. implicite*, ut loquitur S. Thomas *N.* Constat ex dictis art. 2. ubi, quæ de psalmistarum aliorumque officiis dudum desuetis objiciuntur, disjuncta pariter contritaque leguntur. Illud hic addimus sedulo observandum, nempe Concilium Carthaginense IV. (Labb. t. 2. p. 1200.) cum a canone secundo ad nonum usque de singulis ordinibus pertractat, semper uti vocabulo *ordinationis*; *Diaconus cum ordinatur, Subdiaconus cum ordinatur, Acolythus cum ordinatur*, et sic de cæteris: at cum can. 10. et 11. de psalmista et consecratione sanctimonialis agit, ab *ordinationis* nomine prorsus abstinere. Quid ita? quoniam voci *ordinationis* non cujusvis ministerii aut ritus, sed rei cujusdam augustioris, veri scilicet ordinis ac sacramenti significationem subesse existimavit.

Ad 4um. R. *N. Cons.* Quamvis enim minorum ordinum ministeria laici quandoque, ob clericorum defectum aut negligentiam, licite exerceant; hoc tamen non faciunt ex officio, et suscepta potestate. Hanc responsionem adhibet S. Thomas q. 37. Suppl. a. 4. ad 9. eamque hoc exemplo illustrat: *sicut*, ait, *in domo non consecrata potest dici Missa, quamvis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur, ut in ea Missa dicatur.*

Ad 5um. R. *N. Ant.* Nam ex c. *Sollicitudo*, Dist. 3. sive ex rescripto Alexandri II. ad episcopum Constantiensem, ordinatus in diaconum et presbyterum, *subdiaconatus ordine postposito*, tenetur subdiaconatum ipsum suscipere: ideoque non in gratiam tironum minores ordines sunt instituti. Ne vero neophyti ad sacerdotii honorem obreperent; definitum inter unum et alterum ordinem ab Ecclesia fuit aliquod temporis intervallum, non

autem instituti ordines aliqui, qui ab exordio Ecclesiæ minime extiterint. Quamvis igitur, ut scribit S. Leo Magnus epist. ad Anastasium Thessalonicensem 6ª. (al. 4ª.), *qui sacerdos et Levita ordinandus est, per omnes clericalis officii ordines provehatur, ut diuturno discat tempore, cujus et doctor ipse futurus est;* non alium tamen in finem, quam *ad Eucharistiæ consecrationem, decentemque ejus tractationem septem ordines sunt instituti*, ut q. cit. a. 2. scribit Doctor Angelicus, et fuse prosequitur.

ARTICULUS IV.

DE SUBDIACONATU.

65. *Nota I.* Subdiaconi nomen idem significat, ac *Subminister,* cum Diacono subsit, eique inserviat. Unde subdiaconi officium est, vinum et aquam pro altaris ministerio præparare, ministrare diacono, calicem et patenam in usum sacrificii eidem offerre, pallas altaris et corporalia abluere, Epistolam in Missa solemni legere. Olim etiam ad subdiaconum pertinebat catechumenis tradere rudimenta fidei: apud Græcos vero custodire fores templorum, catechumenos introducere, et educere eos, qui pœnitentiam publicam obibant, ut tradit Morinus.

Nota II. Subdiaconatum esse ordinem sacrum, atque inter eos, qui majores dicuntur, computandum, aperte declarat Tridentina Synodus Sess. 23. cap. 3. et Doctores omnes consentiunt. At duo, quæ difficultatem ingerunt, discutienda restant: primum, utrum subdiaconatus pro ordine sacro semper fuerit in Ecclesia Dei agnitus? alterum, an sit veri nominis sacramentum? Recentiorum complures cum Morino Exercit. 12. cap. 5. contendunt, subdiaconatum per duodecim priora secula in classe minorum ordinum locatum fuisse, inde vero eximi cœpisse, cum eidem solemne castitatis votum fuit annexum. Pariter, qui inferioribus ordinibus, ii quoque subdiaconatui dignitatem sacramenti denegant, ea scilicet ducti ratione, quod sacerdotio et diaconatu exceptis, ordines reliqui auctorem Christum non habeant.

66. *Dico I.* Verosimilius est Subdiaconatum semper in Ecclesia Dei fuisse *ordinem sacrum,* quatenus hic spiritualem tribuit potestatem, in sacrificio altaris propius inserviendi.

Prob. I. Concilium Tridentinum supra relatum declarat, *uniuscujusque* septem ordinum *propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse.* Atqui proprium subdiaconi ministerium est, inservire in sacrificio missæ propius, quam initiati minoribus ordinibus faciunt, contrectare sacra vasa et ad sacrificium deferre, aliaque munia paulo ante commemorata obire, ut vel ex sola subdiaconi ordinatione apparet. Ergo subdiaconatus semper et a sui institutione ordo fuit sacer, in prædicto sensu acceptus.

Prob. II. Idem Tridentinum Sess. 23. c. 2. diserte inquit: *Subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur.* His autem verbis vetus et universalis exprimi traditio videtur; neque enim recentiores, dum hoc Tridentini pronuntiatum ad posteriorum seculorum Patres et Concilia

referunt, aptam hujus interpretationis rationem afferre possunt, quemadmodum nec demonstrare valent, quandonam primum subdiaconatus in Ecclesiam fuerit intrusus; ergo.

Cæterum si denominatio *sacri* a continentiæ voto proficiscatur, fatemur eo sensu subdiaconatum non fuisse semper ordinem sacrum. Sed cælibatus ad sacri ordinis decentiam, non ad substantiam pertinet; alioqui sacris ordinibus carerent Græcorum Ecclesiæ. Sed de hoc infra recurret sermo. Rursus si ordo sacer pro hierarchico accipiatur, facile concedimus, subdiaconatum ordinibus sacris non accenseri. Hierarchæ enim sunt, qui jurisdictionem aliquam seu principatum in Ecclesia obtinent, cujusmodi sunt Episcopi, Presbyteri et Diaconi, ut docent Patres, Ignatius epist. ad Trallianos, Hieronymus in cap. 2. epist. ad Titum, Chrysostomus hom. 83. (al. 82.) in Matth. His siquidem in suo cuique gradu competit regere gregem, sacramenta aliqua ministrare ac prædicare verbum Dei : quod cum potestatem subdiaconorum excedat; ii utique ad hierarchiam proprie non pertinent, nisi ut Hierarcharum ministri; ac proinde subdiaconatus hac ratione consideratus non est in ordinibus sacris numerandus.

67. *Dico II.* Verosimilius est, Subdiaconatum esse proprii nominis sacramentum.

Probatur omnibus iis momentis, queis art. præcedente assertionem 2am. roboravimus. Habet enim subdiaconatus, quidquid ad sacramenti naturam requiritur. Ac primo quidem institutum esse a Christo, inde efficitur, quod vetustissimi Patres et Concilia eumdem, non velut rem recens invectam, sed in Ecclesia compertam commemorent, scilicet Auctor constit. Apost. L. 8. c. 13. et 28., Scriptor epistolæ ad Antiochenos (inter opera S. Ignatio quondam adscripta), Cyprianus L. 2. epist. 10., Conc. Laodicenum can. 24. et Carthaginense IV. can. 2. apud Bellarm. L. de Clericis c. 12. : nec ostendi potest, quo tempore, quo auctore cœperit. Igitur ejus origo ad Christum referenda videtur.

Confirmatur ex Græcorum Euchologiis et Pontificalibus, quæ tamen ab adversariis identidem obtruduntur. Nam ipso Morino teste part. 2. pag. 81. episcopus Græcus in subdiaconi inauguratione ita precatur : *Domine Deus noster, qui per unum et eumdem Spiritum sanctum unicuique eorum, quos elegisti, charismata tua divisisti; qui ordines diversos Ecclesiæ tuæ donasti, et gradus ministerii in ea contulisti, ad ministrandum sanctis tuis et immaculatis mysteriis*, etc. En Græci ipsi subdiaconatus aliorumque ordinum auctorem Deum-Hominem faciunt. Adsunt deinde in subdiaconi ordinatione materia et forma, quibus traditur potestas tangendi et ad sacrificium deferendi sacra vasa, ac diacono proxime inserviendi. Nec abest denique sacramentalis gratia, quæ in rite suscipientibus sejungi non potest a charactere, quem subdiaconatu imprimi supra ostendimus.

68. *Obj. 1. contra concl.* 1am. Patres in ordine *sacro* Episcopos, Presbyteros et Diaconos, minime vero Subdiaconos collocant. S. Ignatius in epist. ad Smyrnæos (PP. Apostolicor. opp. p. 231. edit. Hefel.) agens de obedientia Ecclesiæ ministris præstanda, *Laici*, inquit, *Diaconis subditi sint, Diaconi Presbytero, Presbyteri Episcopo*, nulla facta mentione Subdiaconorum.

S. Hieronymus in epist. ad Evangelum 146. (al. 85.) scribit: *Ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri, et Diaconi vindicent in Ecclesia.* S. Augustinus in epist. ad Valerium 148. (al. 21.) *Nihil,* ait, *in hac vita difficilius, periculosius, laboriosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio.* Numquid non fuisset etiam periculo obnoxium officium Subdiaconi?

R. *D. Ant.* Patres subdiaconos non collocant in ordine sacro, prout ordo sacer dicit potestatem inserviendi ad altare pro confectione sanctæ Eucharistiæ *N.* prout ordo sacer idem est, ac hierarchicus *C.* Hoc unum ex recitatis Patrum testimoniis conficitur. Reticentur itaque subdiaconi, et inter inferiorum ordinum clericos numerari videntur, quoniam non præsunt plebi, sed sacerdotibus et diaconis duntaxat ministrant. At diaconi quoque, comparati ad plebem, principes sunt ac præsules, omniaque faciunt, quæ Episcopi et Presbyteri, si consecrationem dominici corporis, ordinationem clericorum, eaque munia, quæ potestatem ordinis requirunt, excipias. Quid igitur mirum, quod Augustinus dicat, eorum etiam officium magnis esse difficultatibus, laboribus, periculis implicatum?

69. *Inst.* 1. *C. Nullus in Episcopum* ex Urbano II. sic habetur: *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, et Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Atque laudati Pontificis decretum commemorat etiam Innocentius III. cap. *A multis*: de ætat. qual. et ord. Præfic. decernens etiam subdiaconos posse in Episcopos eligi, cum jam ipsorum ordo inter sacros recenseatur, *cum hodie,* inquit, *subdiaconatus inter sacros ordines computetur.* Ergo subdiaconatus non semper in ordinum sacrorum numero habitus est.

R. *D. Cons.* Si ordinis *sacri* ratio petatur a solemni cælibatus professione *C.* si a propiori accessu ad Eucharistiam, quam competat aliis inferioribus ordinibus *N.* Laudati Pontifices aliique scriptores, ut Petrus Cantor, et Magister sent. duos tantum ordines, presbyteratum et diaconatum in Ecclesia primitiva sacros fuisse eo ex capite asserunt, quod presbyteri et diaconi semper et constanter in Ecclesia latina castitatem solemni voto profiterentur, non item subdiaconi; pro his siquidem varia olim erat disciplina. In Concilio Eliberitano can. 33. (Labb. t. 1. p. 974. C.) et Gerundensi can. 6. (Labb. t. 4. p. 1568. D.) adstringuntur utique ad continentiam etiam subdiaconi, nec non in pluribus Toletanis: at non ita in Carthaginensi V. c. 3. (Labb. t. 2. p. 1215.) ubi indicta Episcopis, Presbyteris et Diaconis vita cælibe, subjungitur: *cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Nicolaus I. de Adone Viennensi episcopo conqueritur, quod cuidam subdiacono uxorem ducendi potestatem fecisset (Labb. t. 8. p. 515. A.). Pelagius quoque II. ex more Romanæ Ecclesiæ subdiaconos Siciliæ continentiæ legi subjecerat: at hoc Gregorio M. visum est *durum atque incompetens,* ut ipse scribit L. 1. epist. 42. (al. 44.) relata can. *Ante triennium.* dist. 31. Quare Pelagii decessoris sui decretum ita temperavit, ut permitteret subdiaconis matrimonio junctis uxores retinere ea lege, ut diaconatu nunquam initiaretur, *nisi qui se victurum caste promiserit.* Posteaquam igitur hæc Ecclesiæ Romanæ consuetudo ad alias Ecclesias, etiam orientales

promanavit; subdiaconatus etiam ex titulo castitatis annexæ appellatus est ordo *sacer,* tametsi hujusmodi semper ex propiori ad Eucharistiam accessu extiterit.

70. *Inst.* 2. Subdiaconis olim non licebat ingredi sacrarium, quod Græci appellant *diaconicon,* nec tangere sacra vasa, can. *Non oportet,* dist. 23. qui canon est 21. Conc. Laodiceni. Ergo subdiaconatus non est ordo sacer, etiam quatenus hic tribuit potestatem spiritualem contrectandi sacra vasa.

R. Duo apud veteres sacraria fuisse, alterum, quo peractis mysteriis Eucharistia a diaconis recondebatur, quem locum etiam *thalamum, postophorium* aut *columbam* appellabant; alterum, in quo suppellex ecclesiastica servabatur : hoc secundum ingrediebantur subdiaconi, non primum. Porro adversarii, ut subdiaconatum ab ordinibus sacris arceant, illud hic etiam objiciunt, apud Græcos subdiaconatum extra sanctuarium conferri, aut in diaconico, aut ante portas, quas vocant, *speciosas,* chorum a narthece dividentes : quod quidem nos idcirco factum dicimus, quia subdiaconatus non est ordo hierarchicus, ideoque extra sanctuarium, et in *diaconico* aliquando conferebatur, propterea quod eo in loco, quo condebatur sacra suppellex, incipiat subdiaconi ministerium, quod est sacra vasa ad altare deferre : Verum quomodo subdiaconi in *diaconico* ordinantur, si istud ingredi nequeunt? Itaque nisi pugnantia loqui velint adversarii, duo fuisse sacraria necessum est fateantur.

Quod ad contactum sacrorum vasorum attinet,

R. Laodicenum canonem accipiendum esse vel de sacris vasis jam in altari positis, et sacrificii tempore non contrectandis, quod colligitur ex c. *Non liceat.* dist. 23. vel de sacris vasis iis, quæ actu continent corpus et sanguinem Christi, cum subdiaconi pro officii sui munere semper tetigerint sacra vasa sacramento vacua, ut Morinus ipse part. 3. Exercit. 12. c. 2. n. 7. fatetur, atque ex Balsamone probat, vindicans hac ratione canonem Laodicenum adversus nonnullos Theologos. Itaque et hoc adversariorum argumentum ficulneum est, et fractum.

71. *Obj. II. contra concl.* 2am. Si subdiaconatus esset sacramentum, certe Ecclesia, utpote fidelis custos depositi a Deo sibi crediti, istud caute conservasset, nec facile quisquam, nisi eo suscepto, ad altiores ordines fuisset susceptus : atqui sæpenumero ad alios ordines promoti quidam fuere prætermisso subdiaconatu; ergo. *Minorem* probat Morinus Exercit. 11. cap. 2. multis exemplis de Chrysostomo, Theodoreto, Nazianzeno, Pauliniano Hieronymi fratre, omisso subdiaconatu, ad diaconatum, et presbyteratum evectis. Idem de Macedonio, Acepsima, Salamano eremi cultoribus aliisque compluribus refert Morinus.

R. Hoc argumentum semel atque iterum obtritum est supra, ubi ex Tridentino docuimus, septenarium ordinum numerum inde ab Ecclesiæ incunabulis sedulo fuisse custoditum. Pariter ibidem diximus, viros quosdam nominis celebritate ac sanctimoniæ fama illustres, cujusmodi fuere laudati a Morino, *per saltum* fuisse ordinatos, quod tamen postea inhibitum fuit. At quid deinde? sequiturne, subdiaconatum nec ordinis sacri, nec sacramenti rationem habere? minime profecto; alioqui consequens foret, nec diacona-

tui inesse præstantiam sacramenti; siquidem ipsemet Morinus loc. cit. annotat, Macedonium, Acepsimam, et Salamanum, quin et S. Augustinum ad sacerdotium fuisse promotos, diaconatus ordine prætermisso.

72. *Inst.* 1. Si subdiaconatus verum esset sacramentum, non posset nisi ab Episcopo conferri, quippe qui solus sacramenti ordinis minister est. Atqui collatus olim fuit a Chorepiscopis, ut constat ex can. 10. Conc. Antiocheni, qui tamen simplices erant Episcoporum vicarii, ut iterum manifestum est ex epist. 88. S. Leonis M. ad episcopos Germaniæ et Galliæ (a multis inter spuria rejicitur) data anno 444. qua prohibetur, ne Chorepiscopi chrisma conficiant, et ipso chrismate signent frontes baptizatorum, eo quod non habeant apicem episcopatus; ergo.

R. Cum Card. Bellarmino L. 1. de Clericis cap. 17. quem sequuntur etiam recentiores plerique omnes, Tournelio excepto, Chorepiscopos olim *per se* quidem fuisse presbyteros, *per accidens* tamen aliquando episcopali præditos consecratione, cujusmodi hodiedum sunt Episcopi quidam titulares, qui et suffraganei appellari solent. Eruitur id ex cit. canone Antiocheno; sic enim incipit (Labb. t. 2. p. 577. B.): *Chorepiscopi, qui manus impositionem ab Episcopis acceperunt, et ut Episcopi sunt ordinati,* etc. ubi non de omnibus promiscue Chorepiscopis sermo est, sed de iis duntaxat, qui Pontificum ritu a pluribus sunt Episcopis consecrati. Præterea eodem canone Concilium hisce Chorepiscopis non permittit solum, ut subdiaconos absolute ordinent; sed etiam ut presbyteros et diaconos inaugurare possint, si id Episcopus loci permiserit. Ex quo perspicuum est, eos Chorepiscopos revera episcopali charactere fuisse insignitos. Porro in fine illius canonis, ubi legitur: *fiat autem Chorepiscopus ab Episcopo civitatis, cui subjicitur,* non de iisdem Chorepiscopis agitur, sed de altero genere, eorum scilicet, qui presbyteri duntaxat erant, illo tamen nomine cohonestati, quod in pagis et villis seu etiam oppidulis (id enim græca vox Χῶρος sonat) Episcopum quodammodo repræsentarent. Voluit enim Concilium statuere legem, ut deinceps Chorepiscopus ordinetur ab Episcopo uno, qui proinde presbyter sit, non Episcopus. Atque de hoc Chorepiscoporum genere accipiendus est S. Leo in cit. epist. Quod si quis contendat, concessum aliquando Chorepiscopis secundi generis fuisse, ut subdiaconos ordinarent; dicendum, id factum ex privilegio et extraordinaria facultate, quemadmodum demonstratum est alibi, posse presbyterum ex delegata potestate conferre sacramentum Confirmationis, quanquam id ordinario jure ad ordinis episcopalis potestatem spectet. Ita Bellarminus. Atque ex his patet responsio ad argumentum propositum.

73. *Inst.* 2. Ordinatio, in qua non adhibetur manuum impositio, non est sacramentum: atqui in conferendo subdiaconatu manuum impositio non adhibetur; ergo. *Prob. Maj.* Concilium Trid. statuens cap. 2. ordinem esse proprie dictum sacramentum, id demonstrat ex verbis Apostoli 2. ad Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*; ergo.

R. *N. Maj.* Alioquin potestas consecrandi Christi corpus et sanguinem, quæ presbytero cum porrectione instrumentorum citra impositionem ma-

nuum confertur sub hac forma : *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo,* etc. non daretur per signum collativum gratiæ, quod infra rejiciemus.

Ad prob. R. *D. Ant.* Concilium id demonstrat ex illis Apostoli verbis, quatenus exprimunt rem sensibilem gratiæ effectricem *C.* quatenus præcise manuum impositionem exprimunt, *Subdist.* loquendo de ordine hierarchico. *Tr.* de alio quocumque *N.* Synodus Trid. sic loquitur : *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis : inquit enim Apostolus : admoneo te, ut resuscites,* etc. Ubi Concilium primum generatim pronuntiat, per sacram ordinationem, quæ *verbis et signis exterioribus* perficitur, conferri gratiam : subinde hoc demonstrat exemplo ordinationis episcopalis, in qua impositione manuum velut signo exteriori gratiam impertiri probat ex Apostolo. At quis inde concludat, nullam ordinationem, in qua non usurpatur manuum impositio, sacramenti rationem habere ? esto, ritum hunc ad ordinem hierarchicum esse necessarium. Quanquam impositio manuum a Græcis adhibetur etiam in ordinatione tam subdiaconi, quam lectoris, et qui ordines istos sacramenti dignitate spoliant, asserere debent, manuum impositionem interdum ritum esse ac ceremoniam, non semper sacræ ordinationis materiam.

74. *Inst.* 3. Olim Christi corpus etiam laici attrectabant, quod utique amplius aliquid videtur, quam sacra vasa contingere; ergo ex tradita in subdiaconi initiatione potestate tangendi sacra vasa atque ad altare deferendi, non infertur dignitas sacramenti.

R. *N. Cons.* Aliud quippe est de altari communionem accipere; aliud ad altaris ministerium accedere : istud omnibus recte credentibus commune quiddam est; hoc vero ad solos a Domino electos et in Dei sortem adscitos pertinet.

ARTICULUS V.

DE SACRO DIACONATUS ORDINE.

75. *Nota I.* Diaconatus recte definitur ordo, per quem potestas confertur, ut quis solemniter ac proxime presbytero sacris operanti inserviat. Unde S. Laurentius apud Ambrosium L. 1. de offic. cap. 41. (opp. t. 2. p. 55.) ita Pontificem Sixtum alloquitur : *Quo sacerdos sancte sine diacono properas tuo ? Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras.* Et S. Ignatius in epist. ad Trallianos inquit (PP. Apost opp. p. 191. edit. Hefel.) : *Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Jesu Christi, omni modo omnibus placere. Non enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri. Cuncti revereantur diaconos, ut mandatum Jesu Christi.* Præterea in sacrificio missæ diaconi legebant Evangelium, teste S. Hieronymo epist. 48. (al. 147.) ad Sabinianum diaconum : Eucharistiam dispensabant præsentibus, atque ad absentes deferebant, cujus consuetudinis exempla complura extant apud Cyprianum ; meminitque S. Justinus Apol. 2.

(opp. p. 97. E.) quod tamen officium ipsis aliquando, saltem præsente Presbytero prohibitum fuit, ut habetur in Concilio Arelat. II. can. 15. (Labb. t. 4. p. 1013. A.) et Carthaginensi IV. can. 38. (ibid. t. 2. p. 1203. C.) Tandem, ut alia munia prætteream, baptismum cum eorum qui præsunt facultate conferebant.

76. *Nota II.* Diaconatum esse ordinem eumque sacrum, atque etiam hierarchicum, non est, cur prolixius hic demonstremus; cum ex iis, quæ dicta sunt hactenus de ordinum numero, ac speciatim de subdiaconatu, satis compertum habeatur. Novatores cum Calvino L. 3. Instit. c. 5. totis viribus contendunt, diaconatum aliud non esse, quam deputationem quamdam ad ministerium profanum, cujusmodi est præsidere mensis, et in viduas ac pauperes eleemosynas erogare. Spalatensis, ut hanc Calvini sententiam molliret, L. 2. de Repub. Ecclesiast. c. 4. addit, diaconos successu temporis ex Episcoporum facultate etiam altaribus aliquo pacto inserviisse, atque aliqua sacra ministrasse. Tolerabilis hac in parte foret hic hæreticorum error, si alias adstruerent sacras ordinationes et altaris ministeria; quandoquidem nec ex Catholicis Theologis defuere, qui diaconatui sacramenti dignitatem ereptum irent. Talis fuit Durandus in 4. dist. 24. q. 2. Talis Cajetanus tom. 1. Opusc. tract. 11. asserentes solum sacerdotium esse sacramentum. Horum tamen opinionem præclarissimi Doctores aiunt, sine temeritatis nota defendi non posse. Itaque

77. *Dico.* Diaconatus est sacramentum proprie dictum.

Prob. I. In diaconatu reperiuntur omnia, quæ ad sacramentum proprie dictum requiruntur. Nam 1°. constat signo sensibili, manuum scilicet impositione, quam in primorum Diaconorum inauguratione usurparunt Apostoli, qui Act. 6. v. 6. *orantes imposuerunt eis manus,* quamque Ecclesia semper adhibuit. 2°. Ritu hoc sensibili confertur gratia, quod invicte ostenditur ex canone 4. Sess. 23. Concilii Trid. *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: accipe Spiritum sanctum, etc.* Etenim apud Latinos eadem verba recitantur ab Episcopo manum imponente iis, qui diaconi consecrantur; in Ecclesia vero græca eodem plane modo diaconus, quo presbyter ordinatur, mutata duntaxat voce *presbyteri* in vocabulum *diaconi.* Igitur consecratio diaconi est signum sensibile conferens Spiritum sanctum et gratiam. 3°. Diaconatum divinæ institutionis esse, colligitur tum ex facto Apostolorum diaconos consecrantium; tum ex Tridentino eadem Sess. can. 6. anathema contorquente in eos, qui dicunt, *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris:* adeoque nisi quis sacrorum virorum cœtui adlegere velit clericos cæteros, necesse saltem erit ei inserere diaconos, qui peculiari ratione, suique etymologia nominis, ministri dicuntur.

Prob. II. Traditione Patrum, inter quos, ne recenseam paulo ante commemoratos, Auctor operis de Hierarchia Eccles. cap. 3. diaconos vocat *selectos liturgiæ ministros* (opp. t. 1. p. 187. D.). S. Optatus Milevit. L. 1. *Quid commemorem,* inquit, *ministros plurimos, quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?* Quo in loco *per ter-*

tium sacerdotium sacri ordinis ministerium intelligi oportet; aliunde quippe constat, sacerdotii gradum duplicem tantum esse, Episcopatum et Presbyteratum. S. HIERONYMUS in epistola ad Evagrium, seu Evangelum 146. (al. 85.) postquam diaconorum presbyteris sese æquantium insolentiam multis castigaverat, subjungit, quod Aaron, et filii ejus atque Levitæ in templo fuerant, hoc sibi episcopos et presbyteros et diaconos vindicare in Ecclesia Dei. Ex quibus diaconorum officiis procul dubio sacris, atque hinc a Patribus tantopere commendatis conficitur, eos peculiari Dei gratia indigere, proindeque eorum ordinationem esse sacramentum.

Prob. III. Diaconatus semel susceptus nunquam amittitur, nec iterari potest; igitur characterem imprimit, ideoque sacramenti rationem habet. Nec juvat dicere, diaconatum non ex charactere, sed ex consecratione quadam jureque divino esse perpetuum. Nam si perpetuitas ista aliunde, quam ex charactere repeti potest; ruet certe princeps Catholicorum ratio, qua probant, quibusdam sacramentis imprimi characterem, eo quod iterari nequeant, ut alibi diximus.

78. *Obj. I.* Diaconatus non est a Christo institutus; ergo non est sacramentum. *Prob. Ant.* primum auctoritate S. CYPRIANI, qui epist. 65. ad Rogatianum ait: *Diaconos post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ ministros.* Deinde testimonio ANACLETI cap. 1. epist. 3. quæ extat apud Labbeum tom. 1. Concil. (p. 528. A.) ubi recensito sacerdotum et episcoporum ordine addit: *amplius, quam isti duo ordines, nec nobis a Deo collati neque Apostoli docuerunt.* Confirmat id DAMASUS epist. 5. (Labb. t. 2. p. 877. C.) scribens: *quia ordines sunt duo tantum primi in Ecclesia, id est, Apostolorum, et septuaginta discipulorum.* Ergo.

R. *N. Ant. Ad prob. N. Cons.* Nam Cyprianus tantum ait, Christum non consecrasse diaconos, sed istos ab Apostolis fuisse constitutos et electos, ut cujusdam diaconi adversus Episcopum insurgentis audaciam reprimeret. Ex hoc tamen non sequitur, diaconatum a Christo non fuisse institutum; sicut quamvis neminem Christus confirmaverit, aut extrema unctione munierit, inferri non potest, Confirmationem, extremamque Unctionem a Christo non fuisse institutas. Anacletus et Damasus non loquuntur de omnibus ordinibus, quos Christus instituit, et ab Apostolis accepimus, sed de ordine duntaxat sacerdotali, qui duplex est, Presbyterorum scilicet et Episcoporum; inquit enim ibidem Anacletus: *Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus est, et sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari.* Id quod etiam confirmat Damasus, quoniam Christus solum elegit Apostolos, quibus Episcopi, et Discipulos, quibus Presbyteri respondent. Atque hoc uterque Pontifex docet ad deprimendam arrogantiam Chorepiscoporum, qui sese aut pares Episcopis, aut hos inter ac simplices sacerdotes medii cujusdam ordinis esse jactitabant, cum tamen ipsi simplices tantum sacerdotes essent, tametsi ampliori aliqua jurisdictione præditi, quam cæteri presbyteri.

79. *Inst.* 1. Act. 6. v. 2. electi sunt diaconi, ut inservirent mensis, aliaque munia obirent, nequaquam sacra et ad altaris mysterium spectantia: legitur enim: *non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare*

mensis. Considerate ergo, fratres, etc. *et elegerunt Stephanum*, etc. Narraturque ibi *murmur Græcorum adversus Hebræos*, cujus occasione diaconi constituti fuerunt, ut utriusque nationis viduis æqua pars eleemosynarum distribueretur. Gratis igitur asserimus sacra ministeria, tanquam ex Christi institutione convenire diaconis.

R. *N. Ant.* Fatemur equidem occasione murmuris Græcorum septem diacones fuisse electos, qui ad normam charitatis oblata a fidelibus bona dispensarent : attamen eosdem sacros etiam ministros ab Apostolis inauguratos cum Lucas ipse haud obscure in Actis prodidit, tum vero Patres viva voce diserte tradiderunt. Certe antequam constituerentur diaconi, sedulo investigatum est, non tam, quantæ industriæ essent ac fidelitatis, quod pro ministerio mensarum satis esse poterat, quam utrum essent *boni testimonii et pleni Spiritu sancto ac sapientia*, quæ sane ad sacrum ministerium, non ad profanum referuntur. Narrat deinde sacer historicus, illos Apostolicarum manuum impositione ordinatos prædicandi Evangelii, ac baptismatis conferendi jure potitos fuisse, quod de Stephano præsertim ac Philippo perhibetur. Demum ex iis, quæ eo loci scripsit S. Lucas, sacra diaconorum officia desumpsere Patres supra laudati : quibus hic addo Ven. Bedam, qui in cap. 6. Actorum scribit, septem diaconos ab Apostolis electos, *qui sublimiori gradu essent cæteris, et proximi circa aram quasi columnæ altaris assisterent.* Et in Libro Retract. ejusdem operis sic in eumdem scopum loquitur : *Communis quidem dispensatio exigebat, ut ministri pro viduis viri eligerentur : verum ubi inventi sunt, qui digni ad hoc ministerium esse viderentur, crescente gradatim, ut solet, providentia consilii salutaris, placuit eosdem lectores ipsos altaris quoque sacri ac dominici sanguinis, sicut et refectionis mensæque communis multitudinis credentium ministros ordinari. Quod probatum est verbo, quo dictum est : et orantes imposuerunt eis manus. Hoc etenim proprium est eorum, qui de communi fidelium numero ad sacrosancti altaris promoventur officium.* (Patrol. t. 92. p. 1012. B.)

80. *Inst.* 2. S. Hieronymus, ut comprimat ævi sui diaconos, qui efferebant se, ac insolescebant adversus presbyteros, sic in epist. ad Evangelum citata scribit : *Quis patiatur, ut mensarum ac viduarum minister supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus Christi sanguisque conficitur.* Idem confirmat Synodus Quini-sexta habita in Trullo an. 692. quæ can. 16. (Labb. t. 6. p. 1149. E.) disertis verbis juxta mentem S. Chrysostomi hom. 14. in Acta declarat, septem illos diaconos ab Apostolis electos fuisse, ut mensis duntaxat ministrarent, et sic concludit : *Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem diaconi non de iis accipiantur, qui mysterits serviunt... ; sed eos esse, quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant, qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis, et studii in eos, qui indigent.* Porro verba Chrysostomi Trullano canoni inserta sunt ista : *Quamnam autem habebant hi* (delecti Act. 6.) *auctoritatem, et quam acceperunt ordinationem, scire est necessarium. Numquid diaconorum? Atqui hoc non est in Ecclesiis. An presbyterorum dispensatio? Atqui nullus adhuc erat Episcopus, sed soli Apostoli. Unde nec diaconorum nec presbyterorum nomen existimo apertum esse ac manifestum.*

Ad 1um, R. Eo loci Hieronymo satis fuisse recensere causam, quæ diaco-

norum electioni occasionem dedit. Et sane nihil opportunius ad frangendam diaconorum istorum insolentiam objicere poterat sapientissimus Doctor, quam infimum administrationis officium, viduarum scilicet mensarumque ministerium, a quo presbyteri eximuntur. Verum in eadem epistola S. Pater diaconorum ordinem commendat quam maxime, cum hoc esse dicat diaconos in Ecclesia Dei, quod in veteri Testamento Levitæ fuerunt, quos consecratos fuisse atque electos ad obeundum ministerium in tabernaculo fœderis compertum est.

Ad 2um. R. Ex canone Trullano id unum probari posse, quod duo essent diaconorum ordines, alter mensis et viduis destinatus, mysteriis alter, qui propterea sacramentum foret. Quod idem cum Œcumenio docent nonnulli Theologi et interpretes, inter quos sunt Vasquez et Augustinus Calmet, asserentes, septem viros, de quibus Act. 6. fit mentio, tunc non diaconos, quales nunc sunt in Ecclesia, sed mensarum duntaxat ministros ab Apostolis esse institutos. Verum huic sententiæ non subscribimus; habet enim hoc incommodi, quod, si eadem probetur, nequeat sacer diaconatus ordo sacrarum litterarum auctoritate demonstrari; tametsi cæteroquin ad ordinem ipsum vindicandum universalis traditio suppetat. Expeditior itaque communisque Theologorum responsio est, canones Concilii Trullani parum habere auctoritatis, quippe nec receptos, nec a Pontifice Sergio confirmatos.

Accedit, quod canon 16. qui objicitur, falsa nitatur verborum Chrysostomi interpretatione. Affirmat enim cit. loc. Chrysostomus (opp. t. 9. p. 115. A.) initio quidem nullum fuisse inter episcopos, presbyteros et diaconos apertum discrimen *quoad nomen* quod ante apposuit S. Doctor, omnesque appellatos fuisse sacros ministros, horum tamen extitisse *ordinationes*. Nam S. Chrysostomus verbis supra recitatis hæc addit : *Sed interea in hoc fuerunt ordinati*; quæ verba a Synodo Trullana fuere prætermissa. Ut ergo erant ab initio, quantum ad *characterem et ordinem* episcopi, ita erant et diaconi. Atque hanc diaconorum sacram ordinationem Chrysostomus ead. hom. 14. haud obscure indicat, cum in ea verba : *imposuerunt illis manus* Act. 6. ait manifestum esse, *quoniam Apostoli hoc ritu septem illos segregaverint a multitudine*, subjicitque in eo ritu fuisse *impositionem manuum, quæ hominis opus est, atque divinam operationem.*

81. *Obj. II.* cum Durando. Quando ex multis ad effectum aliquem sacramentalem directis, unum solum eumdem præstat, reliqua non censentur nisi quædam *sacramentalia*, et præparationes ad illum, ut manifestum est in baptismo, in quo exorcismi et insufflationes præcedunt ceu præparationes ad ablutionem aquæ, quæ sola sacramentum constituit : atqui ita se habent inferiores ordines ac diaconatus ad presbyteratum, qui solum attingit effectum sacramentalis ordinationis, id est, consecrationem corporis et sanguinis Dominici; solus igitur presbyteratus erit sacramentum.

R. *Trans. Maj. N. min.* Neque enim consecratio corporis et sanguinis Christi sacræ ordinationis effectus est, sed finis. Nam effectus ordinationis est gratia sanctificans et character : atqui tam illa, quam iste non in sacerdotio solum, verum etiam in diaconatu producitur; ergo non solum sacerdotium, sed et diaconatus verum propriique nominis sacramentum est. Atque hinc dispar ratio constat, cur in baptismo solum ablutio aquæ cum

sua forma sacramenti rationem habeat, non item insufflationes, exorcismi, etc. quoniam horum ope nulla, saltem ex opere operato gratia, nullus character confertur : ideoque nudæ sunt ceremoniæ ad sacramentum præparantes.

82. *Inst.* 1. Per initiationem diaconi nec potestas recipitur, nec character; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Potestas per ordinationem collata, sacramenti confectionem respicit, quemadmodum potestas, quæ per baptismum confertur, sacramentorum susceptionem spectat. Atqui diaconus nullam sacramentorum conficiendorum potestatem recipit; ergo. *Prob.* 2°. Ex epistola Vigilii Rom. Pontificis ad Rusticum et Sebastianum, quæ extat Collat. VII. Synodi V. (Labb. t. 5. p. 552. E.) ex qua apparet, diaconos quosdam ad tempus constitui, sicut idem Sebastianus, absentibus diaconis Stephano et Anatolio, diaconus a Pontifice creatus est, et subinde a diaconatu iterum dejectus. Ergo inauguratio diaconi non tribuit permanentem aliquem effectum seu characterem.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. *N. M.* Falsum enim est omnem potestatem sacramentalem ad sacramenta conficienda pertinere. Manifestum hoc est in confirmatione, quæ licet sacramentum sit, nullam tamen administrandi sacra mysteria facultatem tribuit. Neque characteres ordinis et baptismi ita inter sese comparantur, ut, quemadmodum character baptismi ad sacramenta recipienda, ita character ordinis absolute ad ea conficienda hominem idoneum reddat.

Ad prob. 2am. R. Vigilium loqui non de ordinis *charactere*, sed *officio et loco*. Sebastianum enim, qui *Judicato* suo in causa trium Capitulorum edito per Italiam et Africam palam obstrepebat, ea lege diaconi honore ornaverat, ut in officio contineretur; cum vero rediisset ad ingenium, atque ad Concilium Constantinopolitanum II. profectus turbas rursus excitasset, merito a Vigilio diaconorum gradu seu officio submotus fuit.

83. *Inst.* 2. Potestas collata per ordinationem, quæ sacramentum sit, suapte natura tendit ad faciendum aliquid, quod sine ipsa nullo pacto fieret, ut patet in sacerdotio : atqui in diaconatu hujusmodi potestas non confertur, cum omnia diaconorum munia etiam a non diaconis saltem valide exerceri possint; ergo.

R. *N. Maj.* Tametsi enim per sacerdotium talis facultas tribuatur, ut qui eo sacramento caret, conficere Eucharistiam nullo modo possit; hoc tamen generatim non probat, quacumque ordinatione hujusmodi impertiri facultatem debere, ut, quod per ipsam fit, sine ipsa nulla ratione fieri possit; satis quippe est, si detur, ut melius fiat. Liquet denuo in Confirmatione, cujus beneficio character seu facultas ad fidem intrepide profitendam confertur, etsi non confirmatus eamdem fortiter constanterque profiteri valeat. Quemadmodum igitur Confirmatio sacramentum est, quoniam ad fidem melius profitendam tribuit firmitatem ac robur, quamvis citra illam fides propugnari fortiter possit : ita ordinatio diaconi sacramentum erit, eo quod facultatem impertiat ad obeundum melius ea munia, quæ absolute exerceri sine illa possent.

84. Quæres, *quid de Diaconissis sentiendum?*

Cum Diaconissarum frequens apud veteres occurrat mentio, in libris etiam Pontificalibus illarum *ordinationis et consecrationis* ritus comprehendatur; de iis hic necessario est agendum, ne forte sacramento ordinis initiatæ credantur. Unde ad quæstionem

R. 1°. Diaconissarum nomine hic intelligimus, non uxores diaconorum, quemadmodum in Conc. Turonensi II. can. 12. et 13. (Labb. t. 5. p. 855. D. E.), legimus *Episcopas, Presbyteras et Subdiaconissas*, Episcoporum, Presbyterorum et Subdiaconorum conjuges, sed pudicas quasdam honestasque mulieres, ad Ecclesiæ ministerium deputatas : quæ quidem tam ex viduis, quam virginibus deligebantur, ut liquet ex Constit. Apost. L. 6. c. 17. (Labb. t. 1. p. 393. A.) ubi legitur : *eligatur Diaconissa virgo pudica; sin autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ uni nupserit, et fidelis atque honorata.* Et S. Epiphanius cap. ult. Panarii de iisdem ait : *illæ quidem univiræ et continentes esse debent, vel post unas nuptias viduæ; vel perpetuæ virgines.*

R. 2°. Diaconissarum institutionem antiquissimam esse constat 1°. ex Apostolo ad Rom. c. 16. ita scribente : *commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris;* ubi in græco legitur, διάκονον τῆς ἐκκλησίας, diaconam Ecclesiæ : ideoque apud Græcos in oratione secunda, quæ fit ad ordinandam diaconam, rogatur Deus, ut ei, quæ in diaconam consecratur, largiatur Spiritum sanctum, *ut largitus est Phœbæ.* Liquet 2°. ex aliis momentis Ecclesiasticis. Nam ut omittam constitutiones Apost. modo commemoratas, meminit diaconissarum S. Ignatius in epist. ad Smyrnæos, et ad Antiochenos; Tertullianus L. 1. ad uxorem cap. 7. et de velandis virginibus c. 9. Mentio itidem illarum fit can. 19. Conc. Nicæni, can. 15. Chalcedonensis, can. 11. Laodiceni.

R. 3°. Diaconissæ ritu aliquo sacro fuere initiatæ. Nam in Constit. Apost. c. 19. et 20. legitur (Labb. t. 1. p. 489. B. C.) : *De diaconissa vero ego Bartholomæus constituo, ut manus ei, Episcope, imponas, præsentibus presbyteris et diaconis ac diaconissis, et dices : Deus æterne... qui Mariam, Deboram, Annam et Oldam Spiritu sancto implevisti,... ipse nunc respice hanc ancillam electam ad ministerium* (εἰς διακονίαν) *et mundam effice ab omni inquinamento carnis, et spiritus, ut opus sibi impositum digne perficiat*, etc. Tertullianus L. 1. ad uxorem c. 7. *quantum*, inquit, *fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et Apostoli præscriptio declarat, cum digamos non sinit præsidere, cum viduam adlegi in ordinationem nisi univiram non concedit.* Et in fine adhortationis ad castitatem de iisdem viduis verba faciens eodem ordinandi verbo utitur : *Quantæ igitur, et quæ in Ecclesiis? ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt.* Goarius vero in Euchologio Græcorum, et Arcudius L. 6. c. 10. ritum referunt, quo apud Græcos diaconissæ ordinari consueverunt, illumque ferme eumdem, quo initiantur diaconi, manifeste apparet.

R. 4°. Hæc tamen diaconissarum ordinatio non fuit initiatio aliqua sacramentalis. Illa namque manus impositio, et alia, quæ præstabantur, ad meram ceremoniam pertinebant : nusquam enim diaconissis facultas ad altaris ministerium collata fuit. Unde Epiphanius hær. 79. (opp. t. 1. p. 1060. C.)

inquit : *Quanquam diaconissarum in Ecclesia ordo sit; non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est.* Rationem addit depromptam ex epist. 1. ad Cor. 14. ubi prohibentur mulieres in Ecclesia loqui; unde infert illas ab subeunda ecclesiastica munia prorsus esse ineptas. Illarum itaque ordinatio ad evitanda scandala servandamque fidelium existimationem instituta fuit. Electæ scilicet diaconissæ fuere primum, teste Epiphanio loc. cit. *ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsint,... sive cum nudandum est corpus mulieris, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita.* Deinde cum negotium aliquod urgeret, nec adire feminas Episcopis congruum videretur, diaconissæ eorum ad illas mandata deferebant, id quod Const. Apost. L. 2. c. 26. asseritur. Insuper rusticanas et imperitas mulieres fidei rudimentis imbuebant, ut constat ex Conc. Carthag. IV. can. 12. (Labb. t. 2. p. 1201. A.) Denique portam, qua in Ecclesiam mulieres ingrediebantur, custodiebant, unde S. Ignatius martyr in epist. ad Antiochenos, *saluto,* inquit, *sanctarum portarum custodes diaconissas.* Hæc de diaconissis breviter et summatim, plura legi possunt apud Morinum part. 3. Exercit. 10. cap. 2.

ARTICULUS VI.

DE SACERDOTIO.

85. *Nota. Sacerdotum ordo bipartitus est,* inquit Anacletus Pontifex epist. 3. c. 1. (Labb. t. 1. p. 528. A.) Episcoporum scilicet, qui sacerdotes *primi* appellantur, et Presbyterorum, de quibus Rhabanus L. 1. Instit. Cleric. cap. 6. ait : *secundi vero ordinis viri presbyteri sunt.* Utrumque igitur hoc articulo complectemur. Ac 1°. inquiremus, an presbyteratus sit sacramentum? Cui tamen quæstioni non immorabimur diutius : iisdem enim momentis, quibus art. 1. hujus capitis ordinationem generatim sacramentum esse demonstratum est, presbyteratum quoque esse hujusmodi aperte declaratur : nihilominus quædam proferemus, quæ ad sacerdotium ipsum peculiari ratione pertinere videntur.

2°. Investigabimus, utrum episcopatus sit sacramentum a presbyterio distinctum? Qua in re non una Theologorum est opinio inter Catholicos, quorum tantum hac in parte sententiam ad examen vocabimus; nam quid hæretici sentiant, infra expendemus. Antiquiores, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, Alexander Alensis, Albertus M., S. Bonaventura, Divus Thomas, Dominicus Soto, Turrecremata negant episcopatum esse verum ordinem aut sacramentum a sacerdotio distinctum, sed aiunt illum meram extensionem esse characteris sacerdotalis ad nova officia, potestatem ampliorem ac dignitatem. Fatentur tamen hi Doctores, per ordinationem Episcopi conferri gratiam, atque ipse S. Thomas Lect. 3. in epist. 2. ad Timoth. explicans illa verba : *quæ est in te per impositionem manuum mearum,* inquit : *a quo scilicet ordinatus erat Episcopus; in qua manus impositione data est ei gratia Spiritus sancti.* Negant autem gratiam istam esse sacramentalem, quoniam non datur ad Eucharistiam digne conficiendam, sed ad munia episcopalia digne exercenda. His vero contradicunt Navarrus in Manuali c. 23., Petrus

Soto L. de Institut. sacerdotum Lect. 4. de sacram. Ord., Estius in 4. dist. 24. §. 28., Sylvius in 3. p. S. Thomæ q. 40. art. 5., Bellarm. de sacram. Ord. cap. 5. aliique plurimi.

86. *Dico I.* Presbyteratus est sacramentum proprie dictum.

Prob. Ex sæpe dictis tria ad sacramentum requiruntur, institutio divina, ritus sensibilis, et productio gratiæ sanctificantis : atqui tria illa reperiuntur in presbyteratu. Ac 1°. quidem institutio divina, cum ex Scriptura constet, concessam sacerdotibus duplicem esse potestatem, alteram in corpus Christi verum hisce verbis Matth. 26. *Hoc facite* ; alteram in corpus Christi mysticum his aliis verbis Joan. 20. collatam : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* : Hoc disertis verbis declarat Tridentinum Sess. 22. cap. 1. ; canone autem 1. anathemate ferit eos, qui dixerint, sacerdotium in novo Testamento esse officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium. 2°. Ritum habet sensibilem, cum in ordinatione sacerdotum adsit materia, sive sit instrumentorum porrectio, sive manuum impositio, sive utrumque, nec desit verborum forma. 3°. Ritus ille gratiam sanctificantem producit, quod de ordinatione generatim pertractantes ostendimus.

Confirmatur ex Concilio Florentino, quod in Decreto pro Armenis ordinem docens esse sacramentum novæ Legis, inter ordines presbyteratum primo loco recenset, nulla ipsius etiam episcopatus facta mentione. Tridentinum quoque Sess. 23. c. 2. definit sacerdotium inter ordines principem locum obtinere, et ad illud, tanquam ad perfectiorem finem, tendere ordinationes inferiores : can. autem 3. anathema contorquet in affirmantes, *ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.* Porro nil habent Novatores, quod obtrudant, nisi quod fideles a B. Petro et a Joanne in Apocalypsi nomine sacerdotum cohonestantur ; hæc vero aliis in locis toties obtrita sunt ac refutata, ut de iis pigeat iterum verba facere.

87. *Dico II.* Episcopatus, prout includit potestatem et jus conferendi ordines aliaque officia hierarchica exercendi, est verum ordinis sacramentum.

Prob. I. Impositio manuum, de qua Paulus ad Timoth. supra citatus agit, erat verum ac proprium sacramentum ; omnes enim conditiones ad verum sacramentum necessarias habere demonstravimus : atqui dicta manuum impositio fuit ordinatio in Episcopum, ut cum Chrysostomo, cujus verba supra produximus, Theophylactus, Œcumenius, Anselmus aliique notæ non infimæ interpretes affirmant; ergo ordinatio in Episcopum est veri nominis sacramentum, aut sacramentum ordinis ex sacris litteris probari non potest. Hinc

Prob. II. Ex Concilio Trid. cujus Sess. 23. c. 3. hæc sunt verba : *Cum Scripturæ testimonio Apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis : inquit enim Apostolus : Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum : non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et*

et dilectionis et sobrietatis. Eadem Synodus capite proximo docet, sacra ordinatione episcoporum, sacerdotum et cæterorum ordinum constitui Ecclesiasticam hierarchiam, quam divina ordinatione institutam definit canone ejusdem sessionis sexto. Ergo sancta Synodus agnoscit in episcopatu impositionem manuum tanquam materiam, divinam institutionem, et supernam gratiam. Quid vero necessarium ultra est, ut Episcopi inauguratio ad sacramenti dignitatem evehatur?

Prob. III. Ex Patribus, qui ordinationem in Episcopum expresso nomine sacramenti condecorant, præsertim Leo M. serm. 1. in die anniversario assumptionis suæ, et epist. 87. (al. 12. c. 3.) ubi de Episcopo digamo inquit: *quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur injuriam?* S. Hieron. Luciferianos in Dialogo n. 11. reprehendit, quod Arianorum quidem baptisma recipiant, non autem ordinationes Episcoporum: *si in fide,* inquit, *sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.* Augustinus in concione super gestis cum Emerito Donatista: *Invocatio,* ait, *nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati... character non est desertoris, sed imperatoris.* Idem sapientissimus Antistes L. 2. contra epistol. Parmeniani cap. 13. aliisque in locis adversus Donatistas docet, valere ordinationes illorum Episcoporum, qui ab Ecclesia aut schismate aut hæresi separantur. Ex quibus ita ratiocinamur: Consecratio Episcopi imprimit characterem, quo tribuatur potestas indelebilis: atqui imprimere characterem et conferre potestatem indelebilem actio solius sacramenti est; ergo consecratio Episcopi est sacramentum. Jam vero si episcopatus proprii sacramenti rationem habet, cum peculiari ritu, distincta consecratione, propriisque materia et forma perficiatur, conferatque potestatem, quam nulla alia ordinatio tribuit; legitima consecutione infertur episcopatum esse ordinem et sacramentum a presbyteratu distinctum. Contra hanc assertionem

88. *Obj. I.* Septem sunt tantum ordines: atqui si episcopatus sit sacramentum peculiare, erunt ordines octo; ergo.

R. *D. min.* Nisi *sub uno sacerdotii ordine* episcopatus et presbyteratus comprehendantur *C.* cum ex utroque existat unum genere sacerdotium *N.* Sacerdotium in duos ordines dispescitur, in unum, quo traditur potestas Eucharistiam conficiendi, et in alium, quo ulterius confertur auctoritas eos, qui Eucharistiam conficiunt, ordinandi et consecrandi: qui quidem duo ordines duæ sunt species sacerdotii tanquam generis. Quemadmodum igitur admittimus presbyteratum et diaconatum, imo etiam cæteros ordines tanquam sacramenta, nec tamen sacramentum ordinis multiplicamus; ita episcopatum statuimus esse ordinem et sacramentum, quin plures ordines aut sacramenta plura, quam septem adstruamus. Quam ob rem Rhabanus Maurus L. 1. de institut. Clericorum cap. 4. (opp. t. 1. p. 299. B. Patrolog. t. 107.) ait, octo esse gradus Ecclesiasticos, cum sint tantum ordines septem.

89. *Inst.* 1. Episcopus ex sua ordinatione non habet, ut possit consecrare Eucharistiam, sed solum ut possit confirmare, et ordinare presbyteros et

episcopos; ergo episcopatus non convenit genere cum presbyteratu, sed est res diversissima. Deinde ordines distinguuntur per relationem ad Eucharistiam perficiendam aut consecrando aut ad consecrationem præparando: sed in hac parte episcopatus nihil addit sacerdotio; ergo.

Ad 1um. R. *D. Ant.* Episcopus ex sua ordinatione priore non habet, ut possit consecrare Eucharistiam *N.* id non habet ex sua ordinatione posteriore *C.* Episcopatus suapte natura includit in se sacerdotium, ita ut sine hoc nequidem intelligi possit Episcopus; est enim summus sacerdos, hoc est, primus ac præcipuus sacerdotum, duplici charactere insignitus, qui ambo tanquam genus et differentia ejus essentiam integram et perfectam constituunt, quorum prior facit eum convenire cum sacerdotibus simplicibus, per posteriorem vero ab iisdem differt.

Ad 2um. R. *D. min.* In hac parte episcopatus nihil sacerdotio addit directe ac proxime *C.* remote et indirecte *N.* Episcopatus enim confert potestatem sacra ordinatione illos consecrandi, qui Eucharistiam conficiant; sub qua proin consideratione episcopatus ad Eucharistiam refertur.

90. *Inst.* 2. Si propter ampliorem dignitatem potestatemque episcopatus sit a presbyteratu sejungendus, etiam Archiepiscopatus, Patriarchatus et Papatus ordines erunt, et sacramenta ab episcopatu diversa.

R. *N.* hanc consecutionem; etenim in variis illis Episcoporum gradibus distincta quidem *jurisdictionis* amplitudo, at non diversa potestas *ordinis* reperitur.

91. *Obj. II.* Si episcopatus foret ordo peculiaris, major esset presbyteratu: atqui hoc dici non potest, quia nihil est excellentius potestate conficiendi Eucharistiam; ergo.

R. *D. M.* Episcopatus adæquate spectatus major esset presbyteratu *C.* spectatus inadæquate secundum characterem, qui in ultima ordinatione imprimitur *N.* Potestas in corpus Christi verum, quoad functionem conficiendi S. Eucharistiam est intensive ac ratione æstimationis intrinsecæ præstantissima, per quam presbyteri æquales sunt episcopis. At quoniam episcopatus et hunc characterem et alium necessario comprehendit, quo confirmationis sacramentum ministrat, et Ecclesiæ Christi non filios tantum per baptismum, sed etiam patres, h. e. presbyteros et episcopos per sacramentum ordinationis gignit; character ejus extensive major est et eminentior simplici presbyteratu: hic enim sacerdotii fundamentum est et initium, episcopatus vero ipsius apex et complementum, ut Patres loquuntur.

92. *Inst.* 1. Dici potest, quod, etiamsi in episcopali consecratione non imprimatur novus character, amplietur tamen, et perfectior reddatur character ordinis presbyteratus, et ad ea, quæ episcoporum sunt, extendatur; ergo non est opus statui distinctum a presbyterio sacramentum.

R. *N. Ant.* Primum, quia idem dici posset de diaconatu, scilicet hujus characterem esse extensionem quamdam sacerdotii. Deinde si character est quid reale, eadem efficacia requiritur ad extendendum, quæ requirebatur ad imprimendum. Si vero dixerint, illum extendi sola significatione, ita ut

in episcopo signum sit potestatis amplioris, quam in presbytero; ad hanc significationem opus erit accessione novi characteris veri et realis, sicut realis character requiritur in anima ad significandum potestatem spiritualem, tametsi character nil agat in anima, sed sit merum signum pacti divini cum anima ad concurrendum in actionibus illis sacramentalibus. Denique si asseramus, episcopatum sacramentum esse a presbyteratu distinctum, facile erit confutare hæreticos, qui negant, episcopos ordine et jurisdictione a presbyteris quidquam ex institutione divina differre : quod in sententia opposita præstare perdifficile erit.

93. *Inst.* 2. Si episcopatus peculiarem animæ characterem imprimeret, ergo qui ante non erat sacerdos, neglecto presbyterio, posset verus episcopus ordinari; perinde ac vere ordinatur sacerdos, qui diaconus non erat. Atque hoc argumentum invictissimum putat Dominicus Soto.

R. *N. Illat.* Episcopatus, ut jam diximus, tanquam totum includit et presbyteratum simplicem et presbyteratum summum ceu partes suas; est enim Episcopus *sacerdos summus.* Sicut ergo olim summus Sacerdos non esse non poterat de stirpe sacerdotali; ita nunc Episcopus esse nequit, qui sacerdos non sit. Quare chimera foret Episcopus sine presbyteratu, sicut Archiepiscopus, qui non esset Episcopus. Præsumit enim episcopatus presbyteratum velut totum suam partem priorem ac subjectivam, ut vocant, quemadmodum ternio numerum binarium, quem comprehendit. Quod quidem de diaconatu dici non potest; non enim sacerdotium conflatur ex suo famulatu et charactere excellenti presbyteratus.

Nec dicas, si episcopatu imprimatur character diversus, imprimi superiorem sacerdotali ac nobiliorem, sicut in presbyteratu character figitur diaconali nobilior, ideoque Episcopum ordinatum, etsi sacerdos non foret, conficere posse Eucharistiam, quod tamen fidei repugnat. Nam

R. Quamvis in ordinatione Episcopi imprimatur character, non sequitur tamen, imprimi characterem nobiliorem formaliter, sed tantum characterem novum cum nova potestate in presbytero non existente; novus autem character imprimi, nisi præsupposito presbyterii charactere, non potest. Atque ex hoc

Colliges, hallucinari Æneam episcopum Parisiensem, dum L. adversus objectiones Græcorum (apud Acherium, Spicileg. t. 1. c. 210.) scribit, sua ætate, id est, post medium seculi noni, Romæ plerumque consecratos fuisse episcopos et diaconos, non suscepto prius presbyteratu : et morem istum excusat, quod in episcopatu presbyterium eminenter comprehendatur. Verum purgatione ista opus non erat : si quidem Nicolaus I. epist. 70.(Labb. t. 8. p. 469. et seqq.) protestatur, id quod objiciebatur, calumniam esse a Photio confictam, quam Latini constanter a se depulerunt. Inter quos Ratramnus contra opposita Græcorum L. 4. c. 8. (Patrol. t. 121. p. 334. B.) Græci *in cæteris*, inquit, *sibi demunt auctoritatem fidei; quandoquidem in istis tam evidenter mentiuntur.* Hæc impudentia Græcorum videtur Æneæ præbuisse occasionem errandi : ac ipse Photius videtur ansam convitiandi sumpsisse e canonibus Latinorum, qui permisere, ut episcopi ex presbyteris vel diaconis peterentur.

ARTICULUS VII.

DE EXCELLENTIA EPISCOPORUM.

94. *Nota I.* Episcopi nomen ab ἐπί *super* et σκοπέω *considero* aut *speculor* derivatum, antiquis significabat *inspectorem*. Nam teste Plutarcho in Camillo tribuebatur nomen Episcopi prætori et magistratibus, qui juri dicendo, inspiciendæ provinciæ aliisque rebus curandis præficiebantur. Cicero etiam L. 4. epist. 11. ad Atticum scribit, se a Pompeio constitutum in *tota Campania, et maritima ora* ἐπίσκοπον, *ad quem delectus et summa negotii referatur.* Itaque hoc nomen ad laicos quoque pertinere potest : unde Eusebius L. 1. de vita Constantini cap. 44. de eo sic loquitur : *ipse velut communis omnium Episcopus a Deo constitutus, ministrorum Dei concilia congregavit* : quem quidem episcopatum suum Constantinus ipse L. 4. c. 24. Episcopos alloquens sic explicat : *Vos in iis, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis; ego vero in iis, quæ extra geruntur, Episcopus sum a Deo constitutus.* Nomen istud a priscis sumpsere Christiani, eoque sacrorum suorum summos Antistites cohonestarunt. Ita Christus 1. Pet. 2. v. 25. dicitur *Episcopus* animarum nostrarum. Act. 20. v. 28., ad Philip. 1. v. 1., ad Tim. 1. c. 3. v. 2., ad Tit. 1. v. 7. rectores Ecclesiarum appellantur Episcopi. Sed quidquid sit de nomine, inquirimus hic, an, et quo jure sacri illi præsules, qui nunc vocantur Episcopi, iis, qui apud nos sunt tantum presbyteri, superiores sint. Pro quo

95. *Nota II.* Seculo IV. Aerius presbyter Arianus, postquam spe episcopatus, quem ambierat, excidisset, docuit presbyteros Episcopis nihilo esse inferiores, teste Epiphanio hæresi 75. et Augustino hæresi 53. Seculo XIV. Joannes Wicleffus sacerdos Anglus, sicut expertus est Aerii fortunam, ita adoptavit insaniam. Dejectus enim a spe consequendi episcopatum Wigorniensem, ita dicebat : *Tempore Pauli sufficiebant Ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos videlicet et diaconus; quia certum videtur, quod superbia Cæsarea alios gradus adinvenit.* Ita referunt Thomas Waldensis L. 2. Doctrinalis fidei, art. 3. n. 60. et Wilhelmus Widefordus in L. adversus eumdem. Hæsit in eodem luto Calvinus L. 4. Instit. cap. 4. n. 2. ita scribens : *Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur; neque tamen sic honore et dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet, sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, et quod decretum communi consensu fuerit, exequatur; id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu, atque id ipsum pro temporum nessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres.* Ita mentitur Calvinus, cui adhærent recentiores Puritani et Lutherani.

96. *Dico I.* Jure divino Episcopi presbyteris superiores sunt quoad potestatem ordinis.

Probatur. Soli Episcopi possunt ordinare presbyteros, presbyteri non possunt; ergo Episcopi potestate ordinis antecellunt presbyteris jure divino. *Conseq. est evidens.*

Prob. Ant. I. Scriptura nulli alteri collationem sacrorum ordinum tribuit. Nam ab Apostolis constitutos fuisse presbyteros, hujus rei gratia Titum relictum Cretæ, monitumque Timotheum (quos fuisse Episcopos nemo dubitat) ne cito manus imponeret initiandis, apertissime tradunt Actus Apostolici cap. 14. v. 22. et Paulus 2. ad Timoth. 5. v. 22. et ad Tit. c. 1. v. 5.

Prob. Ant. II. ex traditione Patrum. Auctor Constit. Apost. L. 8. c. 28. (Labb. t. 1. p. 493. B.) *Episcopus benedicit et non benedicitur; manum imponit, ordinat, offert, benedictionem ab episcopis accipit; a presbytero autem non accipit.* S. Hieronymus (quem Novatores nobis perpetuo objiciunt) in epist. ad Titum c. 1. (opp. t. 7. p. 694. edit. Vallarsi.) ea verba expendens, *ut constituas per civitates Episcopos,* ait : *audiant Episcopi, qui habent constituendi presbyteros per urbes singulas potestatem.* S. Chrysostomus hom. 13. in 1. ad Timoth. demonstrat, ea verba *per impositionem manuum presbyterii,* accipi non posse *de presbyteris, sed de Episcopis.* S. Epiphanius hær. 75. (opp. t. 1. p. 908. A.) *Ordo,* inquit, *Episcoporum ad gignendos patres præcipue pertinet. Hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter* (presbyter) *cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros.* S. Athanasius in sua adversus Arianos Apologia (opp. t. 1. p. 106. A. edit. Patav. 1777.) probat, Ischyram accusatorem suum non fuisse presbyterum, quoniam Colluthus, a quo Ischyras dicebatur ordinatus, nunquam fuerat ad episcopatus characterem promotus : *Unde igitur,* inquit, *presbyter Ischyras? quo ordinante? nonne Collutho? Atqui Colluthus, cum esset presbyter, obiit, ejusque ambæ manus absque auctoritate fuerunt.* Addit Athanasius, *omnes, qui schismatis tempore a Collutho fuerant ordinati, ad laicalem statum fuisse redactos.* Quibus tam insignibus testimoniis demonstratur plane, si presbyter alium in presbyterum ordinaret non insignitus episcopali consecratione, hujusmodi ordinationem irritam penitus ac nullam esse, ideoque Episcopos potestate ordinis presbyteris anteire.

Prob. Ant. III. definitionibus Conciliorum. Tridentinum Sess. 23. can. 7. ita definit : *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; anathema sit.* Idem multo ante statuerant Synodi aliæ, nempe anno 348. Carthaginensis I. can. 5., anno 554. Arelatensis V. can. 7., anno 563. Bracarensis can. 8. aliæque permultæ. Deberi autem Episcopis jus ordinandi Ecclesiæ ministros, probat Tridentinum eadem Sess. cap. 4. ex eo quod illi in locum Apostolorum successerint, et positi fuerint, ut ait Apostolus, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei : apertum enim est, inferiorum ministrorum electionem atque inaugurationem non in Ecclesiastico solum, sed etiam in quolibet regimine bene constituto ad præpositos rectoresque supremos pertinere.

97. *Dico II.* Jure divino Episcopi antecellunt presbyteris etiam quoad potestatem jurisdictionis.

Prob. I. Auctoritate Scripturarum. Episcopi legis Evangelicæ non sunt minores summo Sacerdote legis antiquæ : atqui Sacerdos summus in veteri lege

jure divino superior erat ordine et auctoritate cæteris sacerdotibus et levitis; ergo et in nova lege Episcopi auctoritate et potestate jurisdictionis presbyteris antecellunt. *Major* propositio est Hieronymi, qui hac in re Novatoribus puppis ac prora est, ad Nepotianum epist. 34. (al. 52.) ita scribentis : *Quod Aaron et filios ejus, hoc esse Episcopum et Presbyterum noverimus.* Idem verbis expressioribus supra recitatis asserit, epist. ad Evangelum. *Minor* aperte constat legenti cap. 28. Exodi, 9. Levitici, 17. Deuteron. Ex quibus liquet Aaronem ampliorem honorem, diversam consecrationem, facultatem ingrediendi sanctuarium, partem ex oblationibus peculiarem, atque supra sacerdotes et levitas omnes jurisdictionem amplissimam sibi vindicasse. Fatetur hoc ipse Calvinus L. 4. Instit. cap. 6. n. 2. et Magdeburgenses cent. 1. c. 7.

Nec desunt monimenta ex novi Testamenti paginis. Nam Apostolos jure divino majores fuisse Christi discipulis, constat tum ex diversa illorum electione; etenim Luc. 6. v. 13. duodecim tantum ex reliquorum discipulorum numero elegit, cum Luc. 10. v. 21. demum designaverit *et alios septuaginta duos* : tum quod solis Apostolis Joan. 20. v. 21. Dominus post resurrectionem dixit : *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* : tum denique, quod post Judæ defectionem Mathias ad instaurandum numerum duodenarium, peculiari ceremonia ex numero discipulorum fuerit in collegium Apostolorum cooptatus, Act. 1. Atqui Apostolis successisse Episcopos, discipulis autem presbyteros omnium Patrum consensu firmatur, Gregorii Nysseni de vita Moysis, (t. 1. p. 218. C.) Chrysostomi hom. 38. in 1. ad Corinth., Hieronymi in epist. ad Fabiolam, Isidori Hispalensis in cap. 22. Exodi, Ven. Bedæ L. in Lucam cap. 42. aliorumque. Igitur jure divino Episcopi tenent in Ecclesia gradum cæterorum sacerdotum gradu et ordine superiorem.

Suffragatur S. Paulus in epistolis. Epistola enim 1. ad Tim. c. 5. v. 19. ita eumdem alloquitur : *adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ergo Timotheus presbyterorum erat antistes et judex. Hinc Epiphanius hæresi 75. (loc. cit. supra) : *Quod autem,* inquit, *non idem esse possit cum Episcopo presbyter, divinus Apostoli sermo declarat, quo, quisnam Episcopus, quisque presbyter, intelligitur. Nam ad Timotheum Episcopum scribens, ita loquitur : Presbyterum ne objurges, sed hortare velut patrem. Quid autem attinebat Episcopo vetare, ut ne presbyterum objurgaret, nisi majorem supra presbyterum auctoritatem haberet? Quare deinceps admonet : adversus presbyterum cito accusationem ne admiseris, nisi duobus tribusve testibus.*

Prob. II. Ex Patribus, ex quorum testimoniis luculentissima duntaxat proferemus. S. Ignatius martyr epist. ad Ephesios n. 3. (PP. Apost. opp. p. 159. edit. Hefel.) *Episcopi,* inquit, *per terræ terminos definiti in Jesu Christi sunt sententia.* Ad Magnesianos n. 6. *hortor,* ait, *in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco senatus Apostolici.* Ad Trallianos n. 2. scribit : *Episcopo subjecti sitis tanquam Jesu Christo,* ac paulo post : *necesse itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis.* Ad Philadelphienses n. 7. *Episcopo attendite, et presbyterio et diaconis;* et n. 9. *boni quidem sunt sacerdotes, præstantius autem quid est summus Pontifex.* Vides his in locis ab Ignatio expressam Episcoporum supra presbyteros præeminentiam, jurisdictionem, auctoritatem.

Clemens Alexandrinus L. 6. Stromat. (opp. p. 667. D. edit. Morelli.) scribit in Ecclesia imitationes esse Angelicæ gloriæ, virosque *qui insistentes vestigiis Apostolorum vixerunt in perfectione justitiæ, teste Apostolo, primo quidem diaconos esse, deinde cooptatos in presbyteratum per progressum gloriæ* (*nam gloria differt a gloria*) *donec in virum perfectum* (id est, Episcopum) *creverint.* Igitur Episcopi tam distinguuntur a presbyteris, quam hi a diaconis, et quemadmodum presbyteri diaconis hic loci superiores esse asseruntur, quod et hæretici fatentur, ita et presbyteris Episcopi. Tres enim gradus ex æquo a se invicem secreti recensentur, e quorum uno progressus fiat ad alium. Atque hoc discrimen ordinum tempore Apostolorum jam ex divina institutione fuisse profectum refert idem S. Doctor L. 3. Pædagogi cap. 12. (p. 264. C.) scribens : *Quam plurima præcepta, quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt, hæc quidem presbyteris, alia vero Episcopis, alia diaconis.*

Origenes hom. 11. in Jeremiam (opp. t. 3. p. 159. D. edit. Ruæi.), quam habuit, cum jam esset presbyter : *Plus a me exigitur,* inquit, *quam a diacono; plus a diacono, quam laico : qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet* (Episcopus), *pro omni Ecclesia rationem reddet.*

S. Cyprianus epist. 27. ad Lapsos. *Dominus noster,* inquit, *cujus præcepta et monita observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens... dicit Petro : Tu es Petrus et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam... Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit,* etc. Quid clarius ?

S. Hieronymus in dialogo adversus Lucifer. n. 9. *Ecclesiæ salus,* inquit, *in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes :* quo loco S. Doctor aperte insinuat, Ecclesiam ipsam suapte natura flagitare eminentem supra cæteros sacerdotes Episcopi auctoritatem, ne oriantur schismata : Christus autem utique Ecclesiæ suæ consulere voluit. Idem epist. ad Evangelum : *Quid facit,* inquit, *excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat ?* Ibidem, *in Episcopo,* ait, *et presbyter continetur. Qui provehitur, de minori ad majus provehitur.* Ibidem scribit : *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron et filii ejus atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia.* Tribuit hic Hieronymus Episcopis ordinis discrepantiam, ampliorem in Ecclesia dignitatem Aaronis supra levitides excellentiam ex traditione Apostolica seu jure divino. Immerito ergo eo tanquam patrono adversarii gloriantur.

Denique, ut innumera aliorum Patrum testimonia omittam, S. Augustinus L. de Hæres. n. 53. Aerium inter hæreticos recenset, quod inter alia nefaria dogmata diceret, *presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni.*

Prob. III. Ratione. Nullus scriptorum Ecclesiasticorum, qui primorum temporum formam descripsere, meminit immutationis, qua seculo secundo Episcopi imperium in presbyteros adepti sint; sed omnes unanimiter tradunt, ipsorum auctoritatem in presbyteros ubique jam inde ab Apostolis perpetuo deinceps viguisse. Deinde incredibile prorsus est, mutationem

istam ordinis ab Apostolis profecti fortuito post seculum primum in Ecclesias omnes fuisse invectam. Fidem quoque superat, cunctos in toto orbe presbyteros in id statim consensisse, ut gradu moverentur : quasi vero omnes jugum sponte acceperint posthabita ordinis proprii gloria et dignitate nuper ab Apostolis obtenta. Quod si presbyteris repugnantibus id evenisse obtendant Calviniani, id certe sine contentionibus, turbis ac celebratis synodis minime poterat extorqueri. Atqui horum nihil veteres meminerunt. Merito igitur Tridentina Synodus Sess. 23. can. 6. definit hierarchiam Ecclesiasticam *divina ordinatione* institutam fuisse, et constare *ex Episcopis, Presbyteris et Ministris*; et canone proximo, Episcopos presbyteris esse superiores.

98. *Obj. I. contra concl.* 1am. Concilium Nicænum in epistola synodica (Labb. t. 2. p. 251. A.) permittit presbyteris, *qui ad nullum schisma defecisse comperti sunt, jus habere et ordinandi, et eos, qui digni clero fuerint, nominandi*. Ergo presbyteris tunc jus erat ordinandi, teste Theodoreto L. 1. c. 9. et Socrate L. 1. c. 19.

R. *D. Ant.* Jus habere ordinandi, hoc est, eligendi *C.* id est, consecrandi *N.* Verbum græcum προχειρίζεσθαι significat *promovere*. Synodus Meletiani schismatis presbyteris in clericorum promotione suffragii jura concesserat; cæteris autem concedit καὶ προχειρίζεσθαι, καὶ ὀνόματα ὑποβάλλειν, hoc est, *et promovere et nomina suggerere*. Nec refert, quod vox illa προχειρίζεσθαι paulo ante dicatur de iis, qui ab Alexandro episcopo Alexandrino erant consecrati. Nam licet ex se promotionem tantum electione factam significet, potest tamen etiam ad ordinationem, ut sibi subjectam, applicari; prout can. 14. Synodi 11. et alibi adhibetur. Porro mendosum est, quod in codice Dionysii Exigui can. 13. Concilii Ancyrani legitur : *Presbyteris non licere presbyteros aut diaconos ordinare sine præcepto Episcopi vel litteris*. Ita enim exemplaria emendatiora aliorum habent : *Sed nec presbyteris civitatis sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, nec sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere.*

99. *Inst.* 1. Concilium Hispalense II. an. 619. (Labb. t. 5. p. 1666. B.) capitulo 7. statuit : *quamvis cum Episcopis plurima illis* (Presbyteris) *communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris legis; quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio*. Ergo ex jure duntaxat ecclesiastico soli Episcopi conferre sacros ordines possunt, ideoque jure divino non sunt superiores presbyteris quoad potestatem ordinis. *Confirmatur* ex eo, quod Synodus eodem modo de sacris ordinationibus, quo de Virginum et Ecclesiarum consecratione loquatur : atqui hoc postremum juris est tantum ecclesiastici; ergo et primum.

R. *D. Ant.* et Synodus *novellarum regularum* nomine intelligit novi fœderis leges, quas veteris Testamenti institutis opponit *C.* intelligit recentiores a Conciliis conditas *N.* Illum esse Concilii sensum liquet ex serie cit. cap. in quo reprehenditur Agapius episcopus Cordubensis, qui cum a seculari militia statim ad summum fuisset sacerdotium promotus, disciplinæ ecclesiasticæ non satis peritus frequenter presbyteros destinabat altaribus erigendis,

et basilicis consecrandis, id quod vetat Synodus inquiens: *In divinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moyses in Tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, quia summus utique sacerdos erat Dei, sicut scriptum est de eo: Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; ideoque id, quod tantum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses et Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis,* etc. Ex quo Ecclesiæ hac in re doctrina potius confirmatur.

Nec refert, quod novellas regulas ecclesiasticis conjungat. Non enim conjungit, quod eædem sint; sed quod utræque in idem argumentum conspirent. Nam cum ecclesiasticis regulis jus divinum sæpe declaretur, ideo ipsi non infrequenter adjunguntur.

Ad Conf. D. M. Loquitur eodem modo quoad reservationem ipsam *C.* quoad jus, quo reservatio innititur *N.* Conjungit itaque Synodus ista tanquam solis Episcopis reservata: et merito; omnia enim illa pariter episcopatus honori reservantur, sed vario jure, quod non semper exprimunt veteres. Quanquam Synodus Hispalensis novi Testamenti regulis ecclesiasticas ideo etiam conjungere videatur, ut innuat geminam illam consecrationem ex diverso jure proficisci.

100. *Inst.* 2. Veteres nonnulli affirmant, Episcopos creari a presbyteris; ergo. *Prob. Ant.* Eutychius Patriarcha Alexand. in historia Ecclesiæ Alexand. et vita Marci Evang. memorat, S. Marcum constituisse *duodecim presbyteros, qui adessent Patriarchæ, ut decedente Patriarcha eligerent unum e duodecim presbyteris, et imponerent reliqui undecim presbyteri manus capiti ejus, et benedicerent eum, et constituerent eum Patriarcham.* De Novato presbytero loquens Cyprianus epist. 49. *Ipse est*, inquit, *qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione et ambitione constituit.* Ergo.

R. *D. Ant.* Presbyteri creabant Episcopos, et diaconos, hoc est, eligebant, vel conferri ordinem curabant *C.* per se ipsi consecrabant *N.* Ita benigne explicari potest Eutychius. Constat enim triplicem manuum impositionem ab Orientalibus in electione et ordinatione Episcopi adhiberi: quarum *prima* est populi totius præsulem suum designantis; *secunda* presbyterorum eumdem simul eligentium, et postea electum approbantium; *tertia* episcoporum electum et confirmatum consecrantium. Hæc Abrahamus Ecchellensis Maronita cap. 2. et 10. p. 1. Eutychii vindicati adversus Seldenum et Hottingerum aliosque Protestantes, qui plura ex dicti Eutychii historia excerpserunt, queis contra Catholicos abuterentur. Cæterum Eutychii vel nulla vel tenuis est auctoritas; quippe fabulis delectatur, summamque veteris historiæ ac disciplinæ ignorationem præ se fert, id quod non Catholici duntaxat Theologi, sed etiam Protestantes pluribus ostendunt, Seldenus, Eduardus Pocokius, qui Eutychii scripta typis vulgavit. Videsis Carolum Witassium Tract. de sacram. Ord. part. 2. q. 1. de Episcoporum superioritate.

Pariter quando Novatus perhibetur diaconum fecisse, id solum arguit ejus studio effectum, ut Felicissimus diaconus constitueretur. Colligitur id ex ipsis verbis Cypriani, disserte pronunciantis, Novatum factione sua duntaxat effecisse, ut Felicissimus ad diaconatum eveheretur. Addit S. Cyprianus;

qui istic adversus Ecclesiam diaconum fecerat, illic Episcopum fecit, scilicet Novatianum Romæ. Noverat autem Cyprianus ex epistola Cornelii Pontificis ad Eusebium, Novatianum non a Novato, sed a quibusdam Episcopis temulentis fuisse ordinatum.

101. *Inst.* 3. Ignatius, Augustinus aliique Patres affirmant, sacerdotium præstantiorem esse gradum, ad quem possit mortalium aliquis ascendere. Atque hoc de simplici etiam presbyteratu verum est, qui pariter honor omnium maximus dicitur. Sic auctor Commentariorum in epistolas Pauli, sive Ambrosiaster in cap. 3. epist. ad Tim. 1. scribit, *Episcopi et Presbyteri esse unam ordinationem.* Ergo tunc temporis nihil erat sacerdotio et presbyteratu sublimius.

R. *D. Cons.* Nihil erat sublimius sacerdotio adæquate sumpto, prout scilicet duos ordines diversos complectitur *C.* inadæquate sumpto pro solo presbyteratu *Subdist.* nihil est sublimius dignitate *C.* auctoritate *N.* Itaque reapse nulla est præstantior potestas ea, qua conficitur ipsum Christi corpus, quæque presbyteratu confertur. Neque vero episcopatus seorsim acceptus, presbyteratum dignitate superat, sed auctoritate; quod non impedit, quominus Episcopi sint presbyteris superiores. Quare dum Ambrosiaster (quanquam is ignoti nominis sit, et incertæ ætatis auctor) presbyteri et Episcopi *unam* esse ordinationem affirmat, non unam ex omni parte intelligit, sed quantum ad sacerdotium seu presbyteratum. Sic quippe protinus subjungit (opp. S. Ambros. t. 2. part. 2ª. p. 295. A.) : *Uterque enim sacerdos est: sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter Episcopus... Unde et quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit : neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit, quod non accepit.*

102. *Obj. II. contra concl.* 2ªm. S. Paulus ita loquitur de Episcopis ac presbyteris, ut aliquando presbyteros vocet Episcopos, aliquando Episcopos appellet presbyteros, et quidquid de Episcopis dixerit, id pariter de presbyteris affirmaverit; ergo Episcopi jure divino non sunt superiores presbyteris. *Prob. Ant.* ex variis Scripturæ locis. Ad Philipp. 1. sic scribit : *Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis et diaconibus :* ubi per Episcopos intelligi presbyteros manifestum est; si enim Episcopi nomine significaretur primus aliquis sacerdos jurisdictione in cæteros præditus, non dixisset Paulus *cum Episcopis*, sed cum Episcopo; fieri enim nequit, ut ejusdem urbis plures sint Episcopi in sensu a nobis usurpato; ergo. Ad Tim. 1. c. 4. v. 14. ait : *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii.* Idem ergo est presbyter, quod Episcopus, cum fatentibus Catholicis sermo ibi sit de impositione manuum facta ab Episcopis. Ad Tit. 1. v. 5. inquit : *Reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Subinde virtutes presbyteri describens v. 7. addit : *oportet enim Episcopum sine crimine esse;* ergo nihil discernit presbyterum inter et Episcopum, prout ex particula *enim* intelligimus. Denique Act. 20. v. 17. legitur : *A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu* (πρεσβυτέρους) *Ecclesiæ*, quibus deinde ait v. 28. *Attendite vobis et universo gregi, in quo*

vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; ergo vel plures erant ejusdem civitatis Episcopi, vel iidem erant presbyteri, qui Episcopi.

R. 1°. D. *Ant.* S. Paulus presbyteros vocat Episcopos et vicissim, quod Episcopi et presbyteri nomina utrique ordini Apostolorum ævo fuerint communia *C.* quasi ordines ipsos tunc distinctos non fuisse senserit *N. Ant. et Conseq.* Ita hoc argumentum solvit S. Chrysostomus hom. 1. in epist. 1. Philipp. (opp. t. 11. p. 195. A.) expendens illa verba: *cum Episcopis et diaconibus. Quid est hoc?* inquit, *an unius civitatis multi erant Episcopi? nequaquam. Sed presbyteros ita appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque etiam ipse Episcopus vocabatur diaconus. Idcirco ad Timotheum scribens, diaconiam, id est, ministerium tuum imple, cum tamen ille Episcopus esset, quod constat ex illis verbis ad eumdem scriptis... quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii. Presbyteri enim Episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scribens: Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros... Quæ quidem de Episcopis dicit. Namque hæc cum dixisset, statim addit: Oportet enim Episcopum sine crimine esse... Antiquitus enim ipsi etiam presbyteri vocabantur episcopi et diaconi Christi, et Episcopi presbyteri. Quocirca hodie multi Episcopi scribunt ita: compresbytero et comdiacono. Procedente vero tempore proprium cuique tributum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero presbyter appellaretur.* Hanc Chrysostomi explicationem tanquam omnium planissimam et commodissimam plerique interpretum Græcorum et Latinorum tenent. Nam in S. Scriptura non tantum nomen Episcopi, sed etiam Apostoli et diaconi aliis quoque tribuebatur, qui ordine et auctoritate aut minores erant, aut multo præstantiores. Præter duodecim, quos Christus in Evangelio elegit *Apostolos*, etiam Paulum, Barnabam, Andronicum, Juniam aliosque hoc nomine cohonestatos legimus: imo Christus ipse ad Hebr. 3. *Apostolus* confessionis nostræ appellatur. Paulus se et Apollo 1. ad Cor. 3. v. 5. et 2. ad Cor. 3.v. 6. vocat διακόνους *ministros*, et ad Rom. 15. v. 8. ait, Christum διάκονον *ministrum fuisse circumcisionis.* Petrus item epist. 1. cap. 5. v. 1. aiebat *presbyteros, qui in vobis sunt, obsecro compresbyter,* aut juxta vulgatam, *seniores consenior.* Audebuntne Novatores Christo Apostolos et Episcopos, Apostolorum principi presbyteros, imo Episcopos diaconis facere auctoritate pares? Recepta igitur hæc Chrysostomi sententia, tota illa probationum farrago evanescit.

R. 2°. cum S. Epiphanio, aliquibus in locis extitisse Episcopos cum diaconis absque presbyteris, in aliis vero presbyteros cum diaconis sine Episcopis; indeque factum, ut ubi Apostolus Episcoporum mentionem fecit, de presbyteris omnino silucrit. En verba Epiphanii hom. 75. edit. Petavianæ (opp. t. 1. p. 908. B.) adversus Aerium ita dicentis: *Sed nimirum veritatis iste seriem ignarus, nec in reconditiore historia versatus, non intelligit, Apostolum, cum recens adhuc esset christiani dogmatis propagatio, pro re nata scripsisse. Nam ubi jam Episcopi constituti fuerant, ad Episcopos ac diaconos scribebat; neque enim subinde omnia ab Apostolis ordinari poterant: et quidem presbyteris imprimis et diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus ecclesiastica negotia administrari possunt. Quare ubi nondum episcopatu dignus aliquis occurrerat, nullus ei loco præpositus est Episcopus. At ubi et necessitas postulabat, nec eorum, qui episcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epi-*

scopi constituti : sed cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Episcopi crearentur : unde solo Episcopo contenti fuerunt. Sine diacono autem Episcopus esse non potest.

Erant igitur ex mente Epiphanii primis Ecclesiæ seculis Episcopi a presbyteris non solum gradu et auctoritate, sed etiam nomine distincti. Nec tamen ex productis supra Scripturæ testimoniis ad Philipp. 1. et Act. 20. sequitur, plures fuisse ejusdem civitatis Episcopos. Nam cum Philippi metropolis esset, plures sub ea erant Episcopi illius provinciæ, qui ex urbibus aliis negotiorum causa poterant convenire. Eodem sensu explicat illud Act. 20. v. 17. S. Irenæus L. 3. c. 14. inquiens : *A Mileto convocatis Episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus.* Cæterum hæc Epiphanii assertio cum sententia Chrysostomi facile conciliari potest; cum non repugnet, eadem vocabula in ampliori significatione pluribus, in pressiore vero et propria uni tantum convenire.

103. *Inst.* 1. S. Chrysostomus hom. 11. in 1. ad Timoth. (opp. t. 11. p. 604. C. D.) *Postquam,* inquit, *de Episcopis dixit* (Apostolus), *eosque formavit... omisso presbyterorum ordine, ad diaconos transiit. Cur id, quæso? quia scilicet inter Episcopum et presbyterum interest ferme nihil : quippe et presbyteris Ecclesiæ cura commissa est, et quæ de Episcopis dixit, etiam presbyteris congruunt.* Idem scribit Theophylactus Chrysostomi vestigiis, imo verbis inhærens. Ergo Chrysostomus non agnovit Episcopos presbyteris auctoritate antecellere.

R. *N. Conseq.* Nam si S. Doctor non agnovit Episcopos presbyteris esse superiores, cur miratur, Apostolum, prætermisso presbyterorum ordine, nominatis Episcopis statim ad diaconos transiisse? Certe nisi presbyterorum et Episcoporum ordines jam fuisse distinctos credidisset, nullus fuisset admirationi locus. Deinde licet pene unus esset gradus; attamen Chrysostomus affirmat interfuisse aliquid, quod indicant illa verba : ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον, quæ melius vertas : *quia non multum interest,* quam, *interest ferme nihil.* Quid porro intersit, ibidem declarat, cum e vestigio addit : *sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Quod autem etiam presbyteris tribuat animarum curam, hoc ultra fatemur, non tamen independenter ab Episcoporum jurisdictione, et auctoritate. Eadem valet responsio ad Theophylactum, qui in epistolam ad Philip. scribit, presbyteros quoque Episcopos, *quod etiam ipsi populum inspiciant, ut purgent, et illuminent,* hoc est, exorcizent catechumenos, et baptizent ; *sed alia esse Episcopi officia ; non enim presbyteri ordinant.*

104. *Inst.* 2. S. Hieronymus hanc Episcoporum eminentiam atque a presbyteris distinctionem ævo Apostolorum viguisse minime credidit. *Prob.* ex ejusdem comment. in cap. 1. epist. ad Titum. Principio enim ait : *Idem est ergo presbyter, qui et Episcopus.*

Subjicit statim : *et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis : ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* Ergo Hieronymus nullum agnoscebat, qui presbyteris auctoritate anteiret.

Pergit deinde : *Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos*

putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. Putavit igitur S. HIERONYMUS hanc Episcoporum excellentiam et potestatem jure tantum humano ad tollenda schismatum semina fuisse invectam.

Demum concludit : *Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos : ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere.* Ergo, etc. His aliisque S. Doctoris testimoniis triumphat Blondellus, qui integrum librum edidit, ut Hieronymum in oppositam sententiam detorqueret; sed inanis, sicut in cæteris, ejus est labor.

R. *Nego assertum*, cujus falsitas perspicua fit momentis supra ex S. HIERONYMO productis.

Ad prob. R. verba S. Doctoris singillatim explicando. 1°. *Idem est presbyter, qui Episcopus* nominetenus *C.* reipsa *N.* Eodem enim loco ait : *Presbyterum et Episcopum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii... Eosdem Episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant; propterea indifferenter de Episcopis quasi de presbyteris est locutus* (Paulus). Quod probat ex variis Scripturæ locis supra a nobis adductis, qui de solis nominibus agunt, præsertim ex initio epistolæ ad Philipp. *cum episcopis et diaconis,* aitque : *Certe in una civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant.* Ergo Hieronymus singulares primi ordinis antistites, eosque alios a presbyteris credidit.

2°. *Communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur,* et pari etiam auctoritate *N.* communi consilio, sed auctoritate dispari *C.* Ex communi cura et administratione Ecclesiæ nequaquam sequitur, pares fuisse Episcopis presbyteros. S. CYPRIANUS epist. 5. (al. 4.) ad presbyteros et diaconos, *solus,* inquit, *rescribere nihil potui; quando a primordio episcopatus statuerim, nihil sine consilio vestro et sine consensu plebis mea privatim sententia gerere.* Nemo tamen negaverit, tunc multum fuisse discriminis inter Episcopum et presbyteros, inter hos et diaconos, inter plebem et clerum. Id quod satis agnovit Hieronymus : scribit enim ipse L. de script. Eccles. in Jacobo, eumdem Jacobum primum Hierosolymorum Episcopum continuo post Christi ascensionem fuisse constitutum : sciebat Petrum Antiochiæ sedisse, et Evodium sibi successorem ordinasse, Marcum Alexandriæ sedisse antistitem ante tempora illius schismatis, ad quod provocat.

3°. At occasione schismatis Corinthiaci, teste Hieronymo, *toto orbe decretum est, ut unus ex Presbyteris electus superponeretur cæteris. Dist.* id est, ut unus, qui jam ordine et charactere alios antecellebat, curam et administrationem ad se solum revocaret *C.* ut superponeretur præcise *N.* Ante istud schisma erat in qualibet insigniore Ecclesia Episcopus, qui charactere ac suæ ordinationis dignitate presbyteris excellebat; curam tamen gregis cum presbyteris ultro communicavit: quam tamen postea oborto schismate, ob presbyterorum arrogantiam, Episcopi ad se revocarunt, ita decernentibus Apostolis. Atque hoc est, quod ait Hieronymus, *in toto orbe decretum esse :* neque enim de Concilio universali, aut specialibus synodis hac super re coactis constat.

4°. Eodem sensu accipiendus est Hieronymus, quando dixit, Episcopos

presbyteris majores esse *consuetudine magis, quam dispositionis dominicæ veritate.* Neque enim vult sic esse majores quoad gradum, dignitatem et characterem sacramenti, sed exterius duntaxat, quod presbyteri non amplius æque vocarentur a præsulibus in partem sollicitudinis ut ante, Illam quippe in gubernanda Ecclesia curarum consiliorumque communionem, quam S. Hieronymus ait initio servatam fuisse, explicat præstantissimus Doctor verbis illa in objectione allata proxime consequentibus : *imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* At Moyses utique jure divino illis erat superior.

105. *Inst.* 3. Idem epist. 85. (al. 146.) ad Evagrium seu Evangelum scribit, diaconum se presbyteris anteponere idem esse, ac se anteponere Episcopis ; ergo. Pergit in ead. epist. *Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori loco collocatum, Episcopum nominabant : quomodo si exercitus Imperatorem faciat ; aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent.* Atqui hic S. Doctor affirmat a solis presbyteris factum esse Episcopum. Ergo juxta Hieronymum jure divino nihil differt a presbyteris Episcopus.

R. *D. Ant.* Idem esse ac se anteponere iis, qui charactere sint Episcopi *N.* iis se anteponere, qui cura, administratione et nomine solum sint Episcopi *C.* Quod autem dicit, presbyteros unum ex se electum in excelsiori gradu posuisse atque Episcopum nominasse, intellige, a solis presbyteris Episcopum esse electum, non item consecratum. Nam S. Hieronymus continuo subdit : *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Quod accipias de officiis ecclesiasticis baptizandi et Eucharistiam conficiendi : nam quod potestatem confirmandi non exceperit, ideo factum, quia respexit ad consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua presbyteri ex speciali commissione chrismabant.

Cæterum usque ad tempora ab Hieronymo notata peculiare hoc habebat Ecclesia Alexandrina, quod soli presbyteri jure suffragii gauderent, quod ex suo tantum collegio Episcopum eligerent, teste Eutychio Alexandrino, atque illico a morte Episcopi, *ne aliis hunc, aliis illum postulantibus in populo jurgia et contentiones existerent,* ut habet Epiphanius hær. 49. Porro electus iste quamprimum a presbyteris in sede sublimiori collocabatur, et ante consecrationem ab Episcopis aliis acceptam vocabatur Episcopus, atque post dies aliquot jurisdictione et auctoritate plene fruebatur. Addit Eutychius presbyteros manus electo etiam imposuisse, in speciem scilicet anticipatæ cujusdam consecrationis. Quæ quidem postea fuere mutata : nam S. Athanasius diaconus erat, cum eligebatur in Episcopum ; ubi procul dubio clerus reliquus et plebs ipsa ad eligendum Episcopum admittebatur, more aliarum Ecclesiarum, in quibus vicini quoque Episcopi suffragii jure potiebantur.

Neque obstat illud, quod Hieronymus dixerat, Episcopum Alexandrinum a presbyteris ita factum esse, ut fiebat imperator ab exercitu, et archidiaconus a diaconis : hoc enim S. Doctor intellexit solum quoad rationem electionis, nequaquam autem secundum rationem omnimodam, ut sic electi Episcopi consecrationem excluderet.

Atque hæc paulo prolixius versavi, ut retunderetur procacitas hæreticorum, qui pugnaciter contendunt Hieronymum hac in parte totum esse suum, atque ut castigaretur Michaelis Medinæ audacia, qui asserere non dubitavit L. 1. de sacrorum hominum origine et continentia cap. 5. Doctorem maximum Aerii hæresi aperte favisse : cujus scholastici judicium *falsissimum et homine catholico indignum* jure appellat L. 2. de Hierarchia Eccl. c. 8. Dionysius Petavius.

ARTICULUS VIII.

DE SACRARUM ORDINATIONUM MATERIA ET FORMA.

106. *Nota I.* Ut iis, quæ hic disputari solent, lux plenior accedat, prænotandi sunt sacri ritus, quibus ordinationes, præsertim majores, in quibus est plus controversiæ, peraguntur. Igitur

1°. Ordinatio episcopalis in Ecclesia latina, juxta ordinem Pontificalis Romani his ritibus absolvitur : 1. Episcopus consecrans, adjuvantibus duobus Episcopis assistentibus, librum Evangeliorum apertum, nihil pronuncians imponit super consecrandi cervicem et scapulas. 2. Tangunt ejusdem caput imponendo ambas manus consecrator et assistentes Episcopi cum verbis : *Accipe Spiritum sanctum*. 3. Orationem pro eo fundit consecrator : *Propitiare Domine*, etc. 4. Caput ejusdem inungit chrismate dicens : *Ungatur, et consecretur caput tuum*, etc. tum ambas manus inungens dicit : *Ungantur manus istæ*, etc. 5. Tradit consecrato baculum pastoralem : deinde annulum, tum librum Evangeliorum clausum, correspondentibus ubique verbis : *Accipe baculum pastoralis officii, etc. Accipe annulum, etc. Accipe Evangelium, et vade; prædica, etc.* 6. Finita missa, consecrati capiti mitram imponit, et chirothecas manibus, dicendo : *Imponimus, Domine, capiti, etc. circumda Domine manus, etc.*

In Ecclesia græca 1. dum consecrandus fronte sacræ aræ incumbit, consecrator hæc verba profert, prius scripta consecrando tradita : ... *Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea, quæ desunt, adimplet, promovet N. Deo amabilissimum presbyterum in Episcopum civitatis N. Oremus igitur, etc.* 2. His peractis imposita manu una cum pallio super consecrandi caput, adjuvantibus Episcopis capiti ejus Evangeliorum librum apertum imponit; tum ter caput cruce signans, et manum ei impositam tenens precatur : *Domine Deus, etc.* Ita referunt Goar in Rituali Græcor., Arcud. L. 6. Concord. de Sacr. Ord. cap. 2.

2°. Ordinatio presbyteri apud Latinos hoc ritu celebratur : 1. Ante Evangelium missæ Episcopus et sacerdotes adstantes, nihil dicendo, ordinandi capiti (si plures sint, singulorum capitibus) imponunt manus. 2. Eo facto manus dexteras super eum extensas tenent, orante solo Episcopo : *Oremus, fratres charissimi, etc.* 3. Ordinando imponit stolam et casulam; tum manus ungit oleo catechumenorum. 4. Tradit ordinando calicem cum vino et aqua, et patenam cum hostia superpositam dicens : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, etc.* 5. Peragitur sacrificium missæ, in quo ordinatus cum Episcopo verba consecrationis pronunciat. 6. Post communionem Episcopus solus illi manus

imponit cum verbis : *Accipe Spiritum sanctum : quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Apud Græcos 1. Episcopus imponit manus ordinando. 2. More solito dicit : *Divina gratia, quæ semper infirma curat... promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum. Oremus igitur, etc.* 3. Ordinatum ter signat orando, tum casula induit. 4. Eidem porrigit panem sanctum, quem esse particulam Eucharistiæ consecratæ observat Goar : sed nulla tradit instrumenta, nimirum nec calicem cum vino et aqua, nec patenam cum hostia juxta Goar et Arcud. cit.

3°. Ordinatio diaconi et subdiaconi inter Latinos fit : 1. Solus Episcopus ordinando *in diaconum* manum imponit cum verbis : *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine,* etc. 2. Stolam illi imponit super humerum sinistrum, eumque dalmatica induit. 3. Tradit illi librum Evangeliorum tangendum manu dextera cum verbis : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine, etc.* Cum *subdiaconi* ordinantur 1. Episcopus singulis calicem vacuum cum patena vacua porrigit dicens : *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur, etc.* 2. Archidiaconus ipsis urceolos cum vino et aqua offert, etc. 3. Episcopus porrigit manipulum et tunicam cum verbis præscriptis. 4. Tradit librum Epistolarum cum verbis : *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris,* etc. Græci ordinationem diaconi præter quosdam ritus accidentales sola impositione manuum, sine alia instrumentorum traditione absolvunt, dicendo : *Divina gratia... promovet N. subdiaconum in diaconum. Oremus igitur, etc.* similiter sola impositione manuum subdiaconatum conferunt, ut liquet ex eorum Euchologiis.

Quæstio nunc est, neque levis controversia, quænam ex enarratis ceremoniis et ritibus sint tum materia tum forma essentialis, hoc est, necessaria necessitate sacramenti ordinis? Pro quo

107. *Nota II.* In tres præcipue sententias hic abierunt Scholastici. *Prima* universaliter pro materia solam manuum impositionem assignat ; pro forma sola ea verba, quæ illi respondent ; porrectionem vero instrumentorum vel inter ritus mere accidentarios numerat ; vel esse solum materiam integralem, ut Witasse, Juenin, Habert, Tournely, et alii ; vel ea solum ratione vult pertinere ad materiam, quatenus dici possit instrumentorum porrectionem implicite ac virtute contineri in impositione manuum, cum manus sit organum organorum, et instrumentum instrumentorum, ut loquitur D. Bonavent. in 4. dist. 24. q. 4. a. 1., et docet Morin. hic p. 3. Exercit. 1. c. 1., Menard. in notis ad Libr. Sacrament. S. Gregor. Papæ., Becan. et cæteri. *Secunda* contra, solam porrectionem instrumentorum esse materiam essentialem asserit et formam ea verba, quæ tunc proferuntur ; manuum vero impositionem vel inter ritus mere ecclesiasticos refert, vel ait contineri in traditione instrumentorum, ut Paludan. q. 2. a. 3., Valentia Disp. 19. hic q. 1. punct. 5., Estius in 4. dist. 24. §. 24. *Tertia* inter duas priores media vult materiam essentialem tam in manuum impositione, quam in porrectione instrumentorum consistere, per consequens formam in iis verbis, quæ utrique correspondent. Ita sentit Bellarm. L. 1. de sacram. Ord. c. 9., Vasquez cæterique communius, et videtur esse genuina mens

Doctoris Angelici, tum Opusc. 5. et hic q. 37. a. 5. dicentis: *quia principalis actus sacerdotii est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotis imprimitur*: tum 3. p. q. 84. a. 4. in 0. ubi rationem reddit, quare in sacramento Baptismi et Pœnitentiæ non requiratur impositio manuum, requiratur autem in sacramento Confirmationis et Ordinis: *quia impositio manuum fit in sacramentis Ecclesiæ ad significandum copiosum gratiæ effectum*. Cum hac

108. *Dico I.* Materia essentialis ordinationis Episcopi est 1°. impositio libri Evangeliorum, et 2°. impositio manuum; adeoque duplex partialis unam totalem constituens: forma vero utrique respondens adæquata est hæc: *Accipe spiritum sanctum*.

Prob. 1ª. *p. de impositione libri Evangeliorum*. Hæc enim fuit concors et perpetua omnium Ecclesiarum consuetudo, unde merito colligitur ritum impositionis libri Evangeliorum habitum fuisse pro vera materia, cum præsertim Ecclesia græca cum latina in ritibus mere accidentariis vix unquam omnino conveniat. Et hæc ratio non potest non valere saltem apud recentiores quosdam adversarios, qui a materia essentiali ideo potissimum cujusvis instrumenti traditionem alias excludunt, eo quod vel in Ecclesia græca in usu non sit, vel in latina serius cœperit adhiberi. *Prob.* Illa consuetudo perpetua ex Scriptoribus antiquissimis et primi Ecclesiæ temporis, Clemente Romano (aut quiscumque auctor dicatur Constitutionum Apostolicarum, certe ad prima tempora referri debet) L. 8. c. 4. (Labb. t. 1. p. 459. A.) ubi: *Unus ex primis Episcopis una cum duobus aliis stans prope altare, reliquis Episcopis et presbyteris tacite precationem facientibus, et diaconis aperta Evangelia super caput ejus qui ordinatur tenentibus, in hunc modum precatur*, etc. S. Dionys. Areop. L. de Eccl. Hier. c. 5. (opp. t. 1. p. 236. D. ed. Corderii.) *Pontifex, qui ad consecrationem in Pontificem adducitur... supra caput habet Evangelia a Deo tradita, manumque Pontificis*. Concilio Carthag. IV. ann. 398. quod can. 2. (Labb. t. 2. p. 1199. D.) dicit: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, et teneant Evangeliorum codicem super caput ejus*. Ex Ritualibus antiquissimis tam græcis, quam latinis, de quibus testatur Morin. Exercit. 2. cap. 1. quæ mira consensione hunc ritum tenendum præcipiunt.

Conf. I. Quia huic ritui inest vis practice significativa, 1°. quia conjungitur cum forma, qua traditur Spiritus sanctus. 2°. Hoc innuit S. Chrysost. homil. de Legislatore (opp. t. 6. p. 410. B.) ritus hujus rationem reddens: *Ideirco in Ecclesia, cum ordinantur sacerdotes* (Episcopos intelligit, ut patet ex sequentibus) *Evangelium Christi capiti imponitur, ut discat is, qui ordinatur, veram se recipere Evangelii tiaram*, scilicet signum sumendo pro re, hoc est, tiaram pro speciali illa potestate, quæ confertur, vel charactere episcopali, 1. quia ait: *Evangelii* tiaram; 2. quia hæc tiara non potest significare mitram pontificiam, quæ completa ordinatione apud Latinos reipsa imponitur; restat igitur, ut sit signum potestatis, Episcopis propriæ. Unde sic argumentor: Juxta S. Chrys. impositio libri Evangeliorum est signum potestatis, quæ solis Episcopis, dum ordinantur, confertur; ergo hujus est signum practicum; quod enim in sacramentis significat sacramenti effectum, hunc practice significat.

Conf. II. Hæc sententia accedit propius ad mentem Concilii Florent. quod in Decreto generaliter ait, materiam sacramenti ordinis esse illud, per cujus traditionem confertur; quæ propositio, cum sit indefinita in materia dogmatica, ac proinde universali æquivalens, supponit in cujusvis collatione ordinis aliquid tradi, quod sit materia; si autem excludatur impositio libri Evangeliorum, nihil poterit hic assignari, quod tradi dici possit; cum ritus cæteri, in quibus varia traduntur, non possint, præsertim juxta adversarios, pertinere ad materiam, utpote qui, ut dicetur, ordinationem episcopalem jam completam potius supponunt. Frustra etiam dicitur, per materiam hic intelligi a Florentino accidentalem, vel integralem; verba enim Concilii debent sumi in sensu proprio, ac proinde per materiam intelligi vere et proprie talis, qualis est essentialis, quamdiu urgens causa non adest, quæ cogat sumere improprie, qualis hic nulla est. Unde et

Conf. III. Quia nulla est solida ratio impositionem libri Evangeliorum removendi ab ordinationis episcopalis materia contra communiorem Doctorum sententiam, ut patebit solutione argumentorum.

Prob. 2ª. *p. de impositione manuum.* Hac usi sunt Apostoli, dum ordinarunt Episcopos, ut 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et 2. ad eumd. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*: at vero quis dicet Paulum in ordinatione Timothei in Episcopum, qualem ab illo simul ordinatum fuisse convenit inter Doctores Catholicos, non nisi materiam accidentalem, vel integralem adhibuisse?

Conf. I. Hanc omnibus seculis adhibuit utraque Ecclesia, latina et græca, quæ ultima quidem ordinationem antonomastice vocat, χειροτονίαν, impositionem manuum.

Conf. II. De hac loquitur Concilium Carthag. IV. supr. citatum, quod can. 2. post impositionem libri Evangeliorum vult, ut *uno* (Episcopo) *super eum* (qui ordinatur Pontifex) *fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Hanc omnes Patres et Pontifices, qui usque ad VIII. seculum scripserunt, pro Episcopis ordinandis usurpandam esse declarant, et supponunt, S. Dionys. Areopag. supra cit., S. Augustin. in Concione de gestis cum Emerito: *Invocatio*, inquit, *nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi.* Damasus epist. 5. (Labb. t. 2. p. 880. C.) contra Chorepiscopos ordinare præsumentes: *cum Pontifices non erant, ea, quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant, et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant.* Similia habet Innocent. 1. epist. 22. ad episcopos Macedoniæ (Labb. t. 2. p. 1274. A.). Illis etiam adde S. Thomam relatum supra *Not. II.* Supersedeo cæteris in re manifesta.

Conf. III. et maxime: Illud est materia essentialis, quod est signum practicum gratiæ: atqui tale signum est hæc impositio; ergo. *Maj.* constat ex definitione sacramenti. *Min.* ex epistolis Pauli ad Tim. supra cit. et quia hæc impositio conjungitur formæ, qua traditur Spiritus sanctus: *Accipe*, etc. Plura argumenta vide concl. sequenti.

Prob. 3ª. *p. de forma.* 1°. Hæc sequitur ex dictis; universaliter enim in iis verbis statuenda est forma essentialis, quæ materiæ essentiali, quam forma determinare debet ad esse sacramenti, conjunguntur; sed hoc fit in verbis

illis : *Accipe Spiritum sanctum.* 2°. Trid. Sess. 23. can. 4. definit, sine ullius exceptione ordinis : *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere : accipe Spiritum sanctum, etc. anathema sit.* Ergo hæc verba : *accipe Spiritum sanctum*, prolata ab Episcopo consecrante, vere conferunt Spiritum sanctum, sive gratiam; alias enim dicerentur frustra ; ergo forma essentialis sunt ; quia hæc sola forma essentialis, non alia potest producere gratiam. Responsionem adversariorum ad hoc argumentum præoccupatam vide concl. seq. Porro verba illa : *accipe Spiritum sanctum,* sunt forma adæquata ordinationis Episcopi, quia sola illa materia, cui conjunguntur, essentialis est, ut nunc dicam ; ergo sola illa verba possunt esse forma, et proinde sunt adæquata : nam

Oppositum omnino censendum est de traditione baculi et annuli Episcopalis, nec non de capitis et manuum unctione, aliorumque, quæ supra *Not. 1.* recensentur. Cum enim hæc omnia traduntur, jam episcopalis ordinatio essentialiter peracta est ; nec nisi ad potestatem acceptam magis explicandam conferuntur : liber enim Evangeliorum secundo ipsi traditur, ut sit signum potestatis acceptæ prædicandi Evangelium, et reliquis illam communicandi ; baculus episcopalis, ut ejus non tam jurisdictio quam modus jubendi, corrigendi, excommunicandi indicetur ; annulus in symbolum conjugii spiritualis, quod cum sua Ecclesia contraxit ; inungitur caput solum propter dignitatem et principatum, quem accepit super alios in Ecclesia ; manus vero propter ministerium et officium benedicendi ; quæ omnia sunt ferme eadem verba, quæ habet Innoc. III. de sacra Unctione c. 1. Et constant hæc ex verbis, quibus quodlibet dictorum fit et traditur ; ut dum caput inungitur, ait consecrans : *Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti benedictione in Ordine Pontificali :* dum manus : *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato, sicut unxit Samuel David...* ita... *in nomine Patris, etc.* Dum baculus traditur : *Accipe baculum Pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie serviens, etc.* Dum annulus : *Accipe annulum, fidei signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam intemerata fide illibatam custodias, etc.* Ubi nunquam dicitur : *Accipe potestatem* ; nimirum, quia hæc jam data est.

109. *Dico II.* Materia necessaria necessitate sacramenti in ordinatione presbyteri apud Latinos est duplex partialis unam totalem constituens ; et similiter duplex forma : 1°. Instrumentorum, scilicet calicis cum vino, et patenæ cum hostia sive pane porrectio cum verbis sive forma : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, etc.* 2°. Impositio manus secunda, sive ultima, quæ fit a solo Episcopo cum forma : *Accipe Spiritum sanctum.*

Prop. 1ª. *p.* Ex Florentino quod in Decr. §. *sextum* ait : *Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo : sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem.* Et infra : *forma sacerdotii talis est : accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.* Est autem omnino absurdum dicere, Concilium cum de sacramentis ex professo ageret, hic solum loqui de materia et forma accidentali, vel integrali, cum sic in nullo loco meminisset materiæ et formæ essentialis et necessariæ, quam tamen pro quolibet alio sacramento assignat.

Respondet 1°. Witasse cum quibusdam Theologis præsertim Gallis : Hoc Decretum non esse factum ipso approbante Concilio, sed postquam jam Græci discesserant, ab Eugenio IV. Papa, non ut definiente, sed solum ut opinionem suam proferente. Verum hæc responsio aperte falsa est, et sustineri non potest; nam quæ in Florentino Conc. post Græcorum discessionem acta sunt, saltem quantum ad Armenorum unionem, peracta sunt ipsis ante discessum consentientibus Græcis, adeoque cum totius consensu Concilii; hoc ex ipso Decreto constat, in quo sic habetur : *Sacro approbante Concilio, et ipsis etiam Oratoribus consentientibus data Armenis instructio quædam sub compendio orthodoxæ fidei.* et in fine Decreti : *Datum Florentiæ in publica sessione synodali, solemniter in Ecclesia majori celebrata.* Unde et Clemens VIII. Decretum hoc ipsi tribuit Concilio, dum Græcos et ipse instruit de sacramento Pœnitentiæ dicens : *Utantur forma absolutionis in generali Concilio* (loquitur de Florentino) *præscripta*, scilicet in hoc Decreto, in quo solo hæc forma reperitur.

Respondent alii 2°. In hoc Decreto præscribi solum porrectionem instrumentorum, tanquam materiam accessoriam et integralem, quia non erat necesse instruere Armenos de impositione manuum, cum hæc apud illos in usu esset. Sed etiam hæc responsio admitti non potest, estque merum effugium, nullo nixum fundamento ; nam licet dici posset, ideo Concilium nihil dixisse de impositione manuum, non tamen propterea sequitur, quod, cum exprimat porrectionem instrumentorum, per hanc intelligat materiam pure accessoriam ; sed contrarium inferri debet : quia *materia, forma* simpliciter et absolute prolata significant materiam vere et stricte talem, nimirum essentialem, non qualemcumque et accessoriam ; sic dum Concilium ait de sacramentis reliquis, ut Baptismo, materia est aqua : Confirmatione, materia est chrisma, etc. nemo non intelligit materiam essentialem, quæ simpliciter materia dici solet ; ergo etiam talis hic intelligi debet; dum eodem modo, sine ulla verborum limitatione dicit de sacramento Ordinis : *Cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur, sicut presbyteratus,* etc.

Conf. Inter omnes Latinos ritus nullus magis significat principalem effectum sacerdotii, qui est potestas in corpus Christi naturale, quam illa porrectio cum forma : *Accipe potestatem offerendi,* etc.

Prob. 2ª. *p. de impositione manuum. 1.* Ex Scriptura, quæ hanc ordinationem exprimit nomine impositionis manuum, ut 1. Tim. 5. *manus cito nemini imposueris.* Quin Scriptura S. quandocumque ordinationem refert, dicit factam per impositionem manuum : sic Timotheus ordinatus fuit a Paulo presbyter simul et Episcopus loc. cit. sic Paulus et Barnabas Act. 13. v. 3. sic primi septem Diaconi Act. 6. v. 6. Et Act. 14. v. 22. dum legitur : *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros ;* græce habetur : *cum per singulas Ecclesias presbyteros illis manuum impositione constituissent.* Quæ certe ita admittenda sunt, ut, si dicamus impositionem manuum non esse de essentia trium majorum ordinum, Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, sed esse ritum Ecclesiasticum, non possimus contra hæreticos efficaciter probare ex Scriptura, ordinationem esse sacramentum, cum ex Scriptura nullum aliud signum externum et sensibile possit haberi : et pari ratione dici poterit, etiam aquam in Baptismo, et vinum in Eucharistia non esse de essentia. *Conf.* Juxta Scripturam per manuum impositionem in or-

dinatione collata fuit gratia, ut constat ex epist. Pauli ad Tim. cit.; nulli autem ritui ecclesiastico gratia promissa est.

Prob. II. Ex Conciliis, in quibus referendis ne nimium prolixi simus, omissis Nicæno I. generali can. 9., Antioch. can. 10. et 17., Carthag. IV. can. 2. 3. et 4. clarissime loquitur Meldense can. 44. (Labb. t. 7. p. 1834. A.) præcipiens Chorepiscopis : *Ecclesiasticos ordines, qui per impositionem manus tribuuntur... agere non præsumant.* Moguntin. cap. 35. (ibid. t. 14. p. 679. E.) *In collatione ordinum, quæ cum impositione manuum veluti visibili signo traditur.* Maxime Trident. quod Sess. 14. cap. 3. de ministerio Extremæ Unctionis ait : *Ostenditur illic, proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros. Quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis recte ordinati per impositionem manuum presbyterii.* Et Sess. 23. cap. 3. probans, ordinem esse sacramentum, profert textum Apostoli 2. Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Prob. III. Ex summis Pontif. et Patribus, inter quos S. Leo epist. 1. alias 87. ad episcopos Africanos explicat illud Pauli : *Manus cito nemini imposueris;* dicens : *quid est manus cito nemini imponere, nisi sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Gregor. M. in fine Registri Decreto 5. (opp. t. 3. p. 1890. B.) *quia ordinando Episcopo Pontifex manum imponit; sicut Pontificem manum non decet, quam imponit, vendere, ita Ministrum,* etc. Ambrosius L. de dignitate Sacerdotali cap. 5. (opp. t. 2. part. 2. in app. p. 363. D.) *Homo,* ait, *imponit manus, Deus largitur gratiam.* Denique Augustinus in concione de gestis cum Emerito docet, manus impositione sacerdotes ordinari, et L. 5. de Baptismo contra Donatist. c. 20. probat a Deo exaudiri homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur. Ex quibus singulis manifestum fit, manus impositionem esse de essentia. Dicere enim, ut recte adnotat Bellarminus, Concilia, Pontifices, et Patres loqui de ceremonia accidentaria, ridiculum est; cum sic sæpe ex professo tractantes de ritu ordinationis, nunquam id, quod ad essentiam spectat, attigissent, quod dicendum non est.

Prob. 3ª. p. de forma. 1°. In genere; quia hæc : *accipe potestatem offerendi, etc. accipe Spiritum sanctum*, ex dictis conjunguntur materiæ, et proferuntur cum illa applicatur; ergo sicut in aliis sacramentis illud est forma, quod profertur a ministro, dum applicatur materia, ita etiam hic. 2°. In specie de *prima* : quia Florentin. cit. simpliciter ait : *forma sacerdotii est : accipe potestatem,* etc. Deinde post tradita instrumenta cum hac forma continuo, qui antea dicebantur ordinandi, vocantur ordinati, et in signum acceptæ potestatis jubentur neo-ordinati simul cum Episcopo proferre verba consecrationis, quod certe non permitteretur, nisi jam accepissent potestatem in corpus Christi naturale, sive consecrandi. 3°. De *altera*; quia hæc : *accipe Spiritum sanctum*, manifeste significant conferri gratiam sacramentalem, et, ut innuunt verba sequentia : *quorum remiseris*, etc. conferri characterem presbyteri ut judicis. Unde Trid. Sess. 23. can. 4. anathema dicit ei, qui dicit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere : accipe Spiritum sanctum.

Respondent recentiores quidam, qui formam in oratione Episcopi ponere malunt : Concilium tantum definire voluisse contra hæreticos, quod in ordinatione detur Spiritus sanctus; non autem quod detur per hæc determinate verba : *accipe Spiritum sanctum*, proinde nihil dici contra auctoritatem Concilii, sive dicatur Spiritus sanctus per hæc verba, sive per alia conferri. Sed etiam hic effugium quæritur ; nam

Contra est, quod Concilium aperte hic duo dicat et distinguat : per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, et Episcopos non frustra dicere : accipe Spiritum sanctum : ex quo infero; ergo hæc verba sunt practica, hoc est efficiunt id, quod significant, ac proinde sunt forma.

Prob. Quia hæc verba sumpta in sensu proprio et communi, in quo sumi debent, ne alioquin plurimæ et gravissimæ aliæ Constitutiones dogmaticæ eludi similiter possint, significant idem ac : *do tibi Spiritum sanctum : quorum*, etc. Et certe non alium, quam hunc ipsum sensum habebant verba Christi, quando insufflans dicebat ad Apostolos Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis.* Cur igitur in alio sensu proferantur ab Episcopo, præsertim cum Ecclesia hæc verba usurpet ad imitationem Christi ?

Conf. Inde, quia Christus dixit Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. omnes inferunt in collatione Baptismi esse hac forma absolute utendum : *ego te baptizo in nomine Patris*, etc. licet Christus speciale mandatum aliud non dederit hac forma utendi; ergo idem est de his dicendum, *accipe Spiritum sanctum.*

Dixi in concl. *Impositio manus secunda, sive ultima :* Advertendum enim est hic ab aliis triplicem manus impositionem distingui : prima quæ fit silentio ab Episcopo et presbyteris. Secunda, quando juxta *Not. 1.* iidem dexteras extensas tenent super ordinandum. Tertia et ultima, quam nos secundam dicimus, quæ fit a solo Episcopo cum verbis : *accipe Spiritum sanctum.* Sed *prima* probabilissime non est de essentia, ut tenet communissima contra Lugonem et quosdam recentiores, eo quod non fiat a solo Episcopo, sed etiam a presbyteris præsentibus, quos tamen constat non esse ministros hujus ordinis : deinde nulla illi respondet verborum forma; fit enim omnibus silentibus ; solumque videtur instituta in signum consensus Ecclesiæ circa ordinationem ejus, super quem manus imponunt.

Nec obstat, quod 1. Tim. 4. dicatur : *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii.* Nec, quod Tridentinum habeat, ministros Extremæ Unctionis esse Episcopos aut sacerdotes ab ipsis recte ordinatos *per impositionem manuum presbyterii*; nam τὸ *presbyterii* non potest hic significare presbyteros simplices; Apostolus enim et Trident. loquuntur de impositione manuum, quæ est de ordinationis sacerdotalis essentia, ut patet, et clare innuit Trid. dum ait ministros Extremæ Unctionis esse vel presbyteros, non quales hoc nomine inter hæreticos veniunt seniores, aut primores, sed *recte ordinatos* ; et de sacerdotalis ordinationis essentia nequaquam est, ut simul presbyteri cum Episcopo imponant manus, cum certum sit illos hujus ordinationis ministros non esse, et recte quis ordinetur sacerdos, licet presbyterorum nemo manus imponat; ergo per τὸ *presbyterii* non intelligitur illa impositio manuum, quæ fit simul a presbyteris; ac proinde male infertur : prima manuum impositio est de essentia ordinationis pres-

byteri, quia fit per impositionem manuum presbyterii. Igitur vox *presbyterii* Episcopos significat, ut sensus sit : recte ordinari per impositionem manuum episcopalium, sive eorum, qui in presbyterio potestatem habent conferendi sacerdotium, quam soli habent Episcopi.

Conf. Et hic sensus non obscure ex ipso Apostolo colligitur; cum enim 1. Tim. 4. dixisset : *cum impositione manuum presbyterii,* postea 2. ad eumdem scribit : *per impositionem manuum mearum.* Quin 1. ad Tim. 5. eum monet : *manus* (tuas) *cito nemini imposueris,* scilicet ordinando sacerdotem, ubi nulla de presbyterio mentio.

Deinde *altera* illa manus impositio, qua Episcopus manum dexteram extendit supra omnes ordinandos simul, multo minus videtur esse de essentia, 1°. quia materia presbyteratus proxima debet omnibus ordinandis, non simul, sed singillatim applicari. 2°. Quia illa manus extensio non est vera et proprie dicta impositio, qualem Patres et Carthag. IV. can. 2. 3. 5. requirunt, hoc est, per quam caput ordinandi tangitur; unde et Greg. IX. c. fin. de Sacram. non iter., illam Episcopalis manus extensionem, non impositionem, sed suspensionem vocat, et utramque, suspensionem ac impositionem caute distinguit : *Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto, recipiunt... Suspensio autem debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.*

110. *Dico III.* Duæ etiam sunt apud Latinos partiales materiæ et formæ in ordinatione diaconorum. *Prima* est impositio manus Episcopi cum hac forma : *Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Patris,* etc. *Secunda,* traditio libri Evangeliorum cum hac forma : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei pro vivis et defunctis.*

Pars 1ª. constat ex dictis art. 5. ubi in diaconorum ordinatione fit mentio hujus impositionis. Ex Carthag. IV. c. 4. ubi : *solus Episcopus, qui Diaconum benedicit, manus super caput illius ponat.* Ex SS. Patribus, præsertim Dionysio loc. supra cit. Ex Trident. juxta quod Episcopus imponendo manum, utitur forma : *accipe Spiritum sanctum,* qua producit gratiam, ut jam ostendimus.

Pars 2ª. docetur a Concil. Florentino in Decreto pro Armenis.

111. *Dico IV.* Materia ordinationis subdiaconorum et forma est similiter duplex partialis : 1°. Traditio calicis vacui cum patena vacua, cui respondens forma est : *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* 2°. Traditio libri Epistolarum, cum hac forma : *Accipite librum Epistolarum et habete potestatem legendi eas in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis.*

Pars prior habetur in Concil. Florent. et Carthag. IV. c. 5. Utraque autem simul in Pontificali Rom. quod candidatum subdiaconatus, antequam illi facta fuerit libri Epistolarum traditio, ordinandum vocat, non ordinatum.

Nec refert, quod potestas assistendi in celebratione Eucharistiæ ministrando diacono calicem cum patena, sit magis principaliter et sanctior, quam potestas legendi Epistolam; nam hæc nihilominus etiam sancta est, ut gratia necessaria sit ad eam rite exercendam.

Si dicas : cap. *Pastoralis.* de Sacram. non iterand. quæritur, debeatne permitti ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem subdiaconatus assumptus? et dicitur non esse aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute prætermissum. Item Carthag. IV. cit. traditioni patenæ et calicis vacui adjungit traditionem urceoli cum aqua et mantili; ergo et hæc sunt de essentia.

R. *N. Cons.* Nam quoad primum : quod in cap. cit. legatur *subdiaconatus,* mendum est, et legendum *diaconatus,* ut notant interpretes, et merito correxit Anton. Augustinus, cum ex Carthag. IV. et Pontificali, ac praxi Ecclesiæ constet subdiacono manus non imponi. Quod autem Carthag. IV. adjungat urceolum cum aqua et mantili, non ideo etiam hæc ad materiam pertinent, ut vel inde constat, quod non ab Episcopo sed Archidiacono tradantur, materia autem in sacramentis debeat ab ipso ministro applicari.

112. *Dico V.* Materia et forma ordinum minorum est sequens : *Acolythatus* est 1°. traditio urceoli vacui cum forma : *Accipe urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.* 2°. Candelabri cum cereo extincto; forma est : *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.* Utriusque enim materiæ meminit Carthag. IV. c. 6. et Pontificale Rom. Et licet juxta S. Thomam q. 37. a. 5. ad 6. ministrare in urceolo sit actus acolythi principalior, et in illius traditione character imprimatur; non tamen id obstat, quo minus traditio altera, licet minus principalis, sit materia essentialis, et character ad eam extendatur; vel, si mavis, utrique character partialis respondeat.

Exorcistatus materia est traditio libri Exorcismorum; forma : *Accipe et commenda memoriæ, et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* Sumitur ex Carthag. IV. c. 7. et Pontif. Rom. quod etiam libri Exorcismorum vice innuit tradi posse Pontificale, vel Missale, quoniam in eo quoque Exorcismi aliqui continentur.

Lectoratus materia est liber Lectionum; forma : *Accipe, et esto verbi Dei zelator, habiturus, si fideliter et utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio ministrarunt.* Carthag. IV. c. 4. et Pontificale Rom. Concilium vero per librum illum intelligit libros veteris et novi Testamenti, præsertim vero eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solebant. Cumque in Pontificali habeatur : *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat,* et S. Isidor. relatus cap. *Perlectis.* Dist. 25. dicat ad Lectorem pertinere prædicare populo Prophetarum vaticinia, per *prædicare* non innuitur verum munus prædicandi, sed quod ea, quæ legit, alta et intelligibili ab omnibus voce proferre debeat.

Ostiariatus materia est clavium traditio; forma : *Sic age, quasi reddituru Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Concil. et Pontif. cit. Officium enim ostiarii erat aperire et claudere portas Ecclesiæ, ab hac indignos repellere, inter quos numerabantur publice pœnitentes in primo Ecclesiæ gradu.

Requiritur autem in collatione ordinum instrumentorum, quæ traduntur, contactus physicus, saltem mediatus; quia sententiæ negantes talia

requiri, sunt solum probabiles; ergo eas sequi non licet, ne exponatur nullitatis periculo sacramentum, et generaliter loquendo, omnis illa sententia in hac materia est practice improbabilis, quæ a valore ordinis excludit aliquid, quod alia sententiaprobabilis requirit.

113. *Obj. I. specialiter cont. concl.* 1am. *ejusque partes.*

1°. Cum imponitur liber Evangelii, nihil pronunciatur a consecrante; ergo hic ritus materia essentialis esse nequit. *Prob. Cons.* quia huic debet esse conjuncta forma, quæ tantum in verbis consistit.

2°. Clemens Romanus, sive quicumque sic auctor Constitut. Apostolic. cit. in concl. ait *a diaconis divina Evangelia teneri;* ubi autem id fiebat ab Episcopis, quandoque id ad solos Episcopos assistentes pertinebat, non ad consecratorem, qui postea solus præscripta verba proferebat, ut videre est apud Martenium pag. 418. et seq. atqui in sacramentis materia a ministro, et eodem, a quo profertur forma, adhiberi debet; hinc enim Synodus Hispalensis II. can. 5. (Labb. t. 5. p. 1665. B.) cum manum quibusdam imposuisset Episcopus, presbyter vero præscripta verba recitasset, irritam esse ordinationem pronunciavit.

3°. Ritus ille non vigebat prioribus Ecclesiæ seculis; ergo. *Prob. Ant.* Alcuinus enim L. de div. Offic. tit. *Qualiter Episcopus ordinetur in Eccles. Rom.* (opp. part. 4a. p. 492. 493.) circa annum 760., et post illum Amalarius L. 2. de offic. Eccles. c. 14. ait hunc ritum neque veteri auctoritate intimari, neque canonica: Morinus vero Exerc. 2. c. 1. quasdam Episcoporum ordinationes refert in Ecclesiis Alexandrina, Germanica, Gallicana sine eo ritu peractas: item *Isidorus* Hispalensis, licet L. 2. c. 5. varios ritus adhiberi solitos in Episcoporum ordinationibus explicet, hunc silentio prætermittit.

4°. Ritus ille in diversis Ecclesiis non peragitur eodem modo; alii enim apertum, alii clausum imponunt; ergo non videtur esse de materia, quia hæc debet esse eadem.

Ad 1um. R. *C. Ant. N. Cons. Prob. D.* Debet esse semper physice conjuncta forma *N.* saltem moraliter *C.* Episcopus primo imponit librum, quem, ne decidat, tenent assistentes; deinde fit impositio manuum, et consecrator pronunciat formam: *Accipe Spiritum sanctum,* quæ est conjunctio moralis et hic sufficiens. Sic in sacramento Pœnitentiæ absolutio sive forma conjungitur solum moraliter cum materia sive actibus pœnitentis.

Ad 2um. R. *D. M.* Ait a diaconis divina Evangelia teneri, et etiam ab iisdem imponi *N.* solum teneri, postquam consecrator imposuit *C.* Diaconus non imponit librum, sed a consecratore impositum, solum sustentat, ne decidat, juxta rubricam Pontificalis Rom.; ergo vere minister applicat, non alius. Eadem est responsio ad Episcopos assistentes. Unde sic concessa *min. D. Cons.* ut supra.

Ad 3um. R. *N. Ant.* Contrarium enim constat ex loc. in conclusione cit. proinde sine fundamento ita referunt Alcuinus et Amalarius. Sed et Morinus ipse Exercit. 2. cap. 1. ait auctoribus illis contradicere libros Rituales, quorum unus annis circiter centum Alcuino est antiquior: et Menardus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii postquam Amalarii textum recitasset pag. 304. subdit: *sed ista omnia ex citatis locis satis refutantur.* Morinus vero impo-

sitionem libri Evangeliorum in Ecclesiis Alexandrina, Germanica, Gallicana, omissam fuisse ita nude asserit, non probat; de Alexandrina id se demonstraturum equidem promittit, sed non præstat. S. Isidorus impositionem libri specialiter non explicat, quia cum impositione manuum, quam exponit, est quasi una ceremonia, et impositio utraque habet eamdem formam et finem, licet hunc expressius significet libri impositio, quam manuum.

Ad 4um. R. *N. Cons.* Varietas enim illa plane accidentaria est; sive enim apertus sit, sive clausus, idem codex est. Rituales græci plerique diserte docent apertum imponi; similiter hodie Pontificale Rom. Olim tamen videtur fuisse quædam in Ecclesia latina varietas, quia duo antiqui Constantini scilicet Caetani, et Ordo Romanus editus docent clausum adhiberi, jam pridem vero et initio apertum Clemens Romanus.

114. *Obj. II. contra impositionem manuum in SS. Ordinationibus.*

1°. Concilium Florent. in Decreto de sacramentis pro Armenis materiam ordinationis presbyteri docet esse porrectionem instrumentorum, nulla facta mentione de impositione manuum; ergo hæc juxta Florent. non videtur esse de essentia; cur enim alias de illa taceret?

2°. Ordinandus presbyter per traditionem instrumentorum et huic respondentem formam jam factus est, et dicitur sacerdos; unde simul cum Episcopo consecrat; et proinde jam accepit characterem.

3°. Innocentius III. cap. *Pastoralis*. de Sacrament. non iterandis, de ordinato in diaconum sine impositione manuum ait, nihil esse iterandum, sed supplendum quod incaute erat prætermissum; idemque de presbytero taliter ordinato pronunciat cap. *Presbyter*. fin. h. t. Gregor. IX.; ergo juxta utrumque Pontificem impositio manus essentialis non est. *Prob. Cons.* Si enim essentialis esset, sine ea ordinatio fuisset nulla, ergo iteranda.

4°. Idem Pontifex Innocentius III. cap. cit. impositionem manus vocat *ritum ab Apostolis introductum*; ergo non est institutionis divinæ, nec essentialis.

Ad 1um. R. *D. Ant.* Nulla facta *explicite* mentione de impositione manuum *C.* nulla facta *implicite N.* Concilium enim vel Eugenius nomine Concilii Decretum suum remittit ad Pontificale Romanum; in hoc autem impositio manuum tanquam indubitata materia præscribitur, ergo meminit implicite impositionis manuum. Quod vero ejus mentionem explicite non fecerit, ratio esse potest, quia Concilium Armenos instruebat, qui de impositione manuum nihil dubitabant. Igitur solum traditionis instrumentorum meminit, eo quod illa Armenis in usu non esset.

Ad 2um. R. *D.* Factus est, et dicitur sacerdos, quia hæc denominatio petitur principaliter a potestate offerendi sacrificium, quam tunc jam habet *C.* quasi jam factus esset sacerdos complete *N.* Sacerdotium novæ Legis duplicem potestatem importat; offerendi sacrificium, sive potestatem in corpus Christi verum, eaque principalis est, a qua maxime est, et dicitur sacerdos; deinde absolvendi, sive potestatem in corpus Christi mysticum, quæ minus principalis est, ordinatum potius in ratione judicis, quam sacerdotis constituens, et a priore dependet essentialiter sic, ut illam ante se præsupponat necessario et sine ea conferri non possit: utraque tamen ad sacerdotium novæ Legis completum requiritur; utraque diversa est, quia una non signi-

ficatur per materiam et formam alterius; ac proinde suus utrique partialis character respondet.

115. *Si ais :* Apostoli constituti sunt sacerdotes complete die Cœnæ, licet tunc solum a Christo acceperint potestatem sacrificandi; ergo idem dici potest etiam nunc de sacerdotibus, quando ipsis traduntur instrumenta cum verbis : *accipe potestatem offerendi,* etc. quibus confertur potestas in corpus Christi verum. *Prob. Ant.* 1°. Judas Episcopus fuit ante mortem Christi, ut indicat illud Ps. 108. *Episcopatum ejus accipiat alter;* quod vaticinium de Juda dictum fuisse constat, ex Act. 1. v. 16. atqui episcopatus completum sacerdotium supponit. 2°. S. Thomas fuit complete sacerdos, et tamen non erat præsens, quando Christus insufflans ad Apostolos dixit : *Accipe Spiritum sanctum : quorum remiseritis,* etc.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D. Maj.* Fuit Episcopus solum designatione *C.* vere et perfecte *N.*

Ad 2am. *prob.* R. *D.* Fuit complete sacerdos vi consecrationis solius in die Cœnæ factæ *N.* vi alterius particularis ordinationis, quam Christus per potestatem excellentiæ supplevit et contulit Thomæ licet absenti *C.* Nam, ut ait S. Cyrillus Alexandrinus L. 12. in cap. 20. Joan. (opp. t. 4. p. 1101. A. edit. Paris.) intentio Christi dantis potestatem absolvendi fuit, eam communicare toti collegio Apostolorum, quæ intentio non ad præsentes solum, sed et absentes dirigebatur; unde infert Cyrillus : *non ergo, licet abfuerit Thomas, a participatione Spiritus decidit, cum de numero esset eorum, quibus dignitate Apostolatus decoratis Spiritus debebatur.* Nec tamen inde inferas : ergo absentes ordinari possunt; nam istud poterat Christus potestate excellentiæ sibi propria; aliter vero statuit pro Ecclesia, uti ex ejusdem sensu et praxi docemur.

Ad 3um. R. *N. Cons. et prob.* Nam, ut ait Bellarminus, mens Innocentii III. et Gregorii IX. fuit, non esse repetendum id, quod rite peractum est, sed supplendum alterum, quod omissum est; licet enim istæ duæ partiales ordinationes, quarum prima datur ordinando potestas in corpus Christi verum, sive illud offerendi in sacrificium, altera in corpus Christi mysticum, sive fideles absolvendi, unam totalem constituant, qua ordinandus fit sacerdos complete habens potestatem utramque et consecrandi et absolvendi, ideoque convenienter simul conferantur; absolute tamen loquendo potest valide conferri potestas consecrandi seorsim a potestate absolvendi.

Ad 4um. R. *D. Ant.* Vocat ritum ab Apostolis introductum, auctoritate propria et independenter ab omni voluntate Christi *N.* auctoritate a Christo accepta *C.* Patebit responsio amplius ex objectione sequenti.

116. *Obj. III. contra traditionem instrumentorum.* Traditio instrumentorum non adhibetur in Ecclesia græca; in latina vero non fuit adhibita prioribus seculis; nam imprimis Apostoli solam leguntur adhibuisse impositionem manuum; Carthag. IV. vero can. 2. 3. 4. pro materia episcopatus, presbyteratus, diaconatus solam assignat impositionem manus vel manuum; et can. 5. dicit subdiaconum, quia manuum impositionem non accipit, ordinari per instrumentorum traditionem; ubi manifeste indicat episcopum, presbyterum, diaconum, quia manus impositionem accipiunt,

per traditionem instrumentorum non fuisse ordinatos; ergo instrumentorum traditio non potest esse de essentia. *Prob. Cons.* quia materia essentialis sacramenti ordinis debet esse eadem pro omni loco et tempore; alioquin enim non esset idem sacramentum, quod repugnat unitati Ecclesiæ, in qua necessario est unitas sacramentorum.

R. *C. Ant. ob probationes. D. Cons.* Debet esse eadem formaliter, hoc est, in ratione signi legitimi collatæ potestatis sacræ, sub qua formalitate tantum ex institutione Christi est de essentia hujus sacramenti *C.* eadem materialiter et quoad entitatem physicam *N.* pro quo

117. *Observa* : Christum in sacramentorum institutione determinasse quidem materiam et formam secundum rationem genericam signi sensibilis, non tamen semper et in omnibus secundum rationem specificam talis signi, saltem ultimam; sicque pro hoc sacramento nec determinate pro materia instituit impositionem manuum, nec determinate traditionem instrumentorum; nec hanc, aut illam præcise formam, sed tantum generatim requisivit signum sensibile, quo significaretur collata potestas consecrandi et absolvendi, relicta Ecclesiæ tanquam habenti alias auctoritatem circa res sacras facultate determinandi in particulari signum ejusmodi. Apostoli vero elegerunt impositionem manuum cum certa aliqua forma tanquam signum utriusque potestatis collatæ : Ecclesia græca retinuit solam impositionem manuum, cum forma : *Divina gratia, quæ semper infirma curat, etc.* Ecclesia latina etiam retinuit impositionem manuum pro signo collatæ potestatis ad absolvendum et formam congruentem : *accipe Spiritum sanctum*; pro signo autem potestatis ad consecrandum assumpsit traditionem instrumentorum ut signum magis expressivum hujus potestatis cum forma : *accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.* Supposita autem dicta electione utriusque Ecclesiæ cœpit in Ecclesia latina traditio instrumentorum esse materia necessaria necessitate sacramenti, non in græca. Hinc patet non esse substantialiter diversum sacramentum ordinis inter Latinos nunc et olim, nec inter Latinos et Græcos non obstante illa diversitate signi entitativa vel rei, quæ est diversitas solum materialis; cum qua est, et manet eadem significatio et efficientia sacramentalis, proinde idem substantialiter sacramentum in utraque Ecclesia; cum utraque conferat sacramentum ordinis per signum aliquod expressivum potestatis, sub qua sola ratione *alicujus signi* Christus hoc sacramentum conferri voluit.

Illustrant hoc alii exemplo sacramenti matrimonii : Ad hoc valide celebrandum usque ad tempora Tridentini sufficiens erat contractus clandestinus, an sub ratione materiæ an formæ ? perinde est : hodie vero non est in illis locis, in quibus viget decretum Tridentini de reformatione matrimonii, et tamen adhuc est substantialiter idem sacramentum; unde sicut mala esset illatio : contractus clandestinus olim fuit sufficiens; vel : adhuc est in iis locis, in quibus non viget decretum Tridentini; ergo et nunc pro omni loco debet esse sufficiens, alioquin non esset idem sacramentum; ita hic de ordine.

118. *Inst.* 1. Gratis dicitur, quod Christus reliquerit Ecclesiæ potestatem determinandi materias et formas sacramentorum; ergo.

R. *D. Ant.* Sacramentorum, in quibus ipse materias et formas specifice et determinate instituit *C.* in quibus solum generice aut sub ratione alicujus signi indeterminate, ut in sacramento ordinis *N.* Nullum enim in specie assignari potest, quod Christus pro ordine determinasset. Hinc potestas illa Ecclesiæ colligitur 1°. ex hoc ipso, quod Christus solum sub ratione generica signi expressivi sacræ potestatis collatæ instituerit sacramentum ordinis; ergo Ecclesia debuit posse determinare in specie, ut non esset confusio, sed uniformitas rituum. 2°. Ex Concilio Florentino, quod traditionem instrumentorum vocat simpliciter materiam sacramenti ordinis. 3°. Ex praxi, et mente Ecclesiæ, juxta quam ea traditio videtur manifeste adhiberi ad conferendam potestatem, vel causandos effectus sacramentales, ut ex Pontif. Rom. tum verbis correspondentibus evincitur. 4°. Ex formis; has enim in specie, prout adhibentur in ordinationibus, determinavit Ecclesia, ut testatur Innocentius III. ad cap. *Presbyter* citat. a Cardinali de Lugo, Sylvio, et aliis: *Nisi essent formæ postea inventæ, sufficeret ordinatori dicere, sis ordinatus, vel alia æquivalentia verba, addita aliqua materia, sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit*; ergo idem dici potest et debet de materia in specie, quia Christus æque parum unam, quam alteram determinavit in specie.

119. *Inst.* 2. Impositionem manuum Christus ipse instituit; ergo.

R. *D. Ant.* Instituit eam generice, quatenus in genere materiam ordinis voluit esse ritum aliquem significativum potestatis collatæ, quem in specie Ecclesia determinatura esset *C.* specifice, sub ratione impositionis manuum *N.* Hoc enim sine fundamento diceretur; quin Gregor. IX. cap. *Presbyter,* impositionem manuum addit esse *ritum ab Apostolis introductum.*

120. *Inst.* 3. Saltem Christus ordinans Apostolos sacerdotes usus est materia determinata et similiter determinata forma; ergo non reliquit determinationi Ecclesiæ.

R. *T. Ant.* Quomodo enim Christus Apostolos ordinarit sacerdotes, incertum est; probabilius est, quod potestatem consecrandi contulerit his solis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*; quod poterat Christus ex potestate excellentiæ. Plura enim non referunt Evangelistæ, qui tamen gesta in ultima Cœna diligenter notarunt, præsertim S. Joannes. *N. Cons.* Non enim omnia, quibus determinate usus est Christus, sunt de essentia sacramenti; sic in consecratione panis usus est determinate vel azymo, vel fermentato, et tamen neuter determinate est de essentia: Apostolis in ultima Cœna tradidit panem et vinum jam consecratum, potestatem absolvendi in eos insufflando Joan. 20. nihil tamen horum est de essentia; quin loco insufflationis Ecclesia impositionem manuum adhibet.

121. *Inst.* 4. Si Ecclesia accepisset potestatem determinandi materiam et formam in specie; ergo accepisset potestatem instituendi sacramenta: sed consequens est falsum; hæc enim potestas soli Christo fuit propria, qui sacramentorum auctor est; unde et sacramentum definitur: signum sensibile, et practicum gratiæ, a Christo permanenter institutum.

R. *N. Seq.* 1°. Quia Ecclesia determinavit materiam et formam sacramenti ordinis solum in specie, et quidem potestate a Christo accepta.

2°. Quia instituere sacramenta non est determinare quomodocumque materiam et formam, sed est his conferre vim causativam gratiæ; Ecclesia autem non confert materiæ aut formæ ullam vim causativam gratiæ, sed solum eligit aliquod signum in specie ex illo genere signi, cui Christus annexuit gratiam; hic vero annexuit gratiam signo alicui in genere expressivo collatæ potestatis, et signi in specie electionem reliquit Ecclesiæ; nam ipse nullum in specie determinavit; ergo dum Ecclesia ex illo genere signum in specie determinat, non ipsa, sed Christus huic vim gratiæ causativam tribuit, nec proinde Ecclesia dici potest instituere sacramenta.

122. *Inst.* 5. Si Christus determinavit materiam et formam sacramenti ordinis non nisi sub ratione generica signi expressivi potestatis collatæ; ergo valide ordinaretur sacerdos Latinus per solam traditionem cujusvis instrumenti, etiam vestis sacerdotalis: item valide ordinaretur ritu græco per solam impositionem manuum; sed consequens non admittitur; ergo.

R. *N. vel D. seq.* Valide sic ordinaretur supposita præsenti determinatione et electione facta ab Ecclesia *N.* in hypothesi, si Ecclesia pro Latinis aliud signum expressivum sacræ potestatis elegisset, vel determinasset *C.* Christus licet determinarit materiam et formam solum in genere sub aliquo signo expressivo collatæ potestatis; potestatem tamen determinandi signum in specie, ita ut hoc haberet vim gratiæ, esse solum penes Ecclesiam voluit, non quemvis particularem, quod nimiam confusionem et difformitatem induxisset in Ecclesiam, quam uti unitas, ita maxime decet rituum uniformitas; Ecclesia vero aliud pro Latinis, aliud pro Græcis ordinavit, igitur nunc non potest ordinari valide sacerdos Latinus, nisi ritu Ecclesiæ latinæ, nec Græcus nisi ritu Ecclesiæ græcæ.

123. *Inst.* 6. Licet Ecclesia determinarit pro Latinis pro materia primæ consecrationis panem azymum, pro Græcis fermentatum; valide tamen a Latino et Græco in utroque pane fit consecratio; ergo etiam licet Ecclesia pro Latinis pro materia ordinis præter impositionem manuum elegerit traditionem instrumentorum, pro Græcis solam impositionem manuum, valida tamen est ordinatio, si Latinus ordinetur ritu græco, aut Græcus latino.

R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est, quia Ecclesia panem azymum pro Latinis, et fermentatum pro Græcis determinavit tantum ut necessarium necessitate præcepti; at traditionem instrumentorum pro Latinis determinavit ut necessitate sacramenti. Primum aperte docet Florentinum in Decreto Unionis definiens, in utroque pane sacerdotes valide conficere sacramentum; et tantum addit præceptum, ut nihilominus quisque morem observet suæ Ecclesiæ. Alterum ex eodem colligitur, dum traditionem instrumentorum absolute vocat materiam, verba huic respondentia formam; quæ voces intelligi debent de materia vera, et forma; si enim Concilium per hæc indicare voluisset aliquid tantum accidentale, aut integrale, id exprimere debuisset, ne Armenos, quos instruere volebat, potius in errorem induceret; hi enim ex paritate aliorum sacramentorum, in quibus semper Concilium tantum loquitur de materia et forma essentiali, nihil aliud intelligere poterant, quam traditionem instrumentorum esse pariter materiam, et

verba respondentia esse formam essentialem; quia sicut Concilium de aliis sacramentis ait, *materia est; forma est...* ita de ordine sine restrictione : *materia est traditio instrumentorum.* Et ratio a priori est : quia Christus pro materia primæ consecrationis determinavit panem in specie, sicut pro materia secundæ consecrationis vinum, pro baptismo aquam; Ecclesia autem non potest facere, ut panis azymus vel fermentatus non sit panis, sicut non potest facere, ut vinum album vel rubrum non sit vinum; ergo nec ut sit materia valida, vel non : e contra Christus non determinavit in specie hanc, vel illam rem, ut esset materia ordinis; hoc enim sine omni fundamento diceretur; sed voluit conferri sacramentum hoc per signum aliquod expressivum sacræ potestatis ordinis; quale autem esset hoc signum in specie, reliquit determinationi Ecclesiæ; ergo illud signum præcise est materia valida, quod de facto Ecclesia determinavit.

Obj. iterum contra eamd. Partes sacramentorum debent esse fixæ et immutabiles; ergo nequit facere Ecclesia, ut, quod ante sacramento essentiale non fuit, fiat essentiale: atqui si traditio instrumentorum nunc esset essentialis, materia sacramenti ordinis non esset fixa et immutabilis; nam ante seculum XI. nequidem in usu fuit.

R. *D. M.* Debent esse fixæ et immutabiles saltem quoad substantiam et formaliter, hoc est, habere eamdem significationem sacramentalem, vel conformiter institutioni Christi *C.* semper materialiter et in specie *subd.* si Christus jam in specie determinarit, ut in baptismo aquam, etc. *C.* si non, sed reliquerit determinationi Ecclesiæ, ut in sacramento ordinis *N.* Juxta Trid. Sess. 21. c. 1. Ecclesia habet potestatem mutandi quædam *in sacramentorum dispensatione salva eorum substantia;* sed dum Ecclesia, licet non statim initio, determinavit traditionem instrumentorum tanquam materiam partialem, sive signum magis expressivum potestatis consecrandi, non immutavit substantiam sacramenti ordinis, quia Christus totam ejus substantiam in eo posuit, ut conferretur per signum expressivum sacræ potestatis ordinis, relicta penes Ecclesiam facultate tale signum in specie determinandi.

Obj. IV. contra formas Ordinationum. Forma ordinationis Episcopi, Presbyteri, etc. consistit in oratione, qua Episcopus invocat Spiritum sanctum in eos, quibus manus imponit; ergo. *Prob. Ant.* ex Morino, Juenin, et aliis recentioribus Gallis. 1°. Sacra Scriptura Act. 6. de ordinatione septem primorum diaconorum, et Act. 13. in ordinatione Pauli et Barnabæ meminit solius orationis. 2°. Nec in Sacramentario S. Gregorii, nec in Pontificalibus latinis ante quingentos annos abhinc editis referuntur alia verba, quæ ab Episcopo ordinante proferantur, quam oratio. 3°. Nec in Isidoro, nec Amalario, Micrologo, Ivone, nec in antiquis codicibus editis a Morino et Martenio comparent illa verba : *accipe potestatem... accipe Spiritum sanctum;* ergo.

R. *N. Ant. Ad huj. probationes singulas N. Cons.* Concesso enim orationem olim adhibitam fuisse ad significationem sacri ordinis, qui conferebatur; sed jam a pluribus seculis non adhibetur. *Nec inde inferas :* ergo mutata esset forma; nam esset mutata solum materialiter, non formaliter quantum ad significationem, et proinde adhuc est eadem substantialiter; tota enim substantia formæ ex institutione Christi consistit in verbis significantibus

gratiam et characterem ; sive ergo significent modo deprecativo, sive indicativo, est respectu institutionis Christi mere quid materiale et accidentale : nimirum eodem modo se res habet in forma, sicut ante dictum de materia. Deinde quæro ex adversariis, cum plerique fere eorum cum Morino sentiant formam sacramenti Pœnitentiæ fuisse deprecativam usque ad seculum XII. an mutata sit substantialiter forma sacramenti Pœnitentiæ, postquam utrumque Concilium generale Florentinum et Tridentinum in claris terminis hanc formam asseruit : *ego te absolvo*, etc. quæ imperativa est?

Dixi : *concesso etiam*, etc. Nam probandum adhuc est adversariis, non contineri formam nostram in aliis Ritualibus, qui ad ipsos non pervenerunt, cum tantum aliquos ex antiquitate exhibeant. Item quod verba, in quibus nos formam constituimus, primum inventa et addita fuerint Ritualibus post X. seculum exaratis : et non potius exscripta ex aliis antiquioribus in illos translata sint. Denique aperte falsum est, nec in Sacramentario S. Gregorii, nec in Pontificalibus latinis ante quingentos annos editis referri alia verba, quam orationem ; contrarium enim constat ex ipsis verbis Sacramentarii S. Gregorii, et Ordine Romano supra citatis.

124. *Inst.* 1. In Sacramentario S. Gregorii orationi Episcopi legitur præfixus titulus *Consecratio* ; ergo illa oratio erat forma.

R. 1°. ut ante : Esto, fuisset, jam non est.

R. 2°. *N. Cons.* Quia hæc et aliæ orationes aliorum Ritualium dicebantur olim, sicut adhuc modo super omnes ordinandos simul, ita enim præscriptum legitur ; forma vero super quemlibet seorsim proferri debebat, uti nunc fit, ut docemur ex Carthag. IV. can. 3. et Ord. Rom. ; ergo forma esse non poterat. Titulus *Consecratio* præfigitur, quia hæc oratio erat velut ingressus ad ipsam consecrationem, vel ordinationem sequentem.

125. *Inst.* 2. Forma, quæ juxta Carthag. IV. supra singulos ordinandos dici debebat, nihil aliud erat, quam mera oratio ; vocat enim benedictionem : *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente* ; ergo.

R. 1°. *N. Ant.* Benedictio illa erat distincta ab orationibus Episcopi, consistens in aliis verbis. Colligitur hoc ex S. August. L. 5. de Bapt. cap. 20. n. 28. qui Carthag. IV. ipse interfuit : ait enim cit. loc. *si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen et fiunt, et valent* ; ubi August. nomine deprecationis intelligit idem, quod Carthag. IV. nomine benedictionis ; sed nomine deprecationis non intelligit orationem, sed aliam verborum formulam, quæ sit quoad rem imperativa ; vel alias sequeretur, juxta August. sacramentum Baptismi, et Eucharistiæ mera oratione olim confectum fuisse, quod falsum est.

R. 2°. *N. Cons.* Dato enim Antecedente, nunc in usu amplius non est.

126. *Inst.* 3. Juxta August. et alios SS. Patres tamen forma sacramenti ordinis nihil aliud est quam oratio ; ergo. *Prob. Ant.* 1°. August. sermone de

gestis cum Emerito, de Episcopis quando ordinantur, ait : *Invocatio nominis Dei super caput ipsorum*. L. 15. de Trinit, cap. 26. probat Christum esse Deum ex eo, quod Joan. 20. dixerit : *accipite Spiritum sanctum*; et statim addit : Apostolos nunquam protulisse hæc verba, nec præpositos Ecclesiæ : *Quomodo ergo*, inquit, *Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant; quem morem in suis præpositis etiam nunc observat Ecclesia*. 2°. S. Dionysius Areopagita de ordinatione Episcopi L. de Hierarch. c. 5. ait sanctis eum precibus sanctificari. 3°. Auctor operis *de dignitate sacerdotali* apud S. Ambros. idcirco sacerdotis dexteram *supplicem* vocat : *sacerdos imponit supplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera*. (opp. t. 2. part. 2ª. p. 363. D.) 4°. S. Hieron. de sacra ordinatione disserens (comm. in Isaiam cap. 58. opp. t. 4. p. 695. A. edit. Vallars.) ait illam non tantum *ad imprecationem vocis*, sed ad impositionem impleri manus.

R. *N. Ant. Ad prob.* R. Generaliter SS. Patres dicunt ordinationem fieri invocationibus et precibus, *primo* quia cum ministri ordinantis potestas non est suprema et propria, sed solum ministerialis et precaria, ejus ministerium est quædam tacita supplicatio, ut Deus ratum habeat id, quod ipse facit, ex quo tamen non sequitur, eorum verba esse meram orationem. *Secundo* quia verba ministri habent vim a Christo, qui *rogavit* Patrem, ut infallibiliter haberent effectum. *Tertio* propter preces, quæ verba ministrorum comitantur, quasi dispositio, sicque ipsimet adversarii Juenin, etc. explicant SS. Patres, dum dicunt etiam Eucharistiam vel consecrationem, baptismum fieri sacerdotum precibus, nimirum concomitanter et dispositive, quatenus sine illa non peraguntur; non vero formaliter. S. August. vero L. 15. de Trinit. plus non vult, quam Christum esse Deum, quia dedit Spiritum sanctum potestate *propria*, et tali potestate non dedisse Apostolos, quorum potestas solum *ministerialis* fuit et *precaria*, ac proinde eorum verba, cum conferrent Spiritum sanctum, fuisse orationem, scilicet tacitam saltem, uti et Præpositorum Ecclesiæ. Deinde

R. 2°. Sicut supra : *Transmisso Anteced. N. Cons.* ob rationes allatas.

127. *Inst. 4.* Forma aqud Græcos consistit in oratione ; ergo idem melius dicitur de forma etiam apud Latinos ; sic enim conciliatur utraque Ecclesia, et habetur perfectior utriusque uniformitas.

R. *N. M.* Sed forma Græcorum est hæc : *Divina gratia... promovet N. venerabilem diaconum e. g. in Presbyterum. Primo* sic enim asserit Arcudius cit. *Not. I.* qui plus hac in re fidei meretur, utpote rituum Græcorum peritissimus et versatissimus in eorum Euchologiis. *Secundo* Simeon Thessalonic. de sacris Ordinationibus cap. 4. clare indicat ea formula sacram ordinationem fieri ; cum enim ea formula etiam in ordinatione diaconi locum habeat, eam explicans ait : *cum hoc dicit Episcopus, et gratiam donat, et qui ordinatur, diaconatum verbo Episcopi statim accipit; efficax enim est per sanctissimum Dei Spiritum.*

Nec obstat, quod subjungat : *nihilominus opus adhuc habet mysterio et perfectione precum episcopalium*; nam hæc saltem ex præcepto et consuetudine observanda sunt ; quod vero verbis illis plus non exigat, patet iterum

ex aliis immediate subjectis; pergit enim : *et cæterorum omnium quæ in ordinationum paradigmate continentur... oportet etiam caput ejus, sacræ mensæ incumbere, et flectentem genu, etc.* hæc autem non sunt de essentia. *Tertio* ad illam formam alludere videtur S. Chrysost. orat. 4. de Sacerdotio (opp. t. 1. p. 404. A.), perstringens ordinationum pravos usus; *multæ*, inquit, *harum ordinationum a divina gratia non fiunt.* Denique *quarto,* quia verba illa : *Divina gratia, etc.* significant collationem gratiæ et characteris, et conjunguntur impositioni manus super caput ordinandi, adeoque materiæ proximæ; orationes autem quæ postea dicuntur, de presbytero ut jam ordinato loquuntur, et talem clare supponunt.

128. *Inst.* 5. Si forma non consistat in oratione, vel precibus, ad quid illæ tam religiose adhibentur? non enim ipsæ gratiam conferent sacramenti.

R. Adhiberi ad impetranda ordinandis copiosiora, specialia, et efficacia auxilia gratiæ, ad quæ ordinatio sacramentalis jus non confert, sed solum ad idonea, uti reliqua sacramenta. Licet igitur preces illæ non habeant vim et significationem sacramentalem, recte tamen et laudabiliter eas Ecclesia ordinavit.

ARTICULUS IX.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

129. *Nota.* Ministerium ordinandi ad populum pertinere contendunt Lutherani et Calvinistæ; quamvis potestatem imponendi manus concedant solis pastoribus; non quasi populus hanc auctoritatem et potestatem non haberet, sed ut evitetur confusio. Ita Calvin. L. 4. Instit. cap. 3. Quod ipsum prius volebat Wicleffus inter alia dicens : *Confirmationem juvenum, clericorum ordinationem, locorum consecrationem reservari Papæ et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*; quem errorem damnavit Concil. Constantiense Sess. 8.

Catholici omnes tametsi contra hæreticos conveniant, ministrum ordinarium ordinis esse Episcopum, est tamen inter eos quædam dissensio quoad ministrum extraordinarium, an et quales ordines possit conferre simplex sacerdos ex delegatione summi Pontificis? *Prima* sententia, quæ etiam tribuitur S. Thomae in 4. dist. 25. q. 1. Bonavent. q. 1. a. 1., Richardo et aliis, negat sacerdotem simplicem posse esse ministrum extraordinarium alicujus ordinis majoris. *Secunda* sententia, quæ est Aureoli, Angeli, et aliorum, prorsus oppositum affirmat. *Tertia* id tantum de subdiaconatu concedit. Ita Bellarm. L. de Cleric. cap. 27., Suar. in 3. part. Tom. 3. Disp. 11. Sect. 3., Coninck Disp. 20. de Sacr. Ord. *Quarta* denique etiam ad diaconatum, excepto presbyteratu, talem facultatem extendit.

Porro hic indagandum venit, utrum Episcopus hæreticus, excommunicatus, degradatus possit *valide* conferre ordines. Negarunt Gratianus Caus. 9. q. 1., aliique, quos Gloss. ibi refert in can. *Nos.* Item Magister sentent. in 4. dist. 25. lit. C. Hoc autem sentiunt de iis solum Episcopis, qui nunquam fuerunt Catholici; de aliis enim, qui aliquando fuerunt

in Ecclesia, deinde ab hac præcisi, inquit Gratian., *Ordinationes eorum ab Ecclesia misericorditer tolerantur.*

130. *Dico I.* Minister ordinarius sacramenti Ordinis est solus consecratus Episcopus. Est de fide.

Prob. I. Ex Scriptura sacra, in qua solis Episcopis, scilicet Apostolis et eorum successoribus *Ordinis* collatio adscribitur. Act. 6. ordinatio septem Diaconorum. Act. 14. de Paulo et Barnaba dicitur : *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros.* 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii.* Et cap. 5. præcipit illi Paulus manus cito nemini imponere. Ad Tit. 1. scribit, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

Prob. II. Ex constanti Traditione, quæ constat ex facto ipsiusmet Novatiani hæretici, qui Romanum Episcopatum ambiens, tres Episcopos, homines rudes in fraudem adduxerat, et cum eos temulentos cerneret, compulit. ut, licet vana impositione manuum, sibi Episcopatum conferrent. Rem narrat Cornelius Papa in epist. ad Fabium Antiochenum apud Euseb. L. 6. Hist. c. 43. Adeo in seculo III. quo hoc contigit, veritas illi persuasa fuit. In seculo IV. eamdem tradit Concil. Carthag. I. can. 5. (Labb. t. 2. p. 715. D.) habitum anno 348. et Alexandrinum, ex Ægypto, Libya, Thebaide, Pentapoli congregatum sub Osio anno 319.; ut enim refert Athanas. apol. 2. contra Arian. declaravit Ischyram, accusatorem Athanasii non esse verum sacerdotem; eo quod a Collutho simplici sacerdote ordinatus esset. (v. Labb. t. 2. p. 547.) Epiphanius vero Aerium rejecit et cum hæreticis damnavit, quod presbyteros in jure ordinandi pares Episcopis judicaret; et ait Hær. 75. per Episcopos gigni patres ordinationis virtute, per presbyteros vero filios duntaxat Ecclesiæ virtute baptismi. In sec. VI. Arelatense 5. can. 7. Item Braccarense an. 563. can. 8. In sec. VII. Conc. Hispalense II. anno 619. cap. 5. irritam affirmat ordinationem illam, in qua presbyter verba formæ pronunciaverat, et Episcopus, qui præ oculorum dolore legere non poterat, solum manus imposuerat.

Prob. III. Ex Conciliis generalibus Florentino et Tridentino, quorum primum de ordine ait in Decreto Unionis. *Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus.* Alterum Sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem... anathema sit.*

Ratio a priori est voluntas Christi, quam nobis declarat perpetua praxis Ecclesiæ; ac proinde potestas ordinandi propria est Episcopis jure divino, non solo jure ecclesiastico. *Ratio convenientiæ est;* quia Episcopi sunt a Christo instituti principes Ecclesiæ; ergo conveniens fuit munus ordinandi ministros Ecclesiæ pertinere, saltem de jure ordinario, ad solos Episcopos; sicut solus princeps secularis ordinarie ministeria publica distribuit.

131. *Obj. I.* Aaron fuit ordinatus sacerdos a Moyse, licet Moyses non esset sacerdos; nam in Lege veteri sacerdotium solum ad Aaronem ejusque filios

pertinebat; ergo etiam potest quis ordinari sacerdos in Lege nova a non sacerdote; ergo Episcopus non est minister ordinarius ordinis.

R. 1°. Moysen vere sacerdotem fuisse docet S. Leo Papa epist. 88. (nunc in app. rejecta) juxta illud Ps. 98. *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Postquam vero ordinatus fuerat Aaron, ad hunc ejusque filios tantum pertinebat sacerdotium ex ordinatione divina.

R. 2°. *Transmisso hoc, N. Cons.* Res tota pendebat ab arbitrio voluntatis divinæ : poterat Deus per non sacerdotem sacerdotium conferre Aaroni; sed aliter ordinavit pro nova Lege Christus, ut probant rationes conclusionis. Deinde sicut Lex vetus et nova, sacrificium Legis veteris et novæ, sic differt utriusque sacerdotium.

132. *Obj. II.* In primitiva Ecclesia populus habuit jus suffragii in ministrorum electione; sic Act. 6. priusquam eligerentur septem diaconi, *placuit sermo coram omni multitudine.* Idem innuit S. Cypr. epist. 33. et 69. ergo non ad solos Episcopos spectat collatio ordinum.

R. 1°. *D. Ant.* Habuit jus suffragii ex jure divino *N.* Vid. quæ diximus n. 32. et seqq. Ex mero indulto apostolico, vel ecclesiastico *C.*

R. 2°. *N. etiam Cons.* Toto enim cœlo diversa sunt *eligere,* vel *ferre suffragium,* et *ordinare.* Primum indulserant Apostoli multitudini : *considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem,* Act. 5. v. 3. nimirum ut tanto melius sedarent murmur, si populo relinquerent electionem. Sed electos ordinarunt Apostoli, v. 3. ibid. Sic et postea Ecclesia sæpe dedit populis jus ferendi suffragii in electione ministrorum; ipsa tamen ordinatio semper pertinebat ad Episcopos. Nimirum in ordinatione ministrorum tria contingunt : electio, ordinatio sive consecratio, missio vel vocatio. Electio nihil est aliud, quam designatio personæ idoneæ ad ecclesiasticam dignitatem, vel functionem. Ordinatio est ceremonia sacra, qua ministri pro tali dignitate consecrantur, vel illis potestas sacra confertur, postquam constat de eorum idoneitate ex electione. Missio vel vocatio jurisdictionem tribuit, et pastorem ecclesiasticum constituit. Concedimus igitur jus ferendi suffragii in electione concedi potuisse populo, et concessum fuisse; non autem jus ordinandi.

133. *Obj. III.* Concilium Nicænum I. in epist. Synodica apud Theodoret. L. 1. c. 8. et apud Socratem L. 1. c. 19. postquam iis, qui a Meletio schismatico consecrati fuerant, presbyteris facultatem ademit, in schismatis pœnam, quemquam in clero deinceps promovendi, vel designandi; de aliis, qui Meletio non adhæserant, inquit : *Hi autem, qui Dei gratia... ad nullum schisma defecisse comperti sunt, et se intra Catholicam Ecclesiam impollutos continuerunt, jus habeant et ordinandi, et eos, qui digni clero fuerint, nominandi.* Ergo presbyteri tunc temporis gaudebant potestate ordinandi.

R. *D. Ant. Jus habeant ordinandi* ordinatione proprie tali, sive consecratione *N. ordinandi* improprie, id est, suo suffragio cum cæteris, eligendi, designandi, et approbandi *C.* Ratio est 1°; quia Concilium, ut ex ejus epistolæ verbis deducitur, concedit presbyteris non schismaticis illud jus, quod in pœnam negabat aliis, qui adhæserant Meletiano schismati, sed his tantum negat jus suffragii in electione, designandi, approbandi; ergo.

2°. Quia ordinationem præmittit nominationi : certum autem est, quod primo debuerint nominari tanquam digni clero, antequam ut clerici vere ordinarentur. 3°. Quia in græco legitur προχειρίζεσθαι, quod proprie significat promovere, præordinare, eligere; hinc etiam προχειρίζεσθαι et ὀνόματα ὑποβάλλειν, id est, promovere, et nomina eorum suggerere, qui ordinatione digni judicantur, tanquam synonyma conjunguntur. Et Act. 22. v. 14. eamdem vocem græcam Vulgata vertit : *præordinavit*, scilicet Deus Paulum, eum eligendo in Apostolum ; quæ tamen præordinatio non erat vera ordinatio ; nam, non obstante illa præordinatione Paulus cum Barnaba ordinatus, sive consecratus fuit Episcopus, Act. 14.

134. *Obj. IV.* Presbyteri in ordinationibus simul cum Episcopo manus imponunt, ex antiqua praxi Ecclesiæ. Et 1. ad Tim. 4. ait Paulus : *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii* ; ergo.

Ad 1um. R. *D. Ant.* Impositione mere ceremoniali *C.* sacramentali *N.* Illa enim impositio solum significat consensum Ecclesiæ in ordinationem electi ; nullum autem effectum producit ; nam sic imponendo manus nec verbulum proferunt.

Ad 2um. R. *D.* Per *presbyterii* intelligendo presbyteros simplices *N.* Episcopos *C.* Ita enim explicat Theodoret., Œcumen., Theophylact., præsertim S. Chrysostomus dicens (opp. t. 11. p. 618. B.) : *non de presbyteris hic loquitur, sed de Episcopis ; neque enim profecto presbyteri ipsum ordinarunt.* Et certe tunc agebat Paulus de consecratione Episcopi, in qua ex constanti disciplina Ecclesiæ solent plures Episcopi manus imponere ; nunquam vero presbyteri simplices.

Porro *presbyteri* nomen tunc commune erat Episcopis ; imo aliquando usurpatum ab Apostolis. *Presbyterii* autem vocabulum Ecclesiæ senatum denotabat, qui vel ex Episcopis solis constabat, ut plures autumant, vel ex Episcopis simul et presbyteris, ut alii sentiunt. Quidquid vero sit, ex eo nihil colligi potest ; aut enim presbyteri manus non imponebant, sed soli Episcopi ; aut si imponerent cum Episcopis, ut adhuc hodie in ordinatione presbyterorum, illa impositio sacramentalis non fuit.

135. *Obj. V.* 1°. Presbyteri simplices habent potestatem consecrandi Eucharistiam ; ergo etiam sacerdotes, vel diaconos ordinandi jure ordinario : qui enim potest majus, potest etiam minus ; majus autem quid est conficere corpus Christi, quam ministrum. 2°. Episcopus potest ordinare Episcopum ; ergo etiam sacerdos sacerdotem.

Ad 1um. R. *N. Cons. Ad ejus prob.* R. *D.* Si minus sit ejusdem generis, subordinatum majori, non dependens ab alterius voluntate ; *esto.* secus *N.* Unde fallit hoc axioma etiam in physicis, ut : homo potest generare hominem ; ergo etiam formicam. Et proinde multo magis in moralibus, quæ pendent ab alterius voluntate, uti hic potestas ministrorum a voluntate Christi. Voluit ille a presbyteris suum corpus consecrari, non alios sacerdotes ; sed potestatem hos consecrandi esse voluit penes Episcopos Ecclesiæ principes.

Ad 2um R. *N. Cons.* Ratio est eadem, voluntas Christi, quæ nobis constat

ex traditione perpetua, praxi et mente Ecclesiæ. Accedit, quod potestas ordinandi non sit potestas jurisdictionis, sed ordinis, quam in consecratione sua soli accipiunt Episcopi, non sacerdotes alii; ergo hi non possunt ordinare alios jure ordinario.

136. *Dico II.* Sacerdos simplex non est minister extraordinarius presbyteratus, hoc est, non potest hunc ordinem conferre alteri etiam ex commissione Ecclesiæ, vel summi Pontificis. Est communissima auctorum tum veterum, tum recentiorum cum S. Thoma in 4. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3. contra Panormitan. cap. *Quanto,* de cons., Capreolum, Angelum in Sum. verbo, *Ordo;* et Gloss. in can. *Manus,* de consecrat., Meratium.

Ratio est 1°. Quia ex una parte nec Scriptura, nec Traditio alium ministrum hujus ordinis assignat usquam, præter Episcopum: ex altera parte ne unicum exemplum extat, quo facultas conferendi hunc ordinem fuisset delegata presbytero simplici; quod est maximum argumentum, Ecclesiæ non esse concessam a Christo potestatem, delegandi presbyteris facultatem alios presbyteros ordinandi; si enim Christus hanc potestatem dedisset Ecclesiæ, hæc certe illa aliquando usa fuisset, cum plures se offerrent occasiones, idque poscere videretur necessitas, et animarum salus, maxime persecutionum temporibus, quibus Episcopi latebant in cryptis, aut rapiebantur ad necem. Item usa fuisset presbyterorum opera in remotis regionibus, ubi nulli adhuc erant Episcopi, et in quas mitti non poterant sine magno discrimine, et labore: atqui tamen nunquam id factum legimus, sed constans est in supprimendo hoc presbyterorum jure consensio Episcoporum; altum in ipsis presbyteris, quotquot de ordinibus scripserunt, ea de re silentium. An forte nemini id in mentem venit?

Ratio est 2°. Omnium fere theologorum consensio, exceptis paucis: atqui in rebus, quæ pendent a sola voluntate divina, ut in specie sacramenta, maximi momenti esse debet communis Doctorum consensus, præsertim quando veritas Catholica non est expressa in Scriptura sacra; sed ex sola Traditione erui debet, uti præsens controversia.

Ratio est 3°. Quod plerique SS. Patres asserant una ordinandi facultate Episcopos presbyteris esse superiores, ut S. Epiphanius Hær. 75. contra Aerium, qui nullum admittebat inter Episcopos et presbyteros discrimen, ait (opp. t. 1. n. 908. A.): *Hic* (ordo Episcoporum) *vim gignendorum patrum habet; at ille* (Presbyterorum) *cum patres gignendi potestatem non habet, per regenerationis lavacrum, filios gignit Ecclesiæ. Et vero qui tandem presbyteros constituat, qui ad ordinandum manuum impositionem non habet?* S. Hieron. epist. 85. (al. 146.) ad Evagrium: *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?* S. Chrys. homil. 11. in 1. ad Tim. (opp. t. 11. p. 604. D.) de Episcopis ait: *sola manuum impositione presbyteris superiores sunt.* Sed hæc falsa essent, si ex delegatione possent presbyteri ordinare presbyteros; nam ita se haberent ad ordinationem, sicut ad confirmationem, quam posse eos conferre ex commissione summi Pontificis communis est sententia; ergo si sola ordinatione presbyteros excedunt Episcopi juxta Patres, sequitur, quod ex delegatione non possint ordinare presbyteros; vel non sola ordinatione superiores erunt Episcopi, sed etiam confirmatione.

Ratio est 4°. Quod sententia contraria discrimen inter Episcopos et presbyteros nimium labefactet, et incaute suppeditet arma Calvinistis, qui toti pugnant adversus Episcoporum excellentiam. Vide Petavium in dissertat. de Ecclesiastica Disciplina. Deinde, quod non parum obsit causæ Catholicæ de successione pastorum; eo enim maxime impugnamus hæreticos, quod pastorum seriem ostendere non possint; at facilius se tuebuntur, si presbyteri alios sibi substituere possint. Denique, quod tollat Episcoporum necessitatem.

137. *Obj. I. Ex Histor. Eccl.* 1°. Juxta Cassian. Collat. 4. cap. 1. Paphnutius presbyter Danielem discipulum suum ordinavit primo in diaconum, deinde etiam in sacerdotem. 2°. Sub Valeriano et Gallieno cum Scythæ plures clericos captivos abducerent, inter hos Ulphilas, cum morum sanctitate et prædicatione multos barbaros converteret, ab Eusebio nondum Episcopo fuit consecratus, ut refert Philostorgius in Eclogis L. 2. cap. 5. 3°. Chorepiscopi quondam leguntur ordinasse presbyteros.

Ad 1um. R. *D.* Ordinavit, hoc est, cum obtulit præsulibus, ut ei manus imponerent, sicque ordinari curavit *C.* ordinavit vere *N.*

Ad 2um. R. 1°. Probas nimium; nempe presbyteros posse ordinare Episcopos; nam sic quoque Ulphilam fuisse ordinatum ab Eusebio nondum consecrato ait cit. auctor; sed

R. 2°. Philostorgio nulla fides habenda est; Arianus erat, qui ut ostenderet Gothorum Ecclesiam fuisse ab Arianis institutam, refert Ulphilam, qui muneribus illectus ad Arianam hæresin Gothos perduxit, fuisse primum Episcopum, quod tamen falsum esse habetur ex Socrate L. 2. Hist. cap. 4. qui narrat Theophilum Gothorum episcopum Nicæno adfuisse Concilio, illique subscripsisse. Deinde Philostorgius ait legationem Ulphilæ, cujus occasione factus est Episcopus, evenisse Constantini temporibus; sed Sozomen. L. 6. cap. 37., Theodoret. L. 4. cap. 37., Socrates L. 4. cap. 33., ad Valentis imperium referunt.

Ad 3um. R. *D.* Chorepiscopi, qui erant vere consecrati Episcopi *C.* qui non erant *N.*

138. *Obj. II.* S. Leo M. Rustico Narbonensi interroganti, quid agendum esset de presbytero, vel diacono, qui se Episcopos mentiti sunt, et de his, quos ipsi clericos ordinarunt? respondet epist. 92. (al. 167.) quod, si ordinatio peracta fuerit cum judicio et consensu præsidentium, haberi possit ut rata; ergo juxta S. Leonem subsistit ordinatio presbyteri *facta a non Episcopo,*

R. *D. Cons.* A non Episcopo vero *N.* legitimo *C.* Nam ambo illi, de quibus interrogat Rusticus, consecrationem episcopalem acceperant, et ideo erant veri Episcopi; sed quia contra canones absque Metropolitani consensu, aliisque comprovincialibus Episcopis fuerant ordinati, ideo mendaces vocat Rusticus, sive non legitimos, quia juxta Ecclesiæ regulas non numerabantur inter Episcopos. Colligitur hoc ex verbis S. Leonis: ait enim in epist. cit. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.*

139. *Obj. III.* Concilium Hispalense II. anno 619. cap. 5. (Labb. t. 5.

p. 1665.) pronunciat abjiciendos esse e gradibus suis clericos duos, presbyterum et diaconum, qui Episcopo manum quidem imponente, sed presbytero formam dicente, eo quod Episcopus ob oculorum dolorem eam legere non posset, ordinati fuerant; sed qui ab ordinibus deponuntur, illos habuerint, necesse est; ergo potest presbyter conferre presbyteratum et diaconatum ex delegatione.

R. *D. Maj.* Pronunciat abjiciendos, hoc est vere deponendos, quasi jam vere ordinem accepissent *N.* hoc est, declarandam esse irritam eorum ordinationem, et proin non permittendos, ut in iis ministrent *C.* Ratio est, quia alioquin sequeretur, posse ab uno applicari materiam, ab alio formam, quod nemo dixerit extra sacramentum Pœnitentiæ.

140. *Obj. IV.* Concilium Florent. ait sacramenti ordinis Episcopum esse ministrum ordinarium; ergo supponit sacerdotem posse esse extraordinarium. *Conf.* 1. Sicut ex eo, quod Episcopum dicat ministrum ordinarium confirmationis, infertur, sacerdotem esse extraordinarium; ita quoque hic. *Conf.* 2. Tridentin. Sess. 23. can. 7. eodem modo dicit confirmandi et ordinandi facultatem propriam esse Episcoporum, nec presbyteris communem; et tamen hoc non obstante sacerdos potest esse minister confirmationis; ergo etiam ordinis.

R. *N. Cons.* Vocat Episcopum ministrum ordinarium, quia sacerdos ex delegatione potest saltem conferre ordines non hierarchicos, aut minores.

Ad Conf. 1am. R. *N. suppos.* Quod ideo præcise inferatur sacerdotem esse ministrum extraordinarium confirmationis, quia Episcopum vocat ordinarium; nam posita sola voce *ordinarius,* adhuc poterat affirmari et negari sacerdotem esse ministrum extraordinarium; sed quia addit : *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum.* Nil tale addit de ordine; unde cum pro presbyteratu nullum exemplum etiam aliunde afferri possit; Episcopus est solus illius minister, cum exclusione alterius ministri extraordinarii.

Ad Conf. 2am. R. 1°. *N. Ant.* Concilium quidem hic de utraque potestate ait, esse propriam Episcopis; non tamen ideo dicit, aut vult esse propriam eodem modo, sed oppositum potius ex Tridentino colligitur, ubi de qualibet potestate seorsim ex professo agit; nam Sess. 7. can. 3. definit de confirmatione tractans : *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ministrum ordinarium non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit.* E contra agens de ordine Sess. 23. cap. 4. ait : Sacrosancta Synodus declarat, *Episcopos... Ministros Ecclesiæ ordinare.* In primo autem loco absolute definit, sacerdotem non esse ministrum *ordinarium* confirmationis; in alio loco disserens de ordine, solis Episcopis facultatem ordinandi simpliciter attribuit, nec verbo mentionem faciens ministri ordinarii.

R. 2°. *N. Cons.* Licet enim hic locus Tridentini non obstaret; obstant tamen alia pro ordine, et quidem presbyteratus præcipue; nunquam enim Ecclesia agnovit sibi datam esse potestatem delegandi facultatem presbytero hunc ordinem conferendi, sicut confirmationem

141. *Obj. V.* Plures canonici juris Consulti supra citati; item etiam Theologi docent, presbyteratus ordinem a simplici presbytero conferri posse; ergo.

Ad 1um. R. *D.* Plures canonici juris Consulti docent, eo inducti ex falsis principiis *C.* secus *N.* Imprimis interpretes juris canonici non sunt audiendi præ Theologis in præsenti causa, quæ ad doctrinam pertinet. Deinde ita senserunt nixi falsis principiis : *Primum* est, quod presbyteri et Episcopi sint quid unum et idem jure divino : sic Guillelmus Raymundi Glossator, Glossa, et Panormitanus. *Secundum :* quod quivis clericus possit eum, quem habet, ordinem conferre, ut subdiaconus subdiaconatum, diaconus diaconatum, presbyter presbyteratum; idque putabant Glossa, Sylvester, Angelus de Clavasio, Hugo, Bernardus, antiquissimus Decretalium Commentator in Summa, Astensis L. 6. Tit. 3. a. 1. *Tertium :* quod facultas dandi, quod habeas, extendatur etiam ad laicos ipsamque confirmationem, ita ut confirmatus possit confirmare, laicus laicum, ut Gloss. ad cap. *Pervenit*, Dist. 95. *Quartum :* quod presbyteri tantam habeant potestatem circa ordines, ut etiam urgente necessitate possint ordinare Episcopos, ut Guillelmus, Panormit. Atqui hæc falsa sunt, et a nemine jam admittuntur; ergo nec interpretum illorum auctoritas hic pondus habere potest.

Ad 2um. R. *D.* Theologi perpauci et iisdem nixi fere principiis, quibus citati juris canonici interpretes *C.* secus *N.* Sic in specie Aureolus credebat episcopatum et sacerdotium non esse distinctas potestates; quod quidam alii judicabant probabile, ut Nicolaus de Orbellis.

142. *Obj. VI.* Omnis forma, quæ est in actu, potest se communicare in eadem specie : sic ignis producit ignem; ergo etiam habens presbyteratum potest hunc communicare alteri.

R. 1°. Ergo anima rationalis potest producere alteram; confirmatus laicus confirmare alium; quæ sunt notorie falsa. Hinc

R. 2°. *D. Ant.* Forma corporea *T.* nam et in physicis universaliter falsum est, sic forma lapidis non producit similem. Spiritualis, supernaturalis; item in moralibus, quæ pendent unice a voluntate instituentis, ut sacramenta *N.* In his tota ratio est voluntas instituentis.

143. *Dico III.* Sacerdos simplex etiam probabilius non est minister extraordinarius diaconatus. Est communis tum veterum, tum recentiorum, contra recentiores alios, nixos præcipue privilegio concesso Abbatibus Cisterciensibus, ex quo tamen, ut infra ostendetur, infirmum petitur argumentum.

Prob. Illis ipsis rationibus, quibus prior conclusio; æque enim ad nostræ usque theologiæ incunabula inauditum est, in Ecclesia fuisse presbytero simplici delegatam potestatem hunc ordinem conferendi; traditio autem et perpetua praxis, vel observantia Ecclesiæ sunt optima interpres voluntatis Christi, a qua sola tota pendet doctrina de sacramentis.

Conf. illa traditio et observantia. 1°. Primos diaconos, Act. 6. ordinarunt Apostoli. 2°. Gelasius Papa pronunciat aliquos quidem ordines posse ex Episcoporum licentia conferri a presbyteris, sed intra subdiaconatum hæret, nec altius assurgit; quid ita? nisi ut tacite innuat altiores ordines

nequidem ex commissione posse ab iis conferri. 3°. Quandocumque de hac delegata ordinandi potestate fit mentio, nunquam exprimitur diaconatus. Sed

144. *Obj.* Innocentius VIII. anno 1489. concessit Abbatibus Cisterciensibus facultatem suis religiosis conferendi ordines minores, subdiaconatum et diaconatum; de Bulla hujus privilegii meminit *primo* Navarrus L. 5. Consilior. Cons. 13. *Secundo*, eam in bibliotheca Collegii Complutensis Societat. Jesu servari, et se legisse testatur Vasquez 3. p. disp. 243. cap. 4. *Tertio*, Berti ait se legisse in Bullario Cisterciensium. *Quarto*, hoc privilegio usi dicuntur Romæ, et Gandavi in Belgio Generales Cisterciensium. Ergo extat exemplum, quo facultas ordinandi diaconum est concessa etiam aliis non Episcopis.

R. 1°. Bullam hanc supposititiam esse ait Sylvius in supplem. S. Thomæ q. 38. a. 1. Hallerius de ministro Ordinationis a. 2. sect. 3. et alii. *Primo*, quia nullum ejus authenticum exemplar hactenus produci potuit; non enim extat in Bullario Romæ edito. *Secundo*, quod de ea pugnantia testentur auctores; nam Franciscus Victoria ait sibi quidem eam ad manus venisse, sed in ea solum exprimi subdiaconatum; Vasquez e contra etiam diaconatum. *Tertio*, Henno, qui testatur ea facultate usos esse Generales, nullo id probat testimonio. *Quarto*, Benzonius L. 2. de anno Jubilæi, cap. 23. ait Bullam, quæ videtur concedere Abbatibus Cisterciensibus, ut subditos sibi religiosos ordinent subdiaconos et diaconos, loqui tantum de litteris dimissorialibus, quas possint suis dare ad quemlibet catholicum Antistitem, non habita ratione provinciarum, aut diœcesium, et ita declarasse Sacram Congregationem Concilii Tridentini anno 1592. et Clementem VIII. *Quinto*, quod Concilium Tridentinum, dum Sess. 23. cap. 8. ordinationem reservat Episcopis, et cap. 10. Abbatum, etiam exemptorum, restringit privilegia minora, nullam faciat mentionem privilegii conferendi diaconatum; ergo supponit hoc privilegium ipsis nunquam concessum fuisse, alioquin illius præ aliis meminisset.

R. 2°. Tametsi non sit nobis animus decidere, sitne Bulla illa vera, vel non? id tamen ex ultro citroque dictis non immerito colligitur, esse fidei dubiæ; proinde argumentum ex ea petitum infirmum esse; et subsistere conclusionem, qua solum dicimus, probabilius esse sacerdotem etiam non esse ministrum extraordinarium respectu diaconatus.

145. *Dico IV.* Potest tamen sacerdos simplex ex concessione Ecclesiæ conferre subdiaconatum: item ordines minores. Est communis sententia. Et quidem in eorum sententia, qui negant hos ordines esse sacramentum et institutos a Christo, res difficultate caret; tunc enim eorum collatio, sicut institutio, pendet ab Ecclesiæ arbitrio. In aliorum sententia, qui admittunt subdiaconatum esse sacramentum; item minores,

Probatur 1°. Auctoritate Gelasii Papæ, qui facultatem conferendi hos ordines concedi posse presbyteris a Pontifice asserit epist. 9. cap. 6. Tom. 4. Concil. (p. 1190. A.) ubi de presbyteris loquens, ait: *Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo Pontifice subdiaconum, aut acolythum*

jus habere faciendi; ergo vult eos hoc posse cum consensu et concessione Pontificis, alias enim verba Gelasii inania forent, et omni sensu vacua.

Prob. 2°. *in specie de Subdiaconatu.* Tale privilegium concessum fuit Abbati Cisterciensi, cujus meminit Pius V. in ea Bulla, qua hoc ipsum jus denegat Abbati Præmonstratensi. Item Abbatibus Benedictinis, testatur Victoria. Tale privilegium fuit alterius Abbatis Cisterciensis in Germania, quod ante Concilium Tridentinum confirmatum fuisse asserit Navarrus Consilior. L. 5. de Privileg. Cons. 14.

Prob. 3°. *de minoribus Ordin.* Synodus VII. generalis anno 787. can. 14. (Labb. t. 7. p. 607. E.) facultatem lectorum creandorum fecit Abbatibus: *Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio monasterio solummodo faciendi... dum constet illum esse presbyterum.* De acolythatu constat ex Gelasio Papa ante cit.; et de singulis ex Tridentino Sess. 23. c. 10. ubi: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.* Ergo Concilium relinquit Abbatibus facultatem, tonsuram et minores ordines omnes conferendi Regularibus sibi subditis.

146. *Obj.* Si possit Pontifex concedere facultatem sacerdoti simplici conferendi subdiaconatum et minores ordines; ergo vel vi ordinis sui, vel jurisdictionis: atqui neutrum dici potest: non primum; quia alias idem posset Episcopus, hic enim quoad ordinem non differt a Papa; sed illud non admittitur: non secundum; quia jurisdictio respicit corpus Christi mysticum, non naturale.

R. *N. seq. Maj.* Hoc facit Pontifex ex potestate sibi concessa a Christo; quam ei concessam fuisse declarat praxis Ecclesiæ ex allatis exemplis.

147. *Dico V.* Valida est ordinatio facta ab Episcopo improbo, intruso, hæretico, schismatico, excommunicato, deposito, simoniaco. Est communis hodie Doctorum Catholicorum, et partim de fide, ut patebit.

Prob. per partes. I. De improbo. 1°. Ex Scriptura, juxta quam 1. Cor. 4. Episcopi sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; sed sive probus sit, sive malus procurator, non interest rei, quam nomine Domini agit, modo id exequatur, quod sibi mandatum est; ergo. Unde et Apostolus ibid. cap. 3. ait: *Neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* 2°. Ex definitione Ecclesiæ, quæ ea de re Donatistas, Waldenses, Wicleffistas, Hussitas proscribit ut hæreticos, ut constat ex Bulla Martini V. in qua ex damnatis Wicleffi articulis hic decimus est: *Si Episcopus existat in peccato mortali, non ordinat:* Ex Conc. Constantiensi Sess. 15., Trid. Sess. 7. can. 12. ubi de Sacramentis in genere contrarium asserentes ferit anathemate. 3°. Ex SS. PP. August. Tr. 5. in Joan. n. 15. *Qui fuerit*, inquit, *superbus minister, cum zabulo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum venit ad fertilem terram.... per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generat, sed tamen*

hortis plurimum fructum affert. Vide plura Tr. de sacram. in genere, ubi de probitate et fide ministri.

II. De intruso. Ex traditione Ecclesiæ. S. Leo Papa Anatolium, a conciliabulo, vel latrocinio Ephesino intrusum in sedem Constantinopolitanam S. Flaviani, instantibus Marciano et Pulcheria Augustis, non solum recepit; sed etiam ordinationes ab eo factas approbavit, ut habet ipsa S. Leonis epist. 78. al. 54. ad Marcian. Augustum, et refert Auxilius in defensione Formosi L. 1. cap. 24. apud Morin. de SS. Ordinat. p. 2. Vigilii summi Pontificis ordinationes, cum expulso Sylverio Papa legitimo vi potitus esset summo Pontificatu, nemo unquam vocavit in dubium; nec eas postea iteravit Vigilius, factus, Sylverio mortuo, verus et pœnitens Pontifex. *Ordinationes ejus*, ait Petrus Damiani apud Morin. loc. cit. *in sua perpetim stabilitate permanserunt.* Plura exempla passim auctores referunt alii.

III. De hæretico. Concilium Nicænum can. 8. Novatianos cum suis ordinibus decrevit suscipiendos esse, quem canonem exprimit Synodus VI. Carthagin. *Si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam Cathari, placuit, sicut et magnæ Synodo* (Nicænæ) *eos ordinatos sic manere in Clero.* Tom. 2. Concil. pag. 1546. Idem Nicænum de ordinatis Arianis statuit. Et hinc quidem canon ille 8. celebratissimus, qui in regulam deinceps evasit Siricio Papæ epist. ad Himmerium., Innocent. I. epist. 22. cap. 5., Tharasio, Actione 1. Synodi VII., Hincmaro ad Episcopos Synodi III. Suession., S. Hieron. qui in Dialog. contra Luciferianos ait n. 19. : *in Synodo Nicæna octo Episcopos Arianos susceptos scimus.* Similiter de ordinatis a Donatistis, cum ad Ecclesiam redirent, ait Augustin. Lib. 2. contra Parmen. *non sunt rursus ordinati; sed sicut baptisma in eis, ita ordinatio mansit integra.* Idem quoque statuit Synodus Ephesina Actione 7. (v. Labb. t. 3. p. 809. B.) de Messalianis, vel Enthusiastis, et Synodus VI. de ordinatis a Monothelitis, ut testatur Tharasius Act. 1. Synodi VII. (Labb. t. 7. p. 70. et seqq.) et passim SS. Patres docent : Basil. ad episcopos occidentales epist. 74. (al. 263.), S. Leo Papa epist. 1. cap. 6. (al. 87.)

IV. De schismatico. Ex perpetuo Ecclesiæ usu et praxi. Plurima enim schismata in Ecclesia constat fuisse; sic post mortem Liberii anno 367. Ursicinus insurrexit contra Damasum, anno 417. Eulalius contra Bonifacium, anno 498. Laurentius contra Symmachum, anno 530. Dioscorus contra Bonifacium II. anno 538. Vigilius contra Sylverium, anno 996. Joannes contra Gregorium V. et omissis aliis, Albertus et Theodoricus gravissimum schisma excitarunt contra Paschalem II. electum in Pontificem anno 1099. Atqui nunquam ordinationes factæ a schismaticis illis in dubium revocatæ sunt : imo in Synodo Guastallensi præside Paschale II. valere sancitum est; ut refertur ab Abbate Urspergensi, et Tom. 10. Concil. pag. 749. anno 1106. Sic et in diuturno illo schismate, quod denique a Concil. Constantiensi sublatum, cum multæ fuissent factæ ordinationes a Pontificibus inter se pugnantibus, ratæ omnes habitæ sunt, et quisque in ordine semel accepto permansit. *Conf.* Ex Patribus. Melchiades, cum absolvisset Cæcilianum Carthaginensem, a quo Donatus cum aliis se sejunxerat, aiebat etiam ordinatos a schismaticis se habiturum pro Episcopis, si ad Ecclesiam redirent; verba Pontificis refert epist. 43. olim 172. Augustinus,

qui idem asserit epist. 185., L. 2. contra epist. Parmeniani., L. 2. cont. Cresconium Donatistam et alibi.

V. De excommunicato et deposito. Ex eadem traditione et praxi Ecclesiæ; ex variis exemplis, quæ passim magno numero congerunt auctores : unum sufficiat Acacii patriarchæ Constantinopolitani, qui, licet depositus et anathemate perculsus esset a Felice summo Pontifice anno 484. varios nihilominus ordinaverat, quorum ordinationes postea ratas habuit Anastasius Papa in epist. ad Anastasium Imperatorem cap. 7. et 8. quam exhibet Gratian. Dist. 19. can. 8. in qua ait Pontifex se id facere *secundum Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem.*

VI. De simoniaco. Concilium Chalcedon. anno 451. can. 2. (Labb. t. 4. p. 756. B.) de simoniace ordinante et ordinato pronunciat, priorem venire in periculum gradus proprii, sive depositionis ; de altero ait : *ordinatione nihil juvetur, sed sit a dignitate vel officio alienus* ; ubi sola dignitas et officium aufertur simoniace ordinato ; ipsa vero ordinatio nulla non declaratur. Idem habet Synodus Constantinop. sub Gennadio anno 455., Aurelianensis V. anno 559. can. 10., Toletan. IV. anno 633. can. 19. etc.

Ratio autem generalis est : Quia nullo jure talis Episcopus redditus est inhabilis ad conferendos ordines : non divino; tale enim nullum assignari potest : non ecclesiastico ; hoc enim dum prohibet fieri, vel admitti ordinationem ab Episcopo non legitimo, schismatico, hæretico, etc. non ideo tamen invalidare vult talem ordinationem ; imo invalidare non potest; quia, quæ pendent a potestate, quam tradidit Christus, nullatenus adimi, vel impediri possunt ab Ecclesia, quantum ad valorem actus, sicut potestas baptizandi concessa a Christo omnibus, non potest adimi ab Ecclesia. Atqui potestas ordinandi est tradita Episcopis a Christo ; est enim potestas ordinis et characteris episcopalis, quem sicut nec instituit, sic nec impedire potest Ecclesia ; estque indelebilis, ut nullo etiam crimine amittatur; ergo si talis Episcopus adhibeat alia necessaria necessitate sacramenti, valebit ab eo facta ordinatio. Unde

Collige : Quando ordinationes ejusmodi dicuntur *nullius roboris, infirmæ, nullæ, etc.* id nequaquam intelligendum est de ordine quoad substantiam, sed quoad ejus executionem; aliquando quoad gratiam, cui obicem ponit scienter talem ordinem suscipiens, ut amplius patebit solutione objectionum.

148. *Obj. I.* In Episcopo *improbo* non manet character ordinis; ergo hunc alteri conferre nequit. *Prob. Ant.* 1°. In Constitutionibus Apostolicis L. 8. cap. 2. (Labb. t. 1. p. 457. D.) Episcopi, qui sancti non fuerint, dicuntur Episcopi non veri, sed falsi : item ab hominibus promoti, non a Deo. 2°. S. Dionys. Areopag. epist. 8. (opp. t. 1. p. 605. B.) ad Demophilum, de sacerdote improbo ait : *non est sacerdos* ; ergo. 3°. S. Cyprianus epist. 68. ad clerum et plebem Hispaniæ ut eligant sanctos præsules, de præsule peccatore ait, *ejus sacrificia grata Deo non esse* : Item, tales comparat cum Core, Dathan et Abiron; sed hi sacerdotes non erant. 4°. Auctor operis imperfecti in Matth. inter opera Chrysostomi, homil. 53. (in cap. 25. v. 18.) docet eos non esse apud Deum Ecclesiæ ministros, qui ab ipso electi non fuerint.

5°. Gelasius epist. ad Elpidium, relatus Caus. 1. q. 1. can. 92. ait de ministro improbo, ad consecrationem non advenire cœlestem Spiritum.

R. *N. Ant.* Juxta definitionem Tridentini Sess. 7. can. 9. et Sess. 23. can. 4.

Ad 1am. *prob.* R. *D.* Non sunt veri Episcopi ratione ordinis et characteris *N.* ratione finis, propter quem ordinantur Episcopi *C.* Sic dicere solemus, non est homo, qui juxta rationem non vivit. Et ratio est; quia cit. loc. affertur exemplum Caiphæ, qui tamen sacerdos erat, licet improbus. Alterum etiam *D.* Non a Deo, si spectetur ejus voluntas beneplaciti et complacentia *C.* secus *N.* Nam eos sacerdotalem dignitatem accipere et servare idem auctor Constit. Apost. cap. 1. ex professo tradit.

Ad 2am. *prob.* R. *D.* Non est sacerdos, hoc est, non fungitur sacerdotis officio *C.* secus *N.* Dicit enim eo loco sacerdotem debere habere vim illuminandi alios, quam si non habeat, non esse sacerdotem, nimirum quoad vim illuminandi plebem, sive non fungi sacerdotis officio.

Ad 3am. *prob.* R. *D.* Ejus sacrificia grata Deo non esse ex opere operantis *C.* ex opere operato *N.* Item, comparat cum Core, Dathan, et Abiron quoad potestatem intimam, vel ordinis *N.* quoad jus legitimum obeundi sacerdotalia munia *C.* Cyprianus hortatur clerum et populum, ut eligant Antistites dignos, aitque peccare populum, si communicet cum peccatore sacerdote, quem eligit, sicut populus olim adhærens Core, Dathan, et Abiron; quibus non negat indignum ordinatum habere ordinem.

Ad 4am. *prob.* R. 1°. Auctor illius libri, si non suspectus, saltem dubius est, perperam sub Chrysostomi nomine editus; Chrysost. enim in epist. ad Timoth. clare docet, sacerdotes malos recte conferre baptismum, consecrare, etc.

R. 2°. *D.* Non esse apud Deum, quoad characterem et potestatem ordinis *N.* quoad mercedem bonis ministris paratam; vel, non esse gratos Deo *C.*

Ad 5am. *prob.* R. *D.* Non advenire Spiritum sanctum ex opere operantis *C.* ex opere operato *N.*

149. *Obj. II.* Synodus Constantinopolitana can. 4. (Labb. t. 2. p. 948. C.) ordinationem Maximi Cynici, qui erat *intrusus*, vel violentus invasor ejus Ecclesiæ sedis, esse irritam, item ordinationes ab eo factas. *Conf.* Anastasius Bibliothecarius in Scholio ad finem Synodi VIII. (Labb. t. 8. p. 1176. A.) ait faciendum esse discrimen inter ordinationes factas ab hæretico, et ab invasore vel intruso, qualis Maximus fuit, nimirum quod ordinationes hæreticorum ratæ haberi possint, non item intrusorum; ergo.

R. *D. Ant.* Esse irritas, quoad usum, vel exercitium legitimum et licitum, item quoad gradum, et honorem *C.* quoad valorem, vel characterem *N.*

Ad Conf. R. *D.* ut ante. Anastasius discrimen ponit in eo, quod ordinati ab hæreticis possint reconciliari, et restitui in pristinum gradum et officium juxta canones et consuetudinem Ecclesiæ; ordinati vero ab invasoribus sine recuperatione officii deponantur; cujus rationem dat, quod lapsi in hæresin fuerint Episcopi veri et legitimi, et habuerint facultatem in suo ordine ministrandi; nunquam vero intrusi et invasores.

150. *Obj. III.* Constantini, qui in Sedem Romanam per vim fuerat intrusus, ordinatio fuit damnata a Stephano IV, et ordinationes a Constantino factæ, fuerunt a Stephano rescissæ, et reiteratæ; nam decreverat Concilium, quod Stephanus ex Galliæ, Germaniæ, et Italiæ Episcopis congregaverat; ut Episcopi a Constantino consecrati redirent ad gradum, quem ante habuerant, et, si digni judicarentur, iterum electi, iterum consecrarentur. Idem decrevit de presbyteris et diaconis; ergo.

R. *D. Ant.* Reiterata ordinatione vere sacramentali, similiter Concilium jussit iterum eligi et consecrari consecratione sacramentali *N.* ceremoniali, qua potius reconciliabantur *C.* Concilium non loquitur, nec intelligi debet de ipso ordine reiterato, sed de ritibus usitatis in reconciliatione schismaticorum, hæreticorum, quem ritum vocat Anastas. Bibliothecarius *benedictionis sacramentum* (Labb. t. 6. p. 1724. A.). Ita Baron. ad an. 769. (t. 9. p. 300. C.) et ostendit Alexander Natalis ad VIII. seculum cap. 1. artic. 8. *Nec obstat*, inter illos ritus fuisse adhibitam impositionem manuum, nam hæc impositio non erat *ordinativa*, sed ceremonialis et *reconciliatoria*, quæ semper adhibebatur, quandocumque fiebat reconciliatio cum Ecclesia. *Ratio responsionis est*, quia idem Concilium jubet a Constantino ordinatos in presbyteros et diaconos, si ante laici fuissent, ut depositi in religioso habitu permanerent, ut refert Anastas. Bibliothecarius in vita Stephani IV. et Sigebertus ad an. 767. Cur enim hoc, nisi, quod in iis permanere ordinem judicaret? ergo licet illi essent depositi, hoc est, prohibitum eis esset ministrare in suo ordine, non tamen ipso ordine privati erant.

151. *Obj. IV.* De Photio, qui a Gregorio Syracusano deposito ordinatus fuerat, et expulso Ignatio patriarcha sedem Constantinopolitanam invaserat, ait Concilium Constantinop. an. 869. can. 4. (Labb. t. 8. p. 1370. D.) *Photium nunquam Episcopum fuisse, nec nunc ulla ratione esse, justo decreto declaramus; nec ab illo creatos in eo sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, permanere.* Ergo. *Conf.* Hoc idem ante citatum Concilium dixerat Nicolaus I. epist. 9. (ibid. p. 335. E.) ad Michaelem Imperatorem scribens: *Gregorius, qui canonice ac synodice depositus, et anathematizatus erat; quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet; igitur nihil Photius a Gregorio percepit; nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.*

R. *D. Ant.* Nec Photium, nec ab eo creatos Episcopos fuisse quoad substantiam ordinationis, vel ordinis, characteris *N.* quoad honorem, usum, et legitimam executionem sui ordinis, quia juxta canones graviter prohibebantur, exequi suos ordines, et omnino ab omni functione erant suspensi *C.* Pari modo

Ad Conf. R. Ratio est 1°. quia Nicol. I. ipse solum intelligit de officio, vel executione ordinis; nam de Photio dixerat epist. 7. cap. 1. (ibid. p. 287. A.) sit *omni sacerdotali honore et nomine alienus*, et omni *clericatus officio* exutus. De Gregorio vero ibid. cap. 2. Gregorium definimus, omni *sacerdotali* carere et privatum fore *ministerio*, et cap. 3. eodem modo de ordinatis a Photio. 2°. Quia idem Nicolaus I. in epist. 13. in Gregorio Syracusano tantum arguit, quod Photium *irregulariter* ordinasset; sed aliud est ordinare irregulariter, aliud non valide. 3°. Quia Adrianus II. Nicolai successor in

epist. ad Basilium (Labb. t. 8. p. 1174. B. C.) palam profitetur adhærere se in eo decretis Leonis I. qui statuit ejusmodi Episcopos quidem deponi debere, sed ratas tamen haberi posse ordinationes ab iis factas. 4°. Quod in cit. Concil. eodem modo dicatur non Christianus, quo vocatur non Episcopus; at certe, eo non obstante, retinuit baptismi characterem; ergo etiam. 5°. Denique quod Photius post mortem Ignatii a Joanne VIII. citra ullam novam consecrationem, uti et ab ipso ordinati in pristinas sedes fuerint restituti, ut constat ex epist. Joannis ad Basilium (Labb. t. 8. p. 1455. B.) in qua: *hunc ipsum Patriarcham, Photium, cum omnibus sive Episcopis... in quos judicii fuerat censura prolata, ab omni Ecclesiasticæ sanctionis vinculo absolvimus, sanctæque Ecclesiæ Constantinopolitanæ judicamus recipere sedem, Dominicique gregis esse Pastorem.*

152. *Inst.* 1. Nicolaus I. ut habetur in ejus epist. 1. suis legatis præceperat, ut Photium haberent tanquam laicum; et act. 4. Synodi VIII. dicitur de eodem, quod Romana Sedes eum inter laicos computaverit; Adrianus vero in epist. synodica (ibid. p. 1419. D.) *Photium,* inquit, *damnamus, nisi decretis nostris sese obtemperaturum promittat... tunc enim illi laicorum communione non interdicimus.* Ergo nec quoad characterem censebatur Episcopus; laici enim illum non habent.

R. *D. Ant.* Haberent tanquam laicum in foro externo, quoad jura, dignitatem, officium *C.* secus *N.* Nam Nicolaus I. quidem eum ut laicum haberi præcepit, cum nondum constaret, annon Photius esset Episcopus legitimus; ideoque mandatum istud non spectabat ordinem et characterem. Deinde observandum, quod juxta canones hæc esset pœna, ut, qui contra leges prorepsissent ad gradus ecclesiasticos, iis carere debuerint, et haberi quasi nullos essent adepti, et Episcopi etiam antea veri et legitimi, si in gravia crimina fuissent lapsi, ad communionem laicam fuerint retracti, ut docemur ex Concil. Agathensi can. 50. (Labb. t. 4. p. 1391. E.) *Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit... ab officii honore depositus, in monasterium retrudatur, et ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Ita quoque ad verbum Concil. Epaunense can. 22.

153. *Inst.* 2. Photius tamen reipsa reiteravit ordinationes factas ab Ignatio; ergo.

R. *N. Cons.* Factum enim Photii, intrusi et schismatici, improbique esse instar regulæ non potest. Deinde hæc ipsa impietas ipsi vitio data fuit; ergo potius conclusionem confirmat.

154. *Inst.* 3. Legati summi Pontificis in Bulgariam missi sacramentum Confirmationis datum a Photianis reprobarunt, et reiterarunt; ut testatur Metrophanes in epist. ad Manuelem Patricium p. 3. synodi cap. 2.: atqui hoc factum non fuisset, si Photius intrusus potuisset adhuc valide ordinare.

R. *D. M.* Sacramentum Confirmationis datum a Photianis presbyteris *C.* Episcopis *N.* Legati judicabant presbyteros non esse idoneos ministros hujus sacramenti, ideoque reiterandum putabant, licet, ut id facerent, speciale mandatum Pontificis non haberent. Ita se rem habuisse manifestum fit ex Photii epistola encyclica, quam refert Baronius ad ann. 863. *Chrismate*

inunctos, per sacerdotes denuo chrismate inungere non exhorruerunt, cum se Episcopos prædicarent, et presbyterorum chrisma inutile ac frustra factum comminiscerentur.

155. *Obj. V.* Duo Pontifices Stephanus VII. et Sergius Formosi Pontificis ordinationes non modo declararunt esse nullas, sed etiam reipsa reiterarunt, et plane de novo, ordinatos a Formoso, in suis ordinibus consecrarunt ; ut testatur Auxilius scriptor coævus, Sigebertus, Luitprandus, et monimenta Romanæ Ecclesiæ. Ergo.

R. *D. Ant.* Duo Pontifices, Apostolicæ sedis invasores, viri pessimi, mero facto ita egerunt *C.* secus *N.* Stephanus vi Adalberti Marchionis Tusciæ Sedem Romanam invaserat, ait Luitprandus; Sergius vero Francorum ope noctu Romam ingressus Papatum invasit teste Sigeberto. Uterque ira et vindicta accensus contra Formosum, tam iniqua attentavit : *Furore percitus homo*, inquit Baronius de Stephano ad an. 897. (t. 10. p. 622. B.) *non quod jure liceret; sed quod exæstuans rabies suasit, implevit. Non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto.* Unde ex hoc nihil probatur contra conclusionem.

156. *Inst.* 1. Sed idem cum Stephano judicarunt multi ex clero Romano; ergo.

R. *D. Ant.* Eo partim minis et metu compulsi, partim similibus de causis *C.* secus *N.* Nam, ut testantur auctores citati, plurimi alii, qui saniori pollebant consilio, Formosi ordinationes tanquam ratas et validas habuerunt. Cæteri vero ex clero Romano consentiebant Stephano, vi ac terrore compulsi; partim eo, quod e re sua id esse crederent; cum enim jactitarent hoc esse jus cleri Romani, ut nemo, nisi ex ejus gremio promoveretur in Sedem Apostolicam; ideo adhærebant Stephano contra Formosum, qui ab episcopatu Portuensi in Sedem Romanam assumptus fuerat; criminantes imperite et malitiose Formosum non fuisse verum Episcopum, quod non stetisset jure jurando, quod se obstrinxerat Joanni VIII. non redeundi ad Ecclesiam Portuensem, quo tamen Marinus Joannis successor eum absolverat.

157. *Inst.* 2. Formosus tamen ipse agnovit se non fuisse verum Episcopum, cum factus esset Romanus Pontifex; ergo. *Prob. Ant.* Nam manus impositionem sibi fieri voluit, ac si Episcopus non esset.

R. *N. Ant. et prob.* Ita quidem dicebatur a Formosi æmulis, sed falsissimum esse inquit Auxilius L. 2. cap. 26. (ap. Morin. de ordinat.) huic historiæ coævus et Romæ existens.

158. *Obj. VI.* Ordinationes *hæreticorum* oportere iterari statuit Canon Apostolicus 67. *Conf.* 1. Nam, ut ait Cyprianus in epistolis de Hæret. rebaptizandis, *omnia quæcumque faciunt hæretici, carnalia sunt, inania et falsa, ut nihil eorum a nobis probari debeat. Conf.* 2. Synodus Nicæna can. 8. Novatianos quidem recipi jubet in suis ordinationibus, sed accepta manuum impositione; quam vero manuum impositionem fuisse ordinativam, et intelligendam de ordinatione, non reconciliatione vel confirmatione in susceptis ordinibus docet Morinus, aliique veteres, Ruffinus in versione Concilii Nicæni, Martin. Bracarensis, Isidorus Mercator, etc

R. *D. Ant.* Hæreticorum corrumpentium formam ordinationis *C.* servantium *N.* Eodem enim loco conjungit baptismum et ordinationem. Unde auctor illorum canonum aut confirmat potius nostram conclusionem, aut dicendum, quod erraverit cum Cypriano; hinc

Ad Conf. 1am. R. Auctoritas Cypriani in hac materia nihil habet ponderis, utpote qui docuit etiam baptismum ab hæreticis collatum nullum esse, in quo erravit.

Ad Conf. 2am. R. *N.* illam impositionem manuum non fuisse reconciliatoriam; nam 1°. Tharasius in Synodo VII. Act. 1. hanc impositionem interpretatur de simplici benedictione, qua hæretici reconciliarentur, et in acceptos ordines restituerentur. 2°. Siricius in decretis suis depromptis ex epist. 1. ad Himmerium cap. 1. (Labb. t. 2. p. 1017. A.) hanc impositionem manuum extendit ad laicos ipsos redeuntes, adeoque vult esse communem clericis et laicis redeuntibus ad Ecclesiam; ergo fuit reconciliatoria, ordinatoria enim non convenit laicis; et quidem Pontifex ibi provocat ad can. 8. Nicænum. *Quos*, inquit de Arianis, *nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in Synodo* (Nicæna, quæ ita de Novatianis can. cit. statuit) *constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens occidensque custodit.* 3°. Quia ipsa Nicæna Synodus Novatianos recepit in suis ordinibus per solam impositionem manus, ut constat ex epist. Innocentii I. 22. ad episcopos Macedoniæ (Labb. t. 2. p. 1274. D. E.); illam vero impositionem Pontifex vocat imaginem pœnitentiæ, qua admittebantur redeuntes, epist. ad Episcopos eosd. 4°. Unde

Ad auctores cit. R. *D.* Veteres docent illam impositionem fuisse ordinativam sacramentaliter *N.* non sacramentaliter *C.* Vox enim *ordinatio* apud veteres non semper consecrationem et sacramentum significat; sed sæpissime etiam benedictionem, restitutionem in dignitatem et officium cum certis insignibus traditis in signum restituti honoris, ut annulo et baculo Episcopis, etc. ut præscribit Concil. Toletanum IV. an. 633. (Labb. t. 5. p. 1714. B.) quanquam hic ritus non servaretur ubique. In eo autem sensu sumptam fuisse vocem *ordinatio*, constat 1°. quia multi Canones et Patres mentionem faciunt de ordinatione diaconissarum et similium ministrorum, ut cantorum, etc. quæ tamen ordinatio esse sacramentalis non poterat. 2°. Ipsa Nicæna Synodus *sanctiorem ordinationem* vocat eam ceremoniam, qua Meletiani in acceptis ordinibus confirmabantur. 3°. Sic Gregorius M. de quodam presbytero loquens, qui jam sacramentali ordinatione fuerat ordinatus, eum præcipit in prima, quæ vacaverit, Ecclesia ordinari. Atqui ordinationes illæ sacramentales non erant. 4°. Tharasius Act. 4. Synodi VII. distinguit impositionem manus; unam ait esse ordinationem, alteram vero benedictionem; hic vero non sumi pro ordinatione ex professo probat, ut in præcedenti dictum.

159. *Obj. VII.* Innocentius I. epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum (Labb. t. 2. p. 1269. E.) distinguit ordinationem hæreticorum ab eorum baptismo, et hunc quidem ratum habet, non illam; ergo censuit ordinationem factam ab hæretico non esse validam. *Prob. Cons.* Sic enim ordinationem ratam non habet, sicut ratum habet baptismum; sed

hunc ratum habet quoad characterem, nam quoad gratiam non poterat habere ratum universaliter, adultus enim hæreticus hanc non obtinet; ergo ordinationem ratam non habet quoad characterem, sive valorem.

R. *D. Ant.* Baptismum ratum habet quoad honorem et jura, non sic ordinationem *C.* ratum habet baptismum quoad characterem, et non sic ordinationem *N.* Innocentius hic nec de gratia, nec de charactere loquitur; sed solum de juribus, honore utriusque sacramenti; nam in decretis Innocentii hujus capitis est hic titulus: *Quod Arianorum clerici non sint suscipiendi in suis officiis;* ideoque in cit. epist. aperte honorum et dignitatum mentionem facit. Nimirum baptizatus in hæresi juxta Pontificem, cum reconciliatur Ecclesiæ, baptismi honoribus et juribus gaudet; e contra ordinatus in hæresi ordinum suorum honoribus et juribus juxta severiorem Ecclesiæ disciplinam excidit; quanquam etiam hoc nec semper, nec ubique observaretur, juxta eumdem Pontificem epist. 22. ad episcopos Macedoniæ referens exempla Anysii Thessalonicensis, qui Bonosianos sine dignitatum jactura susceperat; et Concilii Nicæni, quod sic Novatianos suscipi decreverat; et fecerant ob necessitatem Episcopi Macedoniæ.

160. *Inst.* 1. Mens Innocentii I. universim erat ordinatos in hæresi non esse suscipiendos in suis ordinibus sine iterata ordinatione sacramentali; ergo. *Prob. Ant.* 1°. In epist. 21. ad Marcian. opponit ordinatos a Bonoso ante suam damnationem illis, qui a Bonoso erant post damnationem ordinati; de prioribus enim inquit eos in suis ordinibus sine iterata ordinatione suscipi; ergo posteriores censet non esse suscipiendos sine ordinationis iteratione; alias enim inter eos nullum fuisset discrimen. 2°. In epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ dicit hæreticos per impositionem manus in sua ordinatione suis non nisi vulnus infligere. 3°. In hæresi ordinatos nihil accepisse ab ordinante.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D. Ant.* Opponit ordinatos a Bonoso ante ejus damnationem ordinatis ab eo post illam quoad iterationem ordinationis *N.* quoad susceptionem in ordinibus *C.* Juxta legem Ecclesiæ Romanæ tunc temporis, ad quam Pontifex in hac epistola provocat, clericis ab hæresi redeuntibus non concedebatur clericatus et ordinis honor; illa vero lex quomodo intelligenda sit, declarat, nimirum solum de iis, qui ordinati essent in ipsa hæresi. *Nostræ,* verba sunt Pontificis epist. 22. (ibid. p. 1274. B.) *lex est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis... per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem; nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.* Ergo Pontifex solum agit de ordinum honoribus concedendis, vel non.

Ad prob. 2am. R. *D.* Non nisi vulnus infligere, quia scienter se ordinari faciens in hæresi vel ab hæretico non obtinet gratiam sacramenti, et de novo graviter peccat *C.* quia non recipit characterem *N.* Vulnus illud peccatum est, cum quo vulnere stat character in homine, imo in damnatis; non enim character, sed gratia opponitur peccato.

Ad prob. 3am. R. *D.* Nihil accepisse quoad sacramenti gratiam vel quoad ordinis accepti dignitatem et usum *C.* secus *N.* Sic enim contextus habet: *Sed contra asseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere,*

acquiescimus, et verum est; certe qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit; et qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.

161. *Inst.* 2. Quæstio inter Innocentium et saltem episcopos Macedoniæ non erat, essentne ordinati a Bonoso damnato suscipiendi simpliciter cum honore et usu ordinis, sed an essent de novo ordinandi? ergo Pontifex non potest explicari de honore ordinis, sed ipsa ordinatione. *Prob. Ant.* Episcopi Macedoniæ fecerant id, quod Anysius Thessalonicensis; ad hujus enim exemplum provocaverant: atqui hic ordinatos a Bonoso ante susceptionem ordinaverat; hoc enim testatur Innocentius in hac epist. voluisse eum, in Synodo Capuana ut ordinati reciperentur; ergo dum Pontifex hortatur illos Episcopos, ne clericos Bonosianos recipiant, vult eos non ordinari de novo in pœnam.

R. *N. Ant. et prob. min. Ad hujus prob.* R. 1°. posse explicari de ordinatione reconciliatoria.

R. 2°. directe ad sensum historiæ *D.* Ut ordinati reciperentur, hoc est, qui jam ordinati erant, et quomodo erant ordinati, sive in gradu et ordine a Bonoso jam accepto *C.* ut de novo ordinati reciperentur *N.* Nam apud Justellum pag. 209. non habetur, *ut ordinati,* sed *si ordinati*; unde colligitur sermonem esse de ordinatione jam accepta, et ratio porro est, quia Anysius in Synodo Capuana iterationem ordinationum coram omnibus proscripserat.

162. *Inst.* 3. Ad quid igitur ita disputasset Innocentius cum Macedoniæ Episcopis, si solum fuisset quæstio de usu ordinum, non de charactere? constat enim omnibus, ab hæreticis legitimum usum ordinis dari non posse; ergo quæstio erat de ordinis valore, vel charactere.

R. Constabat usum illum dari ab hæreticis non posse; neque hoc disputabatur; sed illud solum, an, cum usum legitimum non haberent, essent nihilominus redeuntes ab hæresi permittendi obire suorum ordinum ministeria? Affirmabant Episcopi nixi exemplo Synodi Nicænæ et Anysii, cujus ratio fuerat in Synodo Capuana apud Innocent. epist. cit. ut ea facilitate *tolleretur scandalum.* Negabat Innocentius, volens illos adigi ad pœnitentiam, quæ erat, ut ordinati a Bonoso post damnationem susciperentur quidem in Ecclesiam, sed ut sine honore ordinum et officio ad communionem laicam retraherentur; proinde hortabatur illos Episcopos, ne ex Anysii exemplo regulam facerent, scilicet severus disciplinæ exactor.

163. *Obj. VIII.* Urbanus II. videtur aperte aut declarare, aut supponere ordinationem acceptam ab hæretico, schismatico, vel simoniaco non valere etiam in ratione sacramenti et characteris; ergo. *Prob. Ant.* 1°. In epist. 17. ad Præpositum S. Juventii (Labb. t. 10. p. 441. A.) de schismaticis et hæreticis nondum ab Ecclesia separatis ait: *eorum ordinationes, et reliqua sacramenta sancta et veneranda esse*; de separatis ab Ecclesia e contra asserit, eorum sacramenta *formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere juxta Patrum traditiones, Gregorii, Cypriani, Augustini.*

Deinde ibid. discrimen facit inter hæreticorum baptismum et ordinationem; priorem ait ratum esse propter necessitatem ejus, juxta doctrinam S. AUGUSTINI, secus esse de aliis sacramentis non ita necessariis, ut ordinatione. *Prob.* 2°. In epist. ad Petrum Pistoriensem, et Rusticum Abbatem Vallis-Umbrosæ, ut refertur a GRATIANO caus. 1. q. 7. can. 24. de Nezelone simoniaco, qui Daibertum ordinarat diaconum, diserte ait Pontifex juxta decreta Innocentii Papæ, Nezelonem simoniacum, ab hæretico ordinatum, *quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit. Nos igitur tanti Pontificis, Innocentii, auctoritate firmati, et Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait: Reiterari oportet, quod male actum est, Daibertum ab hæreticis corpore et spiritu digressum, atque utilitatibus Ecclesiæ pro viribus insudantem, ex integro, Ecclesiæ necessitate ingruente, diaconum constituimus: quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii rationem; quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit;* ergo.

R. *N. Ant. Ad. prob.* 1am. R. *D.* Eorum, qui ab Ecclesia nondum separati sunt, ordinationes et sacramenta sancta et veneranda esse, hoc est, admittenda; item sancta ex parte innocenter suscipientis, et fructuosa, quia huic non obstat improbitas ministri *C.* sancta et veneranda ex parte ministri improbi *N.* Constat ex scopo Pontificis; decernit enim cuique licere accedere ad sacramenta improborum, quamdiu non sunt separati ab Ecclesia, scilicet per se loquendo; hoc autem nunquam licere, si sunt separati. Item, sacramenta eorum, qui separati sunt, tantum formam habere sacramentorum *C.* tantum externam speciem; vel meram apparentiam, sine sacramento in re *N.* Sic etiam S. Leo ait baptismum ab hæretico collatum tantum habere *formam* baptismi, quem tamen declarat validum caus. 1. q. 1. can. 51. imo ideo vult baptismum non iterandum, quia *formam* baptismi habet; id est, substantiam. Ita Urbanus hic vocem *forma* sumit. Et ratio est, quia Urbanus ait, se ea in re Augustini, Gregorii, Hieronymi sequi decreta; sed hos Patres hæreticorum ut baptismum, sic ordinationem admisisse nemo dubitat.

Ad prob. 2am. R. *N. Cons.* Loquitur enim de ordine duntaxat quoad executionem ejus, usum, honorem. Interim contra utrumque juxta ordinem.

164. *Inst.* 1. URBANUS in epist. 17. ad Præpos. S. Juven. cit. Augustini quidem probat et sequitur sententiam, sed tantum quoad baptismum, quia hic est prior sacramentis cæteris et summe necessarius; ergo licet juxta Urbanum valeat baptismus hæreticorum, non tamen ordinatio. *Prob. Ant.* Ait enim illo loco solum baptisma esse ratum apud hæreticos; ergo.

R. *D. Ant.* Quoad baptismum tantum cum fructu suscipiendum ab hæreticis, nimirum in necessitate *C.* quoad substantiam baptismi *N.*

Ad prob. D. Solum baptisma esse ratum, hoc est, solum sacramentum baptismi posse ab hæreticis fructuose suscipi, ut in necessitate *C.* solum esse ratum quoad substantiam sacramenti *N.* Quæstio enim erat, an liceret aliquando suscipere sacramenta ab hæreticis, et an sic susciperentur cum fructu? Negaverat utrumque Cyprianus simpliciter, ut aliunde constat; Augustinus vero constanter asserebat in baptismo hæreticorum imprimi characterem; et in casu necessitatis etiam, cæteris paribus, dari gratiam, ut si parvulus, vel adultus recte dispositus in periculo mortis ab iis baptizetur.

Hinc, quia de fructu sacramentorum erat quæstio, ait Urbanus, se Augustini sequi sententiam, solum baptismum apud hæreticos ratum esse, scilicet quoad fructum; quia revera ex omnibus sacramentis solus baptismus potest ab hæreticis cum fructu percipi in necessitate, sic volente Christo ob baptismi maximam necessitatem ad salutem, qualis non est in sacramentis cæteris.

165. *Inst.* 2. Sed Urbanus quoad alia sacramenta S. Cypriani sententiam approbare videtur; ergo hæc censet esse nulla quoad substantiam. *Prob. Ant.* Inquit enim universim sacramenta collata ab iis, qui separati ab Ecclesia sunt, solum habere formam juxta traditiones Patrum Gregorii, Cypriani, etc.: atqui Cyprianus dicebat constanter esse nulla simpliciter et omni modo; ergo.

R. *D. Ant.* Videtur approbare S. Cypriani sententiam ex parte *C.* ex toto *N.* In eo solo approbat S. Præsulis hujus sententiam, quod baptismum extra necessitatem ab hæretico non possit quis suscipere etiam fructuose, quantum ad gratiam; non vero approbat quoad alia, ut quod extra necessitatem non imprimat characterem, in necessitate vero nec gratiam conferat, nec characterem, quæ erat Cypriani sententia de hoc sacramento et reliquis.

166. *Inst.* 3. At saltem Urbanus in epist. ad Petrum Pistoriens. et Abbatem Vallis-Umbrosæ de substantia sacramenti et charactere loquitur; ergo. *Prob. Ant.* Ait enim simpliciter Daibertum nihil accepisse a Nezelone, cum hic simoniacus nihil habuerit, quod dare potuisset, ex decreto Innocentii Papæ.

R. *N. Ant. Ad prob. D.* Nihil accepisse quoad substantiam sacramenti, vel characterem *N.* Nihil juris, vel potestatis legitimæ exequendi ordinem, in eo ministrandi *C.*

167. *Inst.* 4. Urbanus cit. epist. dicit, sequi se Damasi sententiam de Chorepiscopis, qui, licet non essent Episcopi consecrati, presbyteros tamen ordinare præsumpserant: atqui cum Damasus illorum ordinationes declaravit nullas, id certe quoad earum substantiam intellexit; ergo etiam Urbanus hic.

R. *D. Maj.* Dicit sequi se Damasi sententiam ex aliqua parte, et in uno sensu *C.* omni *N.* Nimirum Damasi erat hæc sententia generalis: *Reiterari oportet, quod male actum est.* Hæc vero sententia pro varietate subjectæ materiæ varie accipitur; et quidem hic potest sumi dupliciter 1°. de ordine quoad ejus substantiam, characterem, et simul jus illum exequendi; 2°. de solo jure illum exequendi. Damasus autem hanc sententiam applicabat ad Chorepiscopos; qui cum veri non essent, nec sacramentum ordinis, nec facultatem ordinem exequendi conferre poterant; ideoque illa sententia Damasi juxta ejus mentem et de ordine quoad substantiam, et quoad illius executionem debet intelligi; Urbanus e contra illam sententiam adhibet ad simoniacos, qui cum essent consecrati Episcopi, sacramentum ordinis quidem conferre poterant, et characterem imprimere; sed potestatem legitimam collatum ordinem exequendi dare non poterant; ideoque juxta Urbani mentem dicta sententia de sola executione ordinis debet accipi, et

applicari hoc modo : male actum est, cum Nezelo simoniacus Daiberto dedit facultatem exequendi suum ordinem; hanc enim Nezelo amiserat in pœnam, et proinde juxta Innocentium dare non poterat, quod non habebat; ergo hoc, quod male actum est, et in Daiberto reiterandum est; sive de novo illi conferenda facultas est ordinem exequendi.

168. *Inst.* 5. Hoc est vim inferre verbis Pontificis, cum sine fundamento sic Urbanus explicetur; ergo.

R. *N. Ant.* Nam postquam Urbanus citasset illam sententiam Damasi, et dixisset : *Nos igitur tanti Pontificis... Daibertum ex integro diaconum constituimus*; immediate subdit : *quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii dationem.* At vero debuisset dicere reiterationem, si ordo collatus Daiberto fuisset nullus quoad substantiam.

169. *Inst.* 6. Sed Pontifex ait se de integro Daibertum diaconum constituere, item integrum dare diaconium; ergo nihilominus videtur eum de novo consecrasse.

R. *N. Cons.* Ideo enim ait se dare diaconatum integrum, vel, de integro Daibertum diaconum constituere, quia dabat facultatem ordinem exequendi; quæ erat complementum ordinis accepti; nam ante hanc facultatem ordinem habebat quoad substantiam, sed non quoad integritatem sive complementum; deerat enim adhuc facultas exequendi. Ratio est, quia ait se id non existimare reiterationem.

170. *Inst.* 7. Pontifex per integram diaconii dationem potius novam intelligit collationem ipsius ordinis; ergo. *Prob. Ant.* Immediate enim hanc subjungit causam : *qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

R. *N. Ant. Ad prob. D.* Qui nihil habuit, nihil dare potuit, qua parte nihil habuit *C.* secus *N.* Simoniacus habet potestatem ordinis et characterem, non autem potestatem exequendi, quia ipso jure, juxta canones, in pœnam tanti sceleris suspensus est, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 6. ad 1. *Qui simoniace recipit ordinem, recipit quidem characterem ordinis propter efficaciam sacramenti; non tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem, eo quod quasi furtive suscipit contra principalis Domini voluntatem, et ideo est ipso jure suspensus,* etc. Dat igitur simoniacus, quod habet, scilicet characterem; non autem executionem ordinis, quam ipse non habet.

171. *Obj. IX.* 1°. Ebbo Rhemensis in Synodo Suessionensi II. sub Leone IV. an. 853. et sub Ludovico imperatore, cui infensus erat, depositus, imo accedente Sergii Pontificis confirmatione in laica communione detentus, postea vero Lotharii imperatoris opera sedi restitutus plures habuit ordinationes : sed iterum a sede dejecto Hincmarus ab episcopis Gallicanis suffectus est; sed hic in Conc. Suession. cit. Act. 4. et 5. approbantibus plerisque Episcopis ordinationes Ebbonis declaravit absolute nullas, et ab Ebbone ordinatos nihil ab eo præter damnationem recepisse. 2°. Pelagius Papa apud Morinum Exercit. 5. cap. 1. ait : non est verum corpus Christi, quod schismaticus conficit. 3°. Græci recentiores ordinationes hæreticorum de novo et vere iterandas esse definiunt; ut testatur Balzamon L. 5. qui simul refert id factum

a Græcis antiquis. 4°. Gregorius Nazianz., relatus a Gratiano Caus. 1. q. 1. can. 2. simoniace ordinatum ait in sacro ordine nulla ratione permanere posse, quia hunc vendidit, et *nemo retinere potest, quod vendidit*. 5°. S. Leo relatus a Gratiano ibid. can. 1. *Gratia,* inquit, *si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est; simoniaci autem,* etc. *Quid ergo dant? quod habent; quid autem habent? spiritum utique mendacii.* Ergo præter hunc etiam nihil conferunt.

Ad 1um. R. Historia Ebbonis potius conclusionem confirmat; omnia enim, quæ in eo Concilio acta fuerant, improbata fuere a Nicolao I. et rescissa; hujus jussu congregatum fuit Conc. Suessionense III. quod ordinatos ab Ebbone dignos pronuntiat, qui suis gradibus restituantur, definitivo judicio reservato Pontifici Nicolao I. qui datis litteris ad Patres Concilii et Hincmarum edicit injuste depositos clericos, et Ebbonem immerito dejectum. Hincmari vero fraudem et versutias reprimit, et severe reprehendit. Nicolao successit Adrianus II. qui scribens ad Synodum Tricassinam acta Nicolai ea in causa confirmavit.

Ad 2um. R. *D.* Non est verum corpus Christi quoad significationem mysticam, quia significat unitatem *C.* non est verum in substantia et re *N.* Similia plura habet Leo M. epist. ad Anatolium. Item Algerus L. 5. de sacram. Corp. et Sanguinis Christi.

Ad 3um. R. 1°. Recentiores Græci, schismate divulsi ab Ecclesia, auctoritatem non habent, nec merentur; sique ordines reiterent, id contra majorum suorum dogma perverse faciunt. Balzamonis auctoritas, utpote etiam schismatici, levis est.

R. 2°. etiam *D.* Refert id factum a Græcis antiquis ordinatione non sacramentali *C.* sacramentali *subd.* Si iterandus erat baptismus, ex defectu legitimæ formæ ab hæretico ante invalide collatus *C.* secus *N.* Duæ olim erant classes hæreticorum; *prima* eorum qui recipiebantur reiteratione baptismi, quia fuerat nullus defectu formæ; *secunda* eorum qui per solam unctionem admittebantur, juxta Concilium Constantin. I. can. 7. Postea accessit *tertia* eorum, qui nuncupata tantum professione Catholicæ fidei recipiebantur, ut constat ex S. Gregorio L. 9. epist. 61. et antiquis Græcorum Euchologiis; igitur si aliter hodie agant Græci, a majoribus suis recedunt.

Ad 4um. R. 1°. Ea verba nullibi reperiri in S. Gregorio Nazianzeno, ac proinde huic immerito a Gratiano tribuuntur; cujus vero sint, incertum est.

R. 2°. Etiam commode exponi possunt de ordine quoad executionem.

Ad 5um. R. 1°. Neque hæc verba in operibus S. Leonis ullibi reperiri.

R. 2°. Quiscumque auctor sit, loquitur de gratia sanctificante, quæ utique in ordinatione simoniaca non obtinetur. Dum igitur ait dari spiritum mendacii, gratiam vult duntaxat excludere, cui illum opponit.

ARTICULUS X.

DE SUBJECTO ORDINATIONIS.

172. Ex hæreticis antiquis Marcum e Gnosticorum grege mulieribus potestatem fecisse Eucharistiæ consecrandæ testatur IRENÆUS L. 1. cap. 9. Montanistæ, qui et Pepuziani, Cataphryges, Priscilliani nominati sunt, non tantum diaconissas, sed etiam presbyteras, imo episcopas ordinabant, ut videre est apud EPIPHANIUM Hær. 49. et 79., AUGUSTIN. de Hæresib. cap. 27. Apud Collyridianos mulieres quolibet anno ac certa die B. Mariæ Virgini sacrificium, ac placentas offerre consueverant. EPIPHAN. Hær. 79. Ex Catholicis Doctoribus infantes esse incapaces ordinis censuit Durandus, et Tournely : invitum valide ordinari docuit Morinus, Vanroy cum paucis aliis.

173. *Dico I.* Subjectum capax ordinationis est solus, et omnis mas baptizatus.

Prob. 1ª. *p.* de solo masculo ex Script. Apostolus 1. Cor. 14. *Mulieres*, inquit, *in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe enim est mulieri loqui in Ecclesia.* Idem 1. ad Tim. 2. dicit : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Ex quibus satis patet, mulierem in nullo gradu ecclesiastico esse posse; qui enim constituti sunt in gradibus ecclesiasticis, his competit docere, loqui in Ecclesia, et habent auctoritatem et præeminentiam in alios; Apostolus vero hæc negat mulieri, eam in statu subjectionis collocans.

Conf. Ex Traditione. A Christo enim qui in ultima Cœna nequidem sanctissimam Matrem suam, sed solos viros ordinavit, usque nunc nulla unquam mulier sive ab Apostolis, sive eorum successoribus ordinata fuit sacramentaliter. Imo sive naturæ legem spectemus, sive mosaicam, nulla unquam occurret mulier, quæ sacerdotio functa fuerit : Ecclesia autem insuper tanquam hæreticos semper habuit eos, qui sacerdotium mulieribus conferebant. Ut ratio est; quia ordo, ex dictis, superioritatem et eminentiam importat; mulier vero statum subjectionis habet; *vir caput mulieris est*, ad Ephes. 5. non illa viri. Præterea ita condita est mulier, ut conveniens non sit ejus verecundiæ, fragilitati, etc. publice in Ecclesia ministeria habere; sacris altaribus adstare.

Ex his sequitur, nequidem tonsuram posse recipi valide a muliere, quia est præparatio ad ordines ecclesiasticos; igitur cum jure divino sit incapax ordinis, tanquam formæ, etiam incapax censeri debet dispositionis ac præparationis ad formam. Eodem modo hermaphroditus repelli debet ab ordinibus, si in eo sexus femineus prævaleat. Navarr. L. 1. Consil. Cons. 8. et alii. Plura de his Theologi morales.

Prob. 2ª. *p.* de masculo quolibet baptizato. INNOCENT. III. Unic. de Clerico per saltum promoto, consultus, quid agendum esset de clerico, qui minoribus ordinibus infra annos discretionis receptis, postea prætermisso dia-

conatu ordinatus erat in sacerdotem, jubet ordinari in diaconum, nulla mentione facta aliorum ordinum; ergo censebat hos valide collatos fuisse, ac proinde infantes esse capaces ordinis. Idem docet Benedictus XIV. t. 1. Bullarii sui in Instruct. super dubiis ad Rit. Ecclesiæ; valide ordinari infantes, licet illicite. Et ratio ex D. Thoma in 4. Dist. 25. q. 1. a. 1. est: quia sacramenta, quæ non in actu, sed potestate consistunt, absque suscipientis actu et consensu conferri possunt ex parte infantium: atqui ordo non consistit in actu, sed potestate, ut patet ex illius definitione; ergo. *Prob. Maj.* Potestas præcedit actum, atque ab hoc est independens, sicut causa præcedit effectum, nec ab eo dependet; sic ideo Baptismus et Confirmatio sine aliquo actu parvuli baptizandi, aut confirmandi dari possunt; ergo. Quod tamen non valet de sacramentis Pœnitentiæ et Matrimonii, quia horum sacramentorum essentia per actus proprios suscipientium constituitur. Porro exempla infantium ordinatorum plura Morinus affert p. 3. de sacram. ordinat. Exercit. 5. Martenius L. 1. de antiquis Ritib. cap. 8. a. 3.

Excipit S. Thomas q. 39. a. 2. item S. Bonavent. q. 2. a. 2. episcopatum. Ratio S. Thomæ est, quia in episcopatu traditur potestas in corpus Christi mysticum, quæ sine pastorali cura esse non potest, et hæc sine acceptantis actu nequit intelligi. Ratio S. Bonav. vero, quia per episcopatum contrahitur spirituale matrimonium inter Episcopum et Ecclesiam, ad quam consecratur; matrimonium autem spirituale est suo modo, sicut carnale, quod sine contrahentis consensu nullum est. Verum nihilominus idem sentiendum est de episcopatu, quod de sacerdotio respectu infantis, nam in episcopatu duo distingui debent, potestas, et velut habitus exercendi actus episcopales; deinde actus suscipientis pastoralem curam animarum, et Ecclesiæ, quacum contrahit spirituale matrimonium. Ad hoc posterius requiritur actus, vel consensus Episcopi; non ad primum; sumendo enim episcopatum pro potestate et velut habitu, non magis repugnat infantem fieri Episcopum, quam confirmari, quam habere fidem, charitatem, cujus nondum possit exercere actus; sicque explicandus est Doctor Angelicus cum D. Bonaventura.

Eadem est ratio de perpetuo amentibus, quæ de infantibus, quibus æquiparantur; unde etiam sicut infantes baptizari possunt. Dixi: *perpetuo amentibus*: nam de amentibus aliis, qui ante amentiam habuerunt rationis usum, distinguendum est: vel enim, antequam in amentiam inciderent, contestati sunt, se nunquam velle ordines suscipere; vel istos petierunt; vel neque petierunt, neque positive renuerunt. Si primum; nec valide ordinantur; quia intentionem positive oppositam, quam habuerunt, adhuc habere censendi sunt; et si hoc dici debet de baptismo, ac fortiori de ordine. Si secundum; affirmative concludendum est propter rationem oppositam. Si tertium; Cajetanus sentit ordinationem valere; quia in cap. *Majores*, de baptismo dicitur: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obsistentem.* Atqui in illis, qui nec petierunt, nec renuerunt, non invenitur obex contrariæ voluntatis obsistens; ergo. Sed tenenda est communis Doctorum sententia, ordinationem in hac hypothesi non valere; quia tales amentes non debent absolute considerari ut infantes; sed computandi sunt cum adultis, in quibus propterea aliquis actus, vel consensus positivus esse debuit.

Unde ad rationem Cajetani R. *N. min.* Nam per *obicem voluntatis contrariæ* non tantum dissensus positivus ; sed etiam sola carentia consensus debet intelligi ; quia Innocent. III. cit. cap. non tantum exigit, ut recipiens non habeat positivum dissensum ; sed expresse aliquem positivum consensum, saltem perseverantem requirit : duo enim ibi definit : dormientes et amentes non recipere characterem, si ante habuissent propositum contrarium : et contra : eos recipere, si habuissent tale propositum ; ait enim : *Secus autem si prius catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi*, hoc est baptismum suscipiendi. Ergo cum immediate inferat : *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obsistentem*, per obicem contrariæ voluntatis non tantum positivum dissensum intelligit, sed etiam solam carentiam consensus ; huic enim consensus positivus opponitur, quem Pontifex expresse requirit. Unde summarius sensus verborum Innocentii est is : cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obsistentem, sed voluntatem in consensu perseverantem. Et vero alias inepta esset Innocentii illatio : *Tunc ergo*, etc. quia non responderet duobus membris præcedentis ejus definitionis, ex quibus tamen deducta est.

Dixi in concl. *baptizatus*. Ex communi enim sensu Ecclesiæ, SS. Patrum et Theologorum baptismus janua et fundamentum est aliorum sacramentorum, sive ut ait Eugenius IV. in Decreto : primum *omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi, et de corpore efficimur Ecclesiæ*. Sed sine janua non intratur ; nec sine fundamento superædificatur. Deinde baptismus est nativitas spiritualis juxta Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, et juxta S. Thomam 3. p. q. 72. a. 6. Sicut ergo, qui corporaliter natus non est, nullius actionis aut passionis est capax secundum corpus : ita qui spiritualiter regeneratus non est, nihil potest agere, vel recipere secundum spiritum. Unde c. *Si quis*, de presbytero non ordinato dicitur : *Si quis presbyter ordinatus deprehendat se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur*. Idem definit Innocent. III. c. *Veniens*, ibid. Et olim Nicænum I. statuerat can. 19. jubens Paulinianistas, qui non servabant formam baptismi, rebaptizari, et ab iis ordinatos reordinari.

174. *Dico II.* Absolute inviti ordinatio omnino invalida est.

Prob. Innocent. III. cap. *Majores*, de Baptismo, expresse definit, quod *ille, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipiat sacramenti*. Quod magis quidem de ordine, quam de baptismo, de quo quærebatur, affirmari debet ; cum baptismus sit ad salutem absolute necessarius, non sic ordo ; et ex alia parte graviora onera sint annexa ordini : quanquam in eod. cap. explicite id etiam de ordine dicat, cum eorum asserat esse refellendam sententiam, qui dicunt, quod *sacramenta, ut baptismus et ordo, non solum dormientibus et amentibus ; sed invitis, et contradicentibus ; etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferantur*. Vid. Tr. de sacrament. in genere cap. 2. art. 8.

175. *Obj. I. cont. concl.* 1am. Inter Leonem IV. et Benedictum II. femina quædam, nomine Joanna, fuit ordinata in Pontificem ; ergo. *Prob. Ant.* Hoc

enim testantur plures Doctores Catholici, qui id scriptis suis tradiderunt, ut 1°. Marianus Scotus in Chronico Francofurti edito, in quo inquit : *Leo Papa obiit calendis Augusti; huic successit Joanna mulier,* etc. 2°. Sigebertus in Chronico ad annum 854. 3°. Martinus Polonus. 4°. S. Antoninus p. 2. Chronic. tit. 16. cap. 1. Platina L. de Vitis Pontificum, in Joanne VIII. *Conf. ex aliis monumentis :* 1°. Ex statua marmorea præferente mulierem cum infante, quæ posita erat ad viam, in qua Joanna peperisse dicitur, quam statuam tandem Sixtus V. jussit dejici. 2°. Simile simulacrum inter Romanorum Pontificum statuas Senis in majori templo collocatum erat, et perstitit usque ad Clementem VIII. 3°. Pontifices hodiedum adhuc, dum in Lateranum se conferunt, declinant illam viam, in qua Joanna pepererat, licet sit brevior; nimirum ex detestatione turpissimi illius facti.

R. 1°. Si hæc vera essent, maximus quidem error contigisset; decepti fuissent electores et episcopi illam consecrantes; sed nihil in ordinatione contulissent; decepta etiam fuisset illa mulier, quæ sexum mentiens nihil recepisset. Sed

R. 2°. *N. Ant.* quod est merissima fabula (vid. ap. Labb. t. 8. p. 154. et seqq. opusculum cui titulus : Cenotaphium Joannæ papissæ nuper ab heterodoxis... ex Utopia in Europam revocatæ, eversum funditusque excisum demonstratione chronica ineluctabili). *Primo;* quia inter Leonem IV. et Benedictum III. neminem mortalium tenuisse Sedem Romanam tradiderunt omnes Scriptores antiqui et coævi, Lupus Ferrariensis epist. 103. ad Benedictum III., Ado Viennensis in Chronico ad annum 855., Anastasius Bibliothecarius in vita ejusdem Benedicti, Annales Bertiniani ad an. 855., Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis, qui epist. 26. refert se misisse legatos ad Leonem IV. qui, cum audiissent in itinere, eum obiisse, iter tamen perfecerunt, et a Benedicto ejus successore rescripta obtinuerunt. *Secundo;* quia ipsi hostes Romanæ Ecclesiæ et Romanorum Pontificum, Benedictum III. Leoni IV. immediate successisse fatentur, ut Blondellus Minister Calvinianus in Dissertatione, quam ea de re habuit, fabulam eam vocat. Photius L. de Spiritus sancti processione contra Latinos; item Metrophanes Smyrnensis post Leonem immediate in serie Romanorum Episcoporum Benedictum collocant. *Tertio;* quia Scriptores, qui hanc fabulam referunt, inter se ipsos pugnant : nam Martinus Polonus feminam illam vocat Joannem Anglicum, et natam ait Moguntiæ, quæ tamen urbs Germaniæ est; alii dicunt natam in Anglia, sed a parentibus Moguntinis. Platina e contra natam Moguntiæ, sed ex parentibus Anglis. Magdeburgenses solum in Anglia educatam fuisse contendunt. Taceo id genus contradictiones alias, quibus abundat ea fabula; cum et hostes Romanæ Ecclesiæ ipsos pudeat porro istius meminisse.

Ad prob. Antec. R. *D.* Ita tradiderunt partim decepti, partim ex vindicta in Romanum Pontificem; partim quod alii interpolarint, et hac fabula depravarint eorum scripta; partim dubitanter ita tradiderunt *C.* secus *N.* Responsio patet ex subjectis. Nam, quantum ad Marianum Scotum, non reperitur ea fabula in codicibus ejus antiquioribus, ut testatur, qui Coloniæ 1574. typis edidit, et notis illustravit Metropolim Alberti Kranzii. Similiter in Sigeberti Chronico autographo, quod asservatum in monasterio Gemblacensi in quo Sigebertus monachum egerat, et testatur Joannes Molanus Doctor Lovaniensis, non extat illa fabula, sed addita est Sigeberti Chronico aliena

manu. Item non reperitur in codice manuscripto Martini Poloni Bibliothecæ Vaticanæ, ut testatur Leo Allatius : pariter in quodam codice, qui servatur in Anglia, solum in margine legitur ea narratio, et descripta aliena manu, diciturque Joannam puellam petiisse Athenas, ut litteris vacaret, ibi biennio docuisse, et postea communi suffragio fuisse electam in Pontificem et effectam gravidam, quæ nemo non fabulosa videt; verius igitur dicendum superest, ipsius codicem fuisse corruptum. S. Antoninus vero ab interpolatoribus Martini Poloni deceptus fuit, quos descripsit; eadem enim verba, quæ illi, habet. Deinde refert illa dubitanter; ait enim : *si verum fuit, quod vulgo dicitur,* etc. Platina non est audiendus : conjectus fuerat a Paulo II. in carcerem; et indignationem suam in Romanos Pontifices exercere aliquando voluit : imo et ipse rem assertive non profert ; sed dicit : *hæc, quæ dixi* (de Joanna Papissa), *vulgo circumferuntur, incertis tamen et obscuris auctoribus.*

Ad Conf. R. Ex his monumentis plane nihil evinci; nam primo statua illa Romana nec mulierem repræsentabat, nec infantem, sed puerum jam grandiorem, vel juvenem, ut observarunt rei antiquariæ periti, inde colligentes, per statuam illam vel numen quoddam gentilium, vel sacerdotem ethnicum designari cum ministro; præsertim quod altera manu palmæ ramum deferret, quod nunquam fuit insigne Romanorum Pontificum. Sublata vero fuit ea statua a Sixto V. non ad delendam memoriam Joannæ Papissæ, quasi ea aliquando egisset Pontificem; sed ut viam eam faceret rectiorem et majorem ad ornamentum Urbis, sicuti plures alias fecerat. *Secundo* statua Senensis equidem Papissam referebat, sed hoc aut Senensium, aut sculptorum licentiæ tribuendum, vel errori. Denique tota fabula originem traxisse videtur, ait Henno, a Joanne XII. apud quem magna pollebat gratia femina quædam, Joanna nomine, ut ejus auctoritate multa faceret Pontifex; quam proinde vulgus Papissam vocabat; sicque tandem crescente sensim fama, ut fit, ab aliis ex errore inter Papas numerata fuit.

176. *Obj. II.* Mulieribus convenire potest jurisdictio ; ergo. *Prob. Ant.* Abbatissa monasterii fontis Ebraldi in Gallia dicitur etiam sui ordinis monachis præesse, inque eos exercere jurisdictionem. Abbatissa de Brubrige canonicas suas et clericos suæ jurisdictioni subjectos propter eorum culpas officio et beneficio suspendit, ut colligitur ex c. *Dilecta,* de Majoritate et Obedientia; ergo etiam ordinis capaces esse possunt. Adde : mulieres possidere beneficia ecclesiastica; instituere clericos in beneficiis; lectiones publice in Ecclesia recitare; psallere in choro.

R. *D. Ant.* Jurisdictio ecclesiastica *N.* politica et civilis *C.* Datur hæc subinde mulieribus in defectu hæredum masculorum. Olim etiam Debora ex commissione extraordinaria habuit.

Ad prob. R. *D.* Dicitur præesse dominio œconomico *C.* jurisdictione ecclesiastica proprie dicta, et alicujus ordinationis virtute ipsi communicata *N.* Alias posset etiam excommunicare, suspendere, aliasque censuras ferre in personas sibi subditas, quod falsissimum est. Item, abbatissa de Brubrige clericos suspendit facto et irrito effectu *C.* jure *N.* Unde Honorius III. cap. *Dilecta* cit. abbati de S. Michaele Abradensi scribit, ut ipse clericos censuris ecclesiasticis ad reverentiam Prælatæ debitam compellat; *ne iidem confisi ex eo, quod eadem abbatissa eos excommunicare non possit, eorum excessus rema-*

neant incorrecti. Unde patet mulieri concessum non esse, ut excommunicationem ferat, et ita suspendat, ut inducatur irregularitas, sed hoc abbati commissum esse, et in abbatissa fuisse solam præcipiendi facultatem.

Quod vero beneficia ecclesiastica possideant; tantum probat, Ecclesiam ex bonis suis potuisse illis aliquid, unde viverent, largiri. Clericos aliter in beneficiis non instituunt, quam eos præsentando, vel nominando, cujus juris etiam laici capaces sunt. Lectiones recitant, in choro psallunt, non tanquam publici ministri in Ecclesia, sic, ut testatur Philo Hebræus L. de Vita contemplat. olim alternis choris cantabant viri ac mulieres in Ecclesia Alexandrina; nec mulieres illæ aliquam acceperant ordinationem: quem ritum postea in Sabellio et Pelagio damnavit Ecclesia, ut legitur in Hier. L. 1. adversus Pelagianos; eumque reprobavit in sanctimonialibus Innocentius II. in Concil. Rom. can. 17. *ne* scilicet, *sanctimoniales simul cum canonicis, vel monachis in Ecclesia in uno choro conveniant ad psallendum*: quem canonem refert Gratianus caus. 18. q. 2. c. *Perniciosum.* Sic etiam hodie laici in templis cantant, et presbytero celebranti inserviunt.

177. *Obj. III.* Erant olim in Ecclesia episcopæ, presbyteræ, diaconissæ; ergo.

R. *D. Ant.* Sic dictæ, quia erant ordinatæ sacramentaliter *N.* alio in sensu *C.* Sic enim vocabantur, quia erant uxores eorum, qui ad episcopatum, presbyteratum, diaconatum assumebantur; hocque sensu eas ita vocat Conc. Turonense II. can. 13. (Labb. t. 5. p. 855. C. D.) Antissiodorense can. 21. (ibid. p. 959. D. E.) Romanum anno 721. cap. 1. (ibid. t. 6. p. 1456. C.) Tenebantur autem vel religiosam professionem emittere in monasterio, vel, si manere vellent in seculo, vovere castitatem, uti præscribunt Concil. Antissiodor. et Roman. cit. et alia. Presbyteræ etiam quandoque dicebantur viduæ seniores, presbyter enim seniorem significat; et hoc sensu sumuntur a Concil. Laodicensi, quod refertur c. *Mulieres,* Dist. 32. Diaconissæ ad certa munia deputabantur, de quibus vide supra n. 84.

178. *Obj. IV.* Ad validam sacramenti susceptionem requiritur aliqua intentio suscipientis: atqui infantes nullam habent; primo non habent propriam, ut patet; deinde nec alienam parentum; horum enim voluntas non censetur esse voluntas infantium, nisi in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, sicut baptismus; ordo autem sic necessarius non est; ergo.

R. *D. Maj.* Si suscipiens sit adultus *C.* tunc enim in eo requiritur intentio propria, positiva, saltem habitualis, juxta Tr. de Sacram. in genere. Si sit infans *N.* Nam hic, licet dissentiant parentes, baptizatur saltem valide, confirmatur; ergo etiam sic ordinatur.

179. *Inst.* 1. Ergo sicut infans baptizatus postea ad observantiam legis Evangelicæ, ita etiam ordinatus legibus et obligationibus Clericorum teneretur; sed durum est aliquem sine habito ejus consensu obligare ad statum, cui gravia sunt annexa onera, ut statui clericorum majorum perpetua continentia, etc.

R. *N. Illatum; vel D.* Si ordinatus infans, quando adeptus est annos discretionis, velit abstinere functionibus ordinis *N.* si has exercere velit *C.*

ita Bened. XIV. cit. in concl. Liberum igitur est infanti ordinato, cum ad annos discretionis pervenerit, vel exercere functiones sui ordinis, vel his abstinere: si abstinere voluerit, ad continentiam obligari non potest; nec ideo desinit esse ordinatus, quia manet in eo character; ex altera autem parte continentia est annexa ordinibus majoribus solum ex institutione Ecclesiæ. Deinde inter baptizatum et ordinatum *disparitas est*: infans baptizatus postea ad legem Evangelicam tenetur, quia hujus observantia est ad salutem necessaria; non sic functiones ordinis.

180. *Inst.* 2. In infantibus nequit esse vera forma ordinationis; ergo. *Prob. Ant.* Forma partialis est: *Accipe potestatem, etc.* Atqui nulla potestas accipitur sine accipientis consensu, et hic non est in infantibus.

R. *N. Ant. Ad prob. N. min.* Quia hæc potestas non datur infanti per modum donationis, vel contractus, in quo accipientis vel donatarii consensus exigitur; sed per virtutem characteris episcopalis, ubi recipiens se tantum passive habet; hinc *accipe* potius dantis imperium significat, ut notat S. Bonaventura q. 2. a. 2. ad 2. ad cujus impletionem satis est in altero pura capacitas passiva.

181. *Inst.* 3. Ergo infans in cunis posset dici Episcopus, sacerdos; sed hoc est absurdum.

R. *N. min.* Nam hæc denominatio non ab actibus et exercitio istorum ordinum oritur; sed impresso charactere, et potestate collata in ordinatione. Sic infans baptizatus dicitur fidelis a fide habituali; confirmatus, miles Christi, non a professione fidei intrepida actuali.

182. *Obj. V. cont.* 2am. *concl.* 1°. Flavianus Antiochenus Macedonium Eremicolam in vertice montis, postquam hunc arte ex montis solitudine ad se pertraxisset, eum etiam inscium ordinavit; nam, ut ait Theodoret. in Philotheo seu religiosa historia cap. 13. (opp. t. 3. p. 835.) Flavianus Macedonii sanctitate permotus, cum per speciem objectæ accusationis ad se advocavit; et *sub mysticum sacrificium altari admovit, cooptavitque in numerum sacerdotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicasset* (*ignorabat enim prorsus, quid egissent*) *primum quidem convitiis, verbisque asperis proscidit universos; deinde arrepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Pontificem ipsum, et alios insecutus est... sed tum quidem sic indignantem, ægre tandem amici quidam sedaverunt.* Ergo Macedonius non tantum inscius de ordinatione sui, sed etiam invitus quoad illam fuit. 2°. S. Epiphanius, ut habetur in ejus epist. ad Joannem Hierosolymit. (inter epistol. S. Hieronymi 110., alias 60. et 51.) Paulianum fratrem S. Hieronymi ordinavit invitum; nam *per multos diaconos,* ait S. Epiphanius epist. cit., *eum apprehendi jussimus, et teneri os ejus; ne forte liberari cupiens, adjuraret nos per nomen Christi.* Ergo. Ubi

Observandum, posse aliquem esse invitum dupliciter: *primo* absolute, ut nullis minis, vel hortationibus adduci possit, ut ordinationi consentiat, aut etiam sit omnino inscius ordinationis suæ, vel ignarus illius ritus, qui in ordinatione celebratur: atque huic ordinatio nequidem valide conferri potest. Talis fuit Macedonius ille, ac proinde irrita fuit ejus ordinatio: nec

probatur plerisque illud Flaviani, quamvis coram Deo innocenter egerit, quod putaret, nec adeo invitum, nec adeo ignarum ritus fore Macedonium. *Secundo* ita, ut ex sola humilitate, et in sacros ordines reverentia hos refugiat; nec nisi precibus, vel imperio, hortationibus impellatur, et tandem intus consentiat, de quo genere AUGUSTIN. epist. 173. (al. 204.) ad Donatum ait: *Multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Hæc ordinatio est valida, quia tales consentiunt, licet victi precibus et minis. Et sic se res habuit in ordinatione Pauliani; nam, ut ait EPIPH. epist. cit. in ordinationem consensit: *valde obnitebatur, indignum se esse contestans; vix ergo compulimus eum et persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, etc.* ergo reipsa persuaserat Pauliano, isque consenserat. Sic explica ordinationem Bassiani, qui epist. ad Valentinum et Marcianum imperatores, quæ habetur Act. 11. Concil. Chalcedonensis, ait se jussu Memnonis plagis fuisse compulsum ad recipiendam ordinationem: (Labb. t. 4. p. 668. D.) *Ego autem non acquiescebam, ab hora tertia usque ad sextam me plagis afflixit, et sanctum Evangelium, et altare sanguine est impletum*, etc. sed tandem victus consensit. Sic quoque ait Cyprian. epist. 52. ad Antonian. de ordinatione Cornelii in Romanum Pontificem: *ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet*; nihilominus consentiendo. Eadem est responsio ad facta similia. De cæteris dispositionibus requisitis ex parte subjecti satis agitur in Theologia morali.

ARTICULUS XI.

DE CONTINENTIA SACRIS ORDINIBUS ANNEXA.

183. *Nota.* Quænam sint clericorum officia, ea ex assignatis materiis et formis singulorum ordinum satis patent. Hic de eorum obligationibus agitur. De harum plerisque, ut recitatione horarum canonicarum, ferenda tonsura et habitu clericali, ac aliis spectantibus vitam et honestatem clericorum tractat Theologia moralis; unde hic loquemur solum de obligatione servandæ continentiæ.

Circa clericos minores videtur olim fuisse in Ecclesia quædam disciplinæ varietas; nam Carthaginense V. c. 3. anno 398. postquam sacros ministros obstrinxisset ad continentiæ observantiam, de minoribus ait (Labb. t. 2. p. 1215.): *Cæteros autem ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Prius vero Carthaginense III. can. 19. sic statuerat (Labb. t. 2. p. 1070. B.): *Placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis advenerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* In Concilio etiam Eliberitano anno 305. can. 33. (Labb. t. 1. p. 974. C.) æquali modo continentia clericis cæteris, quo constitutis in sacris, sive majoribus ordinibus imponitur. Sed ea varietas tandem ita finem accepit, ut possint, si voluerint uxores ducere, dummodo ab officio excluderentur, ut statuit Alexander III. c. 3. de Clericis conjug. et Innocent. III. c. 7. quod hodie etiam servari videmus.

Restat igitur quæstio de ordinibus sacris, sive majoribus, eaque multi-

plex : 1ª. An iis annexa sit obligatio servandi continentiam ? 2ª. Quo jure; an divino, an ecclesiastico ? 3ª. An, si ex jure ecclesiastico, hæc obligatio oriatur immediate ex lege, an ex voto ? 4ª. An Ecclesia continentiam sacris ordinibus recte et convenienter adjunxerit ? 5ª. A quo tempore adjuncta fuerit, et an etiam olim in Ecclesia græca ?

184. *Dico I.* In Ecclesia latina clerici omnes in majoribus ordinibus constituti, hoc est, Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus ad perpetuam tenentur continentiam, adeo ut ordine sacro suscepto nec possint contrahere matrimonium, nec matrimonio uti, si quod ante susceptionem sacri ordinis contraxerint.

Prob. Ex Trid. quod Sess. 24. can. 9. sic definit : *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto... anathema sit.* Idem ante Trid. Innocentius II. c. *Ut lex,* Caus. 27. q. 1. statuerat declarans hujusmodi copulationem, quam contra legem ecclesiasticam constat esse contractam, non esse matrimonium. Et Callixtus II. innuit c. *Presbyteris,* Dist. 27. Alexander III. vero c. *Conjugatus,* de Convers. Conjug. absolute prohibet quemquam conjugatorum promoveri ad sacros ordines, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. Hinc lex continentiæ in Ecclesia occidentali tria exigit : primum; ne conjugatus initietur, nisi voveat uxor perpetuam continentiam. Secundum; ut sacris initiatus uxorem non ducat, quam etiam invalide ducerct. Tertium; ut abstineat omnibus actibus venereis, etiam cum conjuge, si quam ante duxisset.

185. *Dico II.* Obligatio, quam habent majores clerici, servandi continentiam, non est ex jure naturæ, nec ex jure divino; sed solum ex jure ecclesiastico. Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 11. Theologi satis communiter.

Prob. Primo enim matrimonii usus ex se non pugnat cum sacro ordine, ut patet ex Græcis, qui ex dispensatione Ecclesiæ licite utuntur matrimonio ante susceptionem sacri ordinis contracto, ut liquet ex c. *Aliter,* Dist. 31. Corr. Rom. et Concilio Florentino, in quo nemo id Græcis objecit. Concilium Ancyranum vero potestatem uxorem ducendi fecit diaconis iis, qui in ordinatione protestabantur se continentiam servare non posse. Atqui hæc omnia non subsisterent, si obligatio servandæ continentiæ descenderet ex jure naturæ, vel divino.

Deinde tale jus divinum nequit assignari sive scriptum, sive traditum ; si quis enim locus Scripturæ proferri possit, is ad summum ostendit continentiam clericis esse congruam, non imperatam. Talis est 2. ad Tim. 1. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Vel dum idem Apostolus Titum hortatur ad continentiam cap. 1. *Oportet Episcopum sobrium esse, justum, sanctum et continentem, etc. :* item Timotheum 1. ad eumd. 5. *Te ipsum castum custodi,* sumit continentiam pro abstinentia ab omni illicita voluptate, quæ utique juris divini est, sicut abstinentia ab omni intemperantia et injustitia, iracundia, etc. quæ hic Apostolus conjungit; illaque continentia conjugatis et solutis æque præcepta est. Non vero intelligit continentiam ab uxoribus. Et ratio est, quia sic 1. ad Tim. 4. eum vult esse exemplum fidelium in charitate, in fide, in *castitate;* at certe non ita, ut

ejus exemplo fideles ab uxoribus sive ductis, sive ducendis abstineant. Sic 2. Pet. 1. jubet Petrus omnes fideles dare operam continentiæ, certe non eo sensu, ut ab uxoribus abstineant, sed illicitis voluptatibus; nam et sua matrimonio est castitas et continentia. Porro et maxime, quia nihilominus idem Apostolus 1. ad Tim. 3. inter alia vult esse Episcopum *habentem filios subditos cum omni castitate, qui domui suæ bene præesse noverit.* Non igitur repugnat etiam jure divino conjugalis status sacro ordini.

Prob 3ª. *pars.* Quia hoc clare supponit Trid. dum Sess. 24. can. 9. dicit anathema ei, qui dixerit valere matrimonium post susceptos sacros ordines contractum, *non obstante lege ecclesiastica vel voto.* Deinde Innocent. II. c. *Ut lex* cit. concl. 1. dum ait nullum esse matrimonium post sacros ordines contractum, quia constat esse *contra legem ecclesiasticam.* Item hoc formulæ aliorum Pontificum indicant, ut Callixti II. c. *Presbyteris*, dum ait: Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis contrahere matrimonia penitus *interdicimus,* contracta quoque disjungi *judicamus.*

186. *Dico III.* Probabilius est obligationem continentiæ in majoribus clericis esse immediate ex voto.

Prob. Greg. L. 1. epist. 42. relatus c. *Ante*, Dist. 31. præcipit Episcopis; ut nullum facere subdiaconum præsumant, *nisi, qui se victurum caste promiserit.* Et in Pontif. Rom. jubetur Episcopus ante ordinationem quærere ex ordinandis, an continentiam promittant? Ubi promissio votum importat, vi cujus se obligant clerici ad continentiam.

Conf. 1. Innocentius III. c. *Cum olim.* 6. de Cleric. conjug. aperte hujus voti mentionem facit, dum inquit: nos igitur attendentes, quod orientalis Ecclesia *votum continentiæ* non admisit.

Conf. 2. ex Trid. Sess. 24. can. 9. cit. ubi anathema dicit illi, qui dixerit valere hujusmodi matrimonium, non obstante lege ecclesiastica *vel voto.* Cur voti meminisset, si tale non fieret? si vero votum fiat, illud indubie obligabit immediate; cum votum hoc ante se supponat legem ecclesiasticam; ex hac enim tale votum ortum, et ordinibus annexum est. Est igitur ista obligatio ex lege ecclesiastica, sed mediante voto, ac proinde ex hoc immediate.

187. *Nec obstat* 1°. quod sæpe simpliciter dicatur: *Lex continentiæ.* 2°. Qui ordinatur ignorans tale votum esse annexum, tenetur ad continentiam, et tamen talis non facit votum. 3°. Qui ordinem susciperet, positive nolens vovere, valide ordinaretur, nec teneretur ad servandam continentiam: non enim teneretur vi voti, quia non potest esse votum sine consensu saltem implicito, qui hoc casu non habetur, ob voluntatem positive contrariam, qua non vult vovere. Nec teneretur vi legis ecclesiasticæ; quia, juxta dicta, lex non obligat immediate ad continentiam, sed ad emittendum votum. Nam

Ad 1ᵘᵐ. R. Sic dicitur, quia votum continentiæ est ex lege Ecclesiæ.

Ad 2ᵘᵐ. R. *Dist. ultimum.* Non facit votum explicite *C.* implicite *N.* Qui enim vult efficaciter officium aliquod, vult hoc ipso implicite ea, quæ illi annexa sunt.

Ad 3ᵘᵐ. R. Equidem non obligaretur vi voti, quia votum non potest esse

sine consensu saltem implicito, qui hic esse non potest, ubi est positiva voluntas non vovendi; neque etiam vi legis ecclesiasticæ ob rationem datam : vi hujus legis tamen obligatur ad votum faciendum, adeo ut peccet tamdiu, donec votum concipiat : item vi legis hujus manet semper ad contrahendum matrimonium inhabilis.

188. *Dico IV.* Recte et omnino convenienter sacris ordinibus continentia ab Ecclesia adjuncta fuit. Contra Novatores hæreticos.

Ratio hujus convenientiæ est 1°. sanctitas et dignitas Sacrificii et Mysteriorum novæ Legis, ut proinde illa tractari deceat a ministris summa munditia et puritate nitentibus. Unde Innocentius I. relatus c. *Tenere, 4.* Dist. 31. inquit : *Si priscis temporibus anno vicis suæ, de templo Dei sacerdotes non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia Tribu, et præterquam ex semine Aaron ad sacerdotium nullus accedere præcipiebatur; quanto magis hi sacerdotes, vel levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent.* Et Epiphanius Hær. 59. propter honorem sacerdotii necessariam sive summe convenientem dicit esse continentiam. 2°. Si Apostolus 1. ad Cor. 7. velit conjugatos abstinere ad tempus ab usu conjugii, ut vacent orationi; ergo, ut ait Hier. L. 1. cont. Jovinianum relatus c. *si Laicus* 7. Dist. 31., sacerdoti semper carendum est matrimonio, quia huic semper pro populo offerenda sunt sacrificia, et semper orandum est. 3°. Sunt munia magna et multa sacrorum Christi ministrorum; unde Apostolus eos milites Christi vocat 2. ad Tim. 2. eum volens ut bonum militem Christi non implicari negotiis secularium; sed nihil magis implicat negotiis secularibus, aut a divino ministerio impedit, quam curæ conjugales, prolium, familiæ domesticæ. 4°. Quod cura uxoris et prolium obsit curæ pauperum, hospitalitati, benignitati.

189. *Obj. I.* Matrimonium est juris naturalis et divini; ergo Ecclesia injuste illud prohibuit clericis. *Prob. Antec.* ex naturali hominum inclinatione, et ex Gen. 1. *Crescite et multiplicamini.*

R. *D. Ant.* Est juris naturalis et divini permissivi *C.* præceptivi *subd.* respectu collectionis hominum, ut propagetur, vel conservetur species *C.* respectu singulorum *subd.* pro primis mundi temporibus, quibus replenda erat terra juxta illud ibid. *et replete terram*, et proin paucitas hominum exigebat, ut generarent singuli *C.* pro hac mundi ætate, qua repleta est tellus nec timendus speciei humanæ interitus *N.* Ita textum illum Gen. 1. explicat Tertull. L. de Monogamia, Cyprian. L. de habitu Virginum., Hieron. L. 1. cont. Jovinian., Augustin. de sancta Virginitate cap. 9. Igitur matrimonium cadit sub præceptum, quatenus est medium maxime necessarium ad finem a natura intentum, scilicet ad debitam et congruam propagationem, vel conservationem speciei; quod præceptum indicavit Deus Gen. 1. cit. et 2. *Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Ex eadem causa erat præceptum post diluvium. Sed fine hoc sufficienter obtento, cessat esse præceptum respectu singulorum.

Nimirum sicuti nemo jure naturali, vel divino tenetur ad manducandum, nisi quando urget necessitas conservandi individuum; ita nemo tenetur ad nubendum, nisi quando necessitas urget conservandi speciem.

190. *Inst.* 1. Apostolus 1. ad Tim. 4. doctrinam prohibentium nubere vocat doctrinam dæmoniorum; ergo matrimonium adhuc præceptum est; vel saltem jure divino ita liberum, ut a nemine ulli prohiberi possit. *Conf.* Augustin. L. 2. de morib. Manichæor. cap. 18. ait Manichæos adhuc incidisse in Apostoli sententiam, licet Manichæi non prohibuerint nuptias omnibus, sed solum electis suis, id est, sacerdotibus et monachis; ergo.

R. *D. Ant.* In sensu, quo postea hæretici, ut Tatianistæ, Marcionitæ, Manichæi docturi essent de nuptiis, eas esse malas et prohibitas, ut aiunt Aug. L. 30. cont. Faustum c. 4., Ambros., Chrysost. in illum locum Apostoli *C.* secus *N.* Ecclesia vero nuptias non damnat ut malas sicut illi hæretici, nec absolute eas prohibet, sed solum sub conditione libera; liberrimam enim facultatem relinquit omnibus nubendi absolute, et solum exigit, ut ii, qui ordinari, vel ad dignitatem sacri ministri promoveri velint sponte, promittant continentiam. Uti ergo neminem cogit ad sacros ordines, sic neque ante eos ad continentiam: et qui libere sacros ordines suscipit, hoc ipso etiam sponte continentiam amplectitur.

Ad Conf. R. *D. Ant.* Non prohibebant nuptias omnibus reipsa *N.* nam universim docebant nuptias esse malas et prohibitas. Non prohibebant omnibus, ita ut nequidem eas in aliis permitterent, et tolerarent *C.* Non obstante, quod nuptias absolute malas et prohibitas assererent; quando tamen illas impedire non poterant, permittebant, et tolerabant, ait idem Aug. L. cit. c. 6. *Nec ideo vos dicatis non prohibere, quia multos vestros auditores in hoc obedire nolentes, vel non valentes, salva amicitia toleratis.*

191. *Inst.* 2. cum Calvino. At Apostolus ait id eventurum esse in *novissimis diebus; Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, etc.* Ergo non potest intelligi de Tatianistis, Marcionitis et Manichæis.

R. 1°. Ergo neque intelligi poterit de lege ecclesiastica, quæ nuptias sacris ministris prohibuit; nam certe quando prohibuit, novissimi dies non erant; neque modo in sensu hæreticorum sunt.

R. 2°. *N. Cons.* 1. Quia ut probabitur concl. seq., lex continentiæ jam ipsorummet Apostolorum tempore emanavit, Apostolus vero loquitur de hæreticis post Apostolorum tempora futuris. 2. Quia *novissimi* dies omnes illi appellantur, qui a Christo sunt usque ad judicium; sic 1. Cor. 10. ait Apostolus: *Nos sumus, in quos fines seculorum devenerunt.* Et 1. Joan. 2. legitur: *Filioli, novissima hora est*: unde juxta Patres, qui vineam adierunt hora novissima, eos denotarunt, qui in lege Evangelica futuri essent in Christi Ecclesia.

192. *Inst.* 3. Apostolus 1. ad Tim. 3. et ad Tit 1. Episcoporum dotes recensens, vult eligendum esse illum, qui fuerit *unius uxoris vir.* Et præterea ad Hebr. 13. nulla exceptione facta asserit *inter omnes honorabile esse conjugium.* Ergo data supra responsio non est juxta mentem Apostoli.

R. *N. Cons.* Nam verba priora, *unius uxoris vir,* sumenda sunt nega-

tive, non positive, sive, ut Episcopus non sit bigamus, etiam successive; sic enim verba ea semper intellexit Ecclesia, quæ ab initio ideo bigamos tanquam irregulares non admisit ad sacros ordines. Ita quoque illa verba exponit Hier. ad Oceanum, Chrysost. in comment. in locum istum Apostoli, Ambros. cæterique : quin Lutherus ipse in propositionibus de bigamia. Et ratio est, quia Paulus ipse uxorem non habuit, ut manifeste colligitur ex ejus verbis 1. ad Cor. 7. dum inquit : *Volo omnes vos esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* Ubi cum non solum ad viduas, sed etiam innuptas loquatur, hasque ipsius exemplum imitari suadeat, plane evincitur, ipsum nunquam nuptias contraxisse; alias dicere potuissent innuptæ : nubemus sicut tu, deinde sicut tu permanebimus. Sed neque Timotheus, neque Titus uxores habuerunt. *Conf.* data expositio : quia ead. ad Tim. 5. vult etiam in diaconissam eligi viduam, *quæ fuerit unius viri uxor,* hoc est quæ unum tantum maritum habuerit.

In altero textu vero Apostolus loquitur de conjugatis, et ad illos, vultque inter eos conjugium esse honorabile in omnibus, hoc est, ut nulla ex parte maculetur, sed sit honorabile tam ex parte fidei, quam sacramenti; subdit enim rationem : *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus*; quam rationem inepte subjungeret, si *honorabile conjugium* non intelligeret in dato sensu.

193. *Inst.* 4. Paulus 1. ad Cor. 9. inquit : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, et fratres Domini et Cephas.* Ergo revera Paulus uxorem habuit; ergo et cæteri Apostoli habuerunt. *Conf.* Ad Philipp. ult. scribit : *Rogo te etiam, Germane compar, adjuva illas, etc.* in græco habetur : *Germania conjux.*

R. 1°. Etsi totum Calvino concederetur, nihil ipsum juvaret; probandum enim illi est, Apostolos, postquam Apostoli fuere, vel uxores duxisse, vel usos fuisse uxoribus, quas ante duxerant, quod probare nunquam poterit, cum potius contrarium inferri debeat ex Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia;* ad quod respondit Christus : *omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, etc.*

R. 2°. *N.* 1am. *seq.* Nam per mulierem sororem non intelligit uxorem sed mulierem, quæ illi tanquam soror non quidem sanguine sed charitate ministraret, ut explicant Patres Græci et Latini, Chrysost., Theodoret., Œcumen., Theophyl., Ambros., Anselm. Igitur de piis illis feminis loquitur, quæ sicuti Christum sequebantur, ita et Apostolos, his ministrando, vel eos suis opibus sustentando.

Ad 2am. *seq.* R. 1°. Etsi Apostoli cæteri habuissent uxores, antequam vocarentur a Christo, non tamen ex dictis sequitur illis usos fuisse in Apostolatu, sed contrarium.

R. 2°. Falsum etiam est omnes Apostolos habuisse uxores, antequam a Christo vocarentur; nam S. Joannem in cœlibatu perstitisse totius est Ecclesiæ traditio. E contra S. Petrum habuisse uxorem, constat ex Matth. 8. De reliquis Apostolis contraria sunt Patrum testimonia : negant Tertull. L. de Monogamia, Hieron. L. 1. in Jovinian. E contra affirmat S. Ignatius

M. epist. 6. ad Philadelphios scribens : *sicut... et reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati.* Equidem ibid. etiam S. Paulum nominat ; sed illius nomen ab alio additum videtur : non enim legitur in exemplari Oxoniensi Vaticano ; nec in alio Mathiæ Corvini Pannoniæ regis, teste Ambrosio Camaldulensi.

Ad Conf. R. Per voces, *germane compar,* significatur alius, qui socius est in eodem onere portando, vox enim græca σύζυγος significat eidem jugo alligatum ; unde non præcise uxorem denotat. Chrysost. et Theophylactus volunt a Paulo significari maritum alicujus ex feminis ante ab ipso memoratis, nimirum Evodiæ, aut Syntyches. Juxta Theodoretum vero indicatur socius in prædicatione Evangelii. Deinde falsum est in græco haberi determinate *germana conjux,* nam in græco habetur σύζυγε γνήσιε ; sed σύζυγος utrumque articulum ὁ et ἡ admittit : si quis vero legere malit *germana,* parum refert ; eodem enim sensu tunc explica, quo ante de *muliere sorore* dictum est.

194. *Obj. II.* Saltem licebit clericis uxorem ducere, si post susceptos ordines ipsis periculum sit incontinentiæ propter tentationes ; ergo. *Prob. Ant.* ex 1. ad Cor. 7. *propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat.* Et ibid. v. 9. *Si non se continent, nubant ; melius enim est nubere, quam uri.*

R. *N. Ant. Ad prob.* R. Apostolum primo loco loqui de conjugatis, qui cum in paganismo duxissent uxores, post conversionem dubitabant, an iis uti liceret ; atque his respondet, ut unusquisque uxorem suam retineret et conjugale debitum redderet. Ita explicant Tertull., Hieron. cit. aliique Patres ; et probatur ex contextu ; nam v. 5. ait : *nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Hæc autem solos conjugatos spectant. In secundo loco loquitur ad solutos et eos tantum, qui nullo voto sunt impediti, et his quidem solum suadet matrimonium, non præcipit ; ait enim : *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium ;* quibus supponit eos adhuc aliis modis superare posse tentationes, quam præcise matrimonio. Non autem hic ab Apostolo comprehendi etiam voto obstrictos, patet ex 1. ad Tim. 5. ubi de viduabus, quæ post datam Christo promissionem fidei, sive pactum servandæ continentiæ volebant nubere, dicit : *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

195. *Inst.* Quid ergo remedii clericis, si post ordines continentiam servare non possint ? Ergo necesse est eos perire ?

R. 1°. Quid remedii marito, si ob infirmitatem uxoris uti matrimonio non possit, et tamen tentetur incontinentia ? Ergo, ne pereat, potest cum alia inire matrimonium, quia Apostolus ait : *propter fornicationem,* etc. ? absit.

R. 2°. Quilibet, si continere se velit, potest, modo debita remedia adhibeat. Oret, sobrietatem colat, pericula fugiat, feminarum conventibus abstineat, etc. Nec *patitur Deus nos ultra tentari, quam possimus,* juxta Apostolum. Sic idem Apostolus ob stimulos concupiscentiæ non ideo uxorem duxit,

ne periret; sed rogavit Dominum, a quo audivit : *sufficit tibi gratia mea;* nequaquam vero : *uxorem ducas.*

196. *Obj. III.* Obligatio servandi continentiam clericis imposita repugnat Ecclesiæ antiquæ; ergo. *Prob. Ant.* Cum Patres Synodi Nicænæ vellent legem ferre, qua clerici majores prohiberentur uti uxoribus ante sacros ordines ductis, dissuasit hoc Paphnutius, teste Sozomeno L. 1. c. 22., Socrate L. 1. c. 11. eo quod *antiqua Ecclesiæ traditio hoc tantum præceperit, ut sacris initiati a nuptiis ineundis abstinerent.*

R. *N. Ant. Ad prob.* R. 1°. Historiam Paphnutii ceu fabulam rejiciunt Baronius, Bellarminus, Turrianus, Arcudius, Thomassinus; tum quia inter eos, qui Nicæno subscripserunt, Paphnutii nomen nequidem legitur; tum quia opponitur Epiphanio et Hieronymo, quorum primus Hær. 59. (opp. t. 1. p. 496. B.) ait : *sed et adhuc viventem, et liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit Ecclesia, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum et Episcopum, et Hypodiaconum, maxime ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici.* Alter vero in eumdem modum loquitur epist. 30. (al. 48.) adversus Jovinianum.

R. 2°. Admissa etiam historia ut vera, Patres Nicæni id solum voluerunt, non esse pœnis animadvertendum in clericos, qui continentiam non servabant cum uxoribus, ex œconomia quadam quasi dissimulando malum, quod invaluerat, cui vix mederi se posse credebant; ne majus malum redderent, si penitus resecare vellent. Illa vero : *antiqua Ecclesiæ consuetudo,* etc. non dixit Paphnutius, sed addidit de suo Socrates. Et, si Paphnutius dixisset, erronee sic dixisset, ut patebit ex sequenti.

197. *Dico V.* Nunquam licitum fuit in Ecclesia latina Episcopis, Presbyteris et Diaconis vel uti uxore ducta ante ordinationem, vel ducere uxorem post ordinationem.

Prob. I. Ex Conciliis. Carthaginense II. anno 390. can. 2. (Labb. t. 2. p. 1259. D.) diserte ait : *Episcopos, Presbyteros ac Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, et Dei sacerdotes, nec non et levitas continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare; ut, quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Præterea id cujusvis Ecclesiæ Concilia adstruunt. Pro Ecclesia Germanica sunt Concilium Aquisgranense anno 816. (ibid. t. 7. p. 1315. D.), Wormatiense anno 868. (ibid. t. 8. p. 948.), Moguntinum anno 888. (ibid. t. 9. p. 407.) Pro Ecclesia Gallicana Arausicanum I. Arelatense II. Turonense I. et alia. Pro Ecclesia Hispanica Toletanum I. anno 400. Pro Ecclesia Italica Romanum sub Sylvestro I.

Prob. II. Ex summis Pontificibus Siricius epist. ad Himmerium Tarraconens. anno 395. narrat, quosdam sacerdotes ac levitas post ordinationem filios ex propriis uxoribus genuisse, se excusantes, quod sacerdotibus et levitis veteris Testamenti id non fuerit prohibitum, excusationem hanc evertit, et dicit (Labb. t. 2. p. 1020. B.) : *Sacerdotes omnes atque levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ sobrietati et pudicitiæ et corda nostra mancipemus et corpora.* Ignoscendum postea inquit illis sacerdotibus et levitis; quia se ex ignorantia lapsos esse fatebantur. S. Leo ad

Anastas. Thessalonic. (epist. 14. al. 84.) c. 4. ait : *ne aut levitico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia, quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frænasse detegitur.* Adde his Innocent I. ad Victricium Rothomag., Gregorium M. ad Petrum subdiaconum Siciliæ. Ante hos omnes vero id pridem tradidit Clemens Rom. epist. ad Jacobum fratrem Domini (Labb. t. 1. p. 99. D.) : *Ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam conjuges suas noverint; quod si post ordinationem ministro altaris contigerit, proprium invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portitor fiat.*

Prob. III. Ex Patribus. S. Ambros. L. 1. de Officiis c. ult. (opp. t. 2. part. 1ª. p. 66. C.) *Inoffensum autem exhibendum et immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore; alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis.* S. Augustinus L. 1. de adulterin. conjugiis cap. 20. n. 22. *Solemus eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam, usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.* S. Hieron. epist. 30. ad Jovin. ubi testatur cap. 19 ipsum Jovinianum hanc legem agnovisse.

Sed hic duo observanda sunt: *Primum* est; non æque viguisse legem illam pro omnibus ordinibus majoribus; nam subdiaconus non semper et ubique ab ineundo matrimonio prohibitus fuit; tempore enim Urbani I. qui sedit circa annum Christi 266. nondum numerabatur inter ordines sacros, ut observat Innocent. III. cap. *A multis,* de Ætat. et Qualit. Primus, qui subdiaconos ad continentiam adstrinxit, fuit Sylvester in Concil. Rom. II. can. 8. ubi iis prohibet transitum ad nuptias; idemque deinceps ab aliis Pontificibus constitutum est, ut patet ex c. 1. 2. 3. et aliis Dist. 32. Præterea Synodus Ancyrana diaconis cap. 10. (Labb. t. 1. p. 1459. D.) qui protestabantur se continentiam servare nolle, usum concessit matrimonii, quæ tamen disciplina temporalis non diu duravit.

Secundum est, non, quo tempore prohibitum fuit sacris ministris convolare ad nuptias, statim quoque irritum fuisse consequens matrimonium; neque enim semper in Ecclesia imperata fuit eorum a matrimonio separatio, qui post ordinem sacrum contraxerant; sed aliæ solum pœnæ impositæ sunt. Sic in Synodo Ancyrana cap. 10. loc. citato, qui se nuptiis obligarant, jubentur a ministerio cessare. In Neocæsareensi presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine deponitur (Ibid. p. 1479. E.). In Toletano I. cap. 4. (Ibid. t. 2. p. 1824. B.) subdiaconus, qui defuncta uxore aliam duxerit, deponitur. Qui primus lege universali irritum fecisse matrimonium cognoscitur, communius assignatur Callixtus II. ut refertur c. *Presbyteris*, Dist. 27. ubi vult matrimonia a sacris personis contracta disjungi. Alii Innocentium II. assignant ita statuentem in Conc. Rom. c. 7. ut refertur c. *Ut lex,* Caus. 27. q. 1. ubi separari tales præcipit, dicens : *Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.*

198. *Dico VI.* Nunquam permissum fuit in Ecclesia græca matrimonium contrahere post susceptos ordines : nec licuit Episcopis et Presbyteris Græcis in primis Ecclesiæ temporibus uxoribus uti ante ordinationem ductis.

Prob. 1ª. *p.* Ex epist. Clementis Rom. cit. concl. præced. in cujus fine testatur, se id a Petro Apostolo accepisse; inepte autem dicitur, et sine omni fundamento S. Petrum aliam legem tulisse pro Ecclesia græca, aliam pro latina. Similiter Siricius cit. testatur se antiqua præcepta tradere Apostolorum constitutione instituta; at Apostoli nunquam distinxerunt Græcos a Latinis.

Conf. 1. ex Patribus Græcis. Orig. hom. 23. in Lib. Numer. (opp. t. 2. p. 368. B. edit. Ruæi.): *Videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti ac perpetuæ se devoverit castitati.* Quæ verba, licet non videantur importare strictum præceptum, indicant tamen saltem, quid tunc judicaverint Græci. Deinde S. Epiphan. unus ex præcipuis diserte ad canones provocat, ut dictum concl. præc. Et ead. Hær. 59. ita sibi objicit et respondet (opp. t. 1. p. 496. C.): *At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere, et Presbyteros et Diaconos; at non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem.*

Conf. 2. ex Synodo VI. relata can. *Si quis* 7. d. 32. *Si quis eorum, qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat.* Quæ verba Patres etiam de Ecclesia græca pronunciarunt.

Conf. 3. ex usu et consuetudine Ecclesiæ græcæ, juxta quam etiam irritum est matrimonium clericorum Græcorum post sacros ordines contractum, ut probat Azor p. 1. L. 3. c. 11. q. 5., Pignat., tom. 8. Consult. 81. n. 33. et alii.

Prob. 2ª. *p.* Ex S. Epiphanio; item Clem. Rom. citat., S. Hieron. epist. 30. ad Pammachium contra Jovinianum, n. 30. ubi ait: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici.* Et initio libri contra Vigilantium: *Quid facient orientis Ecclesiæ, Ægypti, et sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?*

At ab hac lege discessit Ecclesia græca, saltem a tempore Synodi Quini-Sextæ, sive Trullanæ, ubi can. 13. (Labb. t. 6. p. 1148. B. C.) permittitur, non quidem Episcopis, sed Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis uti suis uxoribus antea ductis, excepto tempore vicis suæ. Licet vero nunquam approbatum fuerit, quod cit. can. damnata fuerit a Patribus Trullanis lex continentiæ, quam servari volebat Ecclesia Romana; sicut multa sunt in canonibus dictæ Synodi, quæ non approbata sunt a summo Pontifice; tamen non improbatum fuit, quod cit. can. sacris ministris permittat suis uti uxoribus, ut colligitur ex cap. *Aliter,* Dist. 31. et cap. *Cum olim,* de Clericis conjug.

Neque mos ille in Concilio Lugdunensi, aut Florentino reprehensus est. Utrum vero ante Synodum Trullanam jam mos ille viguerit inter Græcos, ut quidam putant, non patet: affertur quidem can. 78. Concilii Nicæni ex Arabico; sed canones Nicæni præter viginti, valde incerti sunt, ut observant Baronius, et Spondanus ad ann. 325. Affertur et historia Paphnutii, de qua supra object. 3. sed etiam hæc dubiæ fidei est juxta dicta ibidem.

DISSERTATIO II.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

199. Matrimonium a matre nomen accepit, quod licet patris sit providere liberis de hæreditate, unde patrimonium; matris tamen munus sit, ad certam ætatem enutrire prolem; sive, ut ait Gregor. IX. cap. *Ex Litteris* 2. de convers. Infid. quod infans matri specialiter onerosus sit ante partum, dolorosus in partu, et pluribus annis post partum laboriosus. Alio nomine dicitur *conjugium*, quod uno veluti jugo conjuncti conjuges conveniant ad sustinenda matrimonii onera, ineantque individuam vitæ societatem. Dicitur quoque *nuptiæ* a nubendo, id est, velando, quod virgines tradendæ in matrimonium tegi velo, tanquam nube, solerent ex S. Isidoro L. 2. de offic. Eccles. c. 20. n. 6. (opp. t. 6. p. 454. ed. de Arevalo.) sive id pudoris gratia fieret, ut factum a Rebecca observat S. Ambros. L. 1. de Abrahamo c. 9. sive in signum subjectionis et obedientiæ, quo modo mulier 1. Cor. 2. jubetur orare velato capite, quia virum habet supra se, cui subjecta est. Cum vero sponsalia sint quædam ad matrimonium dispositio, et veluti via, visum est ab aliorum Theologorum methodo recedere, qui prius de matrimonio, quam de sponsalibus disserunt; sed prius de his aget dissertatio, exemplo Gregor. IX. qui in IV. Decretal. ubi de matrimonio sermo est, a sponsalibus sumpsit exordium.

Præmittemus tamen de hoc sacramento summam doctrinæ catholicæ ex Conciliis Florentino et Tridentino.

Decretum Concilii Florentini de Matrimonio sub Eugenio IV. an. 1439. pro Armenis.

Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Causa efficiens matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Canones Concilii Tridentini de sacramento Matrimonii Sess. 24. die 11. novembris an. 1563. sub Pio IV.

I.

Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractum validum esse non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos, supra id quod possumus, tentari.

X.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

200. Sponsalia a spondendo sic dicta sunt, L. 2. ff. de Sponsal. quod moris esset antiquis stipulari et spondere sibi uxores suas. Unde et Sponsi Sponsæque appellatio nata est L. 3. ff. h. t. Sumuntur etiam 1°. *improprie* pro muneribus sponsalitiis, quæ Sponsæ a Sponso dari solent, quo sensu intelligendum illud L. 1. Reg. c. 18. *Non habet rex sponsalia necesse,* id est, non est necesse, ut David largiatur munera filiæ suæ, sive Saulis

regis, quam habiturus erat uxorem. 2°. *Latius* pro matrimonio rato, sive nondum per copulam carnalem consummato, ut c. 13. de Præsumptionib. Hoc sensu Matth. 1. dicitur *desponsata Maria mater Jesu Joseph.* Sponsalia sic sumpta dicuntur *sponsalia de præsenti*, et primo contracti matrimonii die sponsi et sponsæ appellantur. 3°. Strictius et *magis proprie* pro contractu de ineundo matrimonio, sive pro futuri matrimonii promissione mutua, dicunturque *sponsalia de futuro*, de quibus tantum nobis sermo erit.

ARTICULUS I.

QUID SINT SPONSALIA DE FUTURO? QUEM PARIANT EFFECTUM ET QUAM OBLIGATIONEM?

201. *Dico 1.* Sponsalia de futuro sunt promissio vera, voluntaria et deliberata, mutua, expressa signo externo sensibili, futûri matrimonii inter personas jure habiles. Ad sensum hujus descriptionis breviter dici solent: *Promissio mutua futuri matrimonii.* Ita quoad rem auctores communiter. Nec dissentit hæc descriptio L. 1. ff. de Sponsal. ubi dicuntur *mentio et repromissio futuri matrimonii*; nec etiam illi, quam dedit Nicolaus I. can. 3. caus. 30. q. 5. *futurarum nuptiarum promissa et fœdera*; utriusque enim idem est sensus, qui illius, quam primo loco posuimus. Dicuntur igitur

1°. *Promissio*: quia non sufficit simplex propositum, sed requiritur animus, sive voluntas se obligandi.

2°. *Vera*: non enim sufficit ficta, dum quis mere externe promittit sine animo promittendi seque obligandi; actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum L. *Non omnis* 19. ff. Si certum pet. et alibi. Deinde contrahuntur sponsalia voluntate atque consensu L. *Nuptias.* 30. ff. de R. J. Sed ubi quis ficte promittit, non habetur voluntas et consensus; ergo nec sponsalia. Unde infertur, eum, qui puellæ matrimonium, solum externe sine animo se obligandi ad contrahendum cum ipsa matrimonium, promittit, licet peccet graviter, si fictio se exterius non prodat, eo quod in re gravi decipiat; et pro injuria, vel damno, si quod ex deceptione incurrat, satisfactionem præstare teneatur; ad matrimonium tamen contrahendum in foro interno non obligatur, extra casum, quo damnum deceptæ illatum resarciri aliter non potest, quam contracto matrimonio. Dixi: *in foro interno*; nam in externo, nisi fictionem probet, compelli potest ad matrimonium; quia in hoc præsumitur adesse animus conformis promissioni L. 7. ff. de Supellect. leg.

3°. *Voluntaria et deliberata*, sive cum sufficienti advertentia et libertate, hoc est, tali, qualis sufficit ad peccandum mortaliter; sponsalia enim sunt actus humanus, et pariunt obligationem gravem ad sui impletionem; ergo voluntaria et libera esse debent. Hinc invalida sunt sponsalia contracta a destitutis usu rationis, amentibus, plene ebriis, ob defectum libertatis et consensus ab usu rationis, quo privati sunt, pendentis. Qui per vim absolute coguntur, ex defectu consensus, ex errore circa substantiam personæ, aut etiam circa qualitatem, si hæc in personæ individuum, seu substantiam redundet, ut, si puella ideo promittat, quia alterum putat certi nobilis,

vel principis filium, aut primogenitum; vel si qualitas sit unicus finis contrahendi, ut si juvenis honestus opibus præpollens quærat affinitatem cum familiis illustribus, ideoque promittit puellæ se illustri sanguine natam dolose mentienti: quia talis error consensum tollit L. *Si per errorem* 15. ff. de Jurisd. omn. Jud. et L. 9. Cod. de J. et F. J.

4°. *Mutua:* sponsalia enim ex natura sua sunt contractus mutuus et reciprocus, juxta L. 1. ff. h. t. ubi dicuntur futuri matrimonii *repromissio* et can. 3. caus. 30. q. 5. dicuntur *promissa*, non promissum, quod reciproco duorum consensu constent. Inde si Titius matrimonium promittat Caiæ, et hæc acceptet sine repromissione, neutra pars obligabitur; cum enim contractus sponsalitius sit onerosus et reciprocus, claudicare non potest. Deinde promissio Titii erat solum conditionata, scilicet, si repromittat Caia; non enim censetur intendisse obligationem aliam, quam contractus sponsalitii, qui est ex natura sua reciprocus et mutuus. Quod si tamen promissio Titii fuisset absoluta et gratuita, atque a Caia accepta, ille solus obligabitur quidem, at non vi sponsalium, quæ tunc nulla sunt; sed vi promissionis simplicis.

5°. *Expressa signo externo sensibili:* nullus enim contractus inter homines fit sine signo hujusmodi; cum sine hoc consensus unius non possit innotescere alteri. Sufficiunt autem sive verba, sive aliud quodcumque signum, quod utrique consensum alterius sufficienter exprimit; quale esse potest traditio et receptio annuli, sive, ut dici solet, *subarrhatio:* quia licet ea ex se sit signum æquivocum et insufficiens, cum ex aliis causis, et amoris etiam inhonesti causa a concubinariis fieri possit; si tamen vel ex verbis, aut aliis signis tradentis, vel ex circumstantiis ex instituto fit, in aliquibus locis pro mutuæ promissionis signo assumitur ex consuetudine; quæ, et similes circumstantiæ, in quibus ea traditio et receptio, sicut et mutua manuum porrectio, missio jocalium, etc. fit, attendi debent. Wiestner hic n. 38. aliique et arg. c. *Ex litteris* 7. et L. *Semper* 34. ff. de R. J.

Sed *taciturnitas* non est semper signum consensus; quia is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur, R. 44. de R. J. in 6. Quare illud R. 43. qui tacet, consentire videtur, intelligendum est, si agatur de solo tacentis commodo; sed in sponsalibus agitur etiam de commodo alterius sponsi, agique potest de incommodo tacentis. Unde quoad taciturnitatem inter Doctores convenit *primo:* si Caia ad promisssionem Titii omnino taceat, non censeri contracta sponsalia; eo quod in iis, quæ præjudicium afferre possint, taciturnitas non habeatur pro signo consensus, excepto casu, quo tacens, si dissentiat, loqui teneretur, arg. L. *Filiusfamilias.* 8. ff. de Procurator. Atqui hic Caia loqui non tenetur. E contra *secundo:* Caiam tacentem consentire præsumi, si nomine ipsius præsentis contrahant ejus parentes, quin Caia contradicat c. unico §. ultimo, de Despons. impub. in 6. Et ratio est, quod ex una parte, cum parentes liberos suos plurimum diligant, his optime consulere præsumantur; ex altera vero loqui et mentem suam explicare teneantur liberi, si dissentiant, ne parentum acta videantur contemnere. An idem teneat, si parentes desponsent liberos absentes, et hi de sui desponsatione redditi certiores non contradicant, quædam est auctorum dissensio. Sed immerito; si enim ideo præsentes consentire censeantur, quod ob reverentiam parentibus debitam loqui teneantur, si dissentiant; etiam sic cen-

sendi sunt consentire absentes, postquam de sui desponsatione certiores redditi non contradicunt; cum et hic æque reverentiam debeant parentibus; ac proinde declarare mentem suam teneantur, ac præsentes.

6°. *Inter personas jure habiles* : quales illæ solæ sunt, quæ valide et licite eo tempore inire matrimonium possunt, pro quo promittunt se inituros. Unde qui impedimento vel dirimente, vel etiam solum impediente prohibentur, quando contrahunt sponsalia, illa invalide contrahunt; nam promissio faciendi illicitum, vel impossibile non obligat : si tamen impedimentum sit tantum *temporale*, vel juris positivi et dispensabile, fiatque promissio solum de contrahendo matrimonio, postquam ejusmodi impedimentum cessarit lapsu temporis necessarii; vel per dispensationem fuerit sublatum, non est invalida promissio. Sic impuberes post septennium valide contrahunt sponsalia de matrimonio contrahendo tempore pubertatis. Sic qui vovisset castitatem usque ad annum ætatis trigesimum, valide intra illud tempus contraheret de ineundo matrimonio post annum trigesimum. Sic alio impedimento ligati promittere sibi possunt matrimonium sub conditione dispensationis, si sit impedimentum, in quo dispensari potest, et solet, et simul adsit justa causa dispensandi : quia illa sponsalia sunt sub conditione possibili et honesta et relata ad tempus illud, quo habiles erunt, docetque praxis, hujusmodi contractus sæpe fieri sub conditione, si princeps ratihabeat. Covarr., Sanchez, Wiestn. hic aliique communiter. Et merito : quia neque turpia, neque impossibilia reputanda sunt, quæ a principe ex justa causa frequenter peti et impetrari, ut dispensationes in plerisque impedimentis jure eclcesiastico introductis, consueverunt. Denique licet observatio legis fere magis honesta sit, quam super ea impetrata dispensatio; hæc tamen, quod juri deroget modo ab ipso jure approbato, inhonesta dici non potest. Unde leges, quæ contra afferri posse videntur, de iis conditionibus intellige, in quibus non solet dispensari, vel non potest.

202. *Dico II.* Ex sponsalibus valide contractis duplex præcipue effectus nascitur. *Primus* est obligatio justitiæ contrahendi suo tempore matrimonium cum persona, cui promisit. Ratio est, quia sponsalia sunt promissio mutua, onerosa, acceptata, dans mutuo jus proprietatis ad rem; ergo obligant ex justitia : an graviter, an leviter, dicetur infra. *Secundus* est impedimentum publicæ honestatis, quod est propinquitas quædam personarum juris ecclesiastici proveniens ex sponsalibus (item matrimonio rato) vi cujus neuter sponsorum valide contrahit cum consanguineis alterius. De jure novo Tridentini Sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 3. oritur tantum ex sponsalibus validis; nec excedit primum consanguinitatis gradum, si oriatur ex sponsalibus *de futuro* (nam quoad sponsalia de præsenti nihil novi statuit in hac re Trident.) hoc est, solum afficit personas in primo gradu consanguinitatis conjunctas sponso vel sponsæ; ita ut sponsus contrahere possit cum omnibus consanguineis sponsæ suæ, exceptis tantum matre, filia, et sorore sponsæ : et hæc similiter vicissim cum consanguineis sponsi, exceptis ejus patre, filio, fratre. De jure antiquo vero, ut liquet ex c. unico h. t. in 6. oriebatur hoc impedimentum etiam ex invalidis : item se extendebat ad quartum gradum inclusive c. unico. cit. et c. ult. de Consanguinit. et Affin.

203. *Dico III.* Obligatio justitiæ orta ex sponsalibus est gravis. Ita S. Thomas in 4. d. 27. q. 2. a. 1. et communiter Doctores id desumentes ex c. *Præterea.* 2. h. t. ubi ab INNOCENTIO III. *Hi, qui de matrimonio contrahendo pure et sine omni conditione fidem sibi mutuo dederunt, commonendi, et modis omnibus inducendi* dicuntur, *ut præstitam fidem observent,* haud dubie, eo quod ad hoc sub gravi peccato teneantur. Et ratio est, quia sponsalia sunt contractus initus de re, sive materia gravi; ex hujusmodi vero contractu, si materia gravis sit, nascitur obligatio gravis justitiæ; ut, qui injuste resilit, fidem datam non servans, non solum contra fidelitatem, sed etiam justitiam graviter delinquat.

Neque opponas jus civile, juxta quod, qui sponsalibus obligatus est, conditioni renuntiare, et postea cum alia contrahere permittitur L. 1. C. de Sponsal. Nam hic standum est jure naturali, et canonico, quo in hac materia utimur; juxta primum enim oritur obligatio naturalis; et vi alterius nascitur impedimentum, dirimens quidem respectu consanguinearum sponsæ in primo gradu et vicissim, Trid. cit. concl. præc., respectu aliarum vero reddens matrimonium illicitum; et datur actio contra resilire volentem. Unde in hac re correctum est jus civile a canonico.

Sed ex his duplex quæstio subnascitur: 1ª. Quo tempore implenda sit promissio et obligatio sponsalitia? 2ª. An sponsorum uno renuente implere compelli possit exigente altero? Itaque

204. *Dico IV.* Si mutuo contrahentium consensu nuptiis præfixus est certus terminus temporis, hic observandus est, nisi postea aliter inter eos conveniret, vel justa causa excuset: si vero non sit præfixus certus terminus, per se loquendo tunc tantum implenda probabilius est promissio, quando pars altera, cui facta est promissio, id exigit, idque si commode possit.

Pars 1ª. certa est, arg. L. *Trajectitiæ* 22. ff. de O. et A. L. *Magnam.* 12. C. de contrahend. stipul. c. 10. h. t. et patet ex natura contractuum.

Pars 2ª. *prob.* Quia hoc generale est in omni debito, cui solvendo certa dies præfixa non est, ut solum tunc teneatur solvere debitor, quando exigit creditor, L. *Debitores præsentes.* 10. C. de pignorib. juncta Glossa. Quando enim creditor novit debitum, nec tamen exigit, quando commode exigere potest, dilationi solutionis consentire censetur. Prædicta tamen lex *Debitores,* pro foro conscientiæ sic intelligi et limitari debet: nisi creditor ex justa causa, v. g. timore petere non audeat, vel oblitus sit debiti; fieri debet solutio statim, hoc est, quamprimum commode potest. Ideoque dixi: *per se loquendo.* Si enim pars altera non exigeret impletionem sponsalium ex verecundia, vel ex metu reverentiali, ut quandoque in feminis accidit; vel si est in periculo gravi incontinentiæ, nisi cito matrimonium contrahatur, per accidens urgebit obligatio statim contrahendi, licet executio expresse non petatur.

205. *Si ais* 1°. L. *Præsentes* cit. loquitur de pignoribus, ut constat ex tit.; ergo huc nihil facit; sed erit obligatio matrimonii contrahendi primo, quo potest, tempore.

R. *N. Cons.* Licet enim loqui videatur de debitoribus, qui pignora dederunt; initio tamen hæc regula generalis ponitur: *debitores præsentes prius denunciationibus conveniendi sunt*; a qua regula generali nullibi excipitur

debitum ex sponsalibus contractum. Ergo parte altera tacente, non denuntiante, hoc est, non exigente impletionem sponsalium, ea implendi non est obligatio.

Si ais 2°. L. 14. ff. de diversis Regulis Juris dicitur: *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*; ergo.

R. *D. Ant.* Si creditor ita velit, et exigat *C.* si taceat, non exigat, cum commode possit *N.* Tunc enim dilationi consentire censetur. Sicque illa L. 14. optime conciliatur et concordat cum L. *Debitores* cit.

Si ais 3°. Qui votum fecit nullo præfixo termino temporis, tenetur statim, ac potuerit commode, implere; ergo et promittens matrimonium nullo determinato tempore, quo implenda sit promissio, statim, cum commode poterit, contrahere. *Prob. Cons.* Ideo primum; quia alias defraudaretur Deus eo tempore, quo votum differtur: atqui etiam sic defraudaretur sponsa, vel sponsus; ergo.

R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est, quia in primo casu creditor est Deus, qui semper censetur petere executionem voti: quia hanc nunquam solet urgere expresse; nec aliunde est ratio, cur non exigat statim, dum est commoda voti implendi occasio: e contra in secundo casu creditor est homo, qui exigere potest, et expresse exigere solet, dum vult debitum solvi; unde est ratio censendi, eum consentire dilationi solutionis, dum hanc non exigit, licet commode exigere posset.

206. *Dico V.* Sponsalia ad exigentiam partis alterius implere nolens sine justa causa, primo monendus est; sique renuat pertinax, per competentia juris remedia a competente judice per se loquendo potest, et debet compelli. Ita quoad rem Doctores satis communiter.

Prob. ex c. *Ex litteris* 10. h. t. in quo prius præscribitur admonitio; deinde coactio per censuras. Ratio autem est; quia judicis officium exigit, ut, quando subditus jus suum petit, hoc illi non neget; sed unicuique, quod suum est, tribuat; ita ut nulla illi injuria, vel damnum contingat: sed qui sine justa causa sponsalia implere renuit, parti alteri injuriam infert; ergo injuste resilientem monere debet, sique monitio non sufficit, cogere per censuras, quæ sunt validiores judicum ecclesiasticorum sententiæ; imo si opus fuerit, etiam per alias pœnas.

Conf. Si enim hoc servetur in rebus minoris momenti, ut habetur c. 3. de pactis. Quanto magis in re tam gravi? Hoc addo ad innuendum, fieri posse, sive illa promissio fuerit jurata, sive simplex; in utroque enim casu fit injuria et injustitia; igitur in utroque casu compelli potest, eo solo discrimine, quod, si promissio jurata fuerit, aut puella sub matrimonii specie deflorata, possit fortius compelli.

Dixi 1°. *per se loquendo*; nimirum si justa causa alia non obstet; obstare autem potest perpetuitas rixarum; si periculum violandæ conjugalis fidei, scandala et similia timeantur, vel prævideantur; timenda autem sunt, si resiliens nec monitionibus, nec pœnis induci potuit; tum enim ob nimiam resilientis pertinaciam, expedit ut dimittatur, ad evitanda alia mala, quæ ex coacto, aut solum ficto matrimonio sequi possunt; et majora sunt, quam violatio fidei sponsalibus datæ. c. *Requisivit.* h. t. ubi ratio datur: *cum coactiones difficiles soleant exitus habere.* Nec eo casu actori a judice

fiet injuria, imo ipsi magis faveret judex, quia graviora damna ab ipso propelleret.

Dixi 2°. *a judice competente*, qui privative est Ecclesiasticus, dum de jure et valore sponsalium, et causa resiliendi quæritur.

207. *Si opponas* 1°. Lucius III. c. *Requisivit* cit. ad sponsalium impletionem ait sponsam *monendam potius, quam cogendam*, eo quod coactiones soleant frequenter difficiles exitus habere; ergo non potest per remedia juris compelli.

R. *N. Cons.* Vox enim *potius* juxta recentiores interpretes et apud Barbosam in cap. cit. n. 3. idem significat ac *prius*; prius autem etiam juxta nos monenda pars resiliens. Deinde verum est, quod potius monenda sit, quam cogenda, si monitione induci possit ad servandam fidem; nec hoc quæritur; sed illud, an, si monitio nihil proficiat, saltem tunc per pœnas vel intentatas, vel inflictas compelli possit? hoc vero Pontifex cit. cap. non negat; posse vero sic compelli habetur c. *Ex litteris* 10. cit.

208. *Si opponas* 2°. Matrimonia debent esse libera; nec extorta metu gravi c. *Cum locum* 14. c. *Veniens*, 15. de Spons. et Matrim. et alibi. Sed coactio obest libertati et consensui. L. *Nihil consensui* 116. ff. de R. J. Ergo pars resiliens non potest cogi ad matrimonium per censuras et pœnas.

R. *D. Maj.* Debent esse libera a metu injuste incusso *C.* secus *N.* Cum enim, qui fidem per sponsalia dedit alteri, ad eam implendam per nuptias obligetur graviter, intentatio pœnæ ecclesiasticæ, vel hujus inflictio, et ex illa conceptus metus non erit injustus: nec obstabit libertati consensus; tum quia sic coactus ipsa promissione matrimonii istius contrahendi necessitatem libero voluntatis suæ consensu sibi ipse imposuit juxta vulgare illud, quo contractus *ab initio voluntatis, postea necessitatis*, propriæ voluntatis consensu inducti esse dicuntur. L. *Sicut* 5. c. de O. et A. Tum quia in juste resiliens metum, quem patitur, sibi ipse intulit, nolendo facere, quod sine gravi alterius injuria omittere non potest; tum quia adhuc eo metu se liberare potest, injuriam removendo.

ARTICULUS II.

DE ARRHIS ET PŒNA SPONSALIBUS APPOSITA.

209. Arrharum nomine hic veniunt eæ res, quæ sponsæ a sponso, aut vicissim, dantur *expresse* veluti in pignus futuri matrimonii, ut, si nuptiæ fuerint secutæ, repeti possint, sicut pignus soluto debito; si vero nuptiæ non sequantur ob culpam unius, datam fidem violantis (nam secus est, si non sequantur ob justam causam) is, qui fidem violaverit, datas perdat. L. *Mulier* 5. c. de Sponsal. et Arrh. Dixi: *expresse*, nam si tradantur simpliciter, sine mentione arrhæ, tales non præsumuntur, sed potius sponsalitia largitas, aut jocalia. *Arrha* differt præcipue *a pœna* simplici, quam contrahentes adjiciunt subinde sponsalibus, quod ex dispositione legis, saltem regulariter, *tradi* arrham oporteat, in pœna sufficiat promissio.

Verius et communius docent auctores, arrhas apponi posse in quavis

quantitate, quia per leges nulla statuta limitatio. Nec refert, arrha in re mobili, an immobili consistat. Si enim potest vendi fundus, ut ex comparato pretio dentur pro arrha res mobiles, cur tradi non poterit fundus ipse?

Porro circa arrhas L. *Mulier* cit. statuit hæc quatuor: *primum,* ut qui arrham recepit, si a sponsalibus injuste resiliat, duplum restituat, scilicet ipsam arrham, et simul ejus valorem, licet de hoc specialis contractus non intercesserit, unde et dici solet arrha *legalis,* vel duplum legale, quia quoad solutionem simul valoris, est præcise a lege. *Secundum,* ut ipsi contrahentes possint inter se hoc pactum inire, ut, qui injuste resilierit, reddat arrham, et præterea duplum, vel triplum; et dicitur duplum vel triplum *conventionale. Tertium,* ut hæc pacta inire non possit, si sit minor viginti quinque annis, et ætatis veniam non impetrarit. *Quartum,* ut, qui juste resilit, nec perdat arrham traditam, nec ad quidpiam solvendum teneatur, præter arrhæ, quam ab altera parte accepit, restitutionem: et denique ut pro sponsis possint eorum parentes arrhas tradere et recipere. His ita expositis

Quæritur 1°. Utrum qui fidem sponsalium sua culpa violat teneatur in conscientia, ante sententiam judicis, ad solvendum duplum legale? 2°. An sic etiam duplum, vel triplum conventionale? nam contractui sponsalitio valide adjici arrhas certum est ex L. *Mulier* cit. similiter acceptam arrham ipsam ante sententiam tunc restituendam esse ab injuste resiliente nemo ambigit, cum eas retinendi nullum illi jus suffragetur et nullum habeat titulum retinendi.

210. *Dico I.* Ante sententiam judicis non est obligatio in conscientia solvendi duplum legale.

Ratio est, quia est pœna legalis; generaliter vero non est obligatio subeundi pœnam legalem ante sententiam judicis.

211. *Dico II.* Nec est obligatio in conscientia restituendi arrhas conventionales sive duplicatas, sive triplicatas ante sententiam judicis, si de hoc expresse non convenit inter contrahentes; secus vero si, ut ante restituerentur, inter eos convenisset. Wiestner Instit. Can. L. IV. h. t., etc. Est sententia media inter Doctores sibi extreme oppositos, quorum aliqui simpliciter affirmant cum Felino; alii simpliciter negant cum Navarro.

Prob. 1ª. *p.* Ex mente et intentione contrahentium, qui, si aliud non exprimant, solum dupli aut quadrupli pœnam censentur apponere, ut non recedant a data fide metu conventionis, et faciendæ condemnationis per judicem; hanc enim adjiciendo, in dubio præsumendi sunt habuisse intentionem conformem naturæ pœnarum a lege impositarum; cum actus gestus in dubio præsumatur secundum propriam ejus naturam, ut ait Wiest. cit. ex Menoch. Lib. 6. Præs. 10. Sed pœnæ a lege impositæ ex natura sua semper exigunt condemnationem ante obligationem eas subeundi. Accedit, quod in dubio interpretatio benignior sit præferenda rigorosæ L. *Semper* 56. et c. *Estote* de R. J. *Conf.* inde, quod, cum dupli et tripli pœna multum recedat ab æqualitate servanda in contractibus, æquitas postulet, ut hæ non debeantur, antequam cognoscatur, an causa resiliendi vere injusta, ejusque injustitiæ pœna arrhæ multiplicatæ sit æqualis; vel justa major, a judice redu-

cenda ad æqualitatem, hocque ita receptum esse testatur Guttierez de Juram. p. 1. c. 3. 6.

Prob. 2ª. *p.* Quia conventio partium legem inducit, quæ in contractibus servanda est, et obligationem parit ante sententiam judicis; hanc enim obligationem contrahentes sibi ipsis, dum ita expresse conveniunt, libere imponunt. arg. c. 85. de R. J. in 6.

212. *Obj. I. cont. p.* 1ªm. Ubi intervenit jus naturale, non requiritur sententia judicis, ut quis censeatur obligatus in foro conscientiæ : atqui dum contrahunt quoad arrhas duplicatas et triplicatas, intervenit jus naturale; quia hoc in omni pacto justo reperitur; ergo.

R. *C. Maj. D. min.* Si contrahentes conveniant de reddendis arrhis duplicatis et triplicatis ante sententiam judicis *C.* si non conveniant *N.* Sed de arrhis multiplicatis ante sententiam reddendis non convenerunt; ergo nec quoad has intervenit jus naturale, quod, ut in pactis obliget, præsupponit conventionem.

213. *Inst.* 1. Mens contrahentium, de arrhis multiplicatis a resiliente restituendis convenientium sine mentione sententiæ judicialis, præsumitur fuisse, ut redderentur ante illam; ergo. *Prob. Ant.* Quia ex dictis supra conventio partium legem inducit, quæ servanda est in contractibus ante sententiam.

R. *N. Ant.* Nam de contraria potius eorum voluntate præsumendum est juxta dicta in concl.

Ad prob. R. *D.* Quæ servanda est ante sententiam in non pœnalibus *C.* in pœnalibus, *Subd.* si convenerint de non expectanda sententia judicis *C.* si non *N.* Quia enim aliud non exprimunt, censentur solum dupli vel tripli pœnam apponere; cum vero de illa ante sententiam præstanda non convenerint, censentur ex dictis habuisse intentionem conformem naturæ pœnarum impositarum a jure, eo quod actus gestus, si est dubium, præsumatur secundum propriam ejus naturam.

214. *Inst.* 2. Arrha accepta ab eo, cui data fides non servatur, retineri potest in conscientia, etiam non implorato officio judicis. Item, arrha simplex ab eo, qui accepit, et injuste resilit, restitui debet ante sententiam, et etiam ante ipsam exactionem; ergo a pari.

R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est: Imprimis cui data fides non servatur; habet per se justum titulum retinendi ante sententiam, quod inde patet; quia si, quod arrhæ nomine accepit, ipsi in casum non servatæ fidei fuisset duntaxat promissum, habuisset jus illud per viam actionis exigendi, ergo jam sibi traditum jure retinet; qui enim habet actionem, multo magis habet exceptionem, R. *Invitus* 50. ff. et 71. in 6. Deinde resiliens injuste nullum habet jus et titulum retinendi arrham acceptam; ergo tenetur reddere sine implorato judice. E contra quia contrahentes arrhas multiplicatas censentur apponere ut pœnam incurrendam ab injuste resiliente; nec convenerint de ea præstanda ante sententiam, non est obligatio ante sententiam præstandi pœnam, conformiter juri, juxta quod non est obligatio in

conscientia ad pœnam præstandam ante condemnationem; ergo resiliens ante hanc jure suo non reddit arrhas ad duplum vel triplum appositas.

215. *Inst.* 3. Obligatio solvendi arrhas ad duplum, vel triplum auctas non est imposita a jure, vel lege, sed ab ipsis contrahentibus; nam L. *Mulier* cit. solum vult eas solvi præsupposita conventione partium; ergo.

R. *D. Ant.* Non est imposita a jure, regulari tamen debet juxta illud de pœnis, si partes inter se aliter non convenerint, juxta superius dicta *C.* secus *N.*

216. *Inst.* 4. Si violetur votum pœnale, apposita ei pœna debetur in conscientia ante sententiam; ergo a pari hic.

R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est, quia pœnæ in voto ita promissæ, et ita a Deo acceptatæ censentur eo ipso, quod plerumque nemo sit, qui pro iis Dei supremi omnium judicis nomine agat apud judicem humanum, aut agere possit. Vide etiam dicta art. præc. obj. 3.

217. *Obj. II.* Saltem erit obligatio in conscientia ante sententiam reddendi auctionem arrharum, si pars innocens per se exigat a resiliente. *Prob.* Sicut, cum agitur de solvendis pœnis a lege impositis, nemo ad illas tenetur nisi post sententiam judicis; ita cum agitur de pœnis ex conventione appositis, sufficit solum partis petitio; quantum enim in prioribus pœnis valet sententia, tantum in posterioribus partis petitio.

R. *N. Assert. et utramque ejus prob.* Ex rationibus iisdem, quæ supra datæ.

218. *Dico III.* Invalide sponsalibus apponitur pœna, solvenda etiam ab eo, qui juste resilit: recte tamen et valide apponitur solvenda ab injuste resiliente.

Pars 1ª. est ferme omnium auctorum, et clare decisa in c. *Gemma* 29. de Sponsal. ubi Gregor. IX. pœnam non exigit appositam sponsalibus cum puella necdum septenni contractis, adeoque in impubertate, a quibus, saltem pubes facta, juste, ex dispositione juris, poterat resilire, sicut universim a sponsalibus in impubertate contractis resilire licet, c. *De illis* 7. de Despons. impub.

Pars 2ª. est plurimorum recentiorum contra multos et fere plerosque veteres.

Prob. I. et optime *negative,* quod pœnam sponsalibus adjicere solvendam ab eo, qui perfide et injuste resilit, nullo jure prohibeatur. Non naturali: nam huic potius per appositam pœnam consulitur; hæc enim servit ad executionem actus honesti et ex justitia debiti, et supposita promissione sponsalitia, graviter præcepti ab ipso jure naturali, prohibente violationem datæ fidei. Nec divino: sicut enim jus positivum divinum nullibi prohibet contrahere sponsalia; sic neque pœnam apponere ad illa magis stabilienda. Nec jure ecclesiastico, ut patebit solutione objectionum.

Prob. II. positive. Licite apponitur arrha et valide in duplum de jure, et in quadruplum ex conventione, restituenda ab eo, qui accipit, et injuste resilit, L. *Mulier* 5. c. de Spons. et Arrh. sed duplum et quadruplum habet rationem pœnæ. Item, a sponsalibus injuste recedens potest excommuni-

cätione, quæ est pœna ecclesiastica gravissima, aliisque pœnis ecclesiasticis compelli ad servandam fidem, c. *Ex Litteris* 10. h. t. et ex praxi plurium Diœcesium in Germania injuste resilientes condemnantur quandoque ad mulctam pecuniariam, centum subinde mille aureorum pro circumstantiis, aut cum adversa parte hujusmodi compositionem inire coguntur; ergo.

219. *Obj. I.* Leges universaliter prohibent apponi pœnam conventionalem sponsalibus, non distinguendo inter juste et injuste resilientem; ergo. *Prob. Ant.* ex c. *Gemma* cit. *Cum libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda, ideo mandamus,* etc. *Confirm.* ex jure civili L. *Titia* 134. ff. de V. O. et L. *Mulier* cit. in fin.

R. *N. Ant. Ad prob.* R. C. *Gemma* loquitur de sponsalibus puellæ infra septennium contractis, a quibus pubes facta juste resilire poterat. Imo hæc sponsalia infra septennium absolute nulla sunt, a quibus semper recedere licet ex jure; hanc vero recedendi facultatem cum saltem multum impediat pœna apposita, merito rejecta est cit. cap. tanquam contraria libertati matrimonii; nemo enim ad hoc compelli debet, si se ad illud contrahendum nondum obligavit per sponsalia : sed qui infra septennium promittit, nondum se obligat, nam ex defectu ætatis hæc sponsalia sunt nulla, ex talibus autem sponsalibus nulla oritur obligatio.

Ad Conf. R. 1°. Etiam in L. *Titia* sermo est de sponsalibus a parentibus contractis nomine liberorum ignorantium, quibus liberi absolute non tenentur, et renuntiare possunt.

R. 2°. Lex *Titia* fuit correcta per Novell. 18. Leonis Imperatoris : *ut in Sponsalibus constituta pœna exigatur.* Quod idem de versu final. legis *Mulier* dici potest, ubi prohibet augere arrhas ultra quadruplum. Et præterquam quod leges civiles in hac materia, quæ est fori ecclesiastici, non adeo curandæ sint, addo, etiamsi in citatis legibus pœna rejiceretur, nihil inde sequi; nam cum antiquo jure Romano non solum a sponsalibus, sed ipsis etiam matrimoniis legitime contractis et consummatis liceret resilire, modo resiliens pœnam legibus statutam, nimirum arrharum, dotis, aut donationis propter nuptias amissionem subiret L. 1. C. de Spons. L. 14. C. de Nupt. L. 2. ff. de Divort. et repud. Inde, ut hæc libertas resiliendi concessa a legibus non impediretur, statutum est aliis legibus, ne insuper adhuc pœnæ aliæ apponerentur, ne alioquin nimium constringerentur tam sponsalia L. *Titia* et L. *Mulier*. cit. quam matrimonia L. *Si stipulatio* 10. ff. de V. O. Sed aliter se habet res in lege Christiana, in qua sicut matrimonii vinculum est prorsus insolubile; sic sponsalia inducunt obligationem gravem, a qua non licet sine justa causa invito altero resilire; ideoque recte apponi pœna potest, ut executioni detur ista obligatio, et Leo Imp. Nov. cit. consuetudinem exigendi pœnam appositam confirmavit, ceu juri naturali et divino magis consentaneam, id quod iteratis vocibus Nov. cit. repetit.

220. *Obj. II.* Matrimonium debet esse liberrimum, ex jure naturali et po-

sitivo L. 2. c. de inutili Stipulat. Sed hanc libertatem infringit pœna a resiliente solvenda ; ergo.

R. *D. Maj.* Debet esse liberrimum, ut quis se ad illud obliget *C.* postquam se ad illud libere obligavit et non interveniat justa causa *N.* Supposita hac obligatione libera, jam jus naturale non concedit libertatem illud contrahendi, vel non ; sed e contrario datam fidem violari prohibet : similiter jus positivum c. *Ex Litteris* cit. ad illud tunc præcipit pœnis compellere resilientem. Igitur metus pœnæ solvendæ tunc plane justus est. Deinde retorsio est in arrha duplicata, vel quadruplicata. Item in judice sponsos sæpe compellente ad contrahendum matrimonium pœnis ecclesiasticis, vel condemnante resilientem ad gravem mulctam : nimirum quando per pœnam adstringuntur ad non resiliendum injuste, non adimitur ipsis libertas, sed adempta supponitur.

221. *Obj. III.* Stipulatio testamentaria de pœna est nulla et invalida ; ut si quis cum testatore sic stipularetur : si hæredem me non feceris, tantum dare spondes. Ergo etiam.

R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est ; quia testator non est aliunde obligatus, ut illum instituat hæredem ; sed gaudet omni libertate physica et morali, quam jura semper salvam volunt, ideoque irritant stipulationes ejusmodi. E contra sponsi jam sunt aliunde obligati ex liberrima electione sua ad ineundum matrimonium, quamdiu non intervenit justa causa resiliendi ; igitur non gaudent amplius libertate morali ad resiliendum ; et sicut, quia obligatio eorum est gravis, ideo jus naturale præcipit illam implere, jus positivum etiam urget pœnis executionem ; sic se ipsos sponsi pœnis voluntariis ad ipsam urgere possunt.

ARTICULUS III.

DE SPONSALIBUS IMPUBERUM.

222. *Observandum* 1°. *Impuberum* nomine ii intelliguntur, qui, si mares sint, nondum decimum quartum ætatis annum, si feminæ sint, nondum duodecimum annum expleverunt. In ordine tamen ad sponsalia contrahenda illi magis stricte vocantur impuberes, qui septennio licet expleto, nondum pubertatem adepti sunt, hoc est in sensu juris, nondum prædictos annos excesserunt, L. fin. C. quando Tutores esse desinant, et c. 6. 10. 11. h. t. Dixi : *in sensu juris :* nam pubertas est duplex, *legalis,* quæ est determinata a legibus, et tunc habetur, quando mares annum decimum quartum egressi sunt, feminæ duodecimum, eo quod tunc ordinarie esse puberes soleant, hoc est, apti ad generandum. Altera, *naturalis,* quæ est ipsa habilitas et potentia actualiter præsens ad generandum, sive jam adsint anni pubertatis legalis, sive non, quia subinde ante hos annos apti sunt ex dispositione naturali ad generandum. Si vero adhuc minores septennio sint, non proprie impuberes, sed infantes juridice dicuntur. Quæritur tamen hic de utrisque. Pro quo observandum

2°. Sacros canones ætatem certam sponsalibus contrahendis, et matrimonio præscripsisse. Et quidem ad sponsalia contrahenda tam in mare, quam

femina septennium completum requirunt c. *Litteras* 4. c. *Accessit* 5. etc. de Despons. impub. et c. unico eod. t. in 6. eo quod ordinarie ante hoc tempus pleno rationis usu careamus. Ad matrimonium vero in maribus decimum quartum c. *Attestationes* 10. c. *Ex litteris* 11. h. t. in feminis vero duodecimum ætatis annum completum exigunt. c. *Continebatur*. 6. h. t., etc. Cum vero hujus ætatis defectum nonnunquam supplere dicatur malitia, observandum est

3°. *Malitiam supplere ætatem*, aliter intelligi in sponsalibus, aliter in matrimonio. In *sponsalibus* malitia supplere ætatem dicitur, si ante septennium a jure requisitum adsit sufficiens rationis usus; unde malitia hic potius prudentiam, vel usum rationis denotat. In *matrimonio*, si ante pubertatem legalem non solum habeatur perfectus usus rationis, sed etiam pubertas naturalis, sive potentia perfecta ad generandum; proin malitia hic sumitur pro potentia generandi.

His positis, cum jura ad valorem sponsalium requirant septennium completum, eo quod ante illud ordinarie non habeatur sufficiens rationis usus,

Quæritur 1. Annon valeant sponsalia, si malitia suppleat ætatem, sive si ante septennium jam adsit sufficiens rationis usus? Non enim valere si hic absit, certum est, sive contrahantur ante, sive post septennium, ex defectu consensus ad omnem contractum necessarii, hic vero dependet ab usu rationis, quo ex supposito carent. 2. Quid juris de aliis impuberum sponsalibus?

223. *Dico I.* Non valent sponsalia inita ante completum *perfecte* ætatis septennium, licet malitia suppleat ætatem. Ita multi contra multos.

Prob. I. Lex fundata in præsumptione generali non cessat obligare, etsi in casu aliquo particulari non subesset, quod lex præsumit, ut patet in lege Tridentini irritante matrimonia clandestina ob periculum generale negandi postea matrimonium, et ideo ad clandestine contrahenda matrimonia personas inhabilitante, quæ lex semper obligat, et personæ sunt semper inhabiles ad contrahendum clandestine, licet forte in casu particulari non subsit hoc periculum : item in lege jejunii non obligante ante vigesimum primum ætatis annum, licet ante hanc ætatem adsit magna virium robustas; et similibus aliis paulo post referendis. Et ratio est, quia si lex fundetur in præsumptione generali, fundamentum legis manet semper, etiamsi in casu particulari cessaret legis finis; ergo etiam pro semper obligat, quia sic nunquam cessat ipsa lex. *Subsumo* : Atqui leges ecclesiasticæ exigentes ad sponsalia septennium completum, et irritantes sponsalia ante septennium fundantur in præsumptione generali, quod ante illud tempus non adsit sufficiens rationis usus ad obligationem tam gravem sibi imponendam, et quod alias fraudes, confusiones, etc. non satis evitarentur, si certa ætas non definiretur. Ergo non valent sponsalia ante septennium, licet malitia suppleat ætatem.

Prob. II. Sacri canones expresse requirunt universaliter septennium completum, et sponsalia ante illud contracta absolute pronunciant invalida, et nullibi excipiunt casum, quo malitia suppleret ætatem; ergo etiam non potest excipi pro libitu a privatis. *Prob. Antec.* ex c. *Litteras*. 4. de Despons. impub. ubi ab Alexandro III. ejusmodi desponsationes pronunciantur sim-

pliciter *nullæ*. Et licet ibi sermo sit de puella in incunabulis desponsata; ait tamen Pontifex occasione hujus valitura fuisse sponsalia, si puella septimum annum complevisset. c. *Accessit* 5. eod. ubi idem Pontifex declarat : *Quia desponsationes et matrimonia ante septem annos fieri non possunt.* Ubi *desponsationes* sumuntur pro sponsalibus de futuro, ut ex contextu clarum fit c. *Ad dissolvendum.* 13. eod. ubi Innocentius III. inquit, *inter juvenem et puellam, nec matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cum constet puellam nondum ad septennium pervenisse.* At certe jussissent Pontifices attendere, an adfuisset rationis usus, si voluissent tunc valere sponsalia.

Confirmantur dicta, et simul *prob.* septennium debere esse *perfecte* completum. Dum Concilia et leges ecclesiasticæ pro celebrandis contractibus, pro professione religiosa determinant certam ætatem, vel certa tempora, non valent actus ante ea tempora, vel ætatem, licet adsit maturitas judicii, prudentia, scientia, etc. Sic nulla est professio ante exacte completum probationis annum, et ante decimum sextum ætatis perfecte completum. Sic infans juridice, sive minor septennio, utut polleat ratione, nec solus, nec consentiente tutore contractus alios celebrat valide L. 3. ff. de Auctor. et consens. Tutor. Filiusfamilias donec impubes erit, nequidem auctore patre recte contrahit. §. 10. de inut. Stipul.

224. *Dico II.* Sponsalia ab impuberibus contracta et habentibus usum rationis 1°. valent, sicque impuberes obligant, ut ante pubertatis annos resilire, eaque dissolvere non possint etiam mutuo consensu. 2°. Possunt tamen reclamare et resilire facti puberes, sufficitque, modo pars una pubes facta *illico* reclamet. 3°. Nisi forte pubertati proximi contraxissent sponsalia cum juramento; quo casu facti puberes nonnisi mutuo consensu ea possunt dissolvere.

Pars 1ª. constat ex c. *De illis* 7. et c. *A nobis* 8. de Despons. impub. In priore quidem expresse dicitur : *sive uterque, sive alter reclamet.* Et ratio est, ne propter fragile et lubricum judicium sponsalia facile et sæpe temere contrahant, iterumque dissolvant.

Pars 2ª. sumitur ex c. 10. de Sponsal. et juxta c. *De illis* cit. is, qui prius factus est pubes, resilire potest non exspectata pubertate alterius, quamvis pars impubes resilire non possit, etsi pars altera pubes facta sit. c. cit. §. Mulier. Porro pars pubes facta si resilire velit, id *illico,* sive statim facere debet, hoc est, intra triduum. arg. L. fin. C. de Judic. et L. fin. C. de errore Advocat. ubi illico fieri dicitur, quod intra triduum proximum fit. Alias rata habuisse sponsalia censebitur. Excipiunt tamen alii cum Wagnereck ad c. *De illis,* nisi ignoraverit se pubertatem attigisse, vel sibi competere jus resiliendi, eo quod tempus ignorandi non currat.

Pars 3ª. habetur ex eod. c. 10. de Sponsal. ubi hic casus excipitur. Unde licet sponsalia impuberum habeant imbibitam conditionem hanc: *nisi pars pubes facta resilierit,* ac proinde etiam juramentum adjectum eam habere videatur, juxta regulam usitatam : *Juramentum sequitur naturam contractus, cui adjicitur*; fallit tamen ea regula in posito casu ob specialem exceptionem. Pubertati autem proximi censentur, si desit adhuc dimidius annus, vel integer, vel, ut volunt alii, etiam integer cum dimidio.

225. *Obj. I. contra concl.* 1am. K. In Sponsalib. contrahend. ff. de Sponsal. ait Jurisconsultus satis esse sponsos, quid agant, intelligere. Item : *In sponsalibus ætas definita non est, ut in matrimoniis* ; ergo.

R. 1°. Sed ead. L. statim subjicitur explicatio : id est, *si non sint minores, quam septem annis* ; ergo lex præsumit generaliter ante septennium eos, quid agant, non intelligere ; et proinde ante eam ætatem non esse sponsalia. Unde ad alterum

R. 2°. cum Glossa sensum esse 1. quod in sponsalibus non sit *eadem* ætas definita, *quæ* in matrimonio : 2. quod in sponsalibus non sit alia ætas definita pro maribus, et alia pro feminis, ut in matrimonio ; cujus ratio est, quia ad sponsalia sufficit usus rationis, qui eodem tempore, saltem ut plurimum, maribus et feminis advenit ; potentia autem generandi, quæ insuper spectatur in matrimonio, tardius in viris reperitur, quam in feminis : 3. quod ætas definita pro sponsalibus non semper sufficiat, sicut ætas definita pro matrimoniis, cum sæpe contingat eos, qui septennium expleverunt, nondum pervenisse ad usum rationis, adeoque inhabiles esse ad contrahenda sponsalia. Denique

R. 3°. Dum agitur præsertim de sponsalium valore, leges ecclesiasticæ respiciendæ sunt ; hæ vero determinarunt septennium completum pro sponsalibus, ut patet ex dictis in conclus.

226. *Inst.* 1. In c. *Juvenis* de sponsal. ab Eugenio valida agnoscuntur sponsalia, quæ juvenis cum puella septennio minore contraxit, eo quod in puella videretur malitia supplere ætatem ; ergo leges ecclesiasticæ non definiverunt absolute septennium completum pro sponsalibus. *Prob. Antec.* Nam ibidem dicitur, quod juvenis ille impedimentum publicæ honestatis contraxerit cum consobrina illius puellæ, et ob hoc declaratur nullum esse matrimonium, quod hic juvenis postea contraxerat cum consobrina illius puellæ ; ergo illa sponsalia erant valida, nam ex sponsalibus irritis et nullis nullum oritur impedimentum.

R. *N. Antec. Ad prob.* R. 1°. Ex eo, quod ortum fuisset in eo casu impedimentum publicæ honestatis, non sequitur valida fuisse sponsalia ratione ætatis, cum de jure antiquo oriretur impedimentum hoc etiam ex invalidis, modo invalida non essent ex defectu consensus, qui juxta adversarios in dato casu non defuit.

R. 2°. *D. Ant.* Dicitur, quod *certo* contraxerit hoc impedimentum, et præcise propter sponsalia ante septennium contracta *N.* Dicitur *sub dubio* quod contraxerit, eo quod forte post septennium facto ratificassent *C.* Eugenius non pro certo, sed sub dubio judicavit ortum esse hoc impedimentum, quia dubium erat, annon ratificassent postea sponsalia saltem facto ; ait enim : *ex humana forsan fragilitate tentavit, quod complere non potuit* ; et ideo in dubio hoc tutiorem partem elegit, voluitque juvenem a puellæ illius consobrina separari, quacum contraxerat matrimonium.

227. *Inst.* 2. Pontifex pro causa separandi juvenem a consobrina puellæ istius affert impedimentum publicæ honestatis ; ergo cum ex copula oriatur impedimentum affinitatis, non publicæ honestatis, supponit sponsalia

valuisse, non obstante quod contrahentium pars altera, nimirum puella necdum septennis fuerit.

R. 1°. *D. Ant.* ut ante.

R. 2°. *D. etiam Cons.* Si impedimentum affinitatis proveniret ex quacumque copula *C.* cum tantum proveniat ex perfecta *N.* Copula vero, de qua dubitabat Pontifex, erat imperfecta ob puellæ, vel etiam ipsius adhuc juvenis impubertatem; hoc enim supponunt verba: *forsan tentavit, quod complere non potuit.* Et inde est, quod Pontifex afferat sub dubio impedimentum publicæ honestatis pro causa separandi juvenem et puellæ consobrinam, eo quod merito dubitabatur, an non facto aliquo licet imperfecto post septennium puellæ fuissent ratificata sponsalia; nam traduxerat puellam in domum, et hæc illius uxor dicebatur, ut tum c. *Juvenis,* tum ejus Rubrica indicat. Denique

R. 3°. *N. Cons.* Quia, ut ipsimet adversarii supponunt, caput illud loquitur de casu, quo saltem sufficiens ad sponsalia consensus adfuit malitia ætatem supplente; hoc autem consensu supposito orta fuit olim publica honestas, licet propter ætatis defectum matrimonium et ipsa sponsalia fuerint nulla per textum clarum c. Un. de Sponsal. in 6.

228. *Inst.* 3. Ex una parte valent sponsalia ante septennium, si malitia suppleat ætatem, spectato jure naturali, quia hoc plus non exigit, quam sufficientem consensum: ex altera vero parte spectato jure positivo est dubium, an recesserit a jure naturali; ergo standum est pro jure naturali et valore talium sponsalium.

R. 1°. *N.* 2am. *p. Antec.* ob textus claros in concl. cit.

R. 2°. Hoc argumentum, quod in aliis etiam materiis objici, et subinde male applicari solet, tunc solummodo efficax est, quando pro utraque contradictionis parte ex jure positivo afferuntur textus solidi et graves, ita ut res ponderatis textibus ab intrinseco sit vere dubia, et pro qualibet parte stet fere æqualis probabilitas; tunc enim in praxi recte suadetur sententia quæ proprius accedit ad jus naturale, licet in theoria nihilominus utraque sententia ex merito propugnetur. Et ratio est, quod alias, cum vix sit materia, in qua non videtur aliqua apparens repugnantia textuum, jus positivum deberet penitus negligi, et in rebus indifferentibus solum dictamen naturæ attendi. Cum igitur textus et rationes juris pro nostra sententia loquantur clare, saltem longe clarius, quam pro parte adversa, non versamur amplius in re vere dubia, nec præcise standum est in jure naturali, sed positivo satis claro inhærendum.

229. *Inst.* 4. Jura a nobis allata ideo præcise requirunt septennium, quia præsumunt in ea ætate adesse usum rationis; ergo si hic prævenat eam ætatem, sponsalia valebunt. *Prob. Cons.* Præsumptio cedit veritati L. 19. ff. de Probat.

R. 1°. *D. Antec.* Quia præsumunt præsumptione generali non adesse usum rationis, et ex hac generali præsumptione irritant talia sponsalia, quod alias confusiones et pericula non satis evitarentur, nisi certa ætas definiretur *C.* præsumptione particulari *N. Antec. et Cons.* Et *huj. prob. D.* similiter: Præsumptio generalis cedit veritati *N.* particularis *C.* Inter præsumptionem

generalem vero et particularem disparitas est; quod lex fundata in præsumptione generali, et ex hac irritans actum aliquem, vel prohibens, aut præcipiens permaneat et obliget in conscientia, licet in casu particulari non subsit, quod præsumit lex; quia fundamentum legis est quid generale, e. g. periculum universale, quod permanet, et cujus evitatio est finis legis; igitur licet in casu particulari tale periculum non esset, non ideo cessaret finis legis, proinde nec lex ipsa, et consequenter nec ejus vis obligandi. E contra si lex fundata sit in præsumptione particulari, e. g. facti particularis, delicti, qualitatis, etc. et tale quid non subsit, etiam cessat lex, et consequenter nec obligat in conscientia. Et ratio est, quia cessat fundamentum, ratio, et finis adæquatus legis. Sic juxta multos, qui condemnatur a judice ad solvendum, quod revera non debet, hunc sententia non obligat in conscientia, si ipsi certum sit, quod nihil debeat, et sententia sit injusta saltem materialiter: confirmant hoc exempla et textus c. 13. de Restit. spol. c. 44. de sent. Excomm. etc. Hinc

R. 2°. *Retorq. argum.* Jura irritant matrimonia clandestina, quia præsumunt periculum illud postea negandi: irritant professionem religiosam ante decimum sextum ætatis annum, quia ante hunc præsumunt defectum sufficientis discretionis: item contractus septennio minoris, filiifamilias impuberis, etc. Ergo si hæc præsumpta aliquando reipsa non subsint; valebunt matrimonia clandestina, professio religiosa, etc. quia præsumptio debet cedere veritati.

230. *Inst.* 5. Etiam ante Tridentinum erat præsumptio juris pro matrimonio de præsenti contracto, si sponsus cognovisset suam sponsam de futuro, quia præsumebatur cognovisse sponsam animo maritali; et tamen non erat matrimonium, si eam cognovisset animo mere fornicario; ergo a pari idem hic de sponsalibus dicendum est.

R. *C. Ant. N. Cons.* Præsumptio juris ante Trid. pro matrimonio de præsenti in posito casu erat quidem præsumptio juris et de jure, sed fundata in facto particulari sponsi; quod si falsum esset, consequenter tota præsumptio erat falsa, carens omni fundamento, nec stringens in conscientia; sicut etiam hodie lex vel jus obligans ad cohabitandum maritaliter uxori, quia præsumit illud matrimonium contractum fuisse in facie Ecclesiæ, vel sine impedimento; non stringit in conscientia, si præsumptio sit falsa, et revera matrimonium contractum sit vel clandestine, vel cum impedimento. E contra leges ecclesiasticæ irritantes sponsalia ante septennium fundantur in præsumptione generali, quod ante eam ætatem non adsit sufficiens usus rationis, et periculi universalis fraudum et confusionum, quæ facile oriri possent, nisi certa ætas statueretur; si enim contrahens ante septennium postea stare promissis vellet, sufficeret dicere, non defuisse usum rationis; si stare nollet, negare hunc adfuisse. Lex vero fundata in hac præsumptione universali manet semper vera, semperque stringit, licet in casu particulari sit falsa præsumptio: ut patet ab exemplis jam sæpe allatis.

231. *Obj. II.* Sponsalia sunt via et dispositio ad matrimonium; ergo quod jus disposuit circa matrimonium quoad malitiam supplentem ætatem, etiam intelligendum erit de sponsalibus. *Subsumo:* Atqui in matrimonio malitia

supplet ætatem c. *Continebatur*. et c. 4. de Despons. impub. c. fin. eod.; ergo etiam in sponsalibus. *Prob. seq. Maj.* Quando utrobique est eadem ratio aliquid statuendi, non potest præsumi, quod jus circa unum sic, circa alterum aliter statuerit. arg. L. *Illud*. ff. ad legem Aquiliam. Sed utrobique hic est eadem ratio : nam sicut ratio statuendi certam ætatem pro matrimonio est potentia generandi; ita pro sponsalibus usus rationis : ergo sicut nihilominus in matrimonio malitia supplet ætatem; ita etiam in sponsalibus.

R. 1°. *Retorq. arg.* Ergo quod jus disposuit circa matrimonium clandestinum, etiam disposuit circa sponsalia clandestina, quod est saltem contra communem. Item, ergo sicut matrimonii vinculum est jure divino nulla superveniente causa solubile, ita sponsalia, etc.

R. 2°. *N. seq. Maj. Ad prob. N. min. cum ejus prob.* Nam disparitas est, quod jura speciali ex ratione in matrimonio voluerunt sufficere pubertatem naturalem; scilicet ob periculum incontinentiæ, fornicationis, cui malo non satis occurrissent, si præcise pubertatis legalis, non etiam naturalis haberi rationem voluissent : sed hæc ratio cessat in sponsalibus; proinde decisio facta circa matrimonium ad sponsalia extendi non potest. Imo eo ipso, quod jura illud expresserint duntaxat in matrimonio, scilicet in hoc malitiam supplere ætatem, non item in sponsalibus; clarum signum est, quod in his dispositionem indefinitam, et ordinarium juris intellectum limitare non voluerint, sed potius firmare juxta vulgare : *exceptio firmat regulam*; et proportionaliter aliis actibus a certa ætate pendentibus, ac supra memoratis nullitatem inducere defectu ætatis requisitæ.

232. *Obj. III.* Saltem non est necesse, ut septennium sit perfecte completum; sed sufficit esse completum moraliter, h. e. licet adhuc desit mensis, vel dies; ergo.

Prob. Ant. 1°. Juxta axiomata philosophica, et ex usu Juristarum : Quod parum distat, nihil distare videtur. Arist. 2. Phys. Parum pro nihilo reputatur. Proxime accingendus habetur pro accincto. L. penult. ff. de Testam. milit. 2°. Ultima dies in favorabilibus habetur pro completa : sic in favorem testamenti conceditur impuberi, ut testamentum condere possit ultima die : atqui sponsalia sunt causa favorabilis. 3°. Licet jura certos annos præscribant ordinibus suscipiendis; sufficit tamen ultimum diem esse inchoatum; ergo a pari sufficiet ad sponsalia saltem ultimum diem esse inchoatum. 4°. Septennium determinatum est propter præsumptionem usus rationis; sed ex defectu unius alteriusque diei non cessat illa præsumptio.

R. *N. Ant.* Sed debet esse perfecte completum ad momentum; sicut tempus determinatum ad professionem religiosam, quæ, nisi impetrata fuerit ætatis venia, non potest emitti valide, nisi ultima dies anni decimi sexti sit ad momentum completa; idque ex eo capite, quia hoc tempus a jure præscriptum est, et ideo determinatum, ne quis suo judicio, vel arbitrio illud mutare possit. Unde

Ad 1um. R. Illa axiomata solum locum habent in rebus arbitrariis; quando jura non præscribunt actui certam et completam ætatem, sive tempus. Hinc retorsio est in professione religiosa; item de anno probationis, qui ei præmitti debet.

Ad 2um. R. *D.* In mere favorabilibus *T.* Non enim hoc certum est, ubi

jus aliquid specialiter non excipit. In aliis *N.* In sponsalibus vero contrahitur gravis obligatio et onus, uti publicæ honestatis. Testamenti factio est merus favor; hinc est disparitas. Præterea in factione testamenti est specialis exceptio; hæc autem firmat regulam in oppositum.

Ad 3um. R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est, quod ex praxi Ecclesiæ, quæ est optima interpres legis ecclesiasticæ, constet non exigi ab Ecclesia annos physice completos; sed nihil tale constat ex praxi quoad sponsalia. Deinde limitatio ætatis præscriptæ ordinibus quoad sufficientiam anni ultimi inchoati præcise ordinandorum favorem spectat. Denique jura, dum agunt de ætate requisita ad ordines, plane aliis utuntur terminis, quam ubi agunt de sponsalibus; nullibi enim dicunt, ante eos annos, quos præscribunt, completos non posse suscipi ordines, aut ita susceptos esse nullos et irritos; sicut tamen statuunt de sponsalibus. *Desponsationes ante septem annos fieri non possunt.* c. *Accessit* cit. etc. Vid. conclus.

Ad 4um. *N. min.* Nam præsumptio illa est præsumptio juris, non hominis; ergo procedit universaliter, nec arbitrio privati hominis mutari potest; sicut tempus professioni religiosæ præscriptum.

ARTICULUS IV.

AN VALEANT SPONSALIA CLANDESTINE CONTRACTA? VEL SINE SCITU ET CONSENSU PARENTUM? ITEM METU GRAVI INJUSTO EXTORTA?

233. *Notandum I.* Metus dicitur trepidatio mentis periculi instantis, vel futuri causa, L. 1. ff. quod metus causa. Alius est *gravis*, qui cadit in constantem virum, ut quando malum, quod timetur, est ejusmodi, ut virum etiam fortem movere possit ad faciendum, quod alias facturus non esset. Alius *levis*, qui ab homine constante facile superabilis est, quia malum, quod timetur, est leve. Metus gravis iterum alius est absolute, alius respective gravis, sicut malum, quod timetur, potest esse vel absolute grave, vel respective. *Absolute* vero *grave* est, quod omnes, vel plerique habent pro gravi, quale est mors, mutilatio, cruciatus corporis per dura verbera, gravis infamia, jactura status vel bonorum et similia. *Respective grave* est, quod est grave respectu aliquarum personarum, quæ sunt minus fortes, ut feminæ, juvenes, viri meticulosiores. In dubio, fueritne metus gravis, vel levis, arbitrio judicis decidendum relinquitur. An vero *metus reverentialis*, quo liberi parentibus, subditi principibus, alii majoribus ex reverentia contradicere non audent, dicendus sit gravis, vel levis, controvertitur inter Doctores. Probabilius est, quod *pure reverentialis* ex se gravis non sit; alias enim nullus fere consensus a liberis præstitus, aut contractus ob reverentiam in parentes initus, vel subditum inter et dominum firmus esset. Fit tamen gravis, si accedant graves minæ, indignantium vultus, continuæ exprobrationes, vel alia signa gravis offensæ. Sic conciliantur leges, quarum aliquæ metum reverentialem pro gravi, aliquæ pro non gravi habere videntur.

234. *Notandum II.* Metum hic alium dici *justum* (non eo sensu, quo alias metus gravis quilibet dicitur justus, eo quod merito ad aliquid possit impel-

lere, præscindendo an jure, vel injuria incutiatur) sed quia justa de causa incutitur a lege, vel magistratu. Alium *injustum,* sive per injuriam innocenti incussum : quod potest fieri vel *directe,* scilicet animo extorquendi consensum a metum passo, vel *indirecte* ob aliam causam, sic tamen, ut metum passus ejus occasione se metu liberaturus consensum præstet. Quæritur hic tantum de sponsalibus metu gravi injusto extortis; nam constat metum justum, vel levem non reddere invalida sponsalia.

235. *Dico I.* Sponsalia clandestine, sive sine testibus et Parocho contracta valida sunt, et per se licita. Est communis.

Et *ratio* est, quia nullo jure vel prohibita, vel irritata sunt. Dixi : *per se* licita; nam secus esset, si speciali quodam statuto diœcesano essent prohibita.

Nec dicas ex clandestinitate sponsalium præsumi dolum, et sic facile cum pluribus posse contrahi sponsalia; nam primo dolus non præsumitur, nisi ubi clandestinitas alicujus contractus est prohibita; alias nullus contractus clandestinus liceret : sed hæc nullo jure prohibita reperitur in sponsalibus; jus enim novum Tridentini irritans contractum matrimonii clandestinum, cum sit correctorium juris antiqui, extendi ad sponsalia non potest. Deinde clandestinitas non est causa, cur quis contrahat cum pluribus, sed malitia. Non diffiteor tamen ex hac causa consultum esse, adhibere testes, ut sponsalia probari possint, si forte pars altera illa negaret.

236. *Dico II.* Sponsalia a liberis sine parentum consensu inita, licet ordinarie sint illicita; sunt tamen *per se* valida. Ita Catholici communiter contra Harprecht et alios heterodoxos Scriptores.

Prob. 1ª. *p.* Quod ordinarie sint illicita, facile inter omnes convenit, eo quod teneantur liberi vi præcepti IV. Decalogi revereri parentes, iis obedire; ideoque in re tam gravi eorum requirere consilium et consensum. Dixi : *ordinarie;* nam si parentes nullam contradicendi justam causam haberent, aut si consulerentur, injuste contradicturi essent sponsalibus honestis, liberos sine eorum scitu, imo contra eorum voluntatem contrahentes nec venialiter peccare censet Pichler de Sponsalib. aliique. Igitur

Prob. 2ª. *p.* 1°. Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. Matrim, c. 1. dicit anathema illis, qui dicunt, *matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Ergo a fortiori valebunt sponsalia; si enim matrimonium, quod est indissolubile, contractum sine consensu parentum valet; multo magis valebunt sponsalia, quæ aliis adhuc modis dissolvi possunt. 2°. Talia sponsalia valent jure naturali; jure positivo autem irritata non reperiuntur; sed ex hoc potius contrarium habetur; nam c. *Veniens* 13. h. t. sponsalia supponuntur valida, modo sponsus et sponsa, reclamantibus etiam parentibus, consentiant. Et arg. c. *Sufficit.* Caus. 27. q. 2. ubi ex decisione Nicolai Pontificis *sufficit secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur.* 3°. Si valor sponsalium a parentum dependeret consensu, durissima foret liberorum conditio, cum sic contrahere sæpe deberent cum iis, a quibus abhorrent. 4°. Sponsalia pertinent ad electionem status de se perpetui, scilicet matrimonii, in qua liberi non dependent per se a voluntate parentum, sed obligationem, quam subeunt, propria voluntate contrahere debent. arg. c.

Cum virum. 12. de Regularibus. Adeo etiam, ut parentes propterea *præcise*, quod contra suam voluntatem contraxerint, nec exhæredare eos, nec dotem denegare possint, licet non teneantur dotare juxta statum et conditionem suam, sed satisfaciant, si dotem dent juxta conditionem mariti. Engel. hic §. 2. n. 7. Schmalzgr. eod. tit. num. 93.

Dixi : *per se*; nam si sponsalia essent promissio matrimonii ineundi in iis circumstantiis, in quibus ipsum iniri non posset, nisi cum gravi et peccaminosa parentum offensa, ut quia filius cum notabiliter viliore in familiæ dedecus contraheret; vel quia gravia inde scandala sequerentur, graves et diuturnæ dissensiones, etc. tunc enim sponsalia non tantum graviter illicita, sed etiam invalida erunt, cum ad impossibile vel inhonestum, quale esset eo casu matrimonium, nemo possit obligari ; adeo ut ne jurata quidem promissio subsistat, c. *Quanto* 18. de Jurejur.

237. *Obj. I.* L. 7. ff. de Sponsal. ad valorem sponsalium requiritur consensus parentum, sub quorum potestate sunt liberi; ergo.

R. *T. Ant. N. Cons.* Ratio est; quod, postquam matrimonium ad dignitatem sacramenti est a Christo elevatum, ea, quæ ad matrimonium pertinent, ut sponsalia, nequaquam ulterius ordinationibus laicis, sed ecclesiastico foro duntaxat subjecta sint. Dixi *T. Ant.* Quia L. cit. non incongrue explicari potest dicendo, consensum parentum olim requisitum fuisse ad honestatem duntaxat sponsalium ; verba enim legis sunt : *in sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur.* Atqui ex legibus civilibus non satis solide evincitur nullitas matrimonii sine parentum consensu olim celebrati; leges enim sine consensu illo celebratas nuptias aiunt solummodo *injustas*, L. 18. ff. de Rit. Nupt. sed vox ea saltem æque *inhonestas* significare potest, quam invalidas. Sed de hoc plura, ubi de matrimonio.

238. *Obj. II.* Parentes possunt irritare sponsalia liberorum ; ergo signum est non valere liberorum sponsalia, quæ sine consensu parentum contrahunt. *Prob. Ant.* Pater potest irritare vota liberorum; ergo multo magis sponsalia : si enim promissio facta Deo irritari possit, multo magis facta homini.

R. 1°. *N. Ant. Ad prob.* R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est; quia pater potest irritare vota liberorum, quatenus præjudicant patriæ potestati; Deus autem vel non acceptat vota, quæ tertio præjudicant ; vel si acceptat, cedit iterum suo jure, si præjudicatur tertio. Sponsalia autem non sic præjudicant patriæ potestati ; huic enim, cum sint juris publici saltem dispositive, non subjacent. Deinde liberi circa status electionem sui juris sunt.

R. 2°. Si parentes possent irritare sponsalia ; ergo hoc ipso essent valida, sicut votum, quod postea irritatur a patre; quod enim nullum est, annullari non potest.

239. *Obj. III.* Liberi tenentur requirere consilium parentum ; ergo etiam sequi ; ergo non sequendo contrahent invalide.

R. *D. Ant.* Tenentur ordinarie, et ex honestate *C.* absolute et de necessitate *N.* Sic *D.* 1um. *Cons.* Ergo etiam sequi ordinarie, et ex honestate *C.*

semper, et de necessitate *N. D. etiam ult.* Non sequendo contrahent sponsalia invalide in casibus supra positis, in quibus matrimonium est illicitum *C.* secus *N.*

240. *Dico III.* Sponsalia metu gravi injusto extorta probabilius valida sunt. Ita cum Haunoldo, Lessio, et aliis contra plures Theologos et Canonist.

Prob. I. Talia valent sponsalia imprimis, spectato *jure naturali;* nam hoc præcise spectato etiam matrimonium metu extortum valet, cum hoc sit irritatum solo jure ecclesiastico. Et ratio utriusque est, quia metus non tollit rationem voluntarii et liberi simpliciter, sed solum secundum quid; ergo adest adhuc sufficiens consensus, qui a jure naturali tantum requiritur. Deinde valent etiam *jure positivo;* quia juxta hoc valent regulariter actus metu extorti c. 2. De his, quæ vi metusve causa. Et L. fin. C. eod. tit. ubi: *quæ metu vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari, vel infirmari:* sed in irritum revocari, infirmari non potest, quod nunquam valuit, nunquam firmum fuit: nec ab hac regula generali sponsalia ullibi excipiuntur. ut constabit solutione objectionum.

Prob. II. Non potest afferri ulla ratio efficax invaliditatis talium sponsalium; si enim aliqua foret, esset hæc, quam plures ex adversariis dare solent, ut ita melius consulatur metum passo: sed hæc ratio non est efficax; nam licet dicantur valere ejusmodi sponsalia, adhuc metum passo satis consultum est per hoc 1°. quod metum passus possit petere et facile obtinere rescissionem contractus. 2°. Quod jus naturale obstringat eum, qui metum injuste intulit, resilire a sponsalibus, si id exigat pars altera. 3°. Imo metum patienti major favor præstatur, si dicatur valere ejusmodi sponsalia, quia habebit sibi obligatam partem alteram, potestque eam compellere ad standum contractu, si metum passo postea matrimonium placeat.

241. *Obj. I.* Irritum est matrimonium metu gravi injusto extortum c. *Veniens* 15. c. *Consultationi* 28. h. t. Ergo etiam sponsalia, si de his aliud in jure non sit expressum. *Conf.* Quod in jure statuitur de matrimonio, etiam de sponsalibus intelligi debet. L. *Oratio* 16. ff. de Sponsal. Atqui ex jure non valet matrimonium metu extortum, et de sponsalibus aliud in jure expressum non est; ergo.

R. *C. Ant. N. Cons.* Ratio est; quod de matrimonio ita specialiter sit a jure statutum juxta textus claros c. *Veniens* cit., etc. et juxta c. *Cum locum* 14. eod. nihil autem tale statuerit jus circa sponsalia. Ergo dicenda sunt valere juxta regulam generalem, qua regulariter valent actus metu extorti; item juxta jus naturale, quod plus non exigit, quam mutuum consensum, quem metus non tollit simpliciter.

Ad Conf. R. 1°. Lex illa civilis post elevationem matrimonii ad dignitatem sacramenti in sponsalibus tanquam in re spirituali attendi non debet. Et ratio est, quod argumentum a matrimonio ad sponsalia non teneat universaliter, ut ipsi fateri debent adversarii. Deinde esto, quod lex illa vigeat, ...

R. 2°. *D. Maj.* Quando eadem est ratio matrimonii et sponsalium *C.* secus *N.* Est autem hic valde dispar ratio; cum enim matrimonii valide initi, et carnali commercio consummati vinculum sit a nulla auctoritate humana

solubile Matth. 19. v. 6. sponsalia autem solvi variis modis possint; ideo matrimonium majorem præ aliis actibus libertatem merito poscit, et illud metu extortum, non vero sponsalia, irritandi specialis et æquissima ratio fuit, ut advertit Sanchez ipse adversarius disp. 19. n. 3.

242. *Inst.* 1. Matrimonium metu extortum principaliter nullum est jure naturali, et non tantum jure positivo; ergo etiam jure naturali irrita erunt sponsalia extorta; sunt enim inchoative matrimonium. *Prob. Ant.* In c. *Veniens* et c. *Cum locum* cit. aliisque jam supponitur nullitas matrimonii extorti tanquam inducta jure anteriori; sed hoc jus anterius debet esse naturale.

Conf. 1. Si matrimonium extortum non esset irritum spectato jure naturali; ergo jus naturale non satis providisset indemnitati innocentis metum injustum passi.

Conf. 2. Jure naturali omne illud irritatur, quod repugnat fini matrimonii; sed huic repugnat consensus metu extortus, nimirum fidei conjugali, conjunctioni animorum, etc.

R. 1°. Etiamsi concedatur matrimonium hoc esse nullum jure naturæ, non ideo idem sequitur pro sponsalibus; nam, ex rationibus allatis, ideo præcipue matrimonium esset nullum jure naturali, quod hoc alias non satis providisset innocenti metum passo, cum tamen matrimonium sit insolubile; et quod metus repugnet fini matrimonii: sed hæ rationes cessant in sponsalibus; licet enim sint inchoative matrimonium; variis tamen modis solubilia sunt: item metum passus ea rescindere potest; nec obligant ad matrimonium *stante metu* contrahendum.

R. 2°. *N. Ant.* cum communiore sententia, et veriore.

Ad prob. R. *N. min.* Jus enim illud anterius potuit esse traditum vel scripto, quod postea intercidit, vel viva voce, vel consuetudine, vel traditione introductum; ergo non est necessario jus naturale. Sic in matrimonio *cultus disparitas* est impedimentum dirimens ex solo jure ecclesiastico, etiam juxta adversarios, licet in toto jure ecclesiastico non extet textus, quo primum tale matrimonium esset irritatum.

Ad Conf. 1am. R. *N. seq.* Sufficienter enim metum passis Auctor naturæ consuluit, legitimo magistratui conferendo potestatem, conjugia metu extorta irritandi; sicut dando ejusmodi potestatem satis occurrit incommodis, quæ oriuntur ex nuptiis clandestinis. Deinde licet metum passus obligaretur metum incutienti, antequam a lege irritaretur tale matrimonium, jus naturale tamen istum ab incussione metus semper absterruit comminatione gravis pœnæ, et ad injuriæ compensationem obligavit graviter. Sicut ergo jus naturale, licet permittat illos irrevocabiliter obligari, qui dolosa simulatione divitiarum, etc. inducti sunt ad matrimonium, satis illis etiam juxta adversarios providit, quod dolosas ejusmodi simulationes, prohibuerit graviter etiam sub periculo malorum inde nascentium, et eum, qui dolo usus, obliget ad compensationem; ita hic.

Ad Conf. 2am. R. *N. Maj.* Nam etiam repugnat fini matrimonii, si contrahens intendat non servare fidem, occidere proles, etc. et tamen matrimonium tale non est jure naturali irritum. Deinde illa mala non sequuntur necessario ex natura metus, sed ex malitia metum passi. Denique ut conditio

aliqua repugnans fini matrimonii irritet matrimonium, debet esse in pactum deducta c. fin. de condit. appos.

243. *Inst.* 2. In c. *Cum locum* 14. h. t. ubi declaratur irritum matrimonium metu extortum, datur ratio, quod *locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit*; ergo matrimonium metu extortum non valet jure naturali, quia juxta hoc requiritur consensus; ergo etiam spectato jure naturali irrita erunt sponsalia metu extorta ex defectu consensus jure naturali requisiti.

R. *D. Caus. Antec.* Locum non habeat consensus perfecte liber et spontaneus, quî ibi ad valorem exigitur a jure ecclesiastico *C.* consensus simpliciter voluntarius et liber, qui solum a jure naturali exigitur *N. Ant. et Cons. utramque.* In matrimonio jus merito majorem libertatem exigit, scilicet perfectam, et spontaneitatem; cum enim hoc insolubile sit, pars metum passa careret omni remedio se ab injuria liberandi : contrarium est in sponsalibus, in quibus spectato utroque jure naturali et humano sufficit consensus simpliciter liber, quem non tollit metus.

244. *Inst.* 3. Etiam jure ecclesiastico hæc sponsalia nulla sunt; ergo. *Prob. Ant.* Innocent III. c. *Ex litteris* de Despons. impub. permisit puellam impuberi desponsatam et in domum ejus traductam recedere, et alteri nubere, eo quod minis parentum impulsa fuisset; ergo supponit ea sponsalia metu extorta non valuisse; alias enim non permisisset eam recedere et alteri nubere.

R. 1°. *N. Cons.* Sed potius eo ipso, quod Pontifex, ut verba sonant, *tribui facultatem* jusserit nubendi alteri, voluit *rescindi* sponsalia; ergo supponuntur valuisse; rescindi enim non potest, quod nunquam valuit.

R. 2°. Permisso etiam gratis (non concesso) sponsalia illa fuisse invalida, *D. Cons.* Supponit ea non valuisse præcise ob metum *N.* ex defectu consensus simpliciter, et absolute *C.* Nam puella dicitur fuisse nolens et invita; ergo simpliciter non consenserat, sed tantum ejus parentes.

245. *Obj. II.* Non potest dari obligatio ad actum illicitum, et ipso jure nullum : atqui si valerent sponsalia, obligarent ad actum illicitum, et ipso jure nullum. *Prob. min.* Quia obligarent ad matrimonium, quod metu extortum illicitum et jure nullum est.

R. *N. min. Ad prob. D.* Obligarent ad matrimonium *stante metu* contrahendum, adeoque contrahendum illicite et invalide *N. cessante metu* contrahendum, adeoque dum hoc licite et valide contrahi potest *C.* vel *Subd.* Obligarent absolute et efficaciter *N.* inefficaciter et quasi conditionate, nisi metum passus velit instituere actionem *quod metus causa,* et sic cogere alterum in judicio ad rescindenda sponsalia, vel opponere exceptionem *quod metus causa*, eaque repellere alterum *C.* Nimirum sponsalia hæc metu extorta non obligant ad matrimonium, dum alter adhuc pergit metum incutere, incundum; sed quando metus cessat, e. g. si desinat metum incutere, vel tertius, qui metum injecit, moriatur, etc. Item, si metum passus non vult uti actione, vel exceptione, *quod metus causa*; tunc enim consentire censetur. Unde exemplum et retorsio est in sponsalibus impuberum, clandestinis, raptorem

inter et raptam initis, quæ valida sunt, ut de duobus prioribus ostensum est supra; de ultimis est longe probabilius, cum jure solum irritetur matrimonium inter raptorem, et raptam, quod jus, cum sit correctorium juris antiqui, extendi non debet ad sponsalia; et tamen sponsalia impuberum non obligant, nisi ad contrahendum matrimonium in pubertate, nisi resiliant; clandestina, non nisi ad contrahendum in facie Ecclesiæ; raptoris et raptæ, non stante raptu, sed quando rapta loco est reddita tuto: ita hic.

246. *Inst.* 1. Metus, quo extorquentur sponsalia, influeret in ipsum matrimonium, etiam sublato metu; nam quidquid influit in obligationem tanquam radicem, influit etiam in objectum et effectum istius obligationis; ergo si sponsalia sint extorta metu, etiam sic extortum censebitur matrimonium.

R. *D. Ant.* Influerent in matrimonium, sublato metu, absolute *N.* inefficaciter, et quasi conditionate, h. e. si metum passus nolit uti actione, vel exceptione *quod metus causa C.* Si vero hac uti nolit, hoc ipso confirmare censetur priora sponsalia, et libere omnino contrahit matrimonium, licet dependenter a prioribus sponsalibus. Hinc matrimonium cessante metu initum pendet a sponsalibus metu extortis fere sicut matrimonium a pubere, in facie Ecclesiæ, vel cum rapta extra raptoris potestatem constituta initum pendet a sponsalibus, quæ ab impubere, clandestine, aut cum rapta in raptoris potestate constituta sunt contracta; ac proin sicut matrimonii valori contracti in pubertate, in facie Ecclesiæ, cessante raptu non obstat impubertas, clandestinitas, raptus; ita nec metus. Et sicut ex eo, quod matrimonium impuberum, clandestinum, aut cum rapta a raptore detenta initum non valeat, male infertur sponsalia inita ab impubere, clandestine, aut cum rapta adhuc detenta esse invalida; ita iterum hic.

247. *Inst* 2. Ponamus, quod metum passus volens rescindi sponsalia, non audiretur a judice; vel, si audiretur, metum probare non posset; compelli posset a judice ad ineundum matrimonium; hoc vero durum esset, quia cogeretur perpetuo vivere in statu violento.

R. Hoc casu matrimonium esset nullum. Deinde hoc incommodum æque sequi potest, ex supposito quod sponsalia illa essent invalida; nam etiam tunc si pars metum passa non audiretur a judice, vel metum probare non posset, compelli posset ad matrimonium.

248. *Obj. III.* 1°. Licet vota alia simplicia metu injusto extorta valeant; invalidum tamen est votum Religionis ingrediendæ metu injusto extortum, quia est via ad professionem religiosam; ergo etiam sponsalia, quia sunt via ad matrimonium. 2°. Juramentum sponsalibus metu extortis adjectum est nullum; ergo signum est invalida etiam esse sponsalia. 3°. Si valeant hæc sponsalia; ergo ex his nasceretur impedimentum publicæ honestatis: sed durum est innocenti, qui metum passus est, tale onus imponere, quo ejus libertas citra omnem culpam restringeretur; ergo.

Ad 1um. R. *N. Ant.* Nullus enim textus juris afferri potest, quo irritum declaretur tale votum metu injusto extortum; et a constitutione, qua professio metu extorta irritatur, tanquam restringente jus naturale duci non

debet argumentum ad votum ingrediendæ Religionis metu extortum. Instantia, vel retorsio est in exemplis supra allatis de matrimonio clandestino, etc.

Ad 2um. R. *N. Ant.* Nam regulariter valet, et obligat omne juramentum, quod sine peccato impleri potest, arg. c. *Quamvis.* de pact. in 6. sed matrimonium licite et *cessante metu* valide iniri potest, etiam vi juramenti.

Ad 3um. R. *C. seq. Maj. D. min.* Est durum hoc onus imponere sine sufficienti causa et sine jure *C.* his habitis *N.* Hoc onus imponitur a jure; jus enim hoc impedimentum annectit sponsalibus validis, sponsalia vero metu extorta nullibi a jure invalidantur. Deinde licet metum passus careat culpa, non tamen sine ejus consensu hoc impedimentum contrahitur, eo quod, licet ex metu contrahat sponsalia, illa tamen adhuc libere contrahat.

ARTICULUS V.

QUIBUS EX CAUSIS SPONSALIA DISSOLVI POSSINT?

249. *Dico 1.* Sponsalia non solum morte naturali, quæ ipsum etiam matrimonii vinculum solvit, sed et superstite utroque desponsatorum multis ex causis dissolvi possunt.

1°. Sponsalia puberum mutuo consensu solvuntur. c. *Præterea* 2. h. t. Ratio est, quia obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur §. fin. Inst. quib. mod. toll. obl. Et generaliter omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. c. 1. et L. 35. ff. de R. J. intellige, si res, vel obligatio ex natura sua solubilis sit, ut sunt sponsalia; atqui hæc mutuo consensu nascuntur. Deinde sponsalia licet via sint ad matrimonii sacramentum, non tamen excedunt limites contractus humani; ergo, sicut iste, mutuo consensu solvi possunt. Idque etiam locum habet in sponsalibus juratis; quia hoc juramentum non obligat nisi in partis commodum, qua proin obligationem remittente, tollitur juramenti materia. Et quia invito non datur beneficium, L. *Invito* 70. ff. de R. J. juramento omni, quod in favorem, vel bonum hominis præstitum est, inest tacita conditio : *nisi ab hoc remittatur.*

2°. Ipso facto solvuntur per *matrimonium* cum alia vel alio valide, licet illicite contractum. c. *Si inter* 41. de Sponsal. c. 1. *de Spons. duor.* Et ratio est, quod inter duo vincula incompatibilia teneat illud, quod fortius est, rupto, *aut suspenso* interim debiliore; matrimoninm vero cum sit indissolubile, et conferat jus in re, fortius est; ergo illi cedunt sponsalia. Dixi 1°. *per matrimonium.* Non enim solvuntur per sponsalia posteriora, licet jurata, cum valida esse non possit promissio rei jam alteri ex justitia obligatæ; juramentum vero obligare nequeat in præjudicium tertii c. *Cum contingat* de Jurej. Dixi 2°. *aut suspenso*; quæstio enim est inter Doctores an per sponsalia de præsenti, vel matrimonium ita solvantur sponsalia de futuro, ut sponsa de præsenti mortua (idem est de sponso de præsenti) vel ante matrimonii consummationem ingressa Religionem, sponsus non teneatur implere tunc sponsalia de futuro prius inita? Non teneri docent Sanchez L. 1. Disp. 48., Layman L. 5. Tr. 10. p. 1. cap. 2. ea moti ratione, quod sponsalium de

futuro initorum obligatio per sponsalia de præsenti extincta sit, c. *Sicut* 22. et c. *Si inter* 31. Obligatio autem semel extincta non reviviscat L. *Qui res.* 98. §. 8. ff. de Solutionib. *Confirm. a pari.* Votum ingrediendi Religionem strictiorem extinguitur absolute per professionem in laxiori c. *Qui post.* 5. de regular. in 6. Ergo etiam sic extinguuntur sponsalia de futuro per sponsalia de præsenti. Verum teneri adhuc sponsum ad priora sponsalia de futuro inita implenda docent Coninck Disp. 23. Dub. 4., Wiestner Instit. Can. Lib. 4. Tit. 1. aliique, et recte; quia nullo jure habetur ea vis sponsalium de præsenti extinguendi priora de futuro. Non *naturali*; quia juxta hoc obligatio illa potest consistere cum matrimonio, saltem quatenus respicit tempus illius per mortem dissoluti; eamque eo casu tantum suspendi conveniens est, ne violans fidem datam ex sua malitia commodum reportet, et pars innocens læsa privetur suo jure pro eo casu, quo ejus usum nihil impedit. Nec *positivo*, quia in cc. citt. solum dicitur matrimonium esse validum; minime vero priora sponsalia omnino extingui; unde sicut ligatus voto Religionis, si ineat et consummet matrimonium, non liberatur omnino obligatione voti, sed tenetur adhuc mortua conjuge implere votum, quantum potest; ita hic. Item qui e. g. equum vendidit secundo alteri et tradidit, licet emptor secundus per traditionem acquisierit jus in re et dominium; si tamen equum reddat venditori, hic adhuc equum tenetur tradere emptori primo; sic in nostro casu. Quoad votum vero ingrediendi Religionem strictiorem disparitas est; quia per votum *simplex* Religionis strictioris, et per *solemne* in laxiori fides non est data diversis sed eidem, scilicet Deo; cui quia actualis sui traditio per professionem in laxiori est gratior, quam simplex promissio ingrediendi strictiorem, ideo declaravit Ecclesia c. *Qui post.* cit. extingui votum ingrediendæ Religionis strictioris per actualem professionem in laxiori; sed contrarium est in nostro casu.

3°. Per lapsum temporis matrimonio ineundo præfixi, si nimirum hoc præfixum sit obligationis finiendæ causa, c. *Sicut* 22. h. t. Et quidem solvuntur ex utraque parte sive si sine ullius culpa, sive si ex utriusque culpa intra illud tempus matrimonium secutum non est; ex parte vero innocentis solum, qui paratus erat ad nuptias, si hæ secutæ non sint ex mora alterius sive culpabili, sive inculpabili c. cit. Ratio est, quia terminus ille fuit adjectus per modum conditionis, qua non impleta cessat obligatio; nec sponsi intenderunt ultra illum terminum se obligare. Nec obstat, quod tempus non currat legitime impedito, c. *Quia* 5. de concess. Præb. et L. 1. §. f. C. de annali except. legitime autem impeditus censeatur, cujus mora est inculpabilis; nam licet legitime impedito tempus non currat ad contrahendam pœnam legalem, vel conventionalem juxta c. et L. cit. currit tamen ad tollendam obligationem, si lapso tempore deficiat conditio, cui promissio alligata est, c. *Sicut* c. cit. et L. *Si convenerit.* 14. ff. pro Socio. Et ita se hic res habet.

Dixi: *Si præfixum sit obligationis finiendæ causa.* Secus enim est, si certum tempus obligationi solum urgendæ et implendæ præfixum sit, h. e. ita, ut ultra præstitutum tempus neutri differre liceat impletionem, sicut debiti pecuniarii solutioni solet tempus præfigi; tunc enim lapso tempore manet obligatio implendi ex utraque parte; nam duplex tunc datur obligatio, una absolute contrahendi matrimonium, altera non differendi ultra

præfixum tempus; prima, quæ principalis est, manet, licet altera lapsu temporis deficiat.

4°. Per absentiam, vel discessum unius ex sponsis in alienas terras parte altera inscia, aut invita, c. 5. *De illis* h. t. Dixi : *in alienas terras*. h. e. si discessus fiat animo mutandi domicilium, de quo loqui duntaxat c. cit. constat ex verbis : *et postea dimittunt terram ad alias partes se transferentes* ; non enim qui negotiorum, vel studiorum solummodo causa alio se confert, terram dimittit, arg. L. 6. §. fin. ff. de Acquir. vel amitt. Poss. et L. 2. C. de Incolis. Ratio vero, quare discedente uno solvantur sponsalia ex parte alterius, est, quod eo animo discedens censeatur ipso facto illis renuntiare; nec sponsa de futuro teneatur sponsum sequi, dum mutat domicilium, sicut uxor maritum, sponsus vero multo minus teneatur sequi sponsam. Si vero unus discedat animo non mutandi domicilium, sed redeundi, distinguendum est. Vel enim reditus facilis, nec diu differendus censetur; tunc satis convenit inter Doctores ex parte alterius non esse facultatem resiliendi. Vel reditus est difficilis, et diu differendus creditur; hoc ipso discedens inscia vel invita parte altera juri suo renuntiare iterum censetur; nec servasse, ut oportet, datam fidem, et res notabiliter mutata videtur. Vel dubium est; et res optime judici ecclesiastico tunc decidenda committitur. Leges civiles vero ut L. *Si is* 2. C. de Sponsal. jubens exspectare sponsam biennio, si sponsus absens sit intra provinciam, et L. *Liberum* 2. C. de Repud. jubens exspectare triennio, si sponsus est absens extra provinciam, imo quadriennio et ultra, ut L. *Sæpe* 17. ff. de Sponsal. si causa absentiæ sponsi necessaria sit, hodie non urgent, nec afficiunt fidelium sponsalia, quæ juxta jus ecclesiasticum regulari debent; hoc vero c. *De illis* cit. sine ulla tali distinctione dat parti alteri facultatem resiliendi, nisi dicere malis, jure civili fuisse exspectandum tempus legibus statutum, non ut sponsa renuntiare posset sponsalibus, sed tantum ut ab iis propter absentiam sponsi recedens sponsa arrhas ab illo datas retinere posset, quas amissura erat, si ante hoc tempus a sponsalibus recederet. Ratio est, quia jure civili solo recessu et renunciatione sponsæ sponsalia semper solvi poterant L. 1. C. de Sponsal.

5°. Per quamcumque supervenientem mutationem notabilem, sive physica illa sit, sive moralis, quæ notabiliter difficiliorem reddit executionem sponsalium. Ratio est, quod intentio matrimonium, quod vinculum inducit indissolubile, sibi promittentium non censeatur se extendisse ad casum ita difficilem, et contractus sponsalitius semper imbibitam hanc conditionem habeat : *si res in eodem statu permanserit : nisi notabilis supervenerit mutatio*. Ejusmodi mutatio *physica* est, si pars una incidat e. g. in paralysin, vel similem morbum difficulter curabilem, aut contagiosum; si amittat e. g. oculum, vel similem contrahat deformitatem. *Moralis* accidit in moribus et bonis animi per turpe crimen, hæresis, furti, latrocinii, etc. aut in fortunis per notabilem amissionem bonorum, vel etiam justum timorem exhæredationis, etc.

6°. Per fornicationem unius, ob quam innocens a sponsalium etiam juratorum obligatione absolvitur, c. *Quemadmodum* 25. de Jurejur. Dixi : *unius*, non *solius sponsæ*; licet enim c. cit. loquatur de sponsa, recte tamen idem de sponso intelligitur, cum sit eadem ratio utriusque; et sponsus fornicando

æque fidem datam frangat, et injuriam inferat sponsæ, quam hæc, dum fornicatur, sponso; igitur sicut post unius conjugis adulterium licet tam uxori, quam marito divertere, Can. *Apostolus* 32. q. 7. sic post unius tam sponsi, quam sponsæ fornicationem resilire licebit alteri. Si vero copula fuit per vim extorta, distinguendum est: si sponsæ per vim et violentiam oppressæ stuprum illatum est, licet resilire sponso, cum per hoc sponsa multo fiat vilior, sitque sponso probrosum ducere corruptam, item periculosum, ne prolem alienam alat pro sua c. *Quemadmodum* cit. secus vero est, si sponsus vi corruptus fuerit; quod ejusmodi violentia non afferat tantam notam sponso, nec sponsæ sit tam probrosum, nec periculosum.

7°. Per superveniens quodcumque impedimentum dirimens matrimonium; eo casu enim matrimonium nec validum erit, nec licitum; ergo nec sponsalia ad illud obligare possunt c. *Si quis* 27. q. 2. c. *Ex litteris* 8. de eo, qui cognovit, juncto Tridentino Sess. 24. cap. 4. de Reform. matrim. Si tamen pars impedimentum malitiose incurrisset; ut sponsus fornicando cum sorore suæ sponsæ, obligabitur vel ad damnum, quod inde sponsa patitur, reparandum; vel ad dispensationem, si illa velit, petendam. Ratio est; quia malitiose ponens impedimentum matrimonii graviter violat jus alterius, ergo ex justitia obligatur reparare hoc jus removendo impedimentum, quantum potest.

8°. Per professionem religiosam, quia et hæc impedimentum dirimens matrimonii est, et ex jure sponsalibus inest hæc conditio: nisi Religionem intravero; unde et licite fit professio, invita licet sponsa. Similiter solvuntur per susceptionem actualem ordinis sacri, sive majoris, quia et hic suscipientem reddit inhabilem ad matrimonium ob solemne, quod includit, votum castitatis. Extrav. *Antiquæ* Joann. XXII. de voto. Ordinis tamen susceptio probabilius graviter illicita est, si fiat sponsa vel inscia, vel invita. Ratio est, quia neque naturali, neque divino, neque ecclesiastico jure conceditur sponso hæc facultas; sicut ei conceditur emittere professionem religiosam, Extrav. cit. et c. 7. de Convers. conjug. Unde gratis dicitur susceptioni ordinis sacri inesse hanc conditionem: nisi statum elegero perfectiorem; sed manet obligatio justitiæ.

Quoad causas hactenus allatas satis inter auctores convenit: dubitatur adhuc solummodo, an etiam dissolvantur sponsalia per votum simplex castitatis, vel ordinum suscipiendorum, ingrediendi Religionem, vel ipsum ingressum præcise, nondum secuta professione. Unde

250. *Dico II.* Dum unus sponsorum emittit votum castitatis, vel suscipiendi ordines; vel votum ingrediendi Religionem; vel si Religionem ingrediatur præcise, professione nondum secuta, hoc ipso alter acquirit facultatem resiliendi.

Ratio quoad *votum castitatis*, vel *ordinum* est, quia vovens hoc ipso juri suo renunciat; nam, quantum ex parte sua est, se obligat ad id, quod cum statu matrimonii consistere non potest. Quoad votum *ingrediendi Religionem* ratio est eadem, quod vovens censeatur ex parte sua sponsalibus renunciasse. Quoad *ingressum Religionis* militat tum eadem ratio, quod licet ingressus hic sit licitus, sit tamen tacita sponsalium, adeoque juris sui renunciatio; ergo eo ipso pars altera acquirit jus pariter renunciandi, tum specia-

liter, quod difficile nimis foret remanenti in seculo expectare usque ad tempus professionis; tum denique quod per ingressum Religionis fiat personæ mutatio in æstimatione humana, fiatque hæc vilior in ordine ad matrimonium, partim ob magnam, quam egrediendo proderet inconstantiam, partim quod probrosum sit habere conjugem, qui habitum religiosum exuit.

251. *Dico III.* Votum ingrediendi Religionem, vel ingressus ipse, seclusa professione, non dissolvit sponsalia ex parte voventis, vel ingredientis: neque etiam votum castitatis, vel suscipiendi ordines.

Ratio primi est, quia per hoc votum vovens præcise se obligat ad experiendam et probandam Religionem; fieri vero potest, ut post factam experientiam egrediatur licite et impleto voto suo; ergo adhuc tenebitur obligatione justitiæ ante contracta. Deinde novitiatus non solvit sponsalia ex natura sua; unde enim hæc repugnantia? nec ex jure; tale enim nullum assignabile est. Adde, quod sic via aperiretur fraudibus, cum facile foret assumptione religiosi habitus ad breve tempus se liberare sponsalitia obligatione. Igitur non extinguitur ingredientis obligatio, sed tantum suspenditur, ita ut iterum egrediens teneatur ad contrahendum matrimonium, si pars altera velit.

Ratio secundi est, quia hoc votum est de re aliena et debita alteri ex justitia; ergo voventem deobligare non potest; proinde nec acceptatur a Deo; non enim Deo placere potest victima, quæ ex rapina fit. *Conf.* Non potest promissio commutari in melius, si commutatio est in præjudicium promissarii, nisi quando in promissione fuerit expresse addita, vel saltem tacite subintellecta conditio de tali commutatione; non enim potest promissor disponere invito promissario de jure ab hoc acquisito: atqui in promissione sponsalitia nec fuit expresse addita; nec tacite subintellecta conditio: nisi elegero cœlibatum; vel: nisi suscepero ordines. *Prob. min.* Non fuit expresse addita, ut supponi debet: nec fuit tacite subintellecta; vel enim inesset hæc conditio ex natura sponsalium, vel ex jure. *Non primum;* quia homo non tenetur semper ad id, quod perfectius est, sed potest simpliciter eligere minus perfectum, et proin ad illud se alteri obligare, qua obligatione facta jus quæsitum alterius jam lædere non potest. *Non secundum;* quia tale jus non habetur.

252. *Obj. I.* Sponsalibus semper inest hæc tacita conditio: nisi statum elegero perfectiorem; vel: nisi Religionem intravero, juxta c. 2. 7. de convers. Conjug. Atqui status novitiorum est perfectior statu sponsorum; ergo.

R. *N. supposit. min.* Status enim significat stabilitatem, quæ novitiatui non competit: vel *D. Maj.* Nisi elegero statum proprie dictum, h. e. professionem in Religione *C.* improprie talem, sive novitiatum, qui tantum est via ad statum perfectiorem *N.* Citt. capp. loquuntur de statu perfectiori proprie tali, dum quis Religionem intrat per actualem professionem; neque enim qui novitiatum ingreditur probationis causa, ideo dici potest assumpsisse statum, cum solum in via sit.

253. *Inst.* 1. Conditio novitiorum tamen perfectior est, quam sponsorum; ergo adhuc inest sponsalibus hæc conditio, nisi statum perfectiorem elegero, vel Religionem, novitiatum intravero.

R. *N. Cons.* Nonne promissio mille aureorum facta pauperi, vel alteri causæ piæ perfectior est, quam facta diviti, vel causæ mere profanæ? nec tamen his facta involvit hanc conditionem, nisi eos donem pauperi, vel alteri causæ piæ impendam.

254. *Inst.* 2. Ipsa ratio dictat, cuilibet esse licitum transire ad perfectius, et se consecrare Deo, non obstante promissione facta homini; neque enim hic conqueri potest, quod postponatur Deo; ergo semper sponsalibus inest saltem hæc conditio: nisi per votum elegero statum perfectiorem. *Conf.* Sic et in ipsa professione religiosa semper subintelligitur hæc conditio: promitto me sub hac religiosa disciplina perseveraturum, nisi ordinem strictiorem elegero.

R. 1°. Probas etiam licere conjugi post matrimonium consummatum transire ad Religionem inscio altero: res quascumque promissas homini et debitas eo invito posse expendi per eleemosynas.

R. 2°. *D. Ant.* Ratio hoc dictat cuilibet non vinculato, si fiat sine læsione juris alieni *C.* secus *N.* Et ita homo conqueri potest, quod sibi fiat injuria sub prætextu accedendi ad Deum: nec Deus ipse vult sacrificium ex alieno. *Ad Conf.* disparitas est primo, quod jure positivo ecclesiastico c. 18. de Regularib. et trans. ad Relig. insit professioni ea conditio; sed tale jus nullum extat pro voto respectu sponsalium. Secundo, quia utraque professio principaliter fit eidem, scilicet Deo, ergo sine alicujus injuria; unde præsumi potest eam Deo magis placere, quæ fit in ordine strictiore, sed contra accidit in nostro casu.

255. *Inst.* 3. Sponsalibus et matrimonio rato inest hæc conditio: nisi statum religiosum per professionem elegero; ergo etiam sponsalibus inest hæc: nisi cœlibatum elegero; vel nisi vovero statum sacerdotalem. *Conf.* Promissum non infringit, qui illud in melius commutat c. 3. de Jurejur. Sed hoc facit, qui post sponsalia vovet castitatem, suscipere ordines, ingredi Religionem.

R. *D. Ant.* Inest hæc conditio ex natura rei, aut præcise, quia status perfectior est *N.* ex dispositione juris clari *C.* scilicet ex c. 7. de convers. Conjug. et Trid. Sess. 24. can. 6. Sponsalibus vero dictæ conditiones nec insunt ex natura rei, nec ex aliquo jure, et privilegium concessum soli Religioni extendi non debet cum sponsæ præjudicio.

Ad Conf. D. Maj. Non infringit, qui in melius commutat sine injuria tertii, quando hoc fit cum consensu promissarii, vel quando melius datur eidem, cui debebatur minus bonum *C.* si fiat cum injuria tertii, uti hic fieret *N.* et *N. min. et suppos.* posse esse melius, quod nec bonum esse potest, sicut tale votum post sponsalia. Adde, sic omnes promissiones homini factas expungi posse per vota et oblationes faciendas Deo. Denique c. 3. cit. loquitur de commutatione promissionis Deo factæ; sic votum potest commutari in aliud de re adhuc meliori.

256. *Inst.* 4. Juxta c. *Veniens* 5. Qui clerici vel vovent, punita est mulier, quod per nuptias violare voluerit votum simplex castitatis post sponsalia emissum, et data ei fuit dispensatio, ut posset nubere; ergo votum valuit.

R. *D. Ant.* Punita est, quod per nuptias violare voluerit votum nubendo priori sponso, et data ei fuit dispensatio, ut posset huic sponso primo nubere *N.* punita est, quia *fidem mentita est,* et per votum repudiaverat sponsum primum, et postea volebat nubere alteri, ad quod egebat dispensatione *C.* Punita igitur fuit, quod contra fidem priori sponso datam illum repudiaverit, sub prætextu voti castitatis; et dispensatione eguit, quia post votum volebat nubere alteri, quod non poterat licite; quia votum castitatis simplex post sponsalia emissum licet non valeat in præjudicium sponsi, quasi vovens per hoc liberaretur a data fide; valet tamen in præjudicium voventis, ut cum altero licite matrimonium contrahere non possit; nec exigere conjugale debitum. arg. c. *Placet* 12. de Convers. conjug.

257. *Obj. II.* Si concurrant duo vincula, obligat hoc, quod fortius est c. *Si inter* 31. de Sponsal. Sic matrimonium solvit sponsalia prius cum alia vel alio inita: atqui votum et sponsalia sunt duo vincula, et fortius est votum v. g. castitatis; quia fit Deo, et per illud obligatur Deo corpus et anima; ergo.

R. *D. Maj.* Si vinculum illud in se fortius hic et nunc sit validum, et vere existat *C.* secus *N.* Votum in nostro casu, quatenus alteri præjudicat, nullum est. Quoad matrimonium est disparitas, quia hoc validum est c. *Si inter* cit.

258. *Obj. III.* Votum simplex castitatis irritat sponsalia subsequentia, etiam jurata; ergo et vicissim antecedentia. *Conf.* Votum simplex non minus obligat coram Deo, quam solemne; ergo etiam æque solvit sponsalia antecedentia.

R. *N. Cons.* Quia sponsalia post votum inita essent promissio rei alienæ alteri, scilicet Deo debitæ, ergo non valent; consequenter nec juramentum, quod nequit esse vinculum iniquitatis.

Ad Conf. R. *D. Ant.* Non minus obligat, quoad effectus aliquos, et in præjudicium voventis, ut cum alia contrahere non possit licite, nec petere conjugale debitum in matrimonio, obligeturque ad continentiam altera parte defuncta *C.* quoad effectus omnes, et in præjudicium tertii *N. Ant. et Cons.*

259. *Obj. IV.* Sponsalia non claudicant, sed essentialiter sunt mutua; ergo si ex parte unius cessent, etiam cessabunt ex parte voventis.

R. *D. Ant.* Non claudicant, ut maneant perfecta sponsalia *C.* ut per modum promissionis simplicis solum partem ream obligent *N.* Vel: non claudicant in fieri, sive dum fiunt sponsalia *C.* in facto esse, sive conservari *N.* Idem respondere debent omnes in superveniente quacumque mutatione notabili ex parte unius, ut fornicatione, etc. quo casu potest resilire innocens; huic tamen pars altera obligata manet, si innocens nihilominus velit matrimonium.

260. *Quæres I.* An causæ enumeratæ resiliendi facultatem præbeant, si jam ante sponsalia extiterint, et postea primum sint detectæ?

R. *Affirmative.* Quia in jure paria sunt non esse et non apparere L. 77. ff. de contrah. empt. et supervenire talem causam, vel ignorantes præcedere, cum tunc primum res de jure censeatur fieri, cum innotescit. arg. c. *Pastoralis* de Except.

261. *Quæres II.* An possint sponsi propria auctoritate resilire, si causa aliqua ex prædictis subsit?

R. *Affirm.* per se loquendo, modo causa certa sit; neque enim ullo jure cauta reperitur necessitas tunc adhibendi auctoritatem judicis, et per se sponsalibus inest conditio, nisi justa resiliendi causa intervenerit. Si vero causa sit dubia, judicis ecclesiastici auctoritas debet accedere; quia vi contractus sponsalitii quilibet ex sponsis est in possessione juris acquisiti; in dubio vero nemini licet auctoritate propria deturbare alterum de possessione juris sui. Dixi : *per se loquendo,* scilicet secluso statuto diœcesano speciali.

CAPUT II.

DE NATURA MATRIMONII.

262. Matrimonium sub duplici ratione sumi potest; *active,* sive ut alii loquuntur, in fieri, vel causaliter, nimirum pro ipso contractu matrimoniali; et *passive,* sive in facto esse, scilicet pro statu conjugum habitualiter permanente, et per contractum inducto : tametsi vero hoc posteriori modo sumptum magis communiter et proprie dici videatur matrimonium, eo quod in Florentino consensus vel contractus dicatur *causa efficiens* matrimonii; de hoc tamen in priori acceptione potissimum hic agitur. Et quia matrimonium *active* sumptum iterum considerari potest dupliciter, ut est *in officium naturæ,* sive contractus naturalis, et ut est *sacramentum,* de matrimonio sub utraque hac acceptione disseremus.

ARTICULUS I.

QUÆ SIT ESSENTIA MATRIMONII?

263. *Nota I.* Matrimonium ut est officium naturæ, et *active* sumptum definitur : Contractus legitimus, quo mas et femina, jure habiles, sibi mutuo jus tradunt in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et se obligant ad individuam vitæ societatem. Quibus si addas : et ex institutione Christi gratiam, quam significat, conjugibus conferens, erit simul definitio matrimonii ut sacramenti.

Dicitur 1°. *Contractus legitimus,* hoc est, validus juxta leges, tam humanam, quam naturalem et divinam. 2°. *Quo mas et femina,* scilicet unus et

una, ad excludendam polygamiam, *jure habiles*, sive nullo impedimento irretiti. 3°. *Sibi mutuo jus tradunt in corpora*, etc. nimirum saltem radicale, non enim requiri necessario realem traditionem corporum per actualem concubitum dicetur infra; unde matrimonium potius ad contractus consensuales, quam reales reducitur. 4°. *Et se obligant ad individuam*, etc. quibus matrimonii in nova Lege insolubilitas indicatur. Reliqua naturam sacramenti exprimunt.

Matrimonium vero *passive* sumptum, sive in facto esse, et pro conjugali statu communiter definitur : Viri et mulieris maritalis conjunctio individuam vitæ societatem retinens. Dicitur *conjunctio*, scilicet in facto esse, et habitualiter permanens; *maritalis* autem, quo potestas utriusque in corpus alterius innuitur juxta illud 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Matrimonium utroque modo active et passive sumptum etiam sic brevius definiri potest : *Maritalis conjunctio*, vocem *conjunctio* modo sumendo, ut est in fieri, modo ut in facto esse.

264. *Nota II.* Ex definitione matrimonii constat in eo varia reperiri : 1°. Mutuum consensum internum, et externam pactionem, vel signa, quibus consensus exterior exprimitur, h. e. contractum. 2°. Corporum traditionem mutuam. 3°. Vinculum conjugale ex contractu illo proveniens. 4°. Jus cujusque in alterum, sive mutuum quoddam corporum dominium, cui mutua correspondet subjectio. 5°. Usum ipsum matrimonii, sive copulam. Quæritur igitur, in quonam ex hisce recensitis sita sit essentia matrimonii?

Essentiam matrimonii in usu ejusdem, vel consummatione sitam esse Julianus Pelagianus docuit, ratus sine hac non posse matrimonium consistere, ut testatur Augustin. Lib. 5. cont. Julian. c. 16. n. 62. dicens : *Nihil aliud* dicis *esse nuptias, quam corporum commixtionem*. Infami vero calumnia Calvinus Catholicis affingit Lib. 4. Instit. c. 19. §. 34. eos docere, coitum esse partem sacramenti, citans ad marginem librum 4. Magistri sentent. cum hic tamen Lib. eod. D. 27. asserat explicitis verbis, errorem esse affirmare, sine copula non posse contrahi matrimonium, et deinde exponit, quo sensu aliqui veteres scripserint non esse perfectum conjugium sine commixtione sexuum, scilicet perfectione solum accidentali, quia non repræsentat perfecte conjunctionem Verbi cum humanitate, et Christi cum Ecclesia.

265. *Dico I.* Usus matrimonii licet licitus sit, et honestus per se, non tamen est de essentia matrimonii quomodocumque sumpti.

Pars 1ª. est de fide contra plures hæreticos antiquos, Encraticas, Manichæos, Marcionem, Saturnin., etc. *Prob.* ex Script. S. juxta quam Deus auctor matrimonii voluit per hoc humanum genus propagari Gen. 1. *Crescite et multiplicamini*; quæ a Deo ad Adamum et Evam, et Gen. 9. ad Noe et filios ejus dicta sunt : atqui Deus ad rem intrinsece malam positive hortari, vel præcipere eam non potest. Deinde in Lege nova licet commendetur continentia, ut Matth. 19., 1. Cor. 7., Apoc. 14. nusquam tamen matrimonium, vel ejus usus reprobatur ; quin 1. Cor. 7. præcipit Apostolus : *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro*, et 1. Tim. 5. *Volo junio-*

res nubere et filios procreare. Unde in Conc. Bracarensi II. can. 11. (Labb. t. 5. p. 838. C.) dicitur : *si quis conjugia humana damnat, et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichæus et Priscilianus, anathema sit.* Similia habent Patres passim, IREN. L. 1. c. 22. et 30., EPIPHAN. hær. 46. de Adamianis, AUGUST. L. 9. de Gen. ad litt. et sæpe alibi.

Pars 2ª. prob. Inter beatissimam Virginem Mariam et S. Josephum verum fuit matrimonium juxta illud Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ;* nec tamen inter eos ulla intercessit commixtio ; *nec perierat*, ait S. AUGUST. L. 1. de Nupt. et concup. c. 11. *nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis commixtio.* Et de S. Josepho L. 23. contra Faustum c. 8. *Neque enim, quia concubitu non commixtus, ideo non maritus.* Similiter S. AMBROS. L. de Instit. Virg. c. 6. (opp. t. 2. part. 1ª. p. 259. D.) refellens eos, qui putabant, nullum beatissimæ Virginis et S. Josephi fuisse matrimonium, *non defloratio*, inquit, *virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Verum etiam fuit matrimonium inter primos parentes, dum in paradiso morabantur, nec tamen nisi paradiso ejectus Adam cognovit Evam Gen. 2. Quis etiam inter senes copulæ incapaces negabit verum esse matrimonium ? Ratio a priori est ; quia usus ipse et operatio rei non est de illius essentia ; hæc enim ad usum, vel operationem supponitur, et usus est quid consequens ad essentiam ; ergo modo detur jus mutuum, vel potestas mutua saltem radicalis in corpora ; erit verum matrimonium.

Dixi : *modo detur jus mutuum, vel potestas saltem radicalis, in corpora*, quia si ita contraherent, ut nullus haberet dominium, vel jus in corpus alterius, nullum esset matrimonium ; hoc enim est ex natura sua conjunctio *maritalis*, quæ per dictum jus in corpora præcise differt ab aliis conjunctionis speciebus. Et vero si ad matrimonium sufficeret sola in individuam vitæ societatem animorum conjunctio, etiam inter matrem et filium, fratrem et sororem matrimonium esse posset.

266. *Dico II.* Essentia matrimonii *active* sumpti, in fieri, et pro contractu, consistit in mutuo consensu, exterius expresso.

Ratio est, quia omnis contractus essentialiter est duorum, vel plurium in idem consensus externe expressus. Nec in hoc difficultas est, aut controversia.

267. *Dico III.* Essentia matrimonii *passive* sumpti vel in facto esse, consistit in nexu illo vel vinculo indissolubili resultante ex ipso contractu, vel consensu mutuo maris et feminæ.

Prob. Nam 1°. non consistit in consensu mutuo contrahentium sive interno, sive externo, nec mutua traditione corporum, tum quia consensus pertinet ad causam efficientem matrimonii, tum quia tam consensus quam ea traditio sunt actio transiens, permanente matrimonio : item consensus internus revocari potest, matrimonio nihilominus perseverante. 2°. Nec in usu ipso matrimonii, vel copula, ut dictum concl. 1. 3°. Nec in jure mutuo ad copulam ; hoc enim potius objectum, finis, vel effectus est matrimonii, quam ipsum matrimonium ; ideo enim conjuges habent jus ad copulam, quia sunt legitime juncti matrimonio. Ergo debet consistere in illo vinculo, quia nihil aliud adest, vel assignari potest.

268. *Obj. I. cont. part.* 1am. *concl.* 1. Usus matrimonii reprobatur in Scriptura S.; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Nam 1. Cor. 7. ait Apostolus : *Bonum est homini mulierem non tangere* : unde Hier. L. 1. cont. Jovin. n. 4. infert : ergo malum est tangere. 2°. Ibid. vult Apostolus eos, *qui nubunt,* esse *tanquam non nubentes;* ergo vult eos non uti matrimonio. 3°. Rom. 8. dicit, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Unde Siricius papa epist. 1. c. 5. ait matrimonium esse pollutiones. 4°. Apost. 1. Cor. 7. cit. licet dixisset : *Unusquisque propter fornicationem uxorem suam habeat;* ait tamen : *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Ergo suadet solum matrimonium tanquam minus malum, ut majus evitetur ; hoc enim indicat *indulgentia* juxta Aug. L. de pecc. orig. c. 38. *evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam.*

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D. Cons.* S. Hier. Est malum pœnæ *C.* culpæ *N.* Dicitur a S. Doctore malum pœnæ, quia fit carnali concupiscentia, quæ peccati originalis pœna est, ideoque virginitatem præfert ; sic enim cit. loc. n. 3. se ipsum explicat, dum Marcionis, Manichæi, Tatiani errore rejecto ait : *Non ignoramus honorabiles nuptias, torum immaculatum ; sed ita nuptias recipientes, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus.* Ergo non intelligit malum culpæ.

Ad 2am. R. *N. Cons.* Non enim verbis illis matrimonii usum prohibet ; sicut nec prohibet possessionem rerum temporalium per hæc eod. loc. *qui utuntur hoc mundo, sint quasi non utentes,* ut colligitur ex particula *tanquam;* sed solum usum inordinatum ; sicut in ultimo solum affectum inordinatum.

Ad 3am. R. *in carne* hic sumi pro *juxtam carnem.* Siricius vero loquitur de matrimoniis illicitis tum ratione personarum talibus, ut sacerdotum, monachorum, et eorum, qui post pœnitentiam publicam contrahebant matrimonia, quod tunc juxta canones iis erat prohibitum, ut colligitur ex can. 21. Concil. Arelatensis II. (Labb. t. 4. p. 1013. D.) tum aliunde illicitis.

Ad 4am. R. *N. Cons.* Si enim matrimonium in se malum esset, nequidem vitandæ fornicationis causa illud suasisset, aut suadere potuisset; si enim juxta eumdem Apostolum non sint facienda mala, ut eveniant bona, quanto minus dicere potuit, esse facienda mala, ut vitentur majora mala. Unde *indulgentiam* hic opponit præcepto, innuere volens, nuptias non esse præceptas ; et in iis reperiri minus bonum, quam in virginitate, cum qua ibi easdem comparat. Et hoc sensu explicari potest S. Aug. ita ut culpa sumatur *negative,* quatenus nuptiæ impediunt a majori bono, scilicet virginitate ; ita enim se explicat L. de bono conj. c. 8. *non duo mala sunt,* inquiens, *connubium et fornicatio, quorum alterum pejus ; sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius.*

269. *Obj. II. cont. ejusd. p.* 2am. *et conclus.* 2am. *et* 3am. Ad Ephes. 5. ait Apostolus : *Erunt duo in carne una ;* ergo usus est de essentia matrimonii.

R. 1°. *N. Cons.* Verba enim Apostoli vera manent, si dicatur, per ea indicari solum mutuam translationem dominii in corpora, quæ licet ex se referatur ad actus conjugales, sine his tamen esse potest ; non enim necesse est, ut, qui dominium habet rei alicujus, ea etiam facto utatur.

R. 2°. Per hæc verba vult solum prohibere conjunctionem fornicariam et

adulteram, eo quod duo conjuges debeant esse in carne una, non multiplici; sic enim se explicat 1. Cor. 6. 16. *An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim duo in carne una; qui autem adhæret Domino, unus spiritus est: fugite fornicationem.*

270. *Obj. III.* Si usus non sit de essentia matrimonii, ergo verum esset matrimonium, quod contraheretur cum pacto servandi castitatem perpetuam: atqui hoc est falsum; ergo. *Prob. min.* 1°. Tale pactum obstat fini matrimonii, qui est generatio prolis. 2°. Contrariatur substantiæ matrimonii, sicut conditio hæc apposita: contraho tecum, si generationem prolis evites c. *Si conditiones.* de Condit. apposit.

R. *C. seq. Maj.* quia tale pactum non repugnat substantiæ matrimonii. Deinde tale pactum licite et meritorie adjici potest post contractum matrimonium, cur non ante? Tertio quia licite et honeste intendi potest matrimonium ut ratum. arg. c. 16. h. t. Igitur *N. min.*

Ad prob. 1am. R. *D.* Finis est generatio prolis ex supposito, quod conjuges uti velint matrimonio *C.* si uti nolint, ut ipsis liberum est *N.* Deinde finis non est de essentia rei.

Ad prob. 2am. R. *N.* hoc pactum esse contra substantiam matrimonii. *Parit. D.* Conditio hæc: si generationem prolis evites, contrariatur substantiæ matrimonii, si generationi prolis contrarietur positive *C.* si solum negative *N.* Positive contrariabitur, si generatio prolis sit impedienda per e. g. poculum sterilitatis, procurationem abortus, etc. negative vero, et remote, si id solum intendatur, ut omittatur copula, quæ licite omitti potest, ut patet ex dictis, exemplo beatissimæ Virginis et S. Josephi.

271. *Inst* 1. Ergo saltem de essentia matrimonii est, ut detur jus mutuum et potestas ad usum corporis alterius: sed hæc potestas stare non potest cum pacto ejusmodi; ergo.

R. *D. Maj.* Ut detur jus radicale et remotum sive in actu primo, item potestas radicalis et remota *C.* proxima et expedita *N.* Cum potestate vero radicali bene stat pactum ejusmodi; si enim post contractum jam matrimonium non repugnent sibi hi duo actus voluntatis, volo jus ad copulam, et nolo ipsam copulam; cur non etiam tale pactum cum potestate radicali?

272. *Inst.* 2. Illa potestas radicalis esset nugatoria et inutilis, nunquam enim posset exire in actum; ergo.

R. *N. Ant.* Licet enim non posset exire in actum stante voto vel pacto tali, præstaret tamen hæc: 1°. ut neutra pars sine compartis injuria possit alteri dare usum sui corporis; 2° ut si se cognoscerent, licet peccarent contra votum, copula tamen esset matrimonialis, non fornicaria, et proles nata non esset spuria. 3°. Posset licite redigi in actum obtenta dispensatione.

273. *Obj. IV.* Juxta S. Aug. L. de bono Viduit. c. 9. *voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam nubere velle damnabile est;* ergo supponit usum matrimonii esse de hujus essentia. *Conf.* Juxta eumdem L. 19. contra Faust. c. 2. *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud femina debeat nubere, quam ut mater fiat.*

St. Allerio College Library

R. *N. Cons.* Loquitur enim de iis, quæ nubere volunt, ut fit ordinarie cum intentione, vel periculo consummandi matrimonium.

Ad Conf. R. S. Doctor hic de illis loquitur, quæ præcise nubunt propter carnales amplexus, docetque, quod hos non debeant appetere præcise propter concupiscentiam, sed generandam prolem, quod probat ex matrimonii nomine : sic vero non negat posse verum matrimonium esse sine illius consummatione; imo hoc satis affirmat relatus supra de matrimonio beatissimæ Virginis et S. Josephi.

ARTICULUS II.

AN ET SUB QUA RATIONE MATRIMONIUM SIT VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

274. Negant Huss, Lutherus, Calvinus eorumque sectatores moderni hæretici, volentes matrimonium esse solum contractum civilem et politicum. Affirmant contra Catholici omnes, hoc solo opinionum discrimine, quod ex his Doctores aliqui velint matrimonium jam a mundi exordio, in statu innocentiæ, quando Deus Adamum conjunxit Evæ, fuisse veri nominis sacramentum; in statu autem peccati reparatum fuisse ad veri sacramenti dignitatem dependenter a prævisis Christis meritis, sicque perstitisse usque ad Christum; proinde non fuisse ab hoc institutum primo in ratione sacramenti, sed solum in ea confirmatum. Ita teste Maldonato, multi ex antiquioribus, Petrus Soto, et præsertim ex recentioribus Launoius Lib. de Reg. in Matrim. potestate p. 1. a. 2. c. 11. Dum e contra communis cæterorum omnium, qui post Concilia Constantiense, Florentinum et Tridentinum scripserunt, est sententia, matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum, ab ipso Christo primo institutum.

275. *Dico I.* Matrimonium ante legem Evangelicam nunquam fuit veri nominis sacramentum.

Prob. Ex Conc. Trident. quod Sess. 7. can. 1. ita definit : *Si quis dixerit sacramenta novæ Legis* (numerat autem inter ea matrimonium) *non fuisse omnia a Jesu Christo instituta... anathema sit.* Et Sess. 24. can. 1. de matrimonio in specie : *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum; anathema sit.* Ex quibus patet, Christum esse institutorem hujus sacramenti, sicut est aliorum : atqui aliorum fuit primus institutor, et non confirmator; ergo. Deinde latissime differunt confirmare et instituere, et nemo per institutionem intelligere solet confirmationem : atqui juxta Trid. cit. Christus est institutor hujus sacramenti; unde non satis apparet, quomodo Launoii sententia concordet cum Tridentino.

276. *Dices* 1°. Cum Launoio. Ideo matrimonium est sacramentum, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia : atqui in omni statu, innocentiæ, legis naturæ, et scriptæ eam significavit; nam verba illa Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis... propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ*, fuisse ab Adamo prophetice

dicta de futura conjunctione Christi cum Ecclesia, testantur passim Patres, Tertull. L. de anima c. 11., S. Hieron. in cap. 5. ad Ephes., S. Aug. L. 9. de Gen. ad litteram c. 19. Et videtur Apostolus ipse testari ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est... in Christo et Ecclesia.*

R. *D. Maj.* Ideo est sacramentum stricte et proprie dictum, quia illam conjunctionem significat *N.* in sensu latiori et improprio ideo est sacramentum *C.* Quia præcise per respectum ad conjunctionem Christi cum Ecclesia est tantum signum speculativum, nec enim hanc conjunctionem efficit; verum autem sacramentum debet esse signum practicum, sive efficiens id, quod significat. Unde solum inferri potest, matrimonium ante legem Evangelicam fuisse sacramentum in sensu latiori, sumendo *sacramentum* pro signo nudo et speculativo rei sacræ. Et sic explicandi sunt Patres apud Launoium. Item c. *Gaudemus,* de Divort. in quo dicitur, *Sacramentum conjugii apud fideles et infideles existere;* apud infideles enim non nisi in sensu latiori sacramentum est, quatenus etiam horum matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; licet minus perfecte, quam matrimonium Christianorum.

277. *Dices* 2°. Cum Deus Adamum et Evam conjungeret, illis benedixit, dicens: *Crescite et multiplicamini* Gen. 1. atqui benedictio illa fuit signum gratiæ pro Adamo et Eva, eorumque posteris; quid enim alias fuerit?

R. *N. min.* Nam etiam prius benedixerat volatilibus et piscibus. Igitur benedictio illa solum fuit ad conferendam fœcunditatem.

278. *Dico II.* Matrimonium sub ratione contractus est in lege Evangelica veri nominis sacramentum. Est de fide; ita enim definivit concilium Tridentinum cit. concl. præced. contra ultimos Novatores hæreticos. Idem clare jam ante tradiderat Florentinum in Decreto §. *septimum,* dicens: *septimum sacramentum est matrimonii.*

Prob. Ad sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt: 1°. ritus externus, vel signum sensibile; 2°. per se efficax sive productivum gratiæ; alii dicunt: signum practicum; 3°. institutum a Christo. Atqui tria illa habentur in matrimonio.

1°. Ritus externus, vel signum sensibile; conjunctio enim viri et mulieris, quæ fit per verba, vel signa consensum internum exprimentia; verbo: contractus ille externe expressus procul dubio sensibilis est.

2°. Productio gratiæ, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam,... ita et viri diligere debent uxores suas ut corpora sua... sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus,* Christi, *de carne ejus, et de ossibus ejus... Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Ex quo sic argumentor: Juxta Apostolum matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; sed hæc conjunctio est per gratiam; ergo etiam conjunctio conjugalis, viri et mulieris talis esse debet; alioquin enim non posset significare illam conjunctionem Christi. Certe ita ex eo loco Apostoli arguebant Patres Tridentini in proœmio Sess. 24.

3°. Institutio divina; hanc enim Apostolus ibidem innuit, *propter hoc*, h. e. quia sacramentum magnum est, sive repræsentans conjugium Christi et Ecclesiæ, *relinquet homo patrem*, etc. Addunt alii illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Conf. Ex Traditione. Primo ex Patribus e quibus præcipue Tertullianum et Augustinum proferimus, tum quod eorum testimonia sint cæteris clariora, nec ita ab adversariis detorqueri in alienum sensum possint; tum ut pateat falsitas dicti a Calvino L. 4. Instit. c. 19. ante Gregorium M. qui sedit circa finem seculi VI. matrimonium non fuisse agnitum tanquam verum sacramentum. Igitur

Tertullianus L. de Præscript. c. 40. *Ipsas quoque*, inquit, *res sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis diabolus æmulatur. Tingit et ipse quosdam... expiationem delictorum de lavacro repromittit, et sic adhuc initiat mitra; signat in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem... Quid? quod et summum Pontificem in unius nuptiis statuit*; ubi inter sacramenta numerat nuptias, et eo modo numerat, quo baptismum et Eucharistiam.

S. Augustinus L. de bono conjugii c. 24. n. 32. de matrimoniis infidelium et fidelium ait: *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti.* Ubi docet in matrimoniis fidelium esse *sanctitatem sacramenti*: atqui hic sacramentum sumit stricte; quia ait hoc esse peculiare matrimoniis fidelium, quod habeant sanctitatem sacramenti: *quod autem ad populum Dei, etc.* sed hoc falsum esset, si sumeret sacramentum late pro nudo signo et imperfecto conjunctionis Christi cum Ecclesia; quia hanc speculative etiam significat matrimonium infidelium. Plures textus Patrum Bellarminus exhibet.

Porro traditio illa confirmatur inde, quod matrimonium ab initio Ecclesiæ fuerit celebratum tanquam res sacra, sacris ritibus, præsentibus sacris Ecclesiæ ministris, ut testatur S. Ignatius M. vir apostolicorum temporum, epist. ad Polycarpum n. 5. *Decet, ut sponsæ et sponsi de sententia Episcopi conjugium faciant.* Tertull. L. 2. ad uxorem, circa finem: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio?* quibus tria testatur, matrimonium celebratum fuisse in Ecclesia, cum fieret missæ sacrificium; hoc enim significat vox, *oblatio*, et cum benedictione, quæ hodie adhuc vigent. An vero tanta religiositas adhibita semper fuisset, si matrimonium habitum fuisset ut res profana, et contractus mere civilis, ac politicus?

Post Gregorii M. tempora amplius elucet hæc traditio ex decretis summorum Pontificum, ut Lucii III. 1181. relati c. *Ad abolendam*, de hæret. Ex Conciliis, Constantiensi Sess. 15., Florent., Lateran., Trident. cit. Antiquiora Concilia, quæ hanc veritatem aperte definiant, non habemus, eo quod non fuerint hæreses, quæ *præcise* negarent matrimonium sacramentum esse; Manichæi enim non hoc præcise negabant, sed usque adeo licitas et honestas esse nuptias; ac proinde hoc in iis persequebantur Patres, ut ait Augustinus.

Dixi in concl. *sub ratione contractus*; licet enim quoad hoc conclusio non sit de fide; nequit tamen probabiliter dici, quod sit sacramentum sub

ratione vinculi; quia, si ut tale esset sacramentum, ex Christi institutione sanctificare deberet usu suo et ex opere operato : atqui hoc nullo ex fundamento de vinculo dici potest. Deinde communis est Theologorum sententia, omnia sacramenta, præter Eucharistiam, esse transeuntia; vinculum autem illud est quid permanens. Denique vinculum illud, sive obligatio permanendi in individua vitæ societate est effectus matrimonii contracti.

279. *Obj. I.* Matrimonium non habet essentialia sacramenti novæ Legis; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Quod in sacramentis habet rationem signi, debet esse institutum a Christo; sed rationem signi matrimonium non accepit a Christo; nam ante Christum jam erat signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. 2°. Sacramentum proprie tale est signum efficiens id, quod significat; sed matrimonium non efficit unionem Christi cum Ecclesia, quam significat. 3°. Matrimonium non habet annexam promissionem gratiæ; vel enim causaret gratiam primam vel secundam. Non primam; quia hanc causant sola sacramenta mortuorum. Non secundam; quia alias sequeretur, quod illi obtinerent augmentum gratiæ, qui relicto statu continentiæ, qui perfectior est, contraherent matrimonium, quod est status minus perfectus. 4°. Sacramenta conferunt gratiam, dum perficiuntur : atqui matrimonium non confert gratiam, dum exercetur copula, per quam perficitur. 5°. In omni sacramento novæ Legis hæc tria reperiuntur : sacramentum tantum, res tantum, res et sacramentum simul : atqui hæc non reperiuntur in matrimonio. 6°. Ecclesia nequit immutare substantiam sacramentorum : sed illa quædam mutavit circa substantiam matrimonii; quia in Tridentino consensum ante legitimum, scilicet clandestinum, fecit illegitimum.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *D. Maj.* Debet a Christo esse primo institutum in ratione signi efficacis et practici *C.* in ratione signi qualicumque alia *N.* Ante Christum matrimonium erat signum speculativum futuræ unionis ejusdem cum Ecclesia; Christus vero illud simul fecit practicum gratiæ, ut per hanc viri diligerent uxores, sicut ipse *dilexit* Ecclesiam.

Ad prob. 2am. *D. Maj.* Est signum efficiens id, quod significat speculative *N.* quod significat practice *C.* In sacramentis duplex distingui potest significatio; una speculativa, vel objectiva; altera practica : sic Eucharistia duo significat, mortem Christi, et gratiam nutritivam; prior significatio est pure speculativa; non enim efficit Christi mortem, quam significat; ita matrimonium significat primo unionem Christi cum Ecclesia, sed pure speculative, quia illam non efficit; deinde gratiam, sed practice, illam in conjugibus producendo.

Ad prob. 3am. *N. Ant.* Quidquid sit de gratia prima, de quo vid. Tr. de Sacram. in genere; saltem accipit secundam, sive augmentum gratiæ sanctificantis. Nec hoc absurdum dici potest; licet enim continentia perfectior sit matrimonio, si præcise status comparetur cum statu, itaque sit majoris meriti; quia tamen matrimonium habet simul rationem sacramenti, sacramentum vero confert gratiam ex opere operato, ideo continens, si contrahat matrimonium, accipit augmentum gratiæ; licet idem continens, si nuptias propter Deum contempsisset, plus invenisset gratiæ apud Deum, quam sit illa, quæ datur per sacramentum matrimonii.

Ad prob. 4am. *D. Maj.* Dum perficiuntur suis intrinsecis, sive constituti-

vis *C.* dum extrinsecis *N.* Copula vero licet dicatur consummatio matrimonii, hoc tamen non perficit intrinsece; nam fit verum matrimonium, licet nunquam sequatur copula, ut constat ex artic. præc.

Ad prob. 5am. R. 1°. Dogma fidei de existentia alicujus sacramenti non dependere ab hac quæstione scholastica, an hæc tria in omni sacramento adesse debeant; cum ex una parte Christus sacramenta pro suo arbitrio ordinarit; ex altera vero parte quoad hoc nihil definierit Ecclesia; unde licet hæc tria in matrimonio non haberentur, non ideo excludendum esset e numero sacramentorum.

R. 2°. *N. min.* Nam sacramentum tantum est contractus, sive consensus mutuus externe expressus, quia significat tantum, et non significatur: res tantum est gratia, quia tantum significatur, et non significat: res et sacramentum simul potest dici vinculum, quia suo modo significatur, scilicet etiam a contractu; et simul, quia est perpetuum, significat, nimirum unionem Christi cum Ecclesia *perpetuam.*

Ad prob. 6am. *D. min.* Quædam mutavit circa matrimonium ut est contractus *C.* ut est sacramentum *N.* Nam substantia matrimonii ut sacramenti est contractus legitimus; jam vero licet Ecclesia ad tollendos abusus, et præcavenda varia mala certas conditiones requisierit ad contractum matrimonialem legitimum, scilicet ut fiat coram parocho et testibus, sicque reprobarit contractum clandestinum; nunquam tamen fecit, ut, quod non est contractus legitimus, sit sacramentum matrimonii, quod esset mutare sacramenti substantiam.

280. *Obj. II.* Plures ex ipsis Doctoribus catholicis negarunt matrimonium esse sacramentum, ut Magister sententiarum, Durandus, qui L. 4. dist. 26. q. 3. approbat sententiam quorumdam Canonistarum, ut Gaufridi, Hostiensis, Bertrandi, negantium matrimonio inesse vim conferendi gratiam ex opere operato, quod tamen ad sacramentum proprie dictum requiritur; ergo non fuit semper habitum sacramentum.

R. *N. Ant.* Nam uterque, Magister sententiarum et Durandus, constanter agnovit matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum; prior quidem L. 4. dist. 2. ubi ita loquitur: *quorum* (Sacramentorum) *alia remedium contra peccatum præbent, et gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut conjugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et ordo.* Posterior vero, sive Durandus in eumdem L. 4. dist. 2. q. 2. aperte ait septem esse sacramenta, quorum septimum est matrimonium. Et, *tenendum est absolute,* inquit, *quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia, extra de Hæret. Ad abolendam.*

Error igitur Magistri solum erat circa notionem veri sacramenti, cum putaret posse aliquod esse verum novæ Legis sacramentum, quin conferret gratiam, modo aliud ex eo bonum haberetur, ut ex matrimonio, quod dicebat esse *in remedium tantum.* Et hic etiam error fuit paucorum Canonistarum, quos refert Durandus.

Durandus vero nequidem negavit matrimonio vim conferendi gratiam, sed hanc ei positive tribuit L. 4. dist. 2. q. 2. *Alio modo,* inquiens, *potest sumi brevius eorum* (Sacramentorum) *sufficientia ex parte adjutorii, quod conferunt. Sacramenta enim expediunt nos ad actus virtutum, quæ sunt*

septem, tres theologicæ, et quatuor cardinales. Ad actus ergo fidei expedit nos Baptismus; ad actus spei Extrema unctio; ad actum charitatis Eucharistia... ad actum temperantiæ Matrimonium.

Nec approbavit Durandus dictorum Canonistarum sententiam; sed solum contendit, eos non docere aliquid contrarium definitioni Ecclesiæ, vel quod esset hæreticum: *Sunt alia duo*, inquit in L. 4. dist. 26. q. 2. *circa matrimonium, circa quæ sine periculo hæresis licitum est contraria opinari, quorum unum est theologicum, scilicet utrum in matrimonio conferatur gratia ex opere operato, etc.* Et recte; tunc enim id nondum clare Ecclesia definierat; igitur tunc contrarium opinari error erat, non hæresis. Unde etiam S. Thomas in suppl. q. 42. a. 3., Bonavent., Sotus, qui cum communi catholicam tuebantur sententiam, eam solum ut probabiliorem, non ut fide omnibus credendam proponunt. Nemo igitur Doctorum e Catholicis negavit unquam matrimonium esse sacramentum, sed tale esse certa erat et indubitata doctrina; licet quidam disputarent, an vel quomodo conferret gratiam, erronee putantes, posse esse verum sacramentum, licet ex opere operato gratiam non conferret.

Ex his etiam colligitur, falsum esse, quod ait Jueninus, temporibus Magistri sententiarum et S. Thomæ Ecclesiam credidisse matrimonium esse sacramentum novæ legis ex traditione non *explicita* quidem, sed *implicita* tantum, quam clare postea tum Florentina, tum Tridentina Synodus explicuere, sic ut hoc dogma per illa Concilia sit factum articulus fidei, qualis ante non erat.

281. *Obj. III.* Non convenit inter Catholicos ipsos, quando Christus instituerit hoc sacramentum; ergo.

R. *N. Cons.* Etiam quoad tempus instituti baptismi magna est inter Patres et Theologos opinionum diversitas, nec de tempore illo convenit inter adversarios; an ideo baptismus sacramentum non erit? Interim de tempore, quo matrimonium a Christo ad sacramenti dignitatem sublimatum est, triplex est opinio. *Prima* assignat tempus, quo Christus nuptias in Cana sua honestavit præsentia, et illustravit miraculo; pro qua adduci solent S. Augustinus et S. Cyrillus, eo quod prior Tr. 4. in Joan. doceat, Christum ideo nuptiis interesse voluisse, ut castitatem conjugalem firmaret; alter vero Lib. 2. in Joan. c. 2. (opp. t. 4. p. 135. A.) dicat Christum in illis nuptiis sanctificasse conjugium. *Altera* tempus opinatur illud, quo Christus Matth. 19. abrogato repudii libello matrimonium ad indissolubilitatem primam reduxit. *Tertia* tandem post resurrectionem factum existimat, quando Christus per 40. dies in terra conversabatur cum Apostolis varia *loquens de regno Dei.*

ARTICULUS III.

AN SOLUM ET OMNE MATRIMONIUM FIDELIUM SIT SACRAMENTUM.

282. Multiplex est quæstio: I. An solum matrimonium fidelium sit sacramentum, ita ut ratio sacramenti omnino non conveniat matrimonio infidelium? II. An matrimonium infidelium fiat sacramentum proprie tale

post susceptum ab iis baptismum, saltem si renovent consensum? III. An, si fidelis contrahat cum infideli, matrimonium sit saltem sacramentum ex parte conjugis fidelis, ex supposito, quod Ecclesia dispensasset in impedimento disparis cultus? sine hac enim hypothesi nunc quæstio non potest procedere. IV. An etiam matrimonium fidelium, quod per procuratorem contrahitur, sacramentum sit? V. An matrimonium fidelium sit sacramentum, adeo ut ratio sacramenti a contractu matrimoniali separari non possit a contrahentibus?

283. *Dico I.* Matrimonium inter non baptizatos stat quidem in ratione contractus civilis; non tamen est veri nominis sacramentum, sed solum in sensu latiori.

Ratio primæ partis est; quia imprimis valet spectato jure naturæ; hoc enim præcise ad valorem contractus consensum mutuum requirit, qui adesse supponitur. Nullo etiam jure positivo irritatur: non divino; tale enim nullum assignabile est, etiam post Christum: non ecclesiastico; hoc enim potius supponit valere tale matrimonium in ratione contractus c. *Gaudemus.* de Divort. *per sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur.* Imo Ecclesia tale matrimonium irritare non potuit, cui nullum jus in non baptizatos est.

Ratio secundæ partis; quia nullus, nisi suscepto baptismo, capax est alicujus sacramenti novæ legis, ut est communis Theologorum sensus, et innuit Innocentius III. c. *Veniens.* de presbytero non baptizato, eum, qui dubitans, essetne baptizatus, ordinatus fuerat, jubet baptizari et ordinari; item Florentina Synodus, vocans baptismum *vitæ spiritualis januam.*

Ratio tertiæ partis; quia talium matrimonium saltem habet hoc, quod sit symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia, licet minus perfecte, quam matrimonium Christianorum. *Prob.* ex c. *Gaudemus.* de Divort. ubi dicitur *sacramentum conjugii apud fideles et infideles existere;* infideles vero sacramenti proprie dicti incapaces sunt ex defectu baptismi; ergo apud hos est sacramentum solum in sensu latiori, scilicet quatenus eorum matrimonium etiam significat conjunctionem illam Christi cum Ecclesia.

Nec obstat contrahentium infidelitas, vel ignorantia, quod eorum matrimoniis hæc insit significatio; quia hanc habet matrimonium ex prima institutione sua facta in paradiso, quam proinde tollere nequit infidelitas, vel ignorantia.

284. *Dico II.* Matrimonium contractum a non baptizatis non fit sacramentum præcise per subsequentem baptismum, si convertantur; probabile tamen est fieri, si suscepto baptismo renovent consensum.

Prob. 1ª. *p.* Ut fiat novum sacramentum matrimonii, debet poni nova ejus materia et forma: atqui baptismus præcise nec est materia, nec forma matrimonii; ergo. Nec dici potest, quod præsens sit vinculum ex priore contractu inductum, quod subeat vices materiæ et formæ; nam non vinculum, utpote quod est effectus matrimonii contracti, sed consensus est materia matrimonii; ergo vinculum non potest subire vices materiæ et formæ.

Prob. 2ª. *p. negative*: Quia non potest afferri ratio efficax, ob quam tales

conversi, si suscepto baptismo renovent consensum, hoc sacramento privati censeri debeant; ergo. *Ant.* patebit solutione objectionum. Nam

285. *Si ais* 1°. Sacramentum novum matrimonii non fit absque novo consensu, vel contractu, ut ante dictum est: atqui hic non fit novus consensus, vel contractus; nam prior ante conversionem manet; ergo.

R. *D. Maj.* Non fit absque contractu simpliciter et secundum omnia novo *N.* novo saltem secundum quid *C.* Licet post susceptionem baptismi non ponatur novus contractus matrimonii simpliciter et secundum se spectati; ponitur tamen non baptizatis novus contractus secundum quid, et *moraliter intrinsece* distinctus a contractu infidelium; nam consensus in traditionem novo titulo et modo insolubilem est dictinctus a consensu in traditionem non tali titulo et modo factam; atqui consensus ille conversorum post baptismum est consensus in traditionem corporum novo titulo et modo nimirum firmiore insolubilem, scilicet et ratione sacramenti, et significatione indissolubilis conjunctionis Christi cum Ecclesia, quam antea non ita perfecte significabat; ergo. Hæ vero circumstantiæ mutant *moraliter intrinsece* contractum.

Illustrantur hæc *a pari*. Sic venditio, quæ est facta novo titulo et modo firmiore, distinguitur a venditione priore: sic vota solemnia in Societate Jesu distinguuntur a votis simplicibus in eadem, licet utraque tendant in eamdem paupertatem, castitatem, et obedientiam; quia vota solemnia pariunt obligationem magis firmam et insolubilem. Pari modo se habet res in nostro casu.

286. *Si ais* 2°. In contractu matrimonii est hoc speciale, quod requiratur traditio mutua corporum, vel saltem juris in corpora; sed conversi, licet post baptismum renovent consensum, non possunt de novo sibi mutuo tradere corpora. *Prob. min.* Quia hæc jam sibi tradiderunt; vi cujus traditionis uterque amisit dominium in corpus proprium juxta Apostolum 1. Cor. 7.

R. *D. min.* Non possunt sibi mutuo corpora tradere de novo traditione simpliciter, et quoad omnia nova *C.* nova secundum quid juxta dicta *N.* Et *D. prob.* Hæc jam sibi tradiderunt omni modo et titulo, quo poterant tradi *N.* non omni eo modo et titulo *C.* Quare licet amiserit dominium sui corporis simpliciter et secundum se; non tamen amisit omni modo et ex omni titulo, quo poterat amitti.

287. *Si ais* 3°. Si matrimonium illud fieret sacramentum ob renovationem consensus; ergo toties repeti posset sacramentum, quoties renovaretur consensus a baptizatis: sed hoc est falsum; ergo.

R. *N. seq. Maj.* Quia a baptizatis non potest poni talis novus consensus, sicut a conversis, quando post baptismum renovant consensum; priores enim jam consenserunt in traditionem corporum omni titulo et modo insolubilem; sed non ita infideles ante baptismum.

Ex his sequitur renovationem consensus in conversis post baptismum non esse meram approbationem traditionis jam factæ; sed esse traditionem moraliter intrinsece distinctam a priore, qua intendunt indissolubilitatem firmiorem, atque novo titulo.

288. *Dico III.* Matrimonium fidelis cum infideli non est proprie dictum sacramentum, nequidem ex parte fidelis. Est communior contra quosdam volentes, fore sacramentum ex parte baptizati, quia putant inter conjuges esse duo sacramenta partialia, quorum unum subsistere possit sine altero. Contra quos conclusio

Prob. Sacramentum matrimonii essentialiter est contractus; ergo sicut contractus unus est inter duos, ita sacramentum est necessario in duobus, et sicut ad unum contractum essentialiter requiruntur duo habiles ad contrahendum; ita ad sacramentum, quod consistit in certo contractu, scilicet *sacramentali*, requiruntur duo habiles ad contrahendum *sacramentaliter;* quia Christus ad rationem sacramenti elevavit contractum *baptizatorum: Subs.* Atqui in præsenti casu non sunt duo habiles ad contrahendum *sacramentaliter;* ergo.

Conf. Nequit esse sacramentum sine materia et forma essentiali, nec sine subjecto, vel ministro capaci: atqui nullum ex his habetur in casu præsenti: Non primum; quia materia et forma ad hoc sacramentum requisita a Christo sunt duo consensus expressi non qualiumcumque, sed duorum baptizatorum, qui hic non habentur. Non secundum et tertium; quia similiter subjectum capax et ministri, sunt duo baptizati; cum, ut ostensum ante, sit essentialiter contractus inter *baptizatos.*

289. *Dices* 1°. Licet consensus partis infidelis non sit materia sufficiens, ut ipsa percipiat sacramentum; est tamen materia sufficiens ex parte fidelis; quia potest quis carere idonea materia erga se ipsum in ordine ad sacramentum, cujus est incapax, et eam alteri exhibere, qui capax est; ergo.

R. *N. Ant.* Quia materia, ut sit sacramentalis, debet hic poni a baptizatis; Christus enim non qualemcumque consensum elevavit ad sacramentum, sed consensum baptizatorum. Deinde conjuges sibi invicem exhibendo materiam, sibi invicem sunt ministri hujus sacramenti; infidelis vero, excepto baptismo ob hujus necessitatem, nullius sacramenti est idoneus minister, ut est alias communis Theologorum sensus.

290. *Dices* 2°. In præsenti casu ex una parte baptizatus est capax sacramenti; et ex altera parte verum efficit contractum cum non baptizato: atqui contractui baptizati convenit ratio sacramenti; modo intentionem habeat faciendi, quod facit Ecclesia.

R. *C. Maj. D. min.* Convenit contractui baptizati inito cum baptizato *C:* secus *N.*

291. *Dices* 3°. Potest unus recipere gratiam, et non alter ex defectu dispositionis; ergo etiam sacramentum.

R. *N. Cons.* Disparitas est; quia gratia duorum est duplex numero et distincta entitas; potest ergo recipi ab uno disposito, et non ab altero indisposito, vel ponente obicem; e contra cum sacramentum matrimonii consistat in contractu duorum habilium ad contrahendum sacramentaliter juxta superius dicta, dicit essentialiter duos sacramenti capaces, qui in præsenti casu non habentur.

292. *Dices* 4°. Licet omnes ordines simul sumpti constituant unum adæquatum sacramentum ordinis, et utraque species sacramentum unum Eucharistiæ; haberi tamen potest unus ordo sine altero, et sub una specie sine altera sacramentum Eucharistiæ; ergo etiam idem sacramentum matrimonii haberi potest in uno contrahente, quin habeatur in altero.

R. *C. Ant. N. Cons.* Et ordines, et illæ species etiam diversæ totam habent sacramenti essentiam; habent enim partiales etiam ordines singuli suam materiam et formam distinctam, quin unus in aliquo ex his dependeat ab altero; idem est de duplici specie in Eucharistia; matrimonium vero sicut nequit esse contractus verus in uno tantum, sic sacramentum in uno tantum esse non potest; cum hoc, juxta dicta, essentialiter fundetur in contractu duorum fidelium; imo aliud non sit, quam contractus duorum fidelium elevatus. Nec absurdum videri potest, idem sacramentum, cum sit accidens morale, esse in diversis subjectis; sic enim una numero potestas eligendi Imperatorem est in toto collegio Electorali, et potestas eligendi Episcopum in toto Capitulo.

293. *Dico IV.* Matrimonium contractum a fidelibus per procuratorem valet, cæteris paribus, tum in ratione contractus, tum in ratione sacramenti.

Prob. 1ª. *p.* Ex praxi Ecclesiæ, qua etiam hodie ita celebrantur matrimonia a regibus et principibus, velut hoc ipso anno 1760. a Serenissimis Josepho Archiduce Austriæ et Isabella Infante Parmensi; quod non permitteret Ecclesia, si nulla essent talia matrimonia. Deinde ante Tridentinum valebant, ut constat ex c. fin. de Procurat. in 6.; ipsum vero Tridentinum quoad hoc non correxit jus antiquum, sed solum irritavit matrimonia clandestina.

Prob. 2ª. *p.* contra Sylvium. Christus contractum matrimonii validum elevavit in sacramentum: sed talis est contractus per procuratorem initus, ex dictis; ergo. Christus vero hunc contractum nullibi excepit a ratione sacramenti; nec Ecclesia. Imo, quia ratio sacramenti non potest separari saltem licite a contractu, Ecclesia non posset permittere, multo minus approbare talia matrimonia, si sacramenta non essent.

Dixi: *cæteris paribus;* ut enim valeat hoc matrimonium, requiritur 1°. ut procurator a suo principali speciale habeat mandatum ad contrahendum cum persona determinata; neque is suum excedat mandatum. 2°. Ut procurator mandatum suum exequatur per se ipsum, et non per substitutum; nisi specialem substituendi facultatem acceperit. 3°. Ut eo tempore, quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, nequidem tacite, et inscio procuratore; quia per quamcumque revocationem cessat consensus; sine consensu autem non efficitur matrimonium. 4°. Ut procuratores contractum ineant coram parocho, et testibus, in iis locis, in quibus recepta est et viget constitutio Tridentini annullantis clandestina matrimonia.

294. *Dices* 1°. Tridentinum Sess. 24. c. 1. præcipit, ut sponsi interrogentur a parocho, et respondeant; item ut parocho præsens sit consensus contrahentium: sed neutrum fit, si contrahatur per procuratorem.

R. *D. Maj.* Ut respondeant immediate per se ipsos *N.* vel immediate per se, vel mediate per alios *C.* Item, ut consensus sit præsens physice *N.* moraliter *C.* Moraliter est præsens per procuratores; physica autem præsentia nullibi præcepta reperitur.

295. *Dices* 2°. Ergo sponsus dormiens posset valide administrare hoc sacramentum, ut si contingat sponsum in Germania existentem dormire, quando procurator ejus nomine contrahit in Italia: atqui hoc videtur absurdum.

R. *N. min.* Quia sicut sponsus, vel sponsa potest inire dormiens contractum hunc per procuratorem, sic etiam per illum ministrare hoc sacramentum. Et sicut non est absurdum, quod, qui ante somnum habuit intentionem suscipiendi baptismum, vel patiendi martyrium, si dormiens baptizetur, aut occidatur, recipiat gratiam in somno.

296. *Dices* 3°. Nullum est matrimonium, quod fit ab ebrio, licet ille præviderit se in ebrietate contracturum; ergo pariter nullum erit matrimonium, quod per procuratorem contrahitur, dum dormit principalis.

R. *N. Cons.* Disparitas est; quia prior nunquam actu humano libero contraxit, vel consensum dedit, licet, cum liber esset, contractum pure verbalem in ebrietate secuturum præviderit; imo etiamsi in ebrietate contrahere intenderit, quia in ebrietate non perseverat moraliter intentio vel consensus ad efficiendum contractum vel sacramentum sufficiens. E contra in altero casu principalis liber et rationis compos dat mandatum procuratori ceu instrumento vitali; unde licet dormiat principalis, imo ebrius sit, adhuc in eo persistit intentio virtualis, existens in mandato prius dato; intentio autem virtualis ut in aliorum sacramentorum ministris sufficit, ita etiam hic; et sic principalis contrahendo per procuratorem confert gratiam, et simul recipit, nisi per peccatum mortale ponat obicem, non minus, quam qui baptizatur dormiens, cum ante baptismum petiisset. An vero idem teneatur casu, quo principalis in amentiam incideret, non est æque certum: affirmant alii communius ob paritatem rationis; negat cum Lugone et aliis P. Kugler de Matrim. p. 1. q. 10. quod videtur probabilius, si amentia esset habitualis saltem, vel perpetua, eo quod, cum sponsa non præsumatur nubere stulto velle, aut furioso, in hac deficiat consensus; si tamen sponsa edocta de sponsi amentia, nihilominus in consensu persisteret, tenendum videtur cum sententia prima ex paritate rationis.

297. *Dices* 4°. Alia sacramenta nec ministrari, nec recipi possunt per procuratorem; ergo neque matrimonium.

R. *N. Cons.* Disparitas est, quod nullum aliud sacramentum involvat rationem contractus; e contra hoc sacramentum consistat in contractu, qui ens morale est, et cujus illa est natura, ut fieri possit per procuratores, et inter absentes, modo procuratores præsentes sint, qui sustinent personas principalium.

298. *Si instas*: Licet quis judicialiter absolvi absens possit in judicio forensi, nequit tamen absolvi talis in judicio sacramentali, sive foro sacra-

menti Pœnitentiæ; ergo similiter licet contractus alius possit celebrari inter absentes, non tamen contractus matrimonii, utpote sacramentalis.

R. *N. Cons.* Disparitas est, quod in judicio sacramentali confessarius sit judex dispositionis interioris pœnitentis, et in ferenda absolutionis sententia dependeat, secus ac in judicio forensi, a dispositione pœnitentis, eaque *præsenti*, quando datur absolutio; absentis autem dispositio non potest ita cognita esse confessario; et hæc fuit voluntas Christi nobis intimata per praxin Ecclesiæ, et definitiones Pontificum, Clement. VIII. 20. Junii 1602. item Pauli V. Unde non præcise ideo nequit judicium sacramentale exerceri inter absentes, quia absolutio est sacramentalis, sed quia est sacramentalis *talis* ex ordinatione Christi: E contra in matrimonio contrahens non est judex voluntatis interioris in altero contrahente, neque hic obstat aliqua praxis, vel definitio Ecclesiæ; sed ex hujus praxi potius valor matrimonii ut sacramenti eruitur juxta conclusionem.

299. *Dices* 5°. Si matrimonium per procuratores contractum sit sacramentum, cur ergo postea principales iterato personaliter contrahunt coram parocho? certe si sacramentum fuisset, iterari non posset.

R. *N.* Quod iterato contrahant; sed tantum omissas solemnitates tunc supplent, et contractum per procuratores matrimonium ratihabendo testantur, se perseverasse in consensu, dum suo nomine contrahebatur matrimonium.

300. *Dico V.* Licet Christus contractum matrimonialem elevaverit in sacramentum; potest tamen a fidelibus contrahi matrimonium, quod valeat in ratione contractus, quin simul sit sacramentum. Vasq., Rebel., Sylvius aliique recentiores (1).

Prob. I. Juxta communem Doctorum consensum: quando Christus contractum matrimonialem elevavit ad dignitatem sacramenti, vim obligandi, quam ex reciproco paciscentium consensu hactenus habuerat, ei nullatenus

(1) Verum hæc opinio admitti nequit, post allocutionem habitam a Pio IX. in Consistorio secreto die 27. septembris an. 1852. occasione damnorum, quibus catholica Ecclesia in Neogranatensi Republica affligebatur. Sic enim loquitur laudatus Pontifex:

« Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, digni-
« tate, sanctitate omnino despecta, ejusque institutione et natura prorsus ignorata et
« eversa, atque Ecclesiæ in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponeba-
« tur juxta jam damnatos hæreticorum errores, atque adversus catholicæ Ecclesiæ
« doctrinam, ut matrimonium tanquam civilis tantum contractus haberetur, et in
« variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causæ
« ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis judicarentur; cum nemo ex Catholicis
« ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem
« Evangelicæ legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fide-
« les matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum,
« atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, præter sacramen-
« tum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse
« nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac
« proinde a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spe-
« ctare ad Ecclesiæ potestatem, ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quo-
« vis modo possunt pertinere. »

ademit, sed naturæ illum pristinæ reliquit, et tantum illi superaddidit vim collativam gratiæ, hoc est, rationem sacramenti; ergo sicut antea stabat matrimonium in ratione contractus solius, sic et nunc stare potest, si a contrahentibus impediatur vis sacramenti, scilicet si intenderent solum contractum sine sacramento. *Conf.* A paritate aliorum sacramentorum, in quibus Christus elevando res naturales ad rationem sacramenti ipsarum naturam non immutavit physice, vel moraliter, sed solum addidit vim collativam gratiæ, e. g. in baptismo ablutioni per aquam, quæ vis si impediatur ex intentionis requisitæ defectu, ut certum est illum sic posse impediri, ac proinde sacramentum, adhuc retinebunt id, quod prius erant; sic a pari in nostro casu, si ex mutuo illo consensu ob defectum intentionis sacramentum non fieret, adhuc persisteret ille civilis contractus.

Prob. II. Ut matrimonium valeat in ratione contractus civilis, plus non requiritur, quam ut personæ contrahentes sint jure ad contrahendum habiles, libere reciproce consentiant, eumque consensum coram parocho et testibus signis exterius exprimant, quæ est solemnitas requisita jure novo Tridentini: atqui hæc singula et adhibere possunt fideles, licet expresse nolint matrimonium ut sacramentum; ergo.

Nec dicas: Inter conditiones a Christo ad valorem contractus matrimonialis requisitas inter baptizatos esse hanc, ut celebretur cum intentione sacramenti; eo quod ratio contractus et sacramenti ex voluntate Christi inseparabiliter connexa sint; nam hujus voluntatis nullum vestigium, vel indicium habetur, cum nec in Scriptura sacra, nec in Conciliis, nec SS. Patribus a Doctoribus inveniatur solidum aliquod id dicendi fundamentum; quin contrariæ Christi voluntatis fundamentum præbet Prob. 1ae. concl. Porro

301. *Si dicas* 1°. Concilia Florentinum et Tridentinum simpliciter sine ulla exceptione, vel restrictione definiunt, matrimonium inter fideles contractum esse vere ac proprie dictum sacramentum; ergo quocumque casu fiat matrimonium, erit sacramentum.

R. *N. Cons.* Quia Concilia id solum docere intendunt, matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum; Florentinum quidem de hoc instruere volebat Armenos; Tridentinum vero ita definiebat contra Novatores ultimos, absolute negantes matrimonium esse sacramentum. Ut vero fiat sacramentum, dum fideles contrahunt, citata Concilia supponunt contractum celebrari cum conditionibus requisitis, quas inter est intentio illud celebrandi ut sacramentum. Sic citata Concilia licet definiant etiam baptismum, confirmationem, etc. esse sacramenta novæ Legis, non tamen ideo sequitur: ergo quandocumque fit ablutio in aqua, erit sacramentum baptismi; sed ut tale fiat, supponunt adhiberi necessaria ad rationem sacramenti: hinc Florentinum subdit, *hæc* (Sacramenta) *tribus perfici, rebus ut materia, verbis tanquam forma, et intentione ministri.*

302. *Si dicas* 2°. Qui agit contra leges latas a supremo principe pro contractu, nec observat ritum contrahendi in republica usitatum, invalide contrahit: atqui hoc fieret, si a fidelibus contrahentibus positive excluderetur ratio sacramenti; ergo.

R. *D. Maj.* Qui agit contra leges contractum, si aliter fiat, irritantes *C.*

solum prohibentes, ne aliter fiat *N*. Item, nec observat ritum substantialem et essentialem contractui *C*. solum accidentalem *N*. Duplici modo potest princeps præscribere ritum ac solemnitatem contractui : primo ut nullus sit contractus, si ritus ille omittatur; secundo ita ut, licet omittatur, jure tamen naturæ obliget; esto, illicite contractum sit. Et hoc posteriore solum modo requiritur ad contractum matrimonii intentio sacramenti, non priore, eo quod Christus, ut dictum, naturam hujus contractus non immutarit, sed solum elevarit, ut, si cum debita intentione celebretur, fiat signum efficax gratiæ.

303. *Si dicas* 3°. Contractus matrimonialis intrinsece est sacramentum inter Christianos ; ergo in potestate contrahentium non est excludere rationem sacramenti, sicut non potest sacerdos separare sacramentum Eucharistiæ a ratione sacrificii.

R. *N. Ant.* Sicut ablutio corporalis in baptismo non est sacramentum intrinsece sine intentione debita ministri, ita nec matrimonialis contractus. *D. etiam Cons.* Ergo non est in potestate, ut possint licite excludere rationem sacramenti *C*. valide *N*.

Nec inferas : Si possint valide excludere rationem sacramenti, non apparet, cur non etiam licite; nam posita voluntate Christi elevandi contractum civilem ad sacramentum, tam lex naturalis, quam divina obligat, ita matrimonium celebrandum esse, ut fiat sacramentum; sicut supposita elevatione ablutionis in baptismo ad sacramentum utraque lex graviter obligat, ut, dum quis baptizandus est, fiat sacramentum, ne frustranea fiat Christi institutio, et sacramento irrogetur injuria. Deinde *permisso,* sacramentum Eucharistiæ separari non posse a ratione sacrificii propter inseparabilitatem ex institutione Christi ; disparitas est, quod Christus non instituerit primo matrimonium in contractum simul et sacramentum, sed natura contractus supposita, quæ antea erat et obligabat ex prima Dei institutione, eum in sacramentum elevarit : at in Eucharistia voluntas eam instituendi in sacrificium non accessit ad rationem sacramenti præsuppositam, sed eadem indivisibili voluntate eam instituit in sacramentum et sacrificium.

304. *Si dicas* 4°. Saltem sequeretur, pleraque hæreticorum matrimonia sacramenta non esse, consequenter nec indissolubilia, eo quod intentionem non habeant sacramentum conficiendi.

R. *N. seq.* Quia hæretici habent, et præsumi debent habere implicite intentionem sacramenti, cum saltem habeant intentionem generalem contrahendi eo modo, quo Christus fieri voluit, quæ intentio prævalet persuasioni eorum erroneæ, qua putant matrimonium sacramentum non esse. Cæterum indissolubilitas matrimonii ex eo oritur, quod exprimat unionem Verbi cum humanitate, et Christi cum Ecclesia absolute indissolubilem, quam significationem habet omne et solum matrimonium consummatum inter fideles, scilicet membra Ecclesiæ, etsi validum tantum sit in ratione contractus.

Ex hactenus disputatis sequitur, eos, qui in infantia post baptismum abducti sunt ab infidelibus, nulla habita cognitione de Christi Ecclesia ejusque sacramentis, valide contrahere matrimonium, non secus ac reliquos infideles, inter quos morantur, non autem conficere sacramentum; ad hoc

enim requiritur implicita saltem et confusa voluntas contractum hunc ut sacramentalem celebrandi, quæ esse nequit in iis, qui nullam omnino legis Evangelicæ habent notitiam.

ARTICULUS IV.

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI MATRIMONII?

305. Duas in classes circa præsentem controversiam dividuntur Doctores hodie: *Prima* eorum est, qui, duce potissimum Melchiore Cano in opere de Locis Theologicis, ministrum hujus sacramenti asserunt sacerdotem esse, qui virum et mulierem certa verborum forma simul jungit, inter quos præcipue numerantur Estius, Sylvius, Juenin, Tournely, Habert, et quidam alii præsertim Galli. *Altera* aliorum est et quidem, teste ipsomet D. Habert, *communis apud Canonistas et Theologos tum veteres, tum recentiores,* volentium, virum et feminam contrahentes esse proprios hujus sacramenti ministros, ita ut hi sibi invicem, vir mulieri, mulier viro, hoc sacramentum administrent. Cui sententiæ in quæstione, quæ fidem tam propinque attingit, tanto facilius subscribendum censeo, non tantum, quod pro hac solidissimæ rationes pugnent, sed et tanta sit Doctorum omnis ævi auctoritas et consensio, quæ plurimum habere ponderis debet in quæstionibus ejusmodi, et vel maxime apud eos, qui ubique tutiora et probabiliora se alias rimari et sectari profitentur. Quia tamen adversariorum aliqui, ut Honoratus Tournely hic, cupiunt deponi præjudicia, quæ ex tanta auctoritate et numero Doctorum huic sententiæ faventium proficisci possent, et rem controversam librari ex rationum momentis, demus hoc Doctori Parisino, sane honoratissimo, nec ad auctoritatem provocemus, nisi dum ipsi provocant adversarii. Igitur

306. *Dico.* Minister sacramenti matrimonii non est parochus, vel sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes, sacramentum hoc sibi mutuo administrantes. Ita sententia communis cum S. Thoma in 4. d. 28. ad Hannib. d. 26. q. un. a. 1. ad 1. et alibi.

Prob. I. Ex Concilio Florentino, quod in Decreto §. *septimum.* ita inquit: *Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia secundum Apostolum, causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Ex quo sic argumentor: juxta Florentinum causa efficiens matrimonii est consensus externe expressus; atqui hic consensus non a sacerdote ponitur, sed a contrahentibus; ergo. Hoc argumentum reticet D. Habert; dissimulant alii, enervare conatur Tournely, quocum

Respondent: Concilium loqui de matrimonio, ut contractus civilis est, non ut sacramentum est; matrimonii priore modo sumpti causam effectricem esse consensum contrahentium; posteriore modo sumpti causam efficientem esse sacerdotem vel parochum. Idque, aiunt, ostendit mutata loquendi ratio, qua alias uti solet Eugenius in cæteris sacramentis; statim enim ac dixit v. g. *primum sacramentum est Baptismus*, addit: *hujus sacra-*

menti materia est; etc. nimirum ne rem figeret in scholis hinc inde agitatam. Sed

307. *Contra est*; quod Concilium loquatur de matrimonio ut sacramento. 1°. Quia eo loco ex professo vult docere Armenos in iis, quæ pertinent ad sacramentorum novæ Legis essentiam, ut profitetur palam initio hujus capitis : *Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum faciliori doctrina sub hac brevissima redigimus formula.* 2°. Armeni nec petebant instructionem circa causam effectricem matrimonii in ratione contractus civilis; nec tali instructione egebant, cum lateret neminem, contractum a consensu contrahentium perfici. 3°. Si Concilium non loqueretur de matrimonio ut sacramento, nihil plane tradidisset Armenis de materia, forma, et ministro hujus sacramenti, quod tamen de aliis sex sacramentis fecerat, et de singulis se facturum promiserat, ut dictum; adeoque doctrina Concilii manca esset, nec stetisset promissis, quod sine ejus injuria dici non potest. 4°. Quia eo loco clare declarat, se matrimonium ut sacramentum explicandum suscipere, cum dicat: *Septimum est sacramentum Matrimonii.* Ut adeo, his singulis collectis, sequatur, vel Concilium loqui de matrimonio ut sacramento, vel nihil dixisse, dicendo, quod a nemine petebatur, et omittendo id, quod necessario explicandum erat.

Nec refert, quod postea simpliciter dicat : *Causa efficiens Matrimonii est*, etc. non enim ita loquitur, *ne figeret rem in scholis hinc inde agitatam*, ut putant adversarii; nulla enim prorsus erat tempore Concilii Florentini hac de re in scholis controversia : Melchior Canus enim, qui primus adversæ sententiæ propugnator communiter habetur, et fuit, Concilio Florentino longe posterior est; sed communis erat tum temporis sententia, si *forte unus* excipiatur Guillelmus Parisiensis, ministros esse ipsos contrahentes : dixi : *si forte unus*, etc. nam de mente Guillelmi pluribus dicetur infra. Interim *permisso* hic tantisper Guillelmum aliter sensisse, gratis tamen dicitur, Synodum noluisse hac in re instruere Armenos, nec declarare mentem suam ob singularem unius viri opinionem, omnibus contrarium unanimiter sentientibus. Certe Magister et aliqui Canonistæ veteres, magnæ tum temporis auctoritatis laudati art. sup., docuerant sacramentum matrimonii non conferre gratiam ex opere operato; nec tamen Doctorum istorum auctoritas obstitit, quominus Synodus definiret, omnia novæ Legis sacramenta, consequenter et matrimonii sacramentum continere gratiam, illamque digne suscipientibus conferre; et quare igitur unius Guillelmi auctoritas obfuerit, quominus synodus juxta communem Doctorum omnium sententiam declararet causam effectricem matrimonii, ut sacramentum est?

Nec dicant adversarii, satis fuisse Synodo docere Armenos, matrimonium esse sacramentum. Nam 1°. sicut satis non erat Synodo docere eos Baptismum, Confirmationem, etc. esse sacramenta, sed simul eos de materia, forma, et ministro cæterorum sacramentorum instruere debuit, quia ita postularant Armeni, et se facturam Synodus promiserat; ita hic. 2°. Quia, si Synodus judicasset, præter contrahentes etiam sacerdotem, vel hunc solum ministrum esse, neque hoc expressisset, occasionem dedisset Armenis in

re gravissima errandi; quid enim pronius erat inferre Armenis juxta verba Concilii, *causa efficiens matrimonii*, etc. quam eosdem esse ministros sacramenti, qui contractus? Sicut enim Synodus cuilibet sacramento suum assignaverat ministrum, ita jure inferre poterant, quod etiam hic assignaverit. Ergo non poterat satis esse Synodo docere matrimonium esse sacramentum, sed simul hujus ministrum exprimere debuit; cumque nihil de sacerdote dicat, sed contrahentes simpliciter dicat *causam efficientem matrimonii*, sequitur, eos quoque ex mente Concilii esse causam efficientem sacramenti, sive ministros.

Verior igitur ratio, ob quam Synodus dixit, imo dicere oportuit, *causa efficiens Matrimonii*, non autem, *causa efficiens hujus sacramenti*, illa est, ne doctrina Synodi redderetur obscura, et ne verba *hujus sacramenti* ob particulam *hujus*, quæ substantivum sibi vicinius demonstrare solet, referri possent ad *conjunctionem Christi et Ecclesiæ*, de qua dixerat immediate antea (vide supra verba Concilii) sicque præcideretur omnis occasio erroris; contrahentes enim licet causa efficiens sui consensus sint; quod tamen is sit signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, hoc non habet a contrahentibus, sed ab institutione divina.

Prob. II. Ex Conc. Tridentino quod Sess. 24. de Reform. Matrim. ex professo et exacte tradit doctrinam de sacramento matrimonii, nullum omnino discrimen statuit, quantum ad ritum et constitutiva matrimonii, ut est sacramentum novæ legis, et ut fuit in officium naturæ ante legem evangelicam; sed præcise ait, matrimonium, ut est in lege nova, differre a matrimonio, ut erat ante legem evangelicam et in officium naturæ, quod hoc non causarit gratiam, illud vero causet. Ergo ex Concilio matrimonium non habet alium ministrum, materiam, formam, quam habuerat antea, ut erat in officium naturæ: *Subs.* Atqui ante legem evangelicam matrimonii minister erant ipsi contrahentes; ergo.

308. *Si respondes*: Licet Trid. assignet differentiam matrimonii, ut est in lege nova, a matrimonio, ut erat in officium naturæ, quod priori Christus promeruerit vim causandi gratiam; non ideo excludere alia, ut: quod requirat sacerdotem ministrum. *Contra est*, quod in materia dogmatica propositiones præcisivæ per se loquendo æquivaleant exclusivis, sive particularis universali, ut habet axioma merito apud omnes receptum, ne alias vacillent pleræque Constitutiones dogmaticæ, siquidem plerumque tradantur sine additis expresse particulis exclusivis. Dixi: *per se loquendo*; nisi scilicet aliunde contrarium constet, vel Concilium declaret aliter; sed neutrum hic habetur, ut patebit partim ex *prob. seq.* partim solutione objectionum.

Prob. III. Ex eodem Tridentino, evertendo fundamentum sententiæ contrariæ. Tridentinum igitur Sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1. sic habet: *Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris*, etc. *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.* Ex quo sic argumentor: Si sacerdos esset minister matrimonii, ut hoc sacramentum est; ergo quia jubetur proferre hæc

verba : *ego vos in matrimonium conjungo*, etc. quæ formam continent, qua perficitur sacramentum : atqui falsum est per hæc verba a Tridentino indicari formam hujus sacramenti ; ergo. *Maj.* ab adversariis admittitur ; nam ut ait Honoratus Tournely hic, si data opera voluisset Synodus innuere sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii, et verba, quibus contrahentes conjungit, esse formalia, aut quasi formam, non potuisset uti verbis significantioribus. Et ratio est, quia imprimis ministri est proferre formam : deinde vero verba, quibus parochus sponsis postea benedicit, rationem formæ habere non possunt, quia hæc benedictio adhibetur, postquam sacerdos pronunciavit verba illa : *ego vos in matrimonium*, etc. ; ergo benedictio illa secunda supponit jam matrimonium in omni suo esse constitutum. Taceo alias rationes, quibus hoc probari posset, cum hoc ab adversariis non negetur. Ergo si quæ verba sacerdotis habent rationem formæ, illa, *ego vos*, etc. habere oportebit. Igitur

Prob. min. I. Quia Tridentinum cit. loc. præcise in eo versatur, ut præcaveat, ne matrimonium contrahatur cum aliquo impedimento ; ut aboleat matrimonia clandestina ; hoc ut obtineat, jubet præmitti denunciationes publicas ; tum præscribit modum, quo deinceps celebrandum matrimonium, scilicet quo impedirentur mala ex matrimoniis clandestinis oriri solita, ac deinceps constet de contracto matrimonio ; hinc jubet illud celebrari *in facie Ecclesiæ*, dicente parocho hæc, vel similia, juxta cujusvis provinciæ ritum : *ego vos conjungo*, etc. Denique decretum suum his verbis proponit : *Qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit.* Ubi vides, ad valorem præcise requiri *præsentiam parochi*, nulla enim fit mentio verborum ejus ; ergo nulla verisimilitudine dicitur, verba illa, *ego vos*, etc. esse de essentia, vel esse formam essentialem ; sed tantum sequitur, nec plus, quam referenda esse ad ritus accidentales, quibus volebat celebrari posthac matrimonium in facie Ecclesiæ ; quin ideo inquit : *juxta cujusvis provinciæ ritum.* Sed hoc amplius patebit ex sequentibus probationibus.

309. *Nec dicant* cum Ludov. Habert, in decreto Tridentini nullam equidem mentionem fieri sacerdotalis benedictionis ; sed tamen nec ipsum Concilium, nec Congregationem Cardinalium pronunciasse, matrimonia contracta, præsente parocho, sed reluctante, vel saltem nulla verba proferente, esse sacramenta. Nam

R. 1°. Ex eo, quod Tridentinum in decreto *expressam* mentionem non fecerit talia matrimonia esse sacramenta, plus non sequitur, quam sententiam contrariam non esse aperte falsam, sed quomodo adversarii positive probabunt ex Tridentino, quod ipsis incumbit, verba illa sacerdotis, *ego vos*, etc. esse potius de essentia sacramenti, quam pertinere ad ritus præscriptos ex præcepto, sicut cætera ante decretum posita, cum in decreto ipso, cui maxime inhærendum, ad valorem præcise requiratur præsentia parochi : *qui aliter, quam præsente parocho*, etc. ?

R. 2°. *N. suppos.* Necesse fuisse, ut Tridentinum vel *expresse* pronunciaret talia matrimonia esse sacramenta : sequebatur enim hoc per se ; quia

Tridentinum agebat de matrimonio, non ut præcise contractus profanus et civilis est, sed ut sacramentalis simul est, saltem consecutive. Et hoc fateri debent adversarii, nolint, velint; cum alias necessario fundamentum ipsorum corruat : si enim Tridentinum hoc cap. 1. non loquatur de matrimonio ut sacramento simul, saltem consecutive; quomodo igitur prætendere audent, hæc verba sacerdotis : *ego vos conjungo,* etc. esse formam essentialem matrimonii ut sacramenti, cum hoc nec Concilium pronunciet, nec Congregatio Cardinalium? Unde adversarii dicendo : licet in decreto mentio non fiat sacerdotalis benedictionis, sive verborum *ego vos,* etc.; non tamen pronunciasse Concilium, nec Congregationem Cardinalium matrimonia contracta præsente parocho, sed reluctante, vel saltem nulla verba proferente, esse sacramenta; hoc, inquam, dicendo destruunt, quod ex parte alia ædificare conantur. Taceo, nullo prorsus fundamento dici posse, Concilium a contractu legitimo excludere voluisse rationem sacramenti; ad contractum vero legitimum requirit *præsentiam parochi et testium;* ergo his habitis habebitur contractus legitimus, et consecutive sacramentum; sicut iis non habitis non habetur contractus legitimus, nec consecutive sacramentum. Quare

R. 3°. *in forma D.* Non pronunciavit Concilium explicite, signate talia matrimonia esse sacramenta *C.* non declaravit hoc exercite, implicite *N.* Agebat enim de matrimonio, etiam ut sacramento, ex dictis.

Prob. II. eadem min. Si Tridentinum judicasset hæc verba sacerdotis : *ego vos conjungo,* etc. esse formam hujus sacramenti; ergo non dixisset, ut sacerdos vel ea diceret, *vel similia juxta cujusvis provinciæ ritum. Prob. seq.* 1°. Quia inauditum est in Ecclesia formas essentiales sacramentorum relinqui arbitrio, ut quomodocumque proferantur, licet per verba etiam æquipollentia, cum in tanta diversitate facile irrepere possit mutatio quoad substantiam, et tam multiplex discrepantia, licet solum accidentalis, dedeceat sacramenta. Unde juxta communem Theologorum peccat, qui verba formæ essentialis mutat in sola æquipollentia pro *baptizo,* dicendo *mundo,* vel *abluo;* et Florentinum cuilibet sacramento verba formæ determinata apposuit. Ergo si Tridentinum judicasset ea verba esse formam essentialem, nunquam ea arbitrio provinciarum reliquisset. 2°. Quia noverant Patres in variis provinciis adhiberi verba non solum materialiter diversa ab illis : *ego vos in Matrimonium conjungo;* sed etiam diversa formaliter quoad substantiam, sive sensum; talia refert Dominicus Sotus, qui Concilio interfuit in 4. dist. 26. a. 3. ubi de hac forma : *ego vos,* etc. sic ait : *Neque est universalis in Ecclesia; sed alii dicunt : ego vos sponso, et Sacramentum confirmo; et alii : quos Deus conjunxit, homo non separet; atque alii aliter.* Et recte; sic in Rituali Ecclesiæ Constantiensis hæc forma legitur : *Matrimonium per vos contractum secundum ordinem matris Ecclesiæ ego auctoritate, qua hac in parte fungor, ratifico, confirmo, et benedico, in nomine Patris,* etc. Similiter in Rituali nostro Herbipolensi habetur : *Ideo Matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico, et benedico : in nomine Patris,* etc. Atqui dici non potest Tridentinum voluisse permittere formas ejusdem sacramenti etiam diversas quoad sensum et substantiam; hoc enim magis inauditum, imo absurdum, et falsum esse convincitur inductione aliorum sacramentorum, quorum nullum habet plures formas quoad sensum et substantiam diversas, licet forte quæ-

dam perfici possent per formas, quarum altera modo licet indicativo, altera deprecativo proferatur, modo tamen utraque eumdem sensum exprimeret ; et ratio est, quia si aliqua forma sit essentialis alicujus sacramenti, non potest pati formam aliam quoad sensum diversam, vel hoc ipso non erit essentialis. Ergo. Unde

Prob. III. ead. min. Si Tridentinum per hæc verba : *ego vos in Matrimonium conjungo,* voluisset indicare propriam hujus sacramenti formam; ergo sine his, vel saltem similibus quoad sensum, nunquam potuisset perfici sacramentum matrimonii; quia ex dictis immediate supra non possunt esse plures formæ substantialiter diversæ ejusdem sacramenti; consequenter errassent variæ particulares Ecclesiæ ante Tridentinum, adhibentes formam, quæ sensum simpliciter diversum exprimit, qualis e. g. *quos Deus conjunxit, homo non separet.* Atqui hoc dici non potest; quia alias errassent in re capitali, administratione sacramenti, et proinde Concilium illas debuisset corrigere; saltem confirmare non potuisset; cum tamen non correxerit; sed confirmarit, cum diceret *juxta cujusvis provinciæ ritum;* ergo non erraverant illæ Ecclesiæ, et matrimonium in illis contractum cum talibus verbis, ineptis ad constituendam formam sacramentalem, erat sacramentum ; vel alias Concilium, illas non corrigendo, male functum esset suo officio.

Prob. IV. ead. min. Noverant omnes Patres Tridentini in nulla fere Ecclesia particulari verba illa : *ego vos in Matrimonium conjungo,* haberi pro forma essentiali hujus sacramenti; ergo verisimile non est, quod Synodus per verba illa voluerit indicare formam hujus sacramenti essentialem. *Antec.* habetur ex Historico Concilii, Cardinale Pallavicino dicente : *sic enim omnes fere sentiebant.* Et vero nullum formæ illius vestigium reperitur apud Theologiæ scholasticæ principes et patres Hugonem, Magistrum sententiarum, S. Thomam, Scotum, etc. imo nec apud Guillelmum Parisiensem; nec in SS. Patribus, nec in Canonibus alicujus Concilii ante Tridentinum, nec in Ritualibus, quæ ante illud in usu erant; nam Ritualia, ad quæ provocant adversarii, quæque hæc verba habent : *ego vos*, etc. fere pleraque edita sunt post illam Sess. 14. Trid. Nam sessio hæc celebrata fuit sub Pio IV. die 11. Nov. 1563. e contra Manuale Atrebatense, in quo leguntur illa verba Tridentini, editum fuit anno 1600., Yprense 1576., Mechliniense 1580., de uno vero alteroque Rituali, uti et uno alterove Concilio particulari dicetur in object.

Plura momenta pro conclusione colligi possunt ex objectionum solutionibus, ad quas progredior, ne plus æquo congerere hic argumenta videamur, quorum alia adhuc alii pertractant.

310. *Obj. I.* cum Cano. Nec ex Scriptura, nec Traditione probari potest, matrimonium sine ministro Ecclesiæ contractum esse sacramentum; ergo ut sacramentum sit requiritur minister Ecclesiæ.

Conf. 1. Hæc videtur fuisse mens Concilii Florentini definientis omnia sacramenta perfici tribus : rebus tanquam materia ; verbis tanquam forma; et persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia : atqui hoc falsum esset, si sacerdos non esset minister; 1°. quia si contrahentes essent ministri, possent contrahere per signa, vel nutus sine verbis; 2°. quia

laicus non potest esse minister Ecclesiæ, et multo minus femina; cumque fere semper idiotæ sint, non habent intentionem requisitam.

Conf. 2. Sacramenta sunt ceremoniæ sacræ, et ad actus religionis pertinent: atqui matrimonium contractum per sola conjugum verba nihil habet sacri; quid enim sacri reperiri potest in verbis illis : *ego te accipio in meam : ego te accipio in meum ;* cum etiam ethnicis et infidelibus communia sint ?

R. 1°. *Retorqueo* : Nec ex Scriptura, nec Traditione probari potest, matrimonium sacramentum non esse, nisi sacerdos proferat verba, quæ sint forma hujus sacramenti; quod tamen probandum incumbit adversariis, cum a communi et antiquissima sententia recedant, et novum quid statuant; asserenti enim incumbit probatio. Non possunt autem hoc probare *ex Scriptura;* in hac enim nullibi legitur vestigium aliquod mutationis cujusdam factæ circa matrimonium, dum elevatum fuit ad sacramenti dignitatem, sed dum de matrimonio fidelium loquitur Ephes. 5. ait solummodo : est *sacramentum magnum*, eo quod significet unionem Christi et Ecclesiæ; unde nos supra cum Patribus Tridentinis intulimus : ergo et gratiam, quæ nempe ad illius conjunctionis similitudinem conjuges inter se uniat charitate. Non *ex Traditione;* contrarium enim ostendimus ex duobus Conciliis generalibus in conclusione; alii vero Patres et Concilia præcise et non plus docent, quam matrimonium fidelium esse sacramentum; quin ullibi dicerent, non esse sacramentum sine forma a sacerdote prolata; et licet *sacerdotalis benedictionis* meminerint, nullus tamen SS. Patrum, nullum Concilium in ea reponit formam hujus sacramenti; ut patebit ex dandis ad eorum testimonia responsionibus.

R. 2°. *N. Ant.* Nam primo ex Scriptura sufficienter hoc probatur eo ipso, quod ex ea colligant Patres Tridentini, matrimonium sacramentum esse, quia est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ; quo inferimus, quod etiam sit signum gratiæ, ut ante dictum; ergo quando ponitur præcise hoc signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, ponetur etiam signum gratiæ, hoc est, sacramentum. Atqui dum præcise ponitur verus matrimonii contractus, ponitur hoc signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ; hoc enim signum nihil aliud est, quam ipsa conjunctio conjugalis; ergo eo ipso, quod ponatur verus matrimonii contractus inter fideles, ponitur etiam signum gratiæ, sive erit sacramentum; ergo sicut soli contrahentes, secluso quocumque alio tanquam causa efficiente, perficiunt contractum, ita soli sunt ministri hujus sacramenti. Vel igitur ea probatio sufficiens erit; vel si quid plus exigant adversarii ad hoc sacramentum ex institutione divina, ex Scriptura, de qua modo sermo est, ostendant, quod nunquam poterunt. Traditio vero nobis non obstat; imo favet ex dictis resp. præc.

Ad Conf. 1am. R. *D. Maj.* Et verbis semper *formalibus* tanquam forma *N.* vel formalibus, vel *æquivalentibus* in matrimonio *C.* Hoc enim de matrimonio declarat synodus, dicens, ad hoc requiri verba *regulariter,* ut indicaret, tametsi in cæteris sacramentis requirantur necessario verba formalia, in matrimonio tamen, cum consistat in contractu, sufficere alia signa loco verborum, quibus consensus exprimitur.

Si vero sermo sit de ministro, concedimus hunc etiam necessarium esse in sacramento matrimonii; sed negamus, debere esse distinctum ab ipsis

contrahentibus juxta dicta. Et *ad prob. min.* R. *C. primam* et *D. alteram.* Non potest esse minister in iis sacramentis, in quibus requiritur potestas ordinis *C.* in quibus hæc non requiritur *N.* Constat hoc in baptismo, quem laicus semper confert valide; et in necessitate etiam licite, utique tanquam minister Ecclesiæ saltem extraordinarius. Et si velis, tantam in illis esse ignorantiam, ut non habeant intentionem requisitam, dicas etiam, a laico extra necessitatem non posse valide conferri baptismum. Qualis vero intentio requiratur et sufficiat, vide de sacramentis in genere, et facile hic scrupulus evanescet.

Ad Conf. R. 1°. *N. min. Ad prob. D.* Verba illa nihil habent sacri, si spectentur præcise secundum se, et independenter ab institutione Christi *C.* si spectentur ut instituta a Christo ad significandam et causandam in conjugibus gratiam *N.* Hoc tamen non præstant in ethnicis et infidelibus, quia respectu eorum non sunt instituta ad causandam gratiam.

R. 2°. Verba illa, licet sint communia ethnicis et infidelibus, possunt esse sacra juxta adversarios in ratione materiæ; ergo cur non etiam in ratione formæ?

311. *Obj. II.* cum eodem et Lud. Habert. Soli sacerdotes habent vi sacramenti ordinis, ut sint legitimi Christi et Ecclesiæ ministri ac dispensatores mysteriorum Dei juxta illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo etiam illis debet competere potestas conferendi sacramentum matrimonii, quod usque adeo dicitur ab Apostolo *sacramentum magnum* Ephes. 5. et nullo modo laico, vel feminæ, quam etiam idem Apostolus 1. Cor. 14. prohibet loqui in Ecclesia.

Conf. 1. In aliis sacramentis sacerdos est minister: item, in aliis sacramentis nequit esse idem suscipiens et minister; ergo idem dicendum est de matrimonio.

Conf. 2. Non alio modo matrimonium fidelium evadit sacramentum, quam pœnitentia: atqui hæc non evadit sacramentum, nisi per ministerium sacerdotum; ergo nec matrimonium.

R. *D. Ant.* Soli sacerdotes sunt legitimi ministri ac dispensatores mysteriorum Dei, respectu quorum requiritur potestas ordinis, vel consecratio ministri *C.* in quibus ea non requiritur *N.* Sic laicus, item femina baptizat valide, quia ad valorem baptismi Christus non requisivit consecrationem ministri.

Si ais: hoc esse ob specialem baptismi naturam utpote summe necessarii; R. Sicut ob specialem naturam baptismi tanquam summe necessarii, ad valorem ejusdem non requiritur in conferente consecratio; sic ob specialem naturam matrimonii utpote consistentis in contractu infertur, contrahentes sicut valide et licite contractum, sic sacramentum conficiunt, quia Christus instituendo hoc sacramentum, contractum omnino in suo esse reliquit. Dicitur quidem matrimonium ab Apostolo *sacramentum magnum*, sed ideo, quia signum est conjunctionis Christi et Ecclesiæ, ut patet legenti verba Apostoli ad Ephes. 5. Dum vero Apostolus 1. Cor. 14. v. 34. prohibet mulierem loqui in Ecclesia; vult, ut non doceat publice, prædicet, interpretetur verbum Dei, de eo non disputet, ut patet legenti caput hoc 14.

idéoque continuo subdit jubens *mulieres esse subditas*, utque *viros suos interrogent domi, si quid discere velint.*

Ad Conf. 1am. R. 1°. Si hoc argumentum aliquid probet, valebit etiam hoc alterum : alia sacramenta consistunt in re transeunte, scilicet actione; ergo etiam sacramentum Eucharistiæ, quod est Lutheranorum. Fateamur igitur, quodlibet sacramentum habere peculiare quid. Unde

R. 2°. *ad primum :* Disparitas est, quod solum sacramentum matrimonii servet naturam contractus; hunc vero efficiunt contrahentes. *Ad alterum N. Ant.* sumptum *universaliter ;* nam in Eucharistia potest esse idem suscipiens et minister, scilicet sacerdos. Quoad alia sacramenta disparitas est voluntas Christi : ratio convenientiæ autem e. g. quoad baptismum ; quia hic est generatio spiritualis; unde sacramentum regenerationis dicitur; nemo autem seipsum generat. Quoad pœnitentiam; quia hoc sacramentum instituere volebat Christus ad modum judicii, in hoc vero judex et reus non sunt idem. Quoad ordinem; quia nemo dat, quod non habet; ergo connaturaliter loquendo laicus sibi ipsi non confert ordines. Omitto mala, quæ in Ecclesiam redundare possent, si quis sibi ipsi ordines, vel aliud quodlibet sacramentum conferre indistincte posset, quæ Christus præcavere voluit. E contra matrimonii sacramentum in contractu consistit; hunc vero ipsi contrahentes perficiunt. Deinde etiam in ipso matrimonio suscipiens et minister suo modo distincti sunt; non enim quilibet contrahens sibi, sed alter alteri hoc sacramentum ministrat, ut pluribus exponetur artic. seq.

Ad Conf. 2am. R. *N. Maj.* Ratio patet ex diversa utriusque sacramenti natura ex modo dictis.

312. *Obj. III.* cum Sylvio. Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. jubet parochum, ut habito sponsorum consensu hæc verba proferat : *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris,* etc. ergo hæc verba debent habere rationem formæ sacramentalis. *Prob. Cons.* Vi horum verborum parochus sponsos vere conjungit, nec tantum declarat eos jam conjunctos esse; verba enim illa debent sumi juxta veram ac naturalem significationem, quando nihil obstat, vel nihil sequitur contra fidem aut bonos mores, uti hic; ergo etiam haud dubie formam continent. *Conf.* Dum dicit sacerdos : *Ego te absolvo : Ego te baptizo,* vere ipse solus baptizat, absolvit, eaque verba sunt vera forma ; ergo etiam hic.

R. 1°. *D. Ant.* Jubet proferre hæc verba determinate *N.* hæc vel similia *C.* Hoc autem non faceret Synodus, si judicasset hæc verba esse formam sacramenti. Vide rationes hujus in conclusione.

R. 2°. *N. Cons.* ob dicta ibidem de hoc Concilio.

Ante resp. ad probationem *observo*, plerosque adversarios esse eosdem, qui in forma sacramenti ordinis a nobis dissentiunt, negantes hæc verba : *accipe Spiritum sanctum,* habere rationem formæ etiam partialis, et consequenter per hæc verba conferri Spiritum sanctum vel gratiam; sed tantum aiunt his declarari expressius potestatem et gratiam collatam. Liceat igitur argumentum hoc in ipsos retorquere adversarios : vi horum verborum, *accipe Spiritum sanctum,* vere datur Spiritus sanctus, nec ordinans tantum declarat jam datum esse Spiritum sanctum; verba enim illa debent sumi juxta veram ac naturalem significationem, quando nihil sequitur contra

fidem aut bonos mores, ut hic contingit; in vera autem et naturali significatione verba illa supponunt nondum datum fuisse Spiritum sanctum; ergo etiam haud dubie formam continent. Viderint igitur, quomodo suum ipsi argumentum solvant; quidquid vero responderint, nobis servire poterit, quanquam expeditius illud solvimus: nam in forma

Ad prob. Cons. R. *D. Ant.* Vi horum verborum parochus *vere* sponsos conjungit coram Deo et simpliciter *N.* vere in facie Ecclesiæ, faciendo, ut habeantur pro legitime conjunctis *C.* Et hæc est etiam vera conjunctio, non minus, quam vere absolvi dicitur ab excommunicatione, qui, postquam ante jam secreto ab ea fuerat absolutus, deinde palam absolvitur a judice per verba hæc: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, in nomine Patris*, etc. Nec plus voluit Trid. quod ideo in decreto ipso nec verbulo meminit istorum verborum, sed solum ait: *qui aliter, quam præsente parocho*, etc. Vid. in conclus. Igitur illa conjunctio parochi est conjunctio, quantum ad forum externum et Ecclesiam, extrinseca autem substantiæ sacramenti. Alii malunt vocare conjunctionem approbativam, scilicet prioris per sponsos expressione consensus sui.

Ad Conf. R. Disparitas est; quod in Baptismo formam aliam assignare non possimus, similiter in Pœnitentia; pro utroque enim hoc sacramento hanc formam determinavit *ut formam*; sed contrarium colligitur pro matrimonio, et probavimus ex Conciliis Florentino et Tridentino. Deinde cum sacramentum Pœnitentiæ sit ad modum judicii, absolutio ab alio esse debet, qui judex sit; Baptismus vero cum sit sacramentum regenerationis, etiam esse debet ab alio juxta resp. ad conf. obj. 3. Matrimonium vero sacramentum est consistens in contractu; quilibet vero seipsum obligare potest, imo quilibet seipsum obligat. Unde verba illa: *Ego vos*, etc. non possunt accipi in sensu prorsus vulgari pro conjunctione absolute et simpliciter tali; non quia alioquin sequeretur aliquid contra fidem et bonos mores, sed quia est contra naturam contractus, qui a solis contrahentibus esse potest tanquam ministris.

313. *Obj. IV.* cum eodem et cæteris ex auctoritate. SS. Patres, summi Pontifices, Concilia, et plurima Ritualia ita de nuptiarum benedictione loquuntur, ut necesse plane sit fateri, illam ipsi sacramento essentiam esse; ergo minister hujus sacramenti erit sacerdos. *Prob. Ant.*

1°. Ex SS. Patribus. Nam Tertullianus L. 2. ad Uxorem versus finem: *Unde sufficiamus*, inquit, *ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio?* S. Basilius homil. 7. in Hexamer. (opp. t. 1. p. 68. B.) *Jugum per benedictionem impositum distantium sit conjunctio.* S. Ambrosius epist. 19. ad Vigilium (opp. t. 2. p. 844. B.) *Cum ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat.* Similia habent plures alii.

2°. Ex summis Pontificibus. Evaristus epist. 1. et relatus c. *Aliter* 30. q. 5. *Connubia*, ait, *sine sacerdotis benedictione contracta, seu præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse.* Siricius epist. ad Himmerium Tarraconensem cap. 4. (Labb. t. 2. p. 1019. A.) *Illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgres-*

sione violetur. INNOCENTIUS I. epist. 9. ad Probum asserit, matrimonio dari gratiam divinam, quando celebratur: atqui celebratur, quando parochus benedictionem elargitur; ergo. Similia habet in epist. ad Victricium Rothomagensem. Et HORMISDAS relatus c. *Nullus* 3. q. 5. *Nullus*, inquit, *fidelis occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote publice nubat in Domino*. His adde Nicolaum I. in epist. ad Rodoaldum, et relatum c. *Lotharius* 31. q. 2. ubi docet matrimonium inter Lotharium et Waldradam initum dissolvendum esse, si non fuerit cum benedictione sacerdotis celebratum.

3°. Ex Conciliis. CARTHAGINENSE IV. can. 13. (Labb. t. 2. p. 1201. A.) conjuges monet, ut nocte post acceptam benedictionem, ob reverentiam benedictionis se contineant. COLONIENSE habitum anno 1536. part. 7. cap. 40. (Labb. t. 14. p. 541. A.) ait sacramentum matrimonii, si quis, sicut decet, acceperit, *accedente sacerdotali precatione*, conferre donum Spiritus sancti, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam, ubi verba: *accedente sacerdotali precatione*, manifeste demonstrant, ait Tournely, mentem hujus Synodi esse, sacerdotalem precationem esse formam hujus sacramenti. Et in Enchiridio, quod jussu hujus Concilii editum est capitulo penult. dicitur: *Quanto magis putandum est in nova Lege sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus sacramenti ministros esse*. CAMERACENSE habitum anno 1567. paulo post habitam Sess. 24. Concilii Tridentini; item RHEMENSE anno 1583. (Labb. t. 15. p. 897. F.) et quædam alia partim meminerunt sacerdotalis benedictionis, partim parochum vocant ministrum. Specialiter vero Concilium LATERANENSE c. *Cum in Ecclesiæ corpore* 9. de simonia, ait horribile esse pro benedictionibus nubentium, sive aliis sacramentis aliquid accipere; ergo supponit hanc benedictionem esse de essentia sacramenti. Denique in fine Concilii CONSTANTIENSIS Martinus V. inter sacramenta numerat matrimonii solemnitatem.

4°. Ex variis Ritualibus; inter quæ Romanum antiquum anno 1494. ait: *Contrahentibus respondentibus, se nec affines, nec consanguineos*, etc. *Sacerdos pronunciet verba, quæ sunt forma hujus sacramenti*. Et aliud Romanum jussu Pauli V. editum in præfatione ait, inter sacramenta, quorum administratio ad parochos pertinet, esse matrimonium. Quod idem reperitur in Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo part. 4. Act. Rituale Atrebatense anni 1600., Yprense 1576., jubent, ut sacerdos dicat, et ego tanquam Ecclesiæ minister vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, etc. Similiter Mechliniense 1589. sed et plura alia benedictionis meminerunt. Ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. et 2am. R. 1°. generaliter, nullum ex allatis SS. Patribus et Pontificibus loqui vel verbulo de benedictione parochi dicentis: *ego vos conjungo*, etc. quam tamen adversarii ex Tridentino volunt esse essentialem; sed loquuntur de alia, qua sacerdos per varias orationes nubentibus solemniter benedicit; quæ benedictio est solum accidentalis, cum adhiberi non soleat nuptiis secundis, nec primis tempore Adventus et Quadragesimæ. Proferant autem, si possint, vel unicum textum ex S. Patre, vel summo Pontifice, qui testetur benedictionem illam factam fuisse per verba ista: *ego vos in Matrimonium* etc. quod quamdiu non faciunt, frustra textus accumulant; cum juxta adversarios sola ea benedictio, quæ per illa verba fit, essentialis sit. In specie vero

Ad 1am. prob. ex Patribus. R. TERTULLIANUS loquitur de benedictione accidentali, qua sacerdos per varias preces benedicit neo-sponsis; nam ante hanc benedictionem supponit jam matrimonium in suo esse perfectum; quod indicant ejus verba : *quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio.* Deinde si testimonium Tertulliani aliquid probaret, sequeretur, ea omnia esse de essentia, quæ ibi recenset, et sic etiam foret renuntiatio angelorum; nam postquam dixisset, *et obsignat benedictio,* immediate subdit : *et angeli renuntiant.* Cæterum agit hic Tertullianus de conjugio fidelium, ostendendo illud felix esse, quod tot sacris ritibus peragatur, secus ac fiat in conjugiis infidelium; id quod verum est, etiamsi ea benedictio essentialis non sit. S. Basilius similiter benedictionem illam accidentalem intelligit; sine hac enim non solebant fideles celebrare matrimonia, cum adhiberi deberet ex præcepto. S. Ambrosius intelligendus est non de sanctificatione sacramentali, quæ ex opere operato habetur; sed accidentali quæ habetur per preces sacerdotis benedicentis. Ratio responsionis ex ipso S. Doctore patet; dehortatur enim eo loco fideles, ne cum infidelibus matrimonia ineant sine ritibus sacris, quibus sanctificari alias matrimonia oportet; addit enim immediate : *quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?* Alias, si velis verba S. Doctoris tibi ad rem facere, dicas etiam, velamen sacerdotale ad essentiam hujus sacramenti spectare.

Ad 2am. prob. ex summ. Pontif. R. Ad Evaristum : 1°. Epistola illa Evaristi plurimis recentioribus supposititia videtur. 2°. Hoc etiam transmisso *D.* Vocat ea matrimonia adulteria, vel juxta præsumptionem fori externi, non reputantis pro vero matrimonio, quod probari non potest; vel ea tantum matrimonia clandestina, in quibus non adest verus utriusque consensus *C.* secus *N.* nam statim subjicit : *nisi voluntas propria suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima.* Et sic adversarii ipsi explicare Evaristum debent; cum non negent conjugia sine dicta benedictione parochi esse vera conjugia in ratione contractus, consequenter fateri debeant, non fuisse adulteria. Et vero si negare vellent, illa conjugia fuisse vera saltem in ratione contractus, Tridentino aperte contradicerent, quod Sess. 24. cap. 1. declarat, *clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.*

Ad Innocentium I. R. *D.* Tunc dari gratiam ex opere operato, vi benedictionis *N.* vi positi consensus mutui *C.* Hormisdas ibi affert solum præceptum adhibendi benedictionem sacerdotis, id quod non negamus; sed solum, hanc fuisse essentialem sacramento. Nicolaus I. ita scripsit juxta præsumptionem fori externi, in quo non reputatur pro matrimonio vero, quod a partibus probari nequit. Nimirum Lotharius repudiarat Teutpergam uxorem suam, ut Waldradam pellicem duceret. Mandat igitur Pontifex Rodoaldo legato suo, ut nullum hoc matrimonium declaret, nisi probet Lotharius, quod prius, ante Teutpergam, duxerit Waldradam, non clam, sed palam, cum benedictione sacerdotis, ut refert Baronius ad annum 862. En verba Nicolai I. *Si minime probatum fuerit, Waldradam fuisse uxorem legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis celebratis, filio nostro Lothario fuisse conjunctam, suggerite illi, ut,* etc. Ergo loquitur juxta præsumptionem fori externi. Sed cum constet ex Trid. cit. matrimonia clandestina saltem fuisse vera in ratione

contractus, nec dissolvi potuisse, sicut adhuc hodie vera sunt in terris, in quibus non viget constitutio Tridentini ea irritantis, nec solvi possunt, adversarii nobiscum solvere hanc objectionem debent.

Ad 3am. *prob. ex Conciliis.* Et primo ad Conc. Carthaginense R. *D.* Hoc monet conjuges, quia juxta Concilium benedictio sacerdotis est sacramentum, vel forma sacramentalis *N.* quia est ceremonia sacra, vel, ut loquitur S. Thomas, quid sacramentale, habens adjunctum sacramentum *C.* Benedictio enim illa, licet sacramentum non sit, est tamen quid sacramentale; igitur sicut olim conjuges ob reverentiam in dies Festos et Dominicos ab actu conjugali abstinere debebant, ita recte Concilium monere potuit conjuges, ut idem facerent in reverentiam benedictionis nuptialis.

Ad Concilium Coloniense R. Potius pro nostra stat sententia; dicendo enim: *quod sacramentum, si quis sicut decet, acceperit, accedente precatione,* etc. supponere videtur, sacramentum confectum esse ante precationem, atque hanc illi accessoriam esse. Dicitur autem, *accedente precatione,* conferri donum Spiritus sancti; quia cum benedictio saltem præcepta fuerit, illam culpabiliter omittens gratiam percipere non poterat, utpote cui peccato suo ponebat obicem. Denique liceat ex adversariis quærere, quomodo ex his: *accedente precatione,* probare velint, aut possint, hæc verba: *ego vos in matrimonium conjungo,* esse formam sacramenti, quæ sensum precatorium nullum continent.

Ad Enchiridium jussu hujus Concilii editum R. *D.* Vocat sacerdotes ministros legitimos, quia conficiunt sacramentum ipsum *N.* quia contrahentes nec solemniter, nec licite perficere poterant hoc sacramentum, nisi præsente sacerdote, exquirente consensum, et per verba de præsenti consensum nomine Ecclesiæ ratum habente et benedicente, verbo: quia sacerdos ad ceremonias matrimonii et solemnitatem principaliter concurrit *C.* Hoc duntaxat sensu sacerdotes dictos esse ministros matrimonii insinuat Concilium Viennense sub Clemente V. ubi lata in Religiosos matrimonia celebrantes excommunicatione, matrimonio assistentes vocantur, non *conficientes,* sed *solemnizantes.* Et vero hanc non aliam esse Enchiridii istius mentem, ex ejus verbis eodem Tr. de Matrimonio, quæ nimis studiose dissimulant adversarii, planum fit; nam rem ita explicat: *Superest, ut verbum et elementum hujus sacramenti videamus, et gratiam insuper in eo conferri demonstremus. Verbum itaque hujus sacramenti, quo accedente ad elementum fit sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas et femina, cum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque, non quovis modo, sed Dei nomine conjunguntur.* Ergo verbum, quo hoc sacramentum fit, quod proinde forma est, non est sacerdotis benedictio, sed quo contrahentes consensum dant, et accipiunt; dum igitur sacerdotes vocantur ministri legitimi, hoc in sensu dato intelligi debet. Eodem modo responderi debet ad Concilium Cameracense et Rhemense.

Ad Concil. Lateranense R. *N. Cons.* Nam benedictionem ibi jungit aliis sacramentis, non quia sacramentum est, sed quia est quid sacramentale, et ceremonia sacra; sic plura alia ibidem sacramentis jungit, quæ certe sacramenta non sunt; ait enim esse *horribile pro Episcopis vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non pro sepulturis et exequiis mortuo-*

rum, et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid recipere. Unde vox *aliis* non est relativa hic, sed absoluta, velut Luc. 23. *Ducebantur et alii duo nequam cum eo.*

Ad Concil. Constantiense. R. *D.* Martinus V. in fine Concilii sacramentis aliis adjungit matrimonii *solemnizationem* in abstracto *N.* sumptam in concreto pro matrimonio solemni, contracto in facie Ecclesiæ *C.* Jubet Pontifex in Bulla ad finem hujus Concilii, suspectos de hæresi inter cætera specialiter interrogari, an credant, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, vel solemnizationis matrimonii peccet lethaliter; ubi solemnizationem non sumit in abstracto, quasi in ea consisteret sacramentum; sed in concreto pro matrimonio solemni, h. e. contracto in facie Ecclesiæ; sive pro matrimonio tam quoad substantiam ejus, quam solemnitatem; matrimonii vero quoad substantiam ministri sunt contrahentes, quoad solemnitatem est parochus.

Ad 4am. prob. ex Ritualibus. Primo ad Romanum antiquum R. *D.* Sic loquitur de matrimonio sumpto adæquate, tam quoad substantiam, quam solemnitatem *C.* secus *N.* Matrimonii autem sic adæquate sumpti forma adæquata et integra coalescit ex verbis sacerdotis et contrahentium; nam per hæc quoad substantiam, per verba sacerdotis quoad solemnitatem perficitur.

Ad alterum Rit. Rom. jussu Pauli V. editum R. *D.* Ait administrationem sacramenti matrimonii pertinere ad parochos, quia contrahentes non possunt licite, nec modo juxta Tridentinum valide perficere hoc sacramentum sine assistentia parochi tanquam testis essentialiter requisiti, vel administrationem sacramenti matrimonii quoad ejus solemnitatem *C.* secus *N.* Eodem modo explica S. Carolum Borromæum in Actis Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. §. 1.

Ad cætera Ritualia, ut Atrebatense, Yprense, Mechliniense R. ea, utpote post Tridentinum edita, sic loqui, quia Trid. supra cit. dixerat, ut parochus vel his verbis utatur: *ego vos in Matrimonium conjungo;* vel similibus. Sicut ergo, ut supra respondimus ad Tridentinum, hæc verba ibi exempli gratia proponuntur a Tridentino (alioquin enim Tridentinum non diceret, ut *hæc vel similia* proferat) ut per talia contrahentes conjungat coram facie Ecclesiæ, non autem coram Deo, coram quo jam conjuncti sunt per datum consensum; sic nec plus volunt illa Ritualia, nec plus velle et intendere potuerunt.

314. *Obj. V.* Ex S. Thoma. S. Doctor variis in locis videtur sentire contrarium; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. p. 3. q. 83. a. 3. ad 8. inquit: *Dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiæ;* hi vero sacerdotes sunt. 2°. In 2. 2. q. 100. a. 2. ad 6. *Dare pecuniam pro matrimonio, in quantum est Ecclesiæ sacramentum, est illicitum; et ideo in jure prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur;* ergo. 3°. In 4. dist. 1. q. 1. a. 3. docet verba esse de essentia matrimonii ut sacramenti. Et cum sibi objecisset: *Pœnitentia et matrimonium sunt quædam sacramenta; sed de integritate eorum non sunt verba aliqua; ergo.* Sic ad 5. dicit: *Matrimonium, secundum quod est in officium naturæ, et pœnitentia, secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque*

est sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba. Ergo juxta S. Doctorem utrumque in dispensatione sacerdotis consistit. 4°. In Supplemento q. 8. a. 1. *Solus ille minister est sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod est solius sacerdotis.* 5°. Lib. 4. cont. gentes cap. 78. probat matrimonium esse sacramentum, quia dispensatur per ministros Ecclesiæ; hæc autem probatio esset nulla, si contrahentes ministri essent.

R. 1°. Textibus allatis opponendo textus claros. Sic in 4. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 1. refertur in Supplem. q. 42. a. 1. ad 1. inquit: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.* Quid clarius? Item ibid. q. 45. a. 5. ad 2. cum secundo loco sibi objecisset: Sacramentum Pœnitentiæ non perficitur, nisi mediantibus Ecclesiæ ministris; ergo nec Matrimonium in occulto absque sacerdotis benedictione; sic respondet: *Dicendum, quod actus noster in Pœnitentia, quamvis sit de essentia sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis, et ideo oportet, quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis; sed in Matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio; quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare, et ideo sacerdotis benedictio non requiritur quasi de essentia sacramenti.* Et ante in θ. dixerat: *Consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, Matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti,* etc. Ex his jam patet responsio ad textus objectos. Unde

R. 2°. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *Explico cum Dist.* Dispensatio omnium sacramentorum *eodem modo* pertinet ad ministros Ecclesiæ *N.* dispensatio vel quoad confectionem aut essentiam, ut sex priorum sacramentorum; vel quoad solemnitatem tantum, ut fit in matrimonio *C.*

Ad prob. 2am. R. *N. Cons.* Nam S. Doctor ibidem ipse sacramentum matrimonii signanter distinguit a benedictione nuptiali; et ex hoc, quod sit illicitum pecuniam dare pro matrimonii sacramento, solum probare vult, recte prohibitum esse ab Ecclesia, pecuniam exigere pro benedictione, cum sit saltem quoddam sacramentale; imo ipsa sacramenti solemnitas.

Ad prob. 3am. R. Non hoc dicit vel cit. loc., vel ullibi, verba esse de essentia matrimonii ut sacramenti. Quod vero ad 5. dicit, mutilate affertur a Cano et aliis; signanter enim ex hoc ipso loco convincitur S. Doctor pro nobis esse; cum enim dixisset: *Utrumque habet aliqua verba,* immediate subdit: *sicut in Matrimonio sunt verba exprimentia consensum, et iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ; ut Pœnitentia autem est absolutio sacerdotis verbotenus facta.* Hoc præmisso

R. *D. Cons.* Ergo juxta S. Doctorem utrumque sacramentum in benedictione consistit eodem modo *N.* diverso *C.* Etenim juxta S. Doctorem pœnitentia in dispensatione ministri Ecclesiæ consistit quoad substantiam et formam essentialem: matrimonium vero præcise quoad solemnitatem; et hoc, non aliud intendit per oppositionem inter verba exprimentia consensum, et benedictiones *ab Ecclesia* institutas; nimirum conformiter illis, quæ dixit

sæpe alibi, ut resp. 1. citavimus : *Sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio quasi de essentia sacramenti*, etc.

Ad prob. 4^{am}. R. *D.* Sacramentorum, id est, potioris numeri sacramentorum *C.* omnium *N.* vel *subdist.* ut ante : eodem modo *N.* diverso *C.* S. Doctor vocem *sacramentorum* non sumit universaliter; neque sic sumi potest, cum certum sit simplicem presbyterum, qui tamen habet ministerium super corpus Christi verum, non esse ministrum baptismi.

Ad prob. 5^{am}. R. *D.* Probat matrimonium esse sacramentum, quia per ministros Ecclesiæ dispensatur quoad substantiam *N.* quoad accidentaria, solemnitatem *C.* Addit enim, eatenus dispensari per ministros Ecclesiæ, quatenus quædam benedictio nubentibus adhibetur, quam constanter asserit alias pertinere ad solemnitatem. Igitur, ut notat in hunc Doctoris Angelici locum Ferrariensis, celebris S. Thomæ interpres, vult solum S. Doctor ex eo, quod ad benedicendum matrimonio adhibeatur minister Ecclesiæ, cognosci velut ex signo, matrimonium esse sacramentum, et non contractum mere civilem; quia si esset contractus mere civilis et profanus, non adhiberetur minister Ecclesiæ.

315. *Obj. VI. Auctoritatem Theologorum.* Ex his 1°. Canus refert Guillelmum Parisiensem Tr. de Sacramentis c. 9. (opp. 1. p. 525. C. D.) ubi inquit, quod apud fideles matrimonium sit *sacrans benedictionis virtute quod est proprium verorum plenæ virtutis sacramentorum*, Theologos Concilii Coloniensis, Paludanum in 4. dist. 5. q. 2., Scotum, et quosdam Canonistas veteres. 2°. Tournely post Guillelmum Paris. et Canum refert unum ex primariis Sorbonæ Doctoribus, qui teste Pallavicino L. 23. Hist. Conc. Trid. c. 9. sententiam Cani propugnavit in Conc. Trident., Toletum L. 7. Sacerdot. Instruct. c. 6., Petrum de Ledesma de Matrim. q. 42. a. 1. dub. 4., Estium, Sylvium, Dominicum Bannez, qui in 1. p. S. Thomæ q. 1. a. 8. inquit, *sententiam communem modo a multis improbari, non solum post celebrationem Concilii Tridentini, sed etiam antea, et Cani sententiam multos alios sequi absque ulla temeritate ; quod enim uno tempore occultatur, postea per diligentiam et studium multoties innotescit.* 3°. Ludovic. Habert hisce addit sententiam de sacerdote ministro ante Canum fuisse receptam et probabilem ; et quidem in Germania ut probabiliorem. Verum dictis hisce non obstantibus, sine metu, aut falsi periculo

R. 1°. Opponendo auctoritatem omnium Theologorum, qui ante Canum scripserunt, interque eos Theologiæ scholasticæ principes Hugonem a S. Victore L. 2. de sacramentis Fidei p. 11. c. 5. et 6., Magistrum Sententiarum L. 4. dist. 27. §. B. juncto §. C., S. Thomam ante citatum, Scotum in 4. dist. 26. q. unica. Item Durandum L. 4. dist. 27. q. 1. in 0., S. Bonaventuram in 4. dist. 27. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. 2. Et communem hanc sententiam fuisse testatur Dominicus Soto ex familia Dominicana Cano coævus, et ante hunc scribens in 4. dist. 26. q. 2. a. 3. *Contrariæ sententiæ neminem eorum, qui hucusque scripserunt, meminisse.* Ex hac vero communi doctrina scholæ omnino colligitur, ut ait Bellarminus, doctrina et praxis Ecclesiæ, cum Pastores Ecclesiæ doceant subditos, juxta opiniones, quæ in scholis communes sunt.

Minus vero autem, ac minus reverenter in Angelicum præceptorem suum

ait Bannez, S. Doctorem ætate provectiorem ea scripissse, quæ non satis cohærent cum iis, quæ scripsit junior in 4. Sentent.; nam ferme singula, quæ nobis objiciunt adversarii ex Doctore Angelico, jam antea scripserat, quam scriberet ea, quæ pro sententia nostra attulimus. Ea vero, quæ ex L. 4. cont. Gent. objiciuntur, equidem ordine scriptionis posteriora sunt, minime tamen contradicunt iis, quæ S. Doctor scripsit alibi, cum ministros hujus sacramenti contrahentes asseereret; ut liquet ex resp. ad illum textum S. Doctoris ex L. 4. cont. Gent. object. præc.

R. 2°. In citationibus Theologorum pro adversa sententia falsa veris commisceri. Unde

R. *Ad auctores citatos* a Cano. Et primo quidem Guillelmus Parisiensis perperam adducitur; esto enim, quod senserit benedictionem sacerdotis essentialem huic sacramento esse; non tamen juvat adversarios; nam Guillelmus per benedictionem intelligit orationes, quæ super nubentes fiunt, ut patet ex cap. 6. ubi ex professo agens de sanctitate matrimonii, ait, habere etiam matrimonium non parum sanctitatis ex *benedictione et oratione* sacerdotali; proinde hanc adhibendam esse, *cum nec cibus sumendus sit absque oratione et benedictione sacerdotali, ubi sacerdotis est copia;* tum post pauca rationem dat; *quia gratia sanctificationis et puritas spiritualis nec Deo acceptabilius quæri, nec efficacius aut facilius obtineri, quam gratiosissimis Ecclesiæ precibus;* at in his orationibus, precibus Ecclesiæ adversarii formam sacramenti non reponunt, nec reponere volunt, alterius vero formæ in toto hoc Tr. de Matrim. Guillelmus non meminit. Dixi: *esto, quod senserit,* etc. quia sic eum sensisse putant auctores communius; quanquam dissentire videatur Dominicus Soto relatus ante resp. 1. et alii, qui dubitanter Guillelmum referunt, forte, quod verba: *sacrans benedictionis virtute,* iis videantur explicare posse, de virtute ex opere operantis, præsertim si conferantur illis, quæ modo ex c. 6. retulimus. Interim non vacat hic, speciali disputatione inquirere mentem Guillelmi; cum ex dictis non juvet adversarios, volentes, formam essentialem esse: *ego vos in Matrimonium,* etc. nequaquam vero preces Ecclesiæ, vel orationes.

Quantum ad *Theologos Concilii Coloniensis* responsum est object. 4. Paludanus autem plane immerito citatur; nam ratio omnis, ex qua Canus Paludanum pro se allegavit, illa est, quod Paludanus cit. loc. dicat, non peccare eum, qui in peccato contrahit matrimonium, quod docuit a. 2. n. 22. Canus vero dictum hoc intellexisse videtur de matrimonio contracto sine sacerdote: sed fallitur; quia Paludanus expresse loquitur de omni matrimonio, etiam sacramento, et idem docuit de omni alio sacramento, scilicet non peccare mortaliter, qui sacramentum ministrat in mortali: et quidem eodem etiam loco expresse notat ministrum sacramenti matrimonii non esse sacerdotem. Quo igitur jure Paludanus citatur?

Scotus adhuc minus Cano favet; nam in 4. dist. 26. q. un. mentem suam sic exprimit, ut clarius non posset: *Sacramentum matrimonii est expressio certorum verborum maris et feminæ se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debite procreandam ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Nec juvat Canum, quod postea eodem loco dicat: *De ministro est aliud dubium, quia ut plurimum contra-*

hentes ministrant sibi ipsis hoc sacramentum, sed nec hoc requiritur necessario : in omni contractu est sacramentum; vel aliquando patres contrahunt pro filiis vel filiabus præsentibus, eis non exprimentibus signa propria. Si ergo ibi est sacramentum; oportet dicere, quod minister hujus sacramenti potest esse indifferenter, quicumque potest esse minister in contractu matrimonii. Nam Scotus, ut ex verbis palam est, non dubitavit, utrum contrahentes sint ministri sacramenti matrimonii, si ipsi proferant verba consensum exprimentia; sed dubium Scoti erat hoc, an solus ille contractus matrimonii sit sacramentum, quando ipsi contrahentes consensum exprimunt? dicitque, si verum est, quando in omni contractu sit sacramentum, etiam parentes posse hoc sacramentum ministrare liberis, ut quando parentes liberis præsentibus et tacentibus contrahunt; imo sic ministrare hoc sacramentum posse, quicumque potest esse causa efficiens contractus.

Male etiam a Cano quidam Canonistæ veteres allegantur, qui putasse feruntur matrimonium non esse sacramentum, quasi hoc tantum dixerint de matrimonio, cui non assistit sacerdos; nam primo Canonistæ illi non negabant matrimonium esse sacramentum; sed erronee putabant, licet sacramentum sit, non tamen conferre gratiam ex opere operato. Vid. artic. 2. Deinde quod Canonistæ illi docuerunt de matrimonio, non tantum docuerunt de illo matrimonio, cui non assistit sacerdos; sed de quocumque, sive assistat sacerdos, sive non; quod error erat, et longe distat a sententia Cani.

Ad auctores cit. a Tournely. Et quidem Doctor ille Sorbonicus sententiam adversam ferme nihil promovet; unus enim hic ex toto Senatu Patrum Tridentinorum et Theologorum ibi præsentium refertur a Pallavicino propugnasse sententiam Cani; quæ autem sententia tam heteroclita aliquando fuit, quæ non unum saltem alterumque patronum haberet? Nihil etiam illi Doctori tribuendum censuerunt Patres : unde subdit Pallavicin. *plures ac præstantiores ex Doctoribus in oppositam partem*, h. e. nostram sententiam, *concurrunt; et illa sententia* (Doctoris Sorbonici) *ægre toleratur, et a pluribus castigatione censoria reprehenditur, præsertim post hoc Tridentinum decretum.*

Toletus gratis refertur; dum enim ait post Tridentinum ministrum hujus sacramenti esse sacerdotem, idque ad ipsius essentiam pertinere, non negat contrahentes esse ministros, sed præter contrahentes ex decreto Tridentino requirit etiam sacerdotem cum testibus, ut valide celebretur, cum tamen ante Tridentinum, ut ipse fatetur, non fuerit necessarius sacerdos; ergo cum expresse dicat, ante Tridentin. ad valorem hujus sacramenti non fuisse necessarium sacerdotem, sed post, intelligi non potest de ministro sacramentum conficiente, alias nec antea fuisset sine sacerdote ministrante validum, cum talis minister nequeat ab Ecclesia institui; sed tantum intelligi potest de ministro assistente, solemnizante, et testificante.

Petrus de Ledesma vero totus contrarius est adversariis; quid enim ipse sentiat, quæst. 42. art. 1. sic declarat : *Ultima conclusio. Post Concilium Trident. non videtur mihi probabilis sententia Magistri Cano : sed tenendum est tanquam certum, quod non requiritur forma ex parte ministri Ecclesiastici, etiam in ratione sacramenti : certum tamen est, quod requiritur præsentia sacerdotis ad matrimonium*, etc. Quibus nihil clarius. Hoc solum dixerat in concl. 4. probabile esse, quod ante Tridentinum et Florentinum

fuerit necessaria aliqua forma ex parte sacerdotis ad matrimonium in ratione sacramenti; idque contra Soto dicentem, quod ante Canum nullus fuerit, qui hanc sententiam defenderet. Ratio autem, quare hoc probabile vocarit Ledesma, erat; quia, inquit, Magister Cano multos pro se adducit Doctores. Sed hos sine jure adduci a Cano ante ostendimus. Subsistit ergo assertio Dominici Soto, nec favet Ledesma adversariis.

Bannez etiam frustra opponitur : nam *primo* falsum est, communem nostram sententiam a multis improbari ante Tridentinum, ut facile evincitur ex allatis hactenus Doctoribus. *Secundo,* pauci sunt admodum, qui post Tridentinum a communi sententia recesserunt, si comparentur iis, qui nobiscum sentiunt. *Tertio*, non sine injuria tot gravissimorum Theologorum, qui fere per quingentos annos hac de re disputarunt, asseritur, eos omnes fugisse veritatem, et soli Cano apparuisse, in re adeo capitali, ubi de forma et ministro sacramenti agitur, præsertim cum argumenta, quæ in Florentino Canus se invenisse putat, debilia sint, ut ex responsis ad ea colligitur; alios vero Doctores male pro se allegarit, ut dictum. Non remanent igitur Tournelio Doctores, nisi Estius, Sylvius, et forte quidam alii.

Quod denique Ludovicus Habert affirmat, sententiam de sacerdote ministro ante Canum receptam fuisse ut probabilem, et quidem in Germania ut probabiliorem; utrumque falsum est, et sine omni fundamento asseritur; cum nulli auctores ante Canum tam in Germania quam extra Germaniam assignari possint, qui ita vel sensissent, vel docuissent, vel scripsissent.

316. *Obj. VII. Ex ratione.* 1°. Matrimonium contractum solis conjugum verbis non significat effectum sacramentalem. 2°. Ante Tridentinum et juxta jus antiquum sponsalia per copulam affectu maritali factam transibant in matrimonium, et copula sic habita supplebat vices horum verborum : *accipio te,* etc. ergo contrahentes non possunt dici ministri hujus sacramenti; quia alias copula illa illicita dici deberet pars sacramenti, vel actio vice Christi facta; quod absurdum est dicere.

Ad 1um. R. *N. A.* Significat enim spiritualem conjunctionem conjugum per charitatem mutuam.

Ad 2um. R. 1°. Videtur esse moraliter impossibile, ut copulam animo maritali factam nulla præcedant verba vel signa, quibus sponsi significent, se in eam consentire affectu maritali; ac ut proinde non antecedenter ad illam sit contractum matrimonium per illa verba vel signa consensus. Interim etiam admisso casu

R. 2°. *D. Ant.* Copula carnalis præcise et ratione sui *N.* Nam etiam tunc copula, secundum se erat indifferens, ut fieret vel affectu maritali in ordine ad contrahendum matrimonium, vel animo fornicario explendæ libidinis causa. Copula ratione signi, vel cum manifestatione mutui consensus in matrimonium *C.* Cum enim copula ratione sui sit indifferens, ut fiat vel animo maritali, vel fornicario, non ipsa, sed utriusque consensus externe expressus fiebat vice Christi prout ordinatus ad sacramentum. Nimirum causa efficiens matrimonii sacramenti est consensus mutuus externe expressus; quod autem expressio fiat per hoc vel tale signum, habet se accidentaliter et materialiter. Sique hoc signum sit actio turpis, non ideo

valori obstat sacramenti, sed solum ponit obicem gratiæ ex parte subjecti. Sic respondere debent ipsi adversarii in casu, quo aqua in baptismo applicatur per tactus impudicos, ubi quidem hæc actio esset materia proxima baptismi.

ARTICULUS V.

QUÆ SIT MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII?

317. Multiplex hic est Scholasticorum sententia. Illi, quibus placet, ministrum hujus sacramenti sacerdotem esse, pro materia plerique assignant contractum legitimum; pro forma verba sacerdotis: *Ego vos in Matrimonium conjungo.* Cæteri vero, qui nobiscum communiter alias ipsos contrahentes esse hujus sacramenti ministros contendunt, quoad materiam et formam tamen dissentiunt. Navarrus in Summ. cap. 22. consensum internum esse materiam adæquatam docet; formam vero verba, aut alia externa signa consensum exprimentia. Paludan. in 4. dist. 26. q. 4. a. 3. ad 2., Covarr. L. 4. Decret. p. 2. c. 1., Vasquez disp. 3. de Matrim. sect. 5. aliique ipsa contrahentium corpora esse materiam sustinent; formam, consensum verbis aliisve signis sufficienter expressum.

Nos cum Suarez, Bellarm., Sanch., et recentioribus passim in contractibus duplicem materiam distinguimus. Altera est remota seu *circa quam*, quæ sunt res ipsæ, de quibus contrahitur, et objectum, in quod cadit consensus contrahentium. Altera est proxima seu *ex qua*, et dicitur illa, ex qua componitur et constat contractus. Prior constitutionem contractus non intrat, cum sit tantum ipsius objectum. Posterior contractum ingreditur ut pars intrinseca, ex qua et forma constituitur unum compositum morale pariens obligationem ex parte utriusque contrahentis. Unde

318. *Dico I.* Materia adæquata hujus sacramenti non videtur convenienter poni posse præcise in consensu interno.

Prob. Primo enim consensus internus non potest dici materia *remota*, ut per se patet; cum materia remota sit illa res, circa quam ipse consensus versatur. Deinde non potest convenienter dici materia *proxima. Prob. hæc pars* 1°. In contractu humano: item in sacramentis materia debet saltem ex aliqua sui parte esse sensibilis; sacramenta enim ex genere suo sunt signa sensibilia, non tantum ratione formæ, sed etiam materiæ; sed consensus internus ex nulla sui parte sensibilis est. Dixi: *saltem ex aliqua sui parte*, quia non est inconveniens, materiam partialiter esse insensibilem, quæ fiat sensibilis per aliam materiam partialem, ut in sacramento Pœnitentiæ dolor interior, qui est partialis materia, fit per confessionem sensibilis, quæ cum dolore unam materiam totalem integrat. *Prob.* 2°. Materia et forma in sacramentis debent proportionari materiæ et formæ in compositis physicis; per horum enim analogiam assignantur in sacramentis: sed in compositis physicis materia semper est quid indifferens et determinabile; forma autem determinata ad unum; ergo idem in sacramentis dicere convenit. *Subs.* Atqui consensus internus non est quid indifferens et determinabile in conjugibus, sed est actus determinatus ad suum tantum objectum

exprimendum; nec determinatur a verbis, sed ab his solam sensibilitatem accipit; ergo non potest esse conveniens materia matrimonii.

319. *Dico II.* Corpora contrahentium, seu ut aliis dicere placet, jus vel dominium in corpora in ordine ad usum conjugalem, sunt materia remota et circa quam; non proxima et ex qua.

Prob. Materia proxima et ex qua est pars materialis ipsius contractus, quam intrinsece componit : atqui corpora contrahentium, vel jus in ea in ordine ad usum conjugalem non componunt intrinsece contractum, sicut res vendita, ager, vinea non componit intrinsece venditionem; igitur materia proxima dici non possunt. Sunt tamen materia remota, et circa quam, quia circa corpora, vel jus mutuum in ea contractus versatur; sicut venditio versatur circa agrum. Unde nullus jurisconsultus hactenus contractum definivit per res, circa quas contractus versatur; sed per mutuum consensum expressum, vel per mutuam obligationem, ut per proprietatem ex contractu consequentem. Sic Inst. de Oblig. ex cons. pr. contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis, societatis, solo consensu dicuntur perfici, nulla mentione facta rerum, quæ emuntur, locantur, etc.

Conf. 1. In eo formaliter constituendus est contractus, ex quo proxime et immediate sequitur mutua contrahentium obligatio; hæc enim proprius ipsius est effectus, vel proprietas : atqui hæc non ex rebus, sed mutuo paciscentium consensu et conventione nascitur. Unde Ulpian. l. Labeo. 19. ff. de V. S. contractum per mutuam contrahentium obligationem ut per proprietatem, quæ immediate naturam contractus consequitur, definit. Eadem vero matrimonio conveniunt, cum nihil aliud sit, quam contractus civilis ad dignitatem sacramenti elevatus. Unde specialiter pro hoc

Conf. 2. Corpora, vel jus et dominium mutuum in illa, nec significant, nec causant gratiam; ergo non possunt esse pars materialis sacramenti.

320. *Dico III.* Materia proxima hujus sacramenti et forma sunt ipsi contrahentium actus, quibus sibi mutuo corpora, vel mutuum in ea dominium in ordine ad conjugalem usum tradunt, et traditionem acceptant. Materia est *traditio;* forma, ejus *acceptatio;* utraque dicens et *consensum internum* et *externam expressionem.*

Prob. In aliis contractibus materia et forma actus sunt contrahentium, ita ut traditio habeat rationem materiæ; acceptatio, formæ; ergo et in contractu matrimoniali; nam in ratione contractus matrimonium a cæteris civilibus contractibus non distinguitur; nec ut sacramentum est, diversam habet materiam et formam a se ipso, ut contractus est. *Antec. Prob.* Illud se habet per modum materiæ, quod se habet per modum determinabilis; illud vero se habet per modum formæ, quod se habet per modum determinantis : sed traditio se habet per modum determinabilis; et acceptatio illius per modum determinantis; traditio enim adhuc quid informe est; per eam enim solum contractus inchoatur, estque inefficax, et manet suspensa, donec accedat acceptatio, per quam traditio fit perfecta et efficax, totusque contractus perficitur. Dixi : *utraque dicens et consensum internum,* etc. Matrimonium enim qua sacramentum necessario sensibilitatem requirit, quæ per actum externum habetur; qua contractus vero exigit essentialiter

utrumque; quia contractus ex consensu interno et externa expressione constituitur.

321. *Obj. I.* Ergo idem erit materia et forma in hoc sacramento.

R. *D.* Idem secundum eamdem considerationem *N.* secundum diversas considerationes *C.* Eadem enim verba : *accipio te in meam : accipio te in meum,* ita sunt acceptatio ab una parte, ut simul sint traditio corporis proprii; sic dum sponsus ait : *accipio te in meam,* his suum corpus tradit, et simul acceptat traditionem sponsæ; similiter sponsa dum dicit : *accipio te in meum,* et suum corpus tradit sponso, et acceptat traditionem sponsi; idem igitur actus sub diversa consideratione materia est et forma; materia, ut est traditio; forma, ut est acceptatio.

Et hoc videtur velle Florentinum, dum causam efficientem matrimonii assignat mutuum consensum per verba de præsenti expressum, nulla alia assignata causa aut materiali, aut formali, cum tamen in reliquis suam cuique et materiam et formam assignet; cur enim hoc, nisi quia sentit Concilium, in hoc sacramento non aliam esse causam materialem et formalem, quam illam, quæ est efficiens; alias enim eam expressisset, ut fecit in sacramentis reliquis? Nec latuit Concilium, in sacramentis causam efficientem non distingui a causa materiali et formali; ablutio enim et verba a baptizante prolata sunt materia et forma baptismi, et simul causa effectrix tum gratiæ, tum characteris, quem imprimunt : ita mutuus consensus conjugum externe expressus, causa materialis est, quatenus est traditio; formalis, quatenus acceptatio; efficiens vero respectu gratiæ, quam confert, et nexus, vel conjugalis vinculi, quod causat. Verum

322. *Obj. II.* Juxta Florentin. cit. materia sacramentorum sunt res, forma vero sunt verba; sed juxta nos etiam verba vicem materiæ subeunt.

R. *D. Maj.* Res et verba semper materialiter *N.* formaliter, quatenus habent conditionem materiæ et formæ *C.* In sacramentis non tam attendi debet ad res et verba materialiter, quam ad ea formaliter, h. e. quatenus habent rationem materiæ et formæ. Unde sicut in sacramento Pœnitentiæ etiam verba habent conditionem materiæ, scilicet confessio; ita in Matrimonio res verbis explicatæ conditionem formæ, et eadem verba secundum aliam considerationem habere possunt conditionem materiæ; neque enim Florentinum, licet dixerit sacramenta perfici materia, forma et intentione ministri, ideo dixit, hæc tria in singulis debere realiter distingui.

323. *Obj. III.* Actus contrahentium non significant effectum hujus sacramenti; ergo.

R. *N. Ant.* Directe enim et explicite significant juris mutui, et conjunctionis vinculum; ac consequenter implicite gratiam ad actus juris illius et conjunctionis conjugalis necessariam.

CAPUT III.

DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

324. Cum juxta Florentinum Concilium decr. Union. §. *septimum*, ut sæpe hactenus retulimus, causa efficiens matrimonii sit mutuus contrahentium consensus, et Tridentinum Sess. 24. de reform. Matr. eumdem consensum non obscure requirat, ordo postulat, ut explicata matrimonii natura, de hoc consensu, quantum ad forum Theologiæ scholasticæ pertinet, disseramus.

ARTICULUS I.

AN AD VALOREM MATRIMONII SEMPER NECESSARIUS SIT CONSENSUS CONTRAHENTIUM, ET QUALIS ESSE DEBEAT?

325. Non est hic quæstio, utrum ad matrimonium *in fieri* sive *ut contractus* est, necessarius sit absolute et semper consensus contrahentium : certum enim est matrimonium hoc sensu sumptum sine consensu mutuo nunquam haberi posse, cum uti contractus alii, ita matrimonialis constet ex consensu mutuo ceu partibus essentialibus, eumque includat formaliter; at causa formalis a nulla causa extrinseca, nequidem divinitus suppleri potest; alias enim cum causæ formalis sit constituere ipsam rei essentiam, si res sine sua causa formali existere posset, etiam posset sine essentia existere. Nec quæritur de matrimonio, *ut sacramentum* est; hoc enim in ipso contractu consistit; si igitur sine eo consensu haberi non possit contractus matrimonii, nec haberi poterit sacramentum. Solum quæstio procedit de matrimonio *in facto esse*, sive ut dicit *vinculum* ex contractu relictum, quo conjuges copulati et adstricti manent nexu indissolubili.

326. *Dico I.* Ad matrimonium etiam sub ratione vinculi, adeo necessarius est mutuus consensus, ut ejus defectus saltem nulla sive seculari, sive ecclesiastica potestate suppleri possit.

Ratio est : quia nulli potestati creatæ a Deo potestas hæc concessa est; non enim a Deo datur potestas in destructionem, sed ædificationem boni communis; talis vero potestas boni communis destructiva esset; cum matrimonia inter invitos et repugnantes facta impediant amorem mutuum ad procreationem prolis ejusque rectam educationem necessarium; producant mala maxima, perpetua jurgia, fornicationes, homicidia, etc. Unde et nunquam Ecclesia, aut Respublica aliqua tali potestate usa fuit, quæcumque suaderet necessitas, ut uteretur.

Dixi : *saltem nulla sive seculari*, etc. Deum enim posse tale vinculum inducere inter marem et feminam sine illorum consensu, videtur verosi-

milius; potest enim Deus tradere viro potestatem in corpus mulieris, et vicissim absque utriusque consensu; cum majus habeat dominium in corpora conjugum, quam ipsimet; sed ex facta illa traditione resultaret vinculum conjugale, sicut resultat, dum vir mulieri, et mulier viro hanc potestatem tradit. Nec obstant tunc mala sequi nata, dum mas et femina conjunguntur reluctantes et inviti; cum Deus æque animorum sit Dominus, quam corporum, ac proinde inspirare iis possit amorem mutuum, quo ea mala præcaventur.

327. *Obj.* Validum habetur matrimonium sub conditione impossibili; quia conditiones impossibiles appositæ matrimonio pro non adjectis habentur c. fin. de condit. appos. sed tunc potuit nullus fuisse consensus in matrimonium. Et similiter ante Tridentinum sponsalia, si accessisset copula, transibant in matrimonium: sed et tunc abesse consensus potuit; ergo Ecclesia ejus defectum supplere potest. Deinde potest Respublica ex dominio quod habet urgente necessitate in corpora civium, subditum reluctantem tradere in servitutem; imo in mortem; ergo etiam in matrimonium.

Ad 1um. R. Validum haberi tale matrimonium pro foro tantum externo, quia præsumit adfuisse consensum, et conditiones tales, utpote nugatorias, vult pro non adjectis haberi; quia supponit eas non serio, sed ex joco, vel sub modo et pacto tantum, si turpes sint, adjectas fuisse; unde, si reipsa consensus defuerit, hunc non supplet Ecclesia, et coram Deo nullum est matrimonium. Idem est de sponsalibus, quæ accedente copula ante Tridentinum transibant in matrimonium, scilicet pro foro externo tantum, quia Ecclesia præsumebat, copulam habitam fuisse affectu maritali, adeoque cum consensu in matrimonium; non tamen in foro interno et coram Deo verum erat matrimonium, si reipsa consensus defuisset.

Ad 2um. R. *N. Cons.* Quia primum exigere potest bonum commune; non vero secundum.

328. *Dico II.* Consensus debet esse 1°. *verus*, non fictus; contractus enim ut sic natura verum consensum postulat, velut utroque jure sancitur: civili, quod docet, quamdiu in nobis non fuerit animus rem deferendi, vel transferendi in alium, tamdiu in nostra manere potestate L. *Possideri* §. Quod si servus. ff. de acquir. vel amitt. possess. ubi: *constat possidere nos, donec nostra voluntate discesserimus.* Et L. *Obligationum* ff. de A. et O. substantia obligationis ponitur in animo se obligandi. Sancitur etiam jure canonico; can. 22. q. 25. *Non debet*, inquit, *aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem; quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni.*

2°. *Deliberatus*, id est, cum cognitione et advertentia, quæ sufficit ad mortale; hoc enim obligationis gravitas, quæ ex matrimonio contrahitur, exigit. Item *mutuus*, et verbis, vel signis sufficienter expressus, juxta Florentin. in Decreto; utrique enim parti innotescere debet, ut acceptari possit. Porro saltem *moraliter simultaneus*, h. e. utriusque consensus non debet necessario coexistere et poni simultate physica, sed moralis simultas sufficit, id est, ut, postquam pars una consensum dedit, altera ex intervallo consentiat, modo consensus prior adhuc perseveret habitualiter, sive non sit revocatus; talis enim simultas moralis cæteris in contractibus suffi-

cit; *et intervallum medium non vitiat obligationem* L. 1. ff. de V. O. Quoad matrimonium vero nulla extat in ullo jure exceptio. Denique debet esse *publicus*, non clandestinus, ubi viget constitutio Tridentini matrimonium clandestinum irritantis : *liber* ab errore et metu, de quibus partim hoc cap. partim suo loco uberius disseremus.

ARTICULUS II.

UTRUM CONSENSUS CONDITIONATUS SUFFICIAT AD MATRIMONIUM?

329. *Observandum I.* Consensum in matrimonium præstari posse cum demonstratione; cum causa; cum modo; cum conditione. Cum *demonstratione* præstatur, si apponitur signum, personæ, quacum contrahitur, qualitatem exprimens, fierique solet per particulas relativas, *qui, quæ, quod*, ut: duco te, quæ nobilis, dives es. Cum *causa*, dum apponitur signum exprimens motivum, quod operantem impellit, et denotatur per particulam causalem *quia*, ut : duco te, quia de tali stemmate oriunda es. Cum *modo*, quando signum apponitur expressivum oneris, vel obligationis, quæ imponitur, vel effectus, qui speratur, vel finis, qui intenditur; fitque per particulam *ut*, velut : duco te, ut hanc dignitatem per te obtineam. Cum *conditione*, si detur consensus, sed tantum sub conditione, si quid positum fuerit, ac proinde per particulam *si* indicari solet; ut : duco te, si pater tuus consenserit. Nec modus, nec causa, nec demonstratio *per se* impediunt, quominus actu vere fiat matrimonium, cui apponuntur, cum errorem tantum accidentalem inducant L. 17. 33. ff. de condit. et demonstr. Et ratio est; quia non impediunt, quominus consensus feratur in id, quod ad matrimonii substantiam pertinet, sive vera sit causa, demonstratio, modus, sive non, ut cum dicitur : duco te, quæ, vel quia nobilis es; sive vere sit, sive non sit nobilis, semper occurrit ejus corpus, quod acceptatur, et in quod fertur consensus tanquam in substantiam. Dixi : *per se*; nisi videlicet habeant rationem conditionis, cui contrahens alligavit consensum; quia tum idem sentiendum, quod de conditione, de qua nunc.

Observandum II. Licet attento sensu juris ea sola sit stricte dicta conditio, quæ actum, vel contractum, cui adjicitur, ejusque obligationem in futurum eventum dubium suspendit, sive conditio de futuro contingenti §. sub conditione. Inst. de V. O. latius tamen hoc loco sumitur conditio, prout includit etiam alia conditionum genera; et definiri potest : *adjectio apposita suspendens, vel resolvens dispositionem actus vel contractus, ejusque, quæ ex illo nascitur, obligationem.*

Conditio sic latius sumpta 1°. dividitur in conditionem de præterito, de præsenti, de futuro. Conditio de *præterito* est, quæ dispositionem resolvit, et dependentem reddit ab aliquo, quod extitit; ut, duco te, si pater tuus mortuus sit : de *præsenti*, quæ ab aliquo, quod sit actu; ut, si nobilis es : de *futuro*, quæ ab aliquo, quod extiturum sit. 2°. In possibilem et impossibilem. *Possibilis*, quæ evenire, et non evenire potest. *Impossibilis*, cujus eventus dari non potest, sive ex *natura rei*, ut, si hircocervum ceperis; vel ex *statu*, ut si vere pauperi dicas : si principatum in dotem attuleris, mille aureos

numeraveris; vel *de facto*, ut si montem aureum attuleris in dotem. Huc pertinet conditio, quæ dicitur impossibilis *de jure*, alias dicta conditio *turpis*; quod enim non licet, id nec posse censemur, L. 5. de Condit. instit. Hæc, si adversetur uni ex tribus matrimonii bonis, id est, generationi aut educationi prolis; vel fidei conjugali; vel individuæ vitæ societati, est turpis *repugnans substantiæ matrimonii*; ut si sub quæstu adulterandam te tradas; per poculum sterilitatis, procreationem abortus, generationem prolis evites, etc. 3°. In necessariam et contingentem. *Necessaria*, quæ est certo extitura, sive ex natura rei, ut si cras sol oriturus sit; vel ex revelatione, ut si Antichristus venturus sit. *Contingens*, cujus eventus est dubius; si hic pendet a libera voluntate partis, quacum contrahitur, ut si religionem catholicam amplecti volueris, dicitur contingens *potestativa*; si a voluntate tertii, ut si Titius te hæredem scribet, *casualis*; alias erit contingens simpliciter. Quæritur nunc, an, vel quatenus dictæ conditiones appositæ contractui matrimoniali reddant hunc invalidum, vel suspendant?

330. *Dico I.* Matrimonium sub conditione repugnante substantiæ matrimonii est nullum. Patet ex c. fin. de condit. appos. ubi Gregor. IX. sic decidit: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur: puta, si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem: aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.* Pro quo

331. *Observa*: ad matrimonium ex institutione divina essentialiter tria requiri: *primum* est ejus indissolubilitas, sive vinculum perpetuum. *Secundum*, fides mutua conjugalis, h. e. obligatio non adulterandi; et reddendi debitum, si ab altero conjuge legitime exigatur. *Tertium*, obligatio non impediendi generationem prolis, eamque, si nata fuerit, educandi. Ideo nullus est contractus juxta c. fin. cit.: contraho tecum, donec invenero ditiorem, ut adulterandam te tradas, ut sterilitatem procures, etc. vel natam prolem occidas; primus enim vinculo perpetuo, sive matrimonii indissolubilitati; alter fidei conjugali; postremus bono prolis positive adversatur.

Ratio a priori conclusionis est; quia non potest simul stare consensus in substantialia matrimonii, et consensus in aliquid matrimonii substantiæ repugnans: unus enim tollit et destruit alterum. Quomodo tamen substantiæ matrimonii non repugnet in conjugibus votum servandi castitatem, vid. sup.

332. *Dico II.* Conditio possibilis de præterito vel de præsenti, contractus matrimonialis valorem non suspendit: sed vel statim nullus est non existente conditione; vel statim valet ea existente.

Ratio est; quia contractus ex voluntate et conventione contrahentium legem accipiunt juxta R. 85. in 6., ergo si contrahentes consenserunt sub conditione nobilitatis, paternæ mortis, etc. his existentibus statim nascitur obligatio; vel nullus est contractus iis non existentibus; quia sub his conditionibus præcise se obligare intendunt.

333. *Dico III.* Conditio impossibilis adjecta matrimonio illud saltem pro foro externo non vitiat.

Patet ex c. fin. de condit. appos. quo dicitur : *aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes et impossibiles fuerint, propter favorem ejus debent pro non adjectis haberi* ; tunc enim, nisi aliunde constet contrahentes serio eas adjecisse, Ecclesia in dubio præsumit, contrahentes solius joci causa ejusmodi conditiones adjecisse, et potius serio contrahere voluisse, quam invalide ; proinde non defuisse consensum ; et merito, ne forte separentur, qui legitime conjuncti sunt, et aliis conjungantur per matrimonium illegitimum. Limitavi tamen conclusionem *pro foro externo* ; aliter enim pro foro interno sentiendum est, si revera serio tales conditiones adjiciant, et vere suum consensum tali conditioni alligent, ut sine illa non intendant contrahere ; tunc enim nullum erit matrimonium ex defectu consensus : quin hoc ipso, quod se nonnisi in eventum nunquam futurum obligaverint, patet, eos se obligare omnino non voluisse ; idque multo magis verum de conditione impossibili de præterito, vel præsenti.

334. *Dico IV.* Spectato foro externo, valet etiam matrimonium regulariter statim ut absolutum, cui apponitur conditio impossibilis *de jure* sive turpis de futuro, non repugnans substantiæ matrimonii. Habetur iterum ex c. fin. sæpe cit.

Dixi tamen 1°. *regulariter*, scilicet si dubium sit, num serio, an joco adjecta fuerit conditio ; si enim aliunde constet serio adjectam fuisse cum animo suspendendi matrimonium usque ad conditionis eventum, nec pro foro externo valebit ; præsumptio enim Ecclesiæ, qua hic præsumit contrahentes voluisse juxta mentem Ecclesiæ, et sine peccato contrahere, non est præsumptio *juris de jure*, quæ probationem in contrarium non admittat.

Dixi 2°. turpis de *futuro* ; si enim sit de præterito vel præsenti, valebit per se conditione posita ; ea vero non posita non valebit pro utroque foro.

Dixi 3°. et iterum *spectato foro externo* ; nam pro interno suspendetur matrimonii valor et obligatio, si contrahentes revera non aliter, quam in eventum talis conditionis se obligare intenderint ; cum enim consensus sit de essentia matrimonii, sicut contractus cujuslibet, non potest valere matrimonium ut absolutum, ubi absolutus consensus non est.

335. *Dico V.* Matrimonium sub conditione de futuro necessaria, est absolute validum.

Ratio est : quia talis conditio est de facto determinata in sua causa, estque moraliter præsens et impleta, eo quod futuritio ejus de facto insit rei. Præterea ejusmodi conditio censetur addita non tam ad consensum suspendendum, quam ostendendam illius certitudinem, ut sensus sit : sicut certum est e. g. solem cras oriturum, sic certum est, quod te ducere velim. Pro foro interno tamen mens ipsa contrahentis spectanda est, an non verba talia, si cras sol oriatur, ita intelligat, ut velit indicare tempus, quo cras sol oriatur ; tunc enim non valebit contractus ante diem crastinum.

336. *Dico VI.* Matrimonium sub conditione honesta, indifferente, aut

contingente de futuro non valet absolute ante eventum conditionis, sed usque ad hunc suspenditur: quia contrahentes non intendunt se obligare, nisi post eventum conditionis; actus vero ultra intentionem agentium non operantur. Et quoad hoc satis inter Doctores convenit: solum controvertitur inter eos, utrum matrimonium sub tali conditione de futuro contractum, conditione posita statim convalescat absque consensu novo, si modo prior consensus non fuerit revocatus? Unde

337. *Dico VII.* Probabilius est, matrimonium sub conditione honesta, indifferente, aut contingente de futuro, posita conditione consequi valorem absolutum tam in ratione contractus, quam sacramenti sine novo consensu, modo prior revocatus non fuerit.

Ratio est 1°. Quia est hæc omnium aliorum contractuum, etiam sponsalium natura juxta communem auctorum, ut sub tali conditione celebrati ea purificata acquirant valorem absolutum sine consensu novo, modo consensus prior ex nullius parte revocatus sit L. 11. ff. qui potior. in pign. L. 7. ff. de contrah. empt. Ergo etiam matrimonium, quod naturam contractus retinuit. 2°. Quia consensus ille, cum in eventum conditionis relatus sit, usque ad hunc perseverat moraliter, sicut in eo, qui per procuratorem contrahit; igitur posita conditione non minus obligabit, quam si de novo poneretur. 3°. Quia sic declarasse S. Pium V. et Clement. VIII. refert Fagnan. in c. *Super eo.* L. 5. n. 56. h. t. ut adeo hæc sententia sit authentice declarata.

338. *Obj. I.* Actus legitimi non recipiunt diem aut conditionem, c. 50. in 6. L. 77. ff. de R. J. atqui matrimonium est actus legitimus; ergo

R. *D. Maj.* Actus legitimi, h. e. qui vel ex dispositione juris diem aut conditionem excludunt; vel ex natura sua ob certam verborum formam præscriptam vel a jure humano, vel divino ut in reliquis sacramentis *C.* alii actus *N.* Per actus legitimos in citt. RR. illi actus intelliguntur, quibus ex dispositione juris non licet conditionem adjicere; tales sunt in jure specialiter expressi, ut cit. L. 77. emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris; et in jure canonico c. 2. de Elect. in 6. electio: item illi actus, quibus certa verborum forma præscripta est, ut in sacramentis cæteris: non vero per actus legitimos intelliguntur contractus secundum se, vel actus in jure specialiter non expressi; proinde nec matrimonium, cum nec specialiter quoad exclusionem conditionis exprimatur in jure; nec certa verborum forma constet; nec ex natura sua sit exclusivum conditionis; quin ipso jure imbibitam habeat conditionem intrinsecam: nisi Religionem intravero.

339. *Obj. II.* c. *Super eo* 5. h. t. statuitur, eum, qui matrimonium iniit cum muliere sub conditione consensus paterni, ante illius eventum ad matrimonium *contrahendum* cogi non posse; infertur: ergo hac eveniente ad illud *contrahendum* cogi poterit. *Subs.* atqui non *contrahitur* matrimonium nisi per consensum; ergo cogi eo casu poterit ad ponendum consensum novum.

R. *D. Ant.* Et Pontifex ibi *contrahere* sumit, pro *ponere consensum N.* pro

perficere contractum, h. e. *consummare matrimonium*, ut sensus sit ad matrimonium consummandum cogi non posse *C.* Quæsitum enim fuerat, utrum talis ante eventum conditionis cogi possit ad matrimonium consummandum, ut patet ex Rubrica; ergo per τo *contrahere* intelligit consummare; alias responsum interrogationi non concordaret. Vel, si tamen contendas, Pontificem velle, ut iterum *contrahatur*, eumque de contractu novo loqui, dici potest, id factum ideo, quod dubium fuerit, annon prior consensus fuerit ante conditionis eventum revocatus.

340. *Inst.* 1. In c. cit. dicitur, quod consensus pendens ab eventu futuro non sit habendus pro consensu de præsenti : atqui ad matrimonium requiritur consensus de præsenti; ergo ponendus est consensus novus.

R. *D. Maj.* Consensus pendens ab eventu futuro non est consensus de præsenti, h. e. non est absolutus et omnino perfectus ante conditionis eventum *C.* non est conditionatus, incompletus, revocabilis, quamdiu pendet conditio, et obligans ad exspectandum conditionis eventum *N.* Est consensus de præsenti positus, sed conditionate, ac proinde facit matrimonium conditionatum, non nuda sponsalia de futuro.

341. *Inst.* 2. Consensus ille conditionatus præcise et tantum sponsalia de futuro constituit. *Prob.* quia si ita conditionate contrahens postea contrahat cum alia per verba de præsenti absoluta, valebit hoc secundum matrimonium : atqui non valeret, si prior consensus conditionatus valuisset in ratione matrimonii; nam matrimonium est ex natura sua indissolubile.

R. *N. Ant. Ad prob. min.* R. *D.* Non valeret, si prior consensus conditionatus valuisset in ratione matrimonii perfecti *C.* cum tantum valuerit in ratione matrimonii conditionati, incompleti, nec proin irrevocabiliter *N.* Matrimonium perfectum, absolutum, indissolubile est.

342. *Obj. III.* Matrimonium est inter Christianos sacramentum; ergo debet adesse signum sensibile : atqui eveniente conditione non apparet sufficiens signum sensibile. *Conf.* Cætera sacramenta novæ Legis a futura conditione pendere nequeunt; ergo nec matrimonium.

R. *N. min.* Nam signum sensibile sufficiens est ipse conditionis eventus, per quam ex contrahentium pacto eorum consensus adhuc perseverans redditur sensibilis et absolutus; conditio enim eveniens operatur idem, quod contractus pure celebratus, L. 11. ff. qui potior. in pign. L. 7. ff. de contrah. empt. §. 6. Instit. de V. O. *Ad Conf.* disparitas est; quod matrimonium retinuerit rationem contractus; hic vero conditionatus esse potest, et sine novo consensu perficitur conditione impleta.

Utrum vero in hac sententia necesse sit, ut conditio impleatur coram parocho et testibus, vel his saltem significetur ejus impletio, adhuc inter auctores controvertitur. Probabilius videtur, id necessarium non esse, modo ab initio coram parocho et testibus sub conditione contractum sit; quia jam obtinetur finis Tridentini, ne deserto primo matrimonio contrahatur aliud, cum non permittet Ecclesia aliud contrahi matrimonium, nisi constet de non impleta conditione, aut revocatione consensus conditione adhuc pendente. Sic etiam in matrimonio, quod per procuratorem contrahitur, necesse

non est, ut sciat parochus et testes, mandatum esse legitime datum, non revocatum, etc. sed sufficit eos præsentes esse, dum per procuratorem contrahitur: item in casu, quo impuberes impubertate naturali contraxerunt coram parocho et testibus dicendo, se puberes esse et potentes ad generandum, necesse non est, ut postea manifestent parocho et testibus secutam esse pubertatem. Imo juxta communem sententiam erit matrimonium absolutum, licet conditionis impletio nondum constet ipsis contrahentibus, quanquam, ut bona fide uti matrimonio possint, hæc ipsis constare debeat; cur ergo conditionis eventus constare debeat parocho et testibus? Accedit, quod Tridentinum requirat præsentiam parochi et testium, quando contrahitur matrimonium; sed contrahitur tunc, quando consensui conditio apponitur; non quando ea impletur. Et demum teste Fagnano hoc sufficienter declararunt Pius V. et Clem. VIII. pro valido habentes matrimonium per verba de præsenti sub conditione de futuro honesta contractum coram parocho et testibus, approbantes declarationem S. Congr. Cardin. Concil. Trid.

ARTICULUS III.

UTRUM AD VALOREM MATRIMONII FILIORUMFAMILIAS SIT NECESSARIUS PARENTUM CONSENSUS?

343. Affirmat Calvin. L. 4. Inst. c. 19. leges Pontificias, quibus conjugia inter adolescentulos parentum injussu contracta firma rataque declarantur, vocans *in Deum impias, partim in homines iniquissimas,* h. e. contra jus naturale et divinum. Distinctione Lutherus utitur serm. de Matrim. Si ex conjugio absque parentum consensu contracto jam nata sit proles, vult illud ratum esse debere; secus vero, esse irritabile pro arbitrio parentum. Brentius non parentibus, sed magistratui potestatem tribuit irritandi, vel confirmandi matrimonia a filiis inita parentibus sive invitis, sive insciis; singuli vero se jure *naturali* et *divino* fundari contendunt.

Concordi e contra sententia nunc præsertim post Tridentinum tenent Catholici, nec *jure naturali*, nec *divino* irrita esse dicta matrimonia, licet illicita, si absque justa causa ita filii contrahant; et solum inter eos post Trid. orta fuit quæstio, an S. Synodus decreto suo Sess. 24. de ref. Matrim. c. 1. dogma definire voluerit duntaxat contra Novatores, qui docuerant matrimonia, ex defectu consensus parentum utroque jure, *naturali* et *divino* irrita esse, ideoque parentes ex utroque hoc jure posse ea rata facere, vel irrita; vel utrum præter dogma illud contra hæreticos voluerit generalem disciplinæ legem proponere, qua deinceps dicta matrimonia in tota Ecclesia rata, firmaque haberentur? Negarunt hoc posterius nonnulli Doctores Galliæ, existimantes, decreto Tridentini solummodo contra Novatores definiri, non posse parentes jure naturali et divino rata, vel irrita facere sine suo consensu contracta a filiis matrimonia; nihil vero statui de privatis provinciarum, vel regnorum legibus, quibus ea matrimonia vel rata haberentur, vel irrita; proinde eo decreto nullum præjudicium inferri legibus Galliæ, quibus irritata esse talia matrimonia putabant.

344. *Dico I.* Matrimonia a filiisfamilias, idem est de filiabus, contracta parentibus sive insciis, sive invitis, nec jure naturali, nec divino, nec humano irrita sunt; nec proinde magistratus, vel parentes possunt suo arbitrio ea vel rata facere, vel irrita.

Prob. per part. I. Non jure naturali; quia sicut matrimonium est solius viri feminæque conjunctio, qui suo consensu contractum perficiunt, ita spectato jure naturali pro sua essentia utriusque contrahentis consensum postulat; hoc igitur habito valebit jure naturali. Deinde spectato naturæ sensu prorsus iniquum apparet, filios ita parentum potestati velle substernere, ut sine horum consensu valide contrahere matrimonium non possint. 1°. Quia interdum filii ipsis parentibus prudentiores sunt. 2°. Parentes ex sordida subinde avaritia, ne dotem numerare cogantur, impediunt filiorum matrimonia. 3°. Vel politicis ex causis consensum procrastinant cum incontinentiæ et animarum periculo. 4°. Aliquando liberos etiam invitos compellere intendunt in monasterium, vel cælebs vitæ genus, nunquam in eorum nuptias consensuri; vel ideo consensum negant, donec filius admittat sponsam, quam parentes elegerunt, licet eam aversetur filius; ex quo matrimonio nonnisi infausti eventus oriri solent. 5°. Filiorum maxime interest, quibuscum perpetuam vitæ societatem ineant, ob gravia onera matrimonio annexa, cum sit indissolubilis et perpetua quædam quasi servitus, a qua per naturam liberi nascuntur; igitur jure naturæ non debet ejus electio necessario pendere a voluntate aliorum, quam eorum, qui matrimonium ineunt. 6°. Sæpe filii et filiæ extra patriam potestatem sunt, ut emancipati, vidui, viduæ, absentes in remotis terris, ut parentes consulere subinde non possint; vel aliunde non expediat. Et vel hinc *Conf.* Si ob reverentiam jure naturali parentibus debitam non possint inire valide matrimonium absque parentum consensu; ergo nec vidui, nec viduæ, cum in his perseveret naturalis in parentes obligatio; sed consequens est directe contra Apostolum 1. Cor. 7. de vidua dicentem: *cui vult, nubat.*

II. Nec jure divino; tale enim non est assignabile, ut constabit solutione object. quin ex S. Scriptura tenemus, Jacobum patriarcham Gen. c. 29. duxisse uxorem secundam, Rachelem; et Gen. 30. alias duas Balam et Zelpham parentibus insciis; at hoc non fecisset patriarcha sanctissimus, si ad valorem matrimonii jure divino necessarius fuisset parentum consensus. Sed et Tobias junior. Tob. 7. uxorem duxit Saram, jam pridem existente lege mosaica, sine scitu parentum; nec eum dehortatur angelus, viæ comes.

III. Nec jure positivo humano; ut iterum patebit solut. object. E contra Concil. Trident. Sess. 24. de Ref. Matr. c. 1. contrarium sancivit: ubi: *eos sancta Synodus anathemate damnat, qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine parentum consensu contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Ad quod movebantur Tridentini Patres ob rationes supra *in prob. part.* 1ae. allatas, teste Pallavicino Concilii Trid. historico, tametsi Oratores Galliæ solemniter Regis nomine peterent a Patribus, ut redderentur irrita matrimonia contracta a filiis absque parentum consensu, quod plerumque noxia, ac familiis indecora essent, et odiorum, ut ipsi putabant, quam amoris fomes inter conjuges.

Respondent equidem quidam Doctores Galliæ, Concilium his verbis

voluisse damnare novos dogmatistas Lutherum et Calvinum, docentes, ea matrimonia esse jure naturali et divino irrita; non vero condidisse legem disciplinæ universalis, contrariam legibus privatis regnorum, præsertim Galliæ: sed huic responsioni occurretur concl. 2ª. Item valere ea matrimonia jam ante Trident. decreverat Nicolaus I. c. *Sufficiat* 3. caus. 27. q. 2., Innocent III. 2. *Tuæ fraternitatis* de Sponsal. Clem. III. *Cum virum* 12. extra de Regular.

345. *Dico II.* Concilium Tridentinum, ante cit. Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr. non tantum intendit damnare dogma Novatorum; sed simul condidit legem disciplinæ universalis, vi cujus generaliter rata firmaque manerent matrimonia contracta sine consensu parentum.

Ratio est 1°. Quia contrarium nullo solido fundamento dici potest, ut patebit solut. obj. 2°. Si voluisset unice definire dogma contra Novatores, cur more alias constanter observato definitionem suam non reposuit inter Canones? 3°. Si intendisset tantum damnare hæreticos, nec inducere disciplinam universalem, etiam contra privatas leges provinciales; ergo vere adhuc essent irrita ea matrimonia vi legum istarum, possentque irritari a parentibus: sed hoc nequit conciliari cum Tridentino, quod decretum suum nullo signo restringit ad jus naturale et divinum; sed sine ulla distinctione inter jus naturale, divinum, humanum indefinite, adeoque universaliter pronuntiat valida esse ea matrimonia, nec posse a parentibus irritari. 4°. Quia duplex erat controversia in Concilio, ut colligitur ex Pallav. Lib. 22. et 23.; prior spectabat dogma fidei, essentne irrita ea matrimonia *jure naturali et divino*, ut volebant hæretici? altera disciplinam, an expediret speciali lege irrita declarare hæc matrimonia, quod poscebant Oratores Galli? igitur cum his nihil concessum legatur in Concilio; sed e contra verbis generalibus rata et firma pronuncientur hæc matrimonia, sat clare colligitur, Concilium voluisse simul legem disciplinæ universalis condere.

346. *Obj. I. cont. concl.* 1ªm. *ex jure naturali.* Vi præcepti naturalis filii tenentur præstare obedientiam parentibus; ergo non possunt sine consensu contrahere matrimonium. *Conf.* 1. Jure naturali filiorum voluntas continetur in voluntate parentum. *Conf.* 2. L. 1. et 2. C. de Nupt. in quibus necessarius parentum consensus decernitur, hæc datur ratio: hoc fieri debere et civilis et *naturalis ratio* suadet in tantum, ut jussus parentum præcedere debeat; ergo.

R. *D. Cons.* Non possunt valide *N.* licite *Subd.* Sine legitima causa *C.* hac habita *N.* Plus argumentum non probat. Cæterum in eligendo vitæ statu nullus alteri homini a natura despotice subjectus est; sed soli Deo.

Ad Conf. 1ªm. R. *D.* Voluntas filiorum, qui nondum ad perfectæ rationis usum pervenerunt, continetur in voluntate parentum *C.* qui ad eum pervenerunt *Subd.* Quoad usum, curam, administrationem temporalium, etc. *C.* quoad vitæ statum personalem *N.* ex dictis.

Ad Conf. 2ªm. R. *D.* Naturalis ratio suadet, ut jussus parentum præcedere debeat, in ordine ad effectus civiles, et ad nuptiarum honestatem *C.* ad matrimonii et sacramenti valorem *N.* Vid. dicta de Spons. et inferius.

347. *Obj. II. ex jure positivo divino.* Matth. 19. dicitur Deus eos conjungere, qui contrahunt matrimonium : sed non potest dici, quod Deus conjungat eos, qui contrahunt sine consensu parentum; cum ita contrahentes peccent; ergo. *Conf.* 1. Gen. 38. Judas primogenito suo Her dedit uxorem Thamar; et iterum dedit eam filio suo Onan. *Conf.* 2. Exod. 22. dicitur : *Si virginem quis seduxerit, dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis.* Adde illud Deuter. 22. v. 16. Item 1. Cor. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, qui non jungit, melius facit.* Ubi requiritur consensus parentum.

R. *N. min.* Deus vere conjungit eos, qui absque parentum consensu contrahunt, sicut vere baptizatur qui cum affectu peccati mortalis baptismum recipit; et sicut vere concurrit ad eorum productionem, qui nascuntur ex adulterio, ut notat S. Thomas q. 48. a. 2. ad 2. Potest tamen aliquo sensu dici eosdem non conjungere, quatenus, si absque legitima causa sine parentum consensu contrahunt, non recipiunt fructum sacramenti; sicut aliquo sensu dici potest non communicasse, qui peccati mortalis conscius communicat, quia non recipit gratiam, licet vere corpus Christi recipiat.

Ad Conf. 1am. R. Inde præcise, nec plus probari, quam electionem sponsi vel sponsæ, item propositionem pendere a parentibus; iis etiam incumbere, ut liberis de sponsa vel sponso provideant, et circumspiciant; non vero liberos non posse valide per se ipsos contrahere; quod solum negamus.

Ad Conf. 2am. R. Illud Exod. 22. non est ad rem; non enim ibi agitur de conjugio, sed de stupro, quod vir habuit ad suam explendam libidinem, non ad habendam uxorem; in quo casu pro pœna criminis illud statuitur, ut, si stuprata voluerit et parentes ejus, illam possit stuprator habere in uxorem, sin minus, solvat dotem; datur ergo hoc casu potestas patri filiam stupratam negandi stupratori, licet hic eam ducere vellet, idque in stupri pœnam : unde nihil sequitur contra nos.

Quoad alia Scripturæ loca R. *D.* Requiritur consensus parentum necessarius ad valorem *N.* Tantum ibi fit mentio consensus, quatenus ad parentes pertinet providere filiis, item quatenus exigit honestas et reverentia, ut filii consulant parentes *C.* Unde idem Apost. 1. Cor. 7. v. 9. de viduis et virginibus simpliciter dicit : *quod si se non continent, nubant;* melius est enim nubere, etc. ubi nihil de consensu parentum.

348. *Obj. III. ex jure positivo humano.* Variæ leges civiles, uti pr. Inst. de Nupt. item L. 2. 18. 36. ff. de Ritu Nupt. absolute exigunt parentum consensum. *Conf.* 1. Concordat etiam jus canonicum; nam Evaristus can. *Aliter* 1. caus. 30. q. 1. conjugia sine consensu parentum inita vocat *non legitima,* imo *adulteria et stupra.* In eumdem fere sensum loquuntur canones alii. *Conf.* 2. *ex SS. Patribus.* S. Basilius epist. ad Amphilochium : *quæ,* inquit, *sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes.* Hic Pater græcus erat; talemque fuisse Ecclesiæ græcæ morem probat Leunclavius juris orientalis collector tom. 1. Lib. 3. Sed et eamdem fuisse mentem Patrum latinorum colligitur ex Tertulliano L. 2. ad Uxor. cap. 9., S. Ambrosio Lib. 1. de Abrahamo cap. ult., Leone epist. 92. (al. 167.) ad Rusticum, et aliis. *Conf.* 3. In Gallia plurium regum edictis, Hen-

rici III. in Comitiis Blesensibus anno 1579., Henrici IV. 1606., Ludovici XIII. 1629. et 1639. matrimonia filiorumfamilias sine consensu declarantur invalida.

R. *D. Ant.* Leges civiles exigunt consensum parentum ex honestate et ad licentiam *C.* ad valorem matrimonii *N.* Nam leges aliæ, velut 21. ff. de ritu Nupt. L. 14. c. de Nupt. contrahentium libertati omnino consultum volunt. Vel, si nihilominus quis vellet contentiose evincere, consensum parentum requisitum fuisse ad valorem, dicendum, leges illas fuisse correctas a jure canonico, præsertim jure novo Tridentini.

Ad Conf. 1am. R. *N. A. Ad prob. D.* Evaristus vocat illa matrimonia *non legitima*, quia non contrahuntur secundum leges *C.* quia sunt invalida *N.* Item, vocat adulteria et stupra exaggerative, quia sunt prohibita, ideoque illicita *C.* adulteria, stupra stricte sumpta *N.* Sic enim et vocat ibidem matrimonia, dum puella non dotetur, a paranymphis non custodita et sociata offeratur; si sponsi biduo vel triduo non vacent precibus, nec castitatem servent; nemo tamen adulteria et stupra dicet matrimonia sine hoc ritu celebrata. Taceo, quod hæc Evaristi epistola pluribus supposititia sit. Eodem modo explicandi sunt canones alii.

Ad Conf. 2am. R. SS. Patres loqui de matrimoniis ut illicitis, quia prohibitis, non ut invalidis, dicique a S. Basilio *fornicationes* in latiore sensu. Vel, etiamsi concedamus juxta quarumdam Ecclesiarum leges reprobata fuisse ea matrimonia quoad valorem, nihil tamen obstabit conclusioni; cum leges illæ abrogatæ sint, et correctæ per jus novum in Concilio Tridentino; Ecclesiæ enim abnegari nequit potestas, ut pro temporum varietate humana possit immutare statuta, prout vel necessitas, vel utilitas id exposcit, ut inquit Concil. Lateran. IV. can. 50. Imo illarum legum disciplinam jam a XII. circiter seculo mutari cœpisse, ex Innocentio III. in cap. *Tuæ fraternitatis* de Sponsalib., Lucio III. epist. ad Burgensem Episcopum cap. *Cum causam* de raptoribus colligitur.

Ad Conf. 3am. R. *D.* In Gallia declarata sunt invalida quoad effectus civiles solum, ut dotationem uxoris sine consensu parentum nubentis, jus ad hæreditatem, legitimationem prolium, jus succedendi, etc. *C.* quoad substantiam, vel vinculum conjugale, et pro foro conscientiæ *N.* Nam cum clerus Gallicanus in Comitiis generalibus Parisiis anno 1629. congregatus libellum supplicem obtulisset ea de re Ludovico XIII. rogans, ut eæ voces *valide* aut *invalide* in Edicto ejusdem regis contentæ nequaquam intelligantur cum relatione ad contractum spiritualem et sacramenti, sed solum ad contractum civilem; tum ut non adstringantur Ecclesiastici ad judicandum secundum hujus Edicti, et Blesensis articulos, sed secundum canones et decreta Ecclesiæ, respondit Ludovicus XIII. *Commonitio Cleri, quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta fuit, valide, aut invalide, contracta matrimonia non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem per laicos judices. Altera pariter difficultas justa et rationi congrua visa est.* Vide ea de re fusius Cabassutium Lib. 3. Theoriæ et praxis juris Canonici §. 4. et 6.

349. *Si dicas*: Matrimonium tamen Gastonis Ducis Aurelianensis fratris Ludovici XIII. cum Margaritha Lotharinga anno 1633. declaratum fuit invali-

dum tam judicio ecclesiastico, quam seculari ex defectu consensus Regis. *Respondent* Galli cum clero Gallicano in Comitiis generalibus anni 1637. esse hoc privilegium regum Galliæ speciale tum antiqua consuetudine præscriptum, tum ecclesiastica auctoritate munitum, quod sine regum Galliæ consensu invalida sint matrimonia tam filiorum suorum, quam aliorum regii sanguinis principum, qui jus proximum ad regnum habent.

ARTICULUS IV.

AN, ET QUO JURE METUS MATRIMONIUM INVALIDET?

350. Non est hic controversia de metu levi; neque de juste incusso, e. g. a judice Ecclesiastico compellente ad standum sponsalibus; neque de incusso a causa non libera; cum certum sit omnibus, nullum ex his officere valori matrimonii. Quæstio solum de metu gravi instituitur, eoque injuste incusso a causa libera ad extorquendum consensum in matrimonium, an, præsertim 1°. quo jure illud invalidet? 2°. an etiam, si metum passus matrimonium firmasset juramento? Cæterum expositionem metus gravis vide de sponsalibus metu extortis.

351. *Dico I.* Metus gravis injuste incussus nec jure divino, nec jure naturali; sed solo jure ecclesiastico invalidat matrimonium.

Prob. 1ª. *p.* Quia nullum jus divinum assignari potest.

Prob. 2ª. *p.* Quia spectato jure naturali ad valorem contractuum plus non exigitur, quam consensus simpliciter voluntarius et liber; plus enim ex hoc jure deduci non potest: sed metus consensum simpliciter voluntarium et liberum non tollit; est enim hæc natura actus voluntatis interni, ut a nulla creata vi absolute cogi et impediri possit, quominus libere ac voluntarie feratur in objectum, si id prius cognoscat; et licet metus actum reddat involuntarium secundum quid, et velut conditionate voluntarium, ita ut quis nollet contrahere, nisi aliud metueret malum; manet tamen actus absolute liber et voluntarius; et ex metu volens vere vult, cum malum minus, ut ipsi apparet, eligat præ majori. *Conf.* Si metus invalidaret matrimonium jure naturali, ergo vel ratione consensus, quem tolleret, vel ob injuriam, quæ inferretur: *primum* dici non potest, tum quia ex ante dictis consensum non tollit; tum quia sequeretur pariter tolli consensum metu gravi juste illato, vel a causa non libera, ut morbo, et tunc æque jure naturali ob defectum consensus irritum esse matrimonium. *Non secundum*: quia injuria ex natura rei actum non irritat; sed solum tribuit jus vel rescindendi actum, vel petendi satisfactionem. Deinde si ob intervenientem injuriam irritaretur, etiam metus levis injuste incussus aut metus injuste incussus ob alium plane finem, quam matrimonium, irritaret contractum, si metum passus ad mala, quæ metuit, evitanda eligeret matrimonium; quorum primum aperte falsum; alterum saltem plerisque, etiam adversariis, displicet.

Prob. 3ª. *p.* Ex c. 2. de eo, qui duxit. Ubi validum declaratur matrimonium, quod pars metum passa postmodum libere iniverat cum parte altera;

et declaratur nullum, quod prius erat metu extortum. Adde c. 14. 15. 28. h. t. Igitur cum nullo jure alio invalidatum reperiatur matrimonium extortum metu, sequitur solo illud jure ecclesiastico invalidatum esse.

352. *Nec dicas*: Ab Ecclesia invalidari solum tale matrimonium pro foro externo; ergo si metum patiens interne consentiat, uti potest, cum actus internus a nulla vi et causa extrinseca impedibilis sit, valebit matrimonium pro foro interno, non obstantibus textibus juris cit. Item, Ecclesiam tantum irritare hoc matrimonium, quia præsumit, non adesse consensum internum, ubi metus intervenit; ergo si adfuerit consensus, valebit, quia tunc præsumptio cedet veritati. Nam

R. *N. A.* juxta c. 2. de eo. cit. Si enim invalidaret solum pro foro externo hoc matrimonium, non potuisset approbari matrimonium alterum postmodum cum parte alia libere initum. *Ad alterum N. A.* Ecclesia enim non præsumit peccata, quæ probari debent; si vero niteretur hic præsumptione non positi interne consensus, præsumeret mendacium ex metu contrahentis. Sed irritans hoc matrimonium fundatur in veritate consensus, non sponte positi, sed per metum extorti, unde mala gravissima nasci solent.

353. *Dico II.* Matrimonium metu gravi et injusto extortum invalidum est, etiamsi a metum passo fuerit juramento firmatum.

Prob. Ex c. 2. de eo, qui duxit. cit., quo matrimonium metu initum declaratum est nullum, non obstante, quod fuisset juramento confirmatum. Deinde matrimonium extortum metu irritatum est boni communis causa; ergo et juramentum ei adjectum irritatum censeri debet, ne obstet bono communi. arg. c. 27. de Jurejur. 12. de foro comp.

354. *Obj. I. cont.* 1am. *concl.* Spectato jure naturali ex injustitia non potest nasci justitia, sive obligatio justitiæ; ergo vi hujus juris non potest valere matrimonium extortum injusto metu.

R. *T. A.* Nam ita absolute positum falsum est, cum ex injustitia oriatur obligatio justitiæ compensandi illatum damnum, vel satisfaciendi pro injuria. *N. Cons. et suppos.* quod obligatio illa matrimonialis nascatur ex injustitia, quam infert metum injuste incutiens; sed ex consensu simpliciter libero, quem ponit metum patiens, licet ponendi illum metus occasio fuerit. Reliquas objectiones jam attigimus, de Sponsalib. metu extortis, ubi legi possunt.

355. *Obj. II. cont.* 2am. *concl.* 1°. can. 22. caus. 22. q. 4. validum declaratur matrimonium cujusdam juratum, licet fuisset metu injusto extortum. 2°. Tale juramentum nec est in præjudicium alicujus tertii; nec, si servetur, vergit in dispendium salutis; ergo servandum est, sicut solvendæ usuræ sunt, si quis sub juramento se eas soluturum promiserit. arg. c. 6. 8. 28. de Jurejur.

Ad 1um. R. *N. assert.* Sed tantum cit. can. approbatur matrimonium, quod cessante injusto metu erat de novo et libere contrahendum; ad quod Hubaldus (de quo loquitur canon) tenebatur aliunde, ut concubinæ consuleretur; ita colligitur ex verbis: *Quia vero, quam prius concubinam*

habuerat, non est peccatum in conjugem suscipere, etc. ergo sermo est de matrimonio adhuc contrahendo, cessante metu; non vero approbatur contractum ex metu injusto.

Ad 2um. R. *N. Ant.* Præjudicat enim juri canonico, quod boni publici causa irritavit matrimonium extortum metu; quatenus ex tali matrimonio nasci solent pugnæ, lites, scandala, etc. quibus perturbatur respublica: unde tale juramentum contra bonos mores esse censendum est, et consequenter simul irritandum cum matrimonio. Quoad usuras est disparitas; quia solvere usuras nec peccatum est ex se, nec jure canonico prohibitum, nec boni publici causa irritatum; licet usuras exigere omni jure prohibitum sit; ergo, cum juramentum de usuris solvendis sine peccato servari possit, valebit.

CAPUT VII.

DE UNITATE MATRIMONII.

356. Duobus modis matrimonium dici potest *unum: Primo;* quia unus cum una conjunctus est. *Secundo;* quia priore conjuge defuncta, alteram postea non ducit: utraque ea unitas *monogamia* appellatur, et monogamus, qui uni conjunctus est, vel fuit. Priori unitati opponitur polygamia simultanea; posteriori successiva. *Polygamia simultanea* vero, ut ex ipsis vocibus liquet, dicitur, dum vir plures uxores simul sibi jungit; *successiva,* si vir successive plures uxores ducat, ita ut nova succedat priori demortuæ. Quod si vir secundam tantum uxorem priore mortua ducat, *bigamia* in jure dicitur, et vir bigamus. Pari modo unitati matrimonii *polyviria,* dum eadem uxor pluribus viris nubit, opponitur, quæ, ut de polygamia dictum, vel simultanea, vel successiva potest intelligi.

ARTICULUS I.

AN LICITA SIT POLYGAMIA SUCCESSIVA? ET QUÆ ECCLESIÆ TUM LATINÆ, TUM GRÆCÆ CIRCA SECUNDAS, ET ULTERIORES NUPTIAS FUERIT DISCIPLINA?

357. *Nota.* Secundas nuptias ceu jure divino illicitas atque irritas, teste Aug. Lib. de Hæresib. c. 26., damnaverant olim Montanistæ, quibus se Tertullianus adjunxit Lib. de Monogamia c. 1. *Hæretici* (Marcionitæ), inquiens, *nuptias auferunt. Psychici* (Catholici) *ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt... Verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est; neque licentia defendenda, quia psychica est. Illa blasphemat; ista luxuriat.* Idem dogma postea Novatianis placuit: *eos enim,* refert Theodoretus Lib. 3. Fabularum hæreticarum cap 5. (opp. t. 4. p. 229. D.) *qui secundas nuptias inierint, a sacris Mysteriis repellunt.*

358. *Dico I.* Nec secundæ nuptiæ, nec ulteriores jure divino illicitæ sunt aut irritæ.

Prob. I. Tales nuptiæ 1°. non repugnant legi naturali, quia non repugnant matrimonii fini tum primario, tum secundario. 2°. Nec repugnabant olim legi Mosaicæ; hæc enim eas nusquam prohibet, sed potius approbat, dum Judæis præcipit, ut ducant mulierem, quam frater absque liberis reliquerit. 3°. Nec adversantur legi Evangelicæ; hujus enim auctor Christus eas nullibi aut damnat, aut vetat. Imo legi Evangelicæ plane conformes sunt; nam, et

Prob. II. positive. 1. Cor. 7. absolute docet Apostolus: *mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.* Quæ verba diligenter expendens Augustinus L. de bono viduitatis c. 12. notat, Apostolum non dixisse, *si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius,* sed indefinite *vir ejus;* proinde, marito mortuo, semper licebit nubere alteri, et similiter viro mortua uxore ducere aliam, cum sit par ratio.

359. *Dico II.* Nec Ecclesia latina unquam secundas et ulteriores nuptias aut irritas aut illicitas fecit, vel judicavit.

Prob. I. negative. Nullus enim latinorum Patrum produci potest, qui nuptias illas irritas aut illicitas fuisse asseruisset, quod alias certe fecissent vigilantissimi pastores, si vel illicitæ tantum fuissent. Ideo et S. Hieronimus epist. ad Geruntiam (al. Ageruchiam epist. 123. vel 11.) dum refert n. 10, Damasi tempore fuisse Romæ par conjugum, quorum alter viginti uxores sepelierat, altera maritos viginti et unum, licet id graviter ferret, non tamen nuptias perstringebat in se ceu illicitas, sed tantum excessum libidinis et concupiscentiæ.

Prob. II. positive. Patres latini, licet innuant temperare a novis nuptiis rem esse consilii, id tamen non esse præcepti volunt sive divini, sive ecclesiastici. Sic S. Ambros. Lib. de Viduis (opp. t. 2. p. 203. E.) *Quod pro consilio dicimus,* inquit, *non pro præcepto imperamus... neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus... licet ergo nubere, sed pulchrius est abstinere.* S. Aug. Lib. de bono viduitatis c. 12. *De tertiis et de quartis nuptiis, et de ultra pluribus,* ait, *solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre:* ac in medium proferens mulierem, quæ septem viros habuerat, a Sadducæis Christo propositam dicit: *sed nec ipsam tot maritorum mulierem* Christus *damnavit.* Adde quæ ex eodem S. Patre in concl. præc. retulimus, et quæ eod. Lib. de bono Vid. c. 11. enunciat: *ne arbitreris, vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias malum esse.* S. Hieron. postquam tot laudibus virginitatem extulisset contra Jovinianum, ut prope nuptias depressisse videretur, in epist. ad Pammachium sive apologia, quam adversus Jovinianum adornavit (opp. t. 1. epist. 30. al. 50. et 48.) suam et Ecclesiæ mentem palam aperit: *ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo secundo marito nubere.* Unde et Conc. Florent. in Decreto pro Jacobitis docet, non solum secundas, sed tertias, et quartas et ulteriores nuptias licite contrahi posse.

360. *Obj. I.* S. HIERONYMUS Lib. 1. contra Jovinianum n. 7. asserit fidelem, qui iterato nupserit, indignum esse, qui Christi corpore reficiatur. *II.* In epist. ad Ageruchiam cit. ait, laicos eadem lege teneri ad monogamiam, qua sacerdotes : *Laicus tenetur mandato, per quod ad sacerdotium pervenitur*; ergo secundas et ulteriores nuptias putavit illicitas. *III.* Si secundæ et ulteriores nuptiæ essent licitæ et validæ, ergo etiam essent sacramentum, sed hoc videtur falsum juxta sensum Ecclesiæ 1°. quia bigamia quoad receptionem ordinum causat impedimentum canonicum sive irregularitatem ; ergo non videntur habitæ ut sacramentum. 2°. Quia secundæ nuptiæ non benedicuntur.

Ad 1um. R. S. HIERONYMUM velle, quod iteratæ nuptiæ arceant a communione, non quidem in se, sed in causa, scilicet ratione libidinis, ob quam ut plurimum ad iteranda matrimonia impelluntur. Responsio patet ex eo, quod, ut paulo ante notavimus, cum S. Doctor virginitatem contra Jovinianum adeo extulisset, ut visus esset damnare nuptias, ideoque culparetur, palam professus fuerit, nuptias in se licitas esse, quantumcumque iteratas.

Ad 2um. R. S. Doctorem voluisse, laicum, si ad sacerdotium pervenire velit, debere abstinere a secundis nuptiis juxta consuetudinem Ecclesiæ bigamos a sacerdotio arcentis; vel laicos tantum ex decentia quadam teneri, ne alioquin sibi ad sacerdotium aditum præcludant.

Ad 3um. R. *C. Maj. N. min.* Nihil enim deest ad rationem sacramenti ; non materia et forma, nec intentio, ut supponitur ; non etiam significatio unionis Christi cum Ecclesia ; nam hæc significatio in matrimonio duplex est, essentialis et accidentalis; prior consistit in eo, quod matrimonium sit unius cum una, sicut Christus unitur uni Ecclesiæ ; altera stat in hoc, quod prius non fuerit unitus cum altera; licet ergo accidentalis et secundaria desit; semper tamen habetur prior et essentialis, quia est matrimonium unius cum una.

Ad 1am. *prob.* R. *N. Cons.* Illa enim irregularitas non est inducta ideo, quasi secundæ nuptiæ sacramentum non essent, vel in iis esset contracta culpa ; *qui enim*, inquit S. AMBROS. epist. 82. *iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis*; sed ob defectum sacramenti, id est, *perfectæ* significationis sacramenti matrimonii, ut ait Innoc. III. c. 5. de Big. non ord. Matrimonium enim fidelium significat primario et essentialiter conjunctionem Christi cum Ecclesia, velut unius cum una ; secundario vero ex dictis significat conjunctionem Christi cum Ecclesia tanquam sponsa unica, ante quam non fuit alia; ad hanc vero significationem repræsentandam bigamus ineptus est; ac proinde decere non videtur, eum sacramenta ministrare aliis, qui ipse in significatione ejusdem patitur defectum.

Ad 2am. *prob.* R. Equidem *de jure* non benedici secundas nuptias, sive ambo conjuges, sive alteruter tantum in priori matrimonio benedictionem jam susceperit c. 1. et 3. h. t. Sed ratio est, quia benedictio semel collata semper adhuc durare intelligitur, quam proinde repeti non convenit cit. c. 3. h. t. præsertim cum, uno conjuge excluso, alterius benedictio inconveniens et contra morem Ecclesiæ foret. Dixi autem : *de jure*; nam de consuetudine, aut statuto in pluribus diœcesibus etiam secundæ nuptiæ benedicuntur, maxime si sponsa adhuc nunquam fuerit benedicta.

361. *Dico III.* Ecclesia græca secundas nuptias nunquam illicitas vel censuit, vel fecit.

Prob. Ex Patribus Græcis. S. Basilius epist. ad Amphilochium can. 41. (opp. t. 3. p. 296. A.) *Quæ in viduitate potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni culpa libera est, cum Apostolus dixerit, si mortuus fuerit vir ejus*; etc. hic vero de secundis tantum nuptiis loquitur. S. Epiph. hær. 59. Novatianos dicit stolidos, quod ab illis non amplius admittatur, qui post baptismum secundam uxorem duxerit. Addi possunt S. Gregorius Nazianzen. orat. 31., S. Chrysost. homil. 19. in c. 7. Epist. 1. ad Cor. aliique, eos, qui secundas nuptias damnant, habentes ut hæreticos; et merito, cum secundas nuptias licere innuat Concilium Nicænum, esseque hoc dogma catholicum, dicens can. 8. (Labb. t. 2. p. 34. A.) *Hæc autem pro omnibus eos,* Catharos sive Novatianos dum ad Ecclesiam recipiendi sunt, *scriptis convenit profiteri, quod Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant et sequantur; id est, et bigamis se communicare,* etc. Unde improbabilis redditur opinio P. Gasparis Juenin in Comment. histor. et dogmatico asserentis, quasdam Orientales Ecclesias jure ecclesiastico secundas nuptias fecisse illicitas; neque enim verisimile est, Patres Orientales, præsertim qui post Concilii Nicæni tempora non adeo diu floruerunt, velut Basilius, Gregor. Nazianz. et alii, contradicere voluisse Concilio Nicæno, rem hanc de secundis nuptiis esse dogma catholicum asserenti.

362. *Obj. I.* Eos, qui secundo nupsissent, Patres Orientales in Concilio Neocæsareensi pœnitentia castigandos voluerunt; ergo secundas nuptias voluerunt illicitas. *II.* Gregor. Nazianz. orat. 31. (al. 37. p. 650. D. edit. Paris. 1778.) ait Apostolum *secundas nuptias aversari. III.* S. Chrysostomus homil. 32. in c. 19. Matthæi in Opere imperfecto (opp. t. 6. p. 134. E.) *secundam,* ait, *accipere* uxorem *secundum præceptum Apostoli est; secundum veritatis autem rationem vere fornicatio est.*

Ad 1um. R. *N. Cons.* Patres modicam pœnitentiam imponebant bigamis, non ob culpam in secundis nuptiis admissam, sed ob quamdam incontinentiæ speciem, quam illæ præ se ferre videbantur. Sic et Basilius eidem praxi Conc. Neocæsareensis adhæsit epist. ad Amphiloch. cit. can. 4. *Definimus,* inquiens, *annum* pœnitentiæ in *digamis*: atqui certum tamen est Basilium judicasse secundas nuptias esse licitas; patet enim 1°. ex ejus verbis can. supra relatis. 2°. Quia non adeo diu post Concilium Nicænum scripsit, in quo hæc veritas satis aperte stabilita erat, quod S. Basilium latere non poterat.

Ad 2um. R. *D.* Ait Apostolum secundas nuptias aversari proprie, h. e. ut illicitas *N.* aversari improprie, h. e. suadere potius viduis continentiam juxta illud Apostoli: *beatior autem erit, si sic permanserit C.* Hanc esse præcise mentem Gregorii, ex ejus orat. 37. (al. 31.) in illud Evangelii, *cum consummasset Jesus hos sermones,* clarum fit, cum hæc scribat ibi de matrimonio: *primum lex est, secundum venia et indulgentia.*

Ad 3um. R. Opus illud non esse S. Chrysostomi, sed vel hæretici auctoris, vel alterius doctrinam S. Chrysostomi corrumpentis. Et vero ut observat Bellarminus Lib. de Matrim. c. 19. aliique passim, plurima in eo libro continentur, quæ cum orthodoxa fide, et doctrina S. Chrysostomi, alibi ab eo

tradita aperte pugnant. Quin in cit. textu crassam contradictionem notare est, longe abhorrentem a tanti Doctoris sapientia; ut : secundam accipere *est præceptum* Apostoli; et tamen *vere fornicatio est;* an enim Apostolum veram fornicationem vel suasisse vel præcepisse quis prudens dixerit?

363. *Dico IV.* Satis probabile est trigamiam in quibusdam Orientalibus Ecclesiis habitam fuisse illicitam, saltem jure ecclesiastico; licet non irritam.

Prob. 1ª. *p.* Ex Patribus Græcis. S. Basilius, can. 4. in epist. ad Amphiloch. trigamiam vocat *fornicationem castigatam*, h. e. ut Balsamon aliique Græci interpretantur, fornicationem non vagam, qualis est, quæ cum meretricibus promiscue exercetur, sed cum una muliere : et can. 50. *Ecclesiæ inquinamentum.* S. Basilio consensit S. Gregorius Nazianz. orat. 37. cit. (p. 650. D.) dicens : primum matrimonium lex est; secundum venia et indulgentia; *tertium iniquitas,* sive legis transgressio, ut ex voce græca colligitur; tertium enim matrimonium παρανομίαν vocat; et ex oppositione, quam facit inter matrimonium secundum et tertium. S. Epiphanius vero, aliique, dum exponunt illud Apostoli 1. Cor. 7. *mulier alligata est legi,* etc. secundas concedunt nuptias juxta Apostolum, nihil tamen unquam addendo de tertiis. Dixi : *probabile est;* tantum enim saltem merentur verba Græcorum Patrum sumpta in sensu obvio atque proprio.

364. *Nec dicas* cum P. Billuart : Si Patres illi Græci trigamiam habuissent illicitam; ergo 1°. sibi aperte contradixissent, cum alibi non tantum secundas, sed etiam ulteriores nuptias ut licitas agnoscunt, ut patet ex S. Basilio can. 4. epist. ad Amphil. 2°. Sic damnassent praxin et fidem universalis Ecclesiæ, quod non est credibile de tantis Patribus. Nam

R. *N.* 1ªm. *seq.* quoad Patres Græcos, de quibus solis hic sermo est; licet enim nuptias secundas agnoverint licitas, ut Basilius can. et epist. cit. ubi de secundis tantum nuptiis agit; non tamen trigamiam, de qua loquimur.

N. etiam 2ªm. *seq.* Nam tertiæ et ulteriores nuptiæ an permittendæ sint, vel non; ad disciplinam pertinet, ut manifeste probatur ex nuptiis quartis, imo ex tertiis in quibusdam casibus, in Ecclesia græca illicitis et invalidis, ipso approbante et confirmante Joanne X. summo Pontifice, ut dicetur concl. seq. Poterant igitur Orientales Ecclesiæ illicitas habere nuptias tertias, quin propterea universalis Ecclesiæ praxin, et multo minus fidem damnare voluisse censendæ sint.

Prob. 2ª. *p.* Quia, licet Græci aversarentur tertias nuptias; matrimonium tamen tale nunquam dissolvisse, aut dissolvendum declarasse deprehenduntur, quod certe alias declarassent; sed impleta quinquennii pœnitentia, quam imponebant trigamis, teste Basilio can. 4. cit. ratum habebant matrimonium. Res clara fit ex iis, quæ porro Basilius can. 50. cit. epist. tradit : *Verumtamen ejusmodi res,* tertias nuptias, *ut Ecclesiæ inquinamenta videmus, sed publicis condemnationibus non subjicimus,* matrimonium scilicet dissolvendo, ut volunt interpretes; cum de pœnis publicis intelligi non possit, quibus juxta eumdem Basilium can. 4. subjiciebantur, *ut quæ soluta ac profusa fornicatione sint magis expetenda.*

Nec obstat, quod Basilius matrimonia talia dicat esse fornicationem; hanc enim non stricte, sed latius sumit, 1°. quia tales nuptias habebat saltem illicitas; 2°. quod tertiæ et ulteriores nuptiæ potius explendæ libidinis et concupiscentiæ causa, quam procreandæ prolis ut plurimum fieri intelligeret; ideoque trigamum indignum censuit mariti nomine, quia videlicet mariti finis esse primus debet prolis generatio et educatio; hic vero in trigamis esse communius non solet.

365. *Dico V.* Vi præsentis disciplinæ apud Græcos tertiæ nuptiæ nonnisi in certis casibus valide contrahi possunt; quartæ vero nunquam. Casus autem, in quibus tertiæ nuptiæ apud Græcos contrahuntur valide, sunt, si bigami quadragesimum ætatis annum nondum attigerint, et prole careant ex priore matrimonio suscepta. Quod si annum illum attigerint, et prolem habeant ex priore matrimonio, sunt prorsus ad contrahendum inhabiles; si vero prole careant, licet eum annum attigerint, adhuc ad tertias nuptias admittuntur, sed imposita pœnitentia majore, quam alias trigami subire debent dum valide contrahunt. Ita Arcudius Lib. 7. de Concord. c. 29.

Jus vero illud, quo in Ecclesia græca trigami sunt redditi inhabiles ad quartas nuptias, paulo post initia seculi X. *solemniter et aperte* stabilitum fuit auctore Nicolao I. patriarcha Constantinop. et Constantino Porphyrogenito imperatore, confirmante Joanne X. summo Pontifice, occasione turbarum, quæ ob Leonis cognomento Sapientis quartas nuptias cum Zoe exortæ fuerant, quem propterea Nicolaus segregaverat a fidelium communione, sed Sergio Papa, ad quem Leo confugerat, hujus matrimonium ratum habente, et per Legatos Nicolaum exauctorante. Qui postea in sedem restitutus, approbansque Leonis matrimonium, a Joanne X. Sergii successore simul obtinuit, assentiente Constantino Leonis ex Zoe filio, ut quartæ nuptiæ nunquam deinceps possent valide contrahi. Decretum in regulæ formam Orientales Episcopi, qui ad finiendam litem convenerant, ita protulerunt sub titulo: *Tomus unionis... Quod si quis ad ejusmodi conjugium, quartas nuptias, progredi decreverit, ab omni cœtu Ecclesiastico exclusus esto, et ab ipso in sanctam ædem ingressu tantisper alienus, donec in hoc conjugio permanserit; hoc enim sanctis quoque Patribus, qui ante nos vixere, visum fuit; ac nos sane sententiam reddentes apertiorem, eum velut alienum a republica Christiana abdicamus.* Unde simul colligitur ratio, cur dixerim supra, paulo post initia seculi X. jus illud *solemniter et aperte stabilitum esse*; Patres enim aiunt, hoc sanctis Patribus jam ante visum esse, et se tantum apertiorem sententiam reddere. Igitur habebantur jam ante quartæ nuptiæ ut invalidæ, licet non ita aperte, aut universim aliqua lege communi ita statutum fuisset.

ARTICULUS II.

QUO JURE POLYGAMIA SIMULTANEA PROHIBITA SIT?

366. *Nota I.* Qui a tempore legis Evangelicæ pluralitatem uxorum simultaneam auderet asserere licitam, nemo fuit, nisi infamis Mahometes, ac postremis temporibus Anabaptistæ et Lutherus, qui Philippo Hassiæ principi ut

secundam uxorem Margaretham de Saal sibi adderet, etiam consuluit teste Bossuet in Hist. variation. Ecclesiar. Protestant. Refert equidem de Valentiniano imperatore Socrates (L. 4. c. 31.) quod cujusdam Justinæ amore raptus eam in matrimonium duxerit, retenta priore conjuge Severa, utque colore aliquo incontinentiam suam tegeret, legem promulgarit, qua liceret viro duas simul habere conjuges; at, ut recte notavit Baronius ad an. 370. narratio illa Socratis fabula est : duxit equidem Justinam Valentinianus, sed post mortem Severæ conjugis, ut probant Sylvius, et Bosco, aliique, et commentum esse, quod ait Socrates, pluribus ostendunt.

367. *Nota II.* Tametsi certum sit Catholicis omnibus, polygamiam nunc jure divino positivo esse prohibitam ; an tamen etiam jure naturali, et quo modo ab hoc prohibita sit, quædam inter eos reperitur sententiarum varietas. Juri naturali eam repugnare negat Durandus in 4. sent. dist. 31., Abulensis in cap. 19. Matth. aliique; unde inferunt 1°. Patriarchis Judæis opus non fuisse dispensatione divina, ut licite plures simul uxores ducerent. 2°. Nec peccasse quondam gentiles polygamos, nec etiam his temporibus eos, qui cum pluribus simul matrimonia ineuntes invincibili legis Evangelicæ ignorantia laborant. Cæteri vero Catholici plerique polygamiam simultaneam etiam jure naturali prohibitam contendunt ; licet iterum diverso modo id doceant, ut videre est passim in auctoribus.

368. *Dico I.* Polygamia, sive pluralitas uxorum simultanea est jure divino prohibita. Est de fide contra Anabapt. et Lutherum, quos ideo damnavit Tridentin. Sess. 24. de Sacram. Matrim. ubi : *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Et

Prob. Christus Matth. 19. matrimonium reduxit ad primævum statum institutionis suæ: atqui prima institutio matrimonii jure divino excludit polygamiam ; ergo. *Prob. Maj.* Nam Christus interrogatus a Pharisæis, an liceret repudiare uxorem, respondit negative : *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una :* tum docet, quid ipse hac de re sentiat, et observari velit, ac subdit : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro ; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet ;* ergo matrimonium voluit esse deinceps unius cum una, sicut olim fuerat. Porro cum instarent Pharisæi, Moysen permisisse libellum repudii, Christus rursus revocans datam causam ad primam institutionem ait : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras ; ab initio autem non fuit sic.* Et Matth. 5., Marc. 10., Luc. 16. Christus declarat eum, qui dimissa uxore aliam duxerit, mœchari; unde clare colligitur, jure evangelico polygamiam esse omnino illicitam ; nam ideo mœchari dicitur, qui dimissa uxore priore ducit aliam, quod jam per libellum repudii vinculum matrimonii dissolvi non possit; ut patet ex cit. verbis : *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quod si ergo mœchatur, qui dimissa uxore vivente ducit aliam, quanto magis ille, qui uxore prima retenta insuper ducit secundam ?

369. *Dico II.* Polygamia etiam juri naturali adversatur.

Prob. I. Ex communi Doctorum consensu polygamiæ simultaneæ prohibitionem ad jus naturale referentium.

Prob. II. Ex natura matrimonii; hujus enim fini saltem secundario, qui est cohabitatio pacifica, repugnat; plures enim uxores ob zelotypiam huic sexui naturalem nec inter se, nec cum marito concordare solent; sique plures procrearentur proles, nihil pronius erit, quam ut, cum matres de suis tantum prolibus sollicitæ sint, una ab altera patris avertat animum, prolem alterius conetur excludere a successione in bonis, velut Bethsabea fecit, ut Salomon præferretur Adoniæ ex Haggith genito 3. Reg. 1. Unde et gravissimæ dissensiones ipsas inter proles exsurgent, sique alia ametur præ alia, vel in successione præferatur alteri.

Prob. III. Ex natura justitiæ commutativæ, quæ exigit, ut servetur æqualitas inter traditum et acceptum; ergo cum uxor jus in corpus suum tradere non possit viro alteri; neque viro licebit jus in corpus suum tradere alteri uxori, vel aliis pluribus.

370. *Obj. I.* Gregorius Papa III. can. 18. caus. 32. q. 7. definit, licere viro ducere uxorem secundam ob primæ adhuc viventis infirmitatem; ergo censuit polygamiam simultaneam non esse juri naturali contrariam. *II.* Si polygamia simultanea adversetur juri naturæ, ergo peccarunt Patriarchæ antiqui plures simul uxores ducendo in matrimonium: atqui hoc de viris illis sanctissimis dicere nefas est, et negatur communiter; ergo.

Ad 1um. R. *D. A.* Definit hoc ob primæ adhuc viventis infirmitatem qualemcumque *N.* ob infirmitatem, quæ erat impotentia naturalis et antecedens perpetua ad reddendum conjugale debitum, propter quam prima uxor non erat uxor vera, eo quod talis impotentia dirimat jure naturæ matrimonium *C.* Ita colligit Barbosa et alii ex rescripto Gregorii ad Bonifacium episcopum: *nam quod proposuisti: quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis?* Nec obstat, quod simul Gregorius jubeat, ut vir ille post secundum matrimonium alat priorem mulierem: *non tamen subsidii opem subtrahat ab illa*; hoc enim non ideo, ut notat Glossa, addidit, quod infirma illa fuisset uxor vera, sed vel per modum consilii; vel dotem ei restitui voluit, eo quod propter infirmitatem sibi de victu providere non posset, aut inops, aut egena esset.

Ad 2um. *respondet* Calvinus: sanctissimos Patriarchas omnino reos factos fuisse adulterii, hoc tamen ipsis a Deo imputatum non esse ad culpam, quod essent e prædestinatorum numero. Sed falsum esse hoc Calvini responsum, liciteque Patriarchas veteres plures duxisse uxores, licet polygamia repugnet juri naturæ, dabit sequens conclusio.

371. *Dico III.* Ex concessione tamen divina post diluvium usque ad legem Evangelicam licita fuit polygamia simultanea.

Prob. I. Ex SS. Patribus. S. Hieronym. epist. 83. (al. 69.) ad Oceanum. ubi: *sciebat* (Apostolus) *lege concessum, et exemplo Patriarcharum ac Moysi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere.* S. Chrysost. hom. 56. in cap. 30. Gen. (opp. t. 4. p. 452. C.) *Tunc,* inquit, *quia principia erant, permissum fuit cum duabus, vel pluribus uxoribus misceri, ut huma-*

num genus propagaretur. S. AUGUST. qui L. 3. de Doctr. Christ. c. 12. ait : *Sufficiendæ prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis,* scilicet ob concessionem divinam, *consuetudo*. Unde INNOCENTIUS III. c. *Gaudemus* de divortiis, cum dixisset nulli unquam licuisse plures simul uxores habere, addidit : *nisi cui fuit divina revelatione concessum... per quam Patriarchæ, et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur*.

Prob. II. Ex ipso Patriarcharum exemplo : nam 1°. nusquam S. Scriptura arguit Patriarchas ob multiplicata simul conjugia. 2°. Imo illustria eorum sanctitati tribuit testimonia. 3°. Silens etiam de quavis eorum pœnitentia ob conjugium cum pluribus simul uxoribus testatur justos cum eis regnaturos in cœlis Matth. 8.

Prob. III. Non tantum Patriarchis in lege naturæ, veluti Abrahamo, Isaaco, Jacobo, quos plures simul uxores habuisse Scriptura testatur, injuriosa est Calvini responsio ; sed etiam sanctissimis viris aliis in lege Mosaica ut Davidi.

Nec dicas cum Calvino : Hoc viris illis sanctis imputatum non fuisse ad culpam, quod essent e numero prædestinatorum ; nam ex hoc numero Davidem fuisse certum est ; et tamen unum cum Bethsabea adulterium ipsi graviter imputatum scimus per Nathan prophetam et pœnitentiam Davidis; licet igitur fuerint e prædestinatis viri sancti, de quibus loquimur, hoc tamen non obfuisset, quo minus pluralitas uxorum simultanea illis imputaretur ad culpam, nisi ea divina ex concessione licuisset.

372. *Obj. I*. Deus in lege naturali dispensare non potest; ergo male dicitur licuisse tunc polygamiam simultaneam ex divina concessione. Omissis aliorum responsis, quæ pro suo de jure naturali systemate afferunt,

R. *C. A. et N. suppos*. quod Deus concedens pluralitatem uxorum ante legem Evangelicam tunc dispensarit in jure naturali, quia casus ille, quo Deus concedet pluralitatem uxorum, nunquam objectum fuit alicujus legis naturalis prohibentis. Pro quo plenius intelligendo

373. *Observa sequentia* : 1°. Lex naturalis absolute immutabilis est et indispensabilis ; est enim ordinatio divinæ voluntatis per rectam rationem promulgata circa actiones et omissiones creaturarum rationabilium, ad rectam constitutionem et felicitatem reipublicæ divinis perfectionibus conformem necessaria. Sicut igitur ipsæ divinæ perfectiones, ad quas manifestandas omnis natura rationalis ordinatur, semper eædem sunt, et immutabiles ; ita etiam leges latæ ad divinarum perfectionum normam. 2°. Legum tamen naturalium in se plane immobilium aliæ versantur circa actus, qui attingunt materiam nullius alterius juri nequidem divino subjectam, ut blasphemia, mendacium, etc. Aliæ e contra circa actus, qui materiam attingunt in jure alterius positam, humano, vel saltem divino ; sic bona fortunæ in certis casibus etiam potestati humanæ, bona vitæ, corpora humana divino juri subjecta sunt. Unde sequitur multas materias ex aliena voluntate, cujus juri subditæ sunt, ita immutari posse, ut objectum legis naturalis etiam negativæ et prohibentis nullo modo constituant. Sic rem alterius sibi sumere, vel bona fide acquisitam retinere post cognitum etiam domi-

num lex naturalis prohibet; non tamen prohibet hoc pro iis circumstantiis, quando illud fit ex consensu illius, qui plenam habet de illa re disponendi facultatem. Sic non obstante, nec mutato, et sine dispensatione in lege naturali *non occides*, licite Abraham immolare voluit filium suum habita jussione Dei, qui vitæ et mortis Dominus est. Nimirum lex naturalis non comprehendit, nec prohibet retentionem rei ex consensu illius, qui de ea disponendi facultatem habet; nec occisionem justam, qualis est, quæ jussione Dei fit. Ita in nostro casu: lex naturalis prohibens polygamiam nunquam comprehendit vel prohibuit pluralitatem uxorum pro iis circumstantiis, quibus Deus, in cujus plenissima potestate et dominio sunt corpora, eorumque jura, etiam in ordine ad conjugales actus, de illis disponet aliter, et jus unius in corpus dividet inter plures.

374. *Inst.* 1. Nusquam legitur in Scriptura aliquid de facta a Deo concessione plures simul uxores ducendi; ergo.

R. Eam S. Thomas p. 3. q. 65. a. 2. ait factam esse per internam inspirationem Patriarchis populi Israelitici, et per ipsos aliis, cum non sit credibile, tantos viros in Scriptura adeo laudatos in perpetuo vixisse adulterio. Tempus vero concessionis hujus quod concernit, probabilius facta videtur ipsi Noe non diu post diluvium, ab eoque communicata posteris, ipsis demum gentilibus; tunc enim illam poscebat magis propagandi generis humani necessitas, cujus octo tantum animæ erant superstites, ætasque hominum esset brevior, quam ante diluvium.

375. *Inst.* 2. Mulieres posteriores in Scriptura *concubinæ* appellantur; ergo conjugium cum his non erat verum, sed adulterium.

R. *D. A.* Appellantur concubinæ eo sensu, quo hodie ea vox usurpatur, scilicet pro scorto aut uxore non legitima *N.* quia solum ad generationem prolis, non autem ad gubernationem domus, ac alia admittebantur *C.* Duo tunc genera uxorum erat: quædam non solum ad generationem prolis, sed et gubernationem domus, et bonorum communitatem admittebantur, quæ antonomastice uxores dicebantur, etiam dominæ et matresfamilias erant, earumque liberi hæredes: quædam solum ad generationem prolis, quæ *concubinæ* dictæ, licet essent uxores legitimæ. Colligitur ex 2. Paralip. 11. v. 21. ubi de Roboamo legitur: *Uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta.* Et Gen. 25. *Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera.* Utrumque genus uxorum distinxit etiam Gellius L. 18. Noct. Attic. c. 6. Præterea in Scripturis, quæ concubinæ dictæ, etiam uxores appellantur. Sic Gen. 16. Sara ancillam suam Agar viro suo *uxorem* dedit, quæ tamen Gen. 25. inter concubinas numeratur. Et ibid. dicitur Abraham aliam duxisse uxorem Cethuram, quæ postea concubina dicitur. Sic Jud. 19. de Levita dicitur: *Accepit sibi uxorem concubinam de Bethlehem Juda.*

376. *Inst.* 3. Salomon 3. Reg. 2. ob multitudinem uxorum reprehenditur; ergo illicite egerat eas assumendo.

R. *D. A.* Præcise ob multitudinem *N.* ob nimiam, et præsertim, quia

alienigenas et idololatras assumpserat, per quas depravatum est cor ejus, ut sequeretur deos alienos *C.*

377. *Inst.* 4. Judæi Joan. 8. dicunt : *Nos ex fornicatione non sumus nati* : quod idem est, ac si dicerent : nos ex Agar concubina Abrahæ nati non sumus; sed ex Sara uxore ejus legitima ; ergo.

R. 1°. Judæos hic non carnalem, sed spiritualem fornicationem, sive idololatriam intellexisse, quæ sæpe Scripturæ phrasi fornicatio dicitur; perinde ac si dicerent : Nos idololatræ non sumus, sed unum verum Deum colimus; non enim ex majoribus, qui idola coluerunt, genus ducimus, sed ex Abrahamo veri Dei cultore. Colligitur ex contextu; prius enim dixerant : *Pater noster Abraham est* ; post verba autem : *nos ex fornicatione, etc.* statim subdunt : *Unum patrem habemus Deum.*

R. 2°. Si permittatur etiam, Judæos de carnali fornicatione locutos fuisse ; non tamen inde sequetur, quod præcise fornicationem Abrahæ cum Agar intellexerint.

378. *Inst.* 5. S. Ambrosius tamen Lib. 1. de Abraham c. 4. (opp. t. 1. p. 290. et seqq.) videtur supponere, illius tempore polygamiam nondum fuisse licitam, quia rationibus omnibus conatur Abrahamum defendere a culpa adulterii, quod nondum esset lege prohibitum, quod de consensu Saræ et posteritatis, non libidinis causa fecisset; quod de eo facto, commixtione cum Agar pœnitentiam egerit. Item S. August. L. 2. contra Faustum c. 30. et alibi Manichæis objicientibus crimen Abrahæ respondit, eum excusandum esse, quia non libidine, sed prolis gratia, et cogente uxore fecerit. Denique S. Leo epist. 2. alias 92. ad Rusticum Narbonensem distinguit inter uxorem et concubinam; confirmatque distinctionem exemplo Saræ et Agar, ac concludit, virum non committere polygamiam, si, postquam concubinam duxisset, duceret uxorem aliam. Supponit igitur Agar non fuisse uxorem Abrahami legitimam.

Ad 1um. R. *N. A.* Licet enim S. Pater ab initio videatur supponere peccatum aliquod afferendo rationes minus probabiles, ob quas excusaretur Abraham, eum tamen tandem excusat ex hac ipsa ratione, quod Deus Abrahamo id concesserit in mysterium : *peccatum non fuit*, inquit ibid. *sed mysterium* ; illud nempe, quod Paulus exponit c. 4. ad Gal. *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, unum de libera.* Nimirum oratorum, quorum more hic locutus est Ambrosius, id proprium est, ut ante minus validas, post validiores et graviores rationes proponant.

Deinde prima et secunda ratio non subsistit; si enim nulla lex prohibebat adulterium, quare Abraham dicitur egisse pœnitentiam ? Revera tamen semper lege naturali prohibitum fuisse adulterium, et hanc legem a nemine invincibiliter ignorari posse, idem fatetur Ambrosius Lib. eod. c. 11. sola igitur ultima ratio S. Ambrosii vera et firma est ; atque ita, quod ex se peccatum fuisset, ex divina concessione non fuit.

Ad 2um. R. Manichæos objecisse Patriarcharum in plurium uxorum usu libidinem et petulantiam; satis igitur Augustino erat ostendere, Manichæos

falsum loqui, eo quod Patriarchæ *non libidine carnis, sed posteritatis amore* ad plures uxores accesserint. Cæterum eos non peccasse docet alibi Lib. 22. cont. Faustum c. 47. ac Lib. 16. de Civit. c. 38. quod tunc *multiplicandæ posteritatis causa eos nulla lex prohiberet*, nimirum ob concessionem divinam; nam alias eos prohibuisset lex tum naturalis, tum divina teste Christo Matth. 19.

Ad 3um. R. S. Leonem, dum hic concubinam pro uxore non legitima accipit, per *concubinam* intellexisse mulierem servam, cujusmodi fuerat Agar; atque solum asserit matrimonium cum serva contractum ab ingenuo, esse invalidum, ut revera erat seculo V. vi juris ecclesiastici solius; nam vi naturalis nunquam fuit. Quare ad exempli de Agar a S. Leone allati veritatem satis est, Agarem ancillam fuisse Abrahæ, quod est verissimum; non vero necesse est, ut eadem uxor non fuerit.

379. *Obj. II.* cum Luthero: Juxta S. Augustinum ideo Jacob aliique Patriarchæ polygami excusandi sunt ab adulterio, quod polygamia tunc esset consuetudinis, nec adversaretur legi alicui; ergo. *Prob. Ant.* Nam L. 3. de Doctr. Christ. c. 12. inquit: *sufficiendæ prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* et L. 16. de Civ. cit. quod *eos nulla lex prohiberet.*

R. ut ante, laudatum Patrem et alios ita loqui, quod per concessionem divinam vis legis evanuisset: innotuerat autem illa concessio per specialem revelationem Patriarchis, eamque ab iis hauserant eorum posteri, ita ut apud eos ad Christum usque in consuetudinem abierit, juxta verba illa Innocent III. *Quæ* dispensatio vel concessio, *mos quandoque, interdum etiam fas censetur.*

Ex disputatis hactenus inferes, a fortiori juri non tantum divino, sed et naturali polyviriam adversari, utpote quæ matrimonii fini non tantum secundario, sed etiam primario, et a natura præcipue intento, videlicet generationi, et bonæ educationi prolis repugnat. *Generationi*, quia hæc per commixtionem cum pluribus impeditur, ut vel nunquam, vel certo rarius subsequatur, veluti patet in meretricibus. *Bonæ educationi*; cum enim proles in commixtione mulieris unius cum pluribus viris incerti sit patris, nullus ex viris eam tanquam suam teneretur agnoscere, saltem non ita diligeret; proinde inde neque curaret, ut bene educaretur, quod tamen patris præcipuum est officium. Quo tamen non obstante, uti communior, sic probabilior videtur sententia auctorum negantium, etiam polyviriam esse jure naturali absolute et sub omni specie prohibitam, ita ut nunquam licere possit, nec eam Deus etiam de potentia absoluta concedere; cum sub iis fieri conditionibus possit, ut prædicta mala evitentur, corpus vero mulieris æque dominio Dei, quam corpus viri subjectum sit, adeoque nihil impediat, quominus jus in corpus mulieris æque inter plures viros, quam jus in corpus viri inter plures mulieres dividere possit. De quo plura videri possunt apud Pichler, Schmalzgr. *de Spons. duorum*, aliosque.

CAPUT V.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

380. Matrimonium *ex parte subjecti* dividi potest in matrimonium inter Gentiles, inter Judæos, inter Christianos: *ex parte sui* vero in legitimum, ratum et consummatum dividitur. *Legitimum* tantum illud est, quod consensu legitimo inter personas non impeditas contractum quidem, rationem tamen sacramenti non participat, quale olim in lege naturæ, et mosaica, ac hodie inter Judæos et Gentiles datur. *Ratum*, sive Ecclesiæ ratificatione approbatum, illud est, quod juxta divinas et ecclesiasticas leges initur a baptizatis, seu fidelibus, inter quos tamen post contractum illud nondum perfecta carnalis copula; atque de hoc intelligenda est regula L. 31. ff. de R. I. quod nuptias non concubitus, sed consensus faciat. *Consummatum*, quod accedente copula carnali perfecta, h. e. ex qua sequi solet et potest generatio prolis, completum est. Porro matrimonii in quolibet ex his sensu accepti indissolubilitas spectari potest vel quoad vinculum, vel quoad thorum; quare de ea sub diversis illis respectibus agendum est.

ARTICULUS I.

UTRUM MATRIMONIUM INFIDELIUM SIT ABSOLUTE INDISSOLUBILE QUOAD VINCULUM?

381. Quæstio movetur duplex: I. An matrimonium infidelium qua talium, h. e. quamdiu neuter conjugum ad fidem convertitur, sit penitus indissolubile quoad vinculum, sive consummatum sit, sive non? II. An matrimonium infidelium etiam consummatum dissolvi possit quoad vinculum, si alter conjugum ad fidem convertatur?

382. *Dico I.* Matrimonium infidelium qua talium, sive quamdiu neuter conjugum ad fidem convertitur, est penitus indissolubile quoad vinculum, sive consummatum sit, sive non.

Ratio est, sine distinctione enim inter matrimonium in Christianismo initum, et quod in gentilitate contractum est, præcipit Christus Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; et Paulus 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Et *Conf.* c. *Gaudemus* de divort. ubi jubet Innocentius III. ut paganus conversus ad fidem ex pluribus uxoribus, quas duxerat adhuc infidelis, priorem tantum accipiat, quamvis dimissam per repudium, et alteri viro postea nuptui traditam; ergo censuit matrimonium in infidelitate contractum esse indissolubile; quid enim alias irrita declararet matrimonia post primum contracta in infidelitate, dum superstites sunt vir et mulier?

383. *Dico II.* Matrimonium tamen infidelium etiam consummatum dissolvi potest quoad vinculum, si alter conjux convertatur ad fidem, alter vero converso vel 1°. cohabitare nolit; vel 2°. non velit, nisi cum creatoris contumelia; vel 3°. cum pertrahendo ad peccatum.

Ita in terminis Innocentius III. c. *Quanto* de divort. *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit.* Fundat vero decisionem suam Pontifex in verbis Apostoli 1. Cor. 7. quæ subjungit ad litteram, *et in hoc casu,* inquiens, *intelligimus, quod ait Apostolus : si infidelis discedit, discedat : frater enim et soror non est servituti subjectus in hujusmodi.* Ergo juxta Apostolum interprete Ecclesia, in relatis tribus casibus, uno conjugum ad fidem converso solvi potest matrimonium etiam quoad vinculum. Et profecto si, discedente infideli, vel legitime cohabitare nolente, fidelis teneretur illo matrimonio; hic propter prioris malitiam esset servituti subjectus contra testimonium Apostoli. *Conf.* Cum enim ex una parte fidelis in hoc casu licite cohabitare non possit; ex parte vero alia Christus neminem sine voluntate, aut culpa propria ad vitam cœlibem obligare voluerit, postulabat æquitas, ut fideli daretur a Christo facultas contrahendi matrimonium aliud : aliter jugum Christi talibus factum fuisset gravissimum, *cum non omnes capiant verbum istud* Matth. 19. Proinde infideles a fide deterruisset, cujus bonum bono conjugi ilonge majus est.

384. *Obj. I.* Apostolus tantum pro causa assignat infidelis discessum, Innocentius vero assignat plures. *II.* Apostolus per *discedat,* tantum quoad thorum vel cohabitationem, ut patet ex antecedentibus v. 10. et 11. *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam.* Pontifex vero facultatem tribuit illi, qui relinquitur, ad secunda vota transeundi. *III.* Christus Matth. 19. de quocumque legitimo matrimonio, proinde etiam infidelium ait : *Quod Deus conjunxit, homo non separet. IV.* Ibid. *Qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, mœchatur;* ergo sola fornicatio erit causa uxorem dimittendi, et quidem tantum quoad thorum, ut dicemus infra. *V.* Concilium Meldense relatum can. 1. 38. q. 2. statuit : *Si quis habuerit uxorem virginem ante Baptismum, vivente illa post Baptismum alteram habere non potest; crimina enim in Baptismo solvuntur, non conjugia.*

Ad 1um. R. *D.* Apostolus tantum assignat infidelis discessum physicum et corporis *N.* etiam moralem *C.* Etsi infidelis non recedat corpore, cum tamen non velit sine creatoris contumelia permanere, revera recedit, et relinquit fidelem; quia cogit fidelem discedere, cum hic in eo statu licite permanere non possit.

Ad 2um. R. *N. Ant. Ad prob.* R. Hæc : *iis, qui matrimonio, etc.* pertinere ad fideles, a quorum matrimonio postea transit ad matrimonium infidelium, aitque simpliciter et indefinite, sine limitatione quoad thorum : *si infidelis discedit, discedat.* Propositio igitur illa indefinita etiam discessum quoad vinculum complectitur; et secus, non subsisteret ratio Pauli : *Frater enim et soror non est subjectus servituti in hujusmodi,* quia, si fidelis non

posset discedere etiam quoad vinculum, maneret subjectus servituti, sive matrimonii vinculis, essetque ejus conditio durior, quam ante.

Ad 3um. R. In nostro casu non separat homo, sed ipse Deus; Christus enim hanc facultatem dedit in favorem fidei, cujus interpretem habemus Apostolum, Ecclesiam, et rationem.

Ad 4um. R. Cum S. Aug. L. 1. de adulterin. Conjug. c. 1. et 2. Christum ibi loqui de matrimonio inter fideles, sicut et Paulus in iis locis, quibus dixit, matrimonium sola morte dissolvi; solum enim matrimonium fidelium repræsentat perfectam unionem Christi cum humana natura et Ecclesia indissolubilem, ex quo ipsi vera et absoluta indissolubilitas tribuitur.

Ad 5um. R. Concilium loquitur de uxore, quæ pariter ad fidem conversa sit; vel de uxore, quæ pacifice cohabitare velit, et sine creatoris injuria. Quod autem ibi dicitur de uxore virgine, valet etiam de corrupta; sed ita statutum fuit, quia quæsitum fuit de virgine, ut notat Glossa.

385. *Dico III.* In præsenti statu Ecclesiæ, quo infidelis conversus non permittitur ex consuetudine recepta et inducto præcepto Ecclesiæ habitare cum infideli cujusvis sectæ, etiam videtur probabilius posse solvi matrimonium quoad vinculum, si pars infidelis converti nolit, licet de cætero pacifice cohabitare vellet.

Ratio iterum petitur ex verbis Apostoli cit. Ideo enim potest solvi matrimonium in casu conclus. præc. quia, dum aliter cohabitare non vult pars infidelis, hoc ipso discedit moraliter, cogendo partem fidelem ad discessum, cui illicita est talis cohabitatio: atqui etiam nunc ex ipsa consuetudine recepta et inducto præcepto Ecclesiæ illicita est conjugi converso cohabitatio cum infideli, si hic converti noluerit; ergo nolendo converti præcise jam moraliter discedit infidelis, consequenter conversus prioris matrimonii servituti etiam nunc subjectus non manet. *Conf.* Ex iisdem incommodis, quæ præc. conclus. attulimus; si enim in hoc casu conversus non posset transire ad alias nuptias, absque sua culpa vitæ cœlibi maneret adstrictus, quod ex infidelitate conversis accideret gravissimum; unde lex Christi ipsis durissima evaderet, ac facile a conversione revocarentur.

Dixi: *in præsenti statu Ecclesiæ*; triplex enim Ecclesiæ status distingui hic debet. *Primus* statuitur ab Apostolorum tempore usque ad seculum VI. quo statu frequentes erant infidelium conversiones, ac permittebantur fideles conversi cohabitare cum infidelibus juxta consilium Apostoli: *Si quis frater uxorem habeat infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Secundus* est a seculo VII. quo Galli et Hispani congregati in Concilio Toletano IV. anno 650. statuerunt can. 62. relato c. *Judæi.* caus. 28. q. 1. ne conjuges fideles habitare permitterentur cum Judæis converti renuentibus; de aliis vero infidelibus tum nihil decretum fuit. *Tertius,* quo tandem Ecclesiæ consuetudine ac præcepto receptum est, non esse permittendum, ut conjux ad fidem conversus cum infideli cujusque sectæ cohabitet, quod experientia compertum esset, non leve esse perversionis periculum ex fidelis cum infideli consortio. Neque huic Ecclesiæ præcepto adversatur Apostolus cit. *si quis frater uxorem habeat infidelem,* etc. hoc enim Apostoli dictum nequaquam præceptum divinum est, sed merum consilium Pauli, et ad summum præceptum humanum, ut constat ex loquendi modo, quo Paulus

utitur : *cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habeat infidelem*, etc.

386. *Obj. I.* Apostolus solum permittit converso secundas nuptias propter discessum physicum, vel moralem infidelis; sic enim interpretatur Apostolum Innocentius III : atqui talis discessus non habetur, dum infidelis consentit cohabitare pacifice. *II.* In dubio, an infidelis conversus sit liber a matrimonii vinculo, infideli converti nolente, standum est pro valore et indissolubilitate matrimonii; infidelis enim jure naturali et divino in possessione est. *III.* Matrimonium inter fideles contractum solvi non potest, etsi alter conjugum fiat hæreticus, aut apostata, ut constat ex c. *Quanto* cit. de divort. et Trident. Sess. 24. can. 5. ubi definit : *Si quis dixerit propter hæresin dissolvi posse matrimonium, anathema sit*; ergo neque in nostro casu dissolvi potest.

Ad 1um. R. *N. min.* 1°. Ob rationem conclusionis. 2°. Quia periculum perversionis, ubi jam rarior est conversio, cedit in contumeliam fidei, et creatoris; igitur jam discessus moralis est : imo et 3°. Innocentio ipsimet paria sunt, velle cohabitare remanendo in infidelitate et cohabitare cum creatoris contumelia; postquam enim dixisset c. *Gaudemus* de divort. *Nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris;* paulo post subdit : *Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur* (adeoque jam velit cohabitare sine creatoris contumelia) *eam recipere compelletur*. Sed clarius hoc patet ex c. *Quanto* cit. quod est ejusdem Pontificis, ubi inquit, uno ex conjugibus fidelibus labente in hæresin, vel ad ipsius gentilitatis errorem transeunte, non posse transire alterum ad secundas nuptias, *licet hoc casu major appareat contumelia creatoris*; ergo conjuge uno converso, si cohabitare licet alter velit, converti tamen nolit, est Innocentio cohabitare velle cum creatoris contumelia.

Ad 2um. R. *D.* Standum est pro valore et indissolubilitate matrimonii, nisi causa alia magis suadeat oppositum *C.* secus *N.* Oppositum vero suadet favor fidei, qui summus est, et in cujus favorem Christus concessit solutionem matrimonii; non faveremus autem fidei, si infidelis conversus tanto jugo subderetur, ut ad cœlibem vitam sine omni sua culpa esset adstrictus.

Ad 3um. R. Disparitas est. Solum matrimonium a baptizatis contractum et consummatum ex institutione Christi perfecte indissolubilem Verbi cum Ecclesia unionem per incarnationem significat; ergo debet habere indissolubilitatem omnimodam, qualis intercedit divinum Verbum inter et Ecclesiam. Quod quoad substantiam aliis verbis exprimit Innocentius c. *Quanto* cit. inquiens : *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit*, nimirum ita, ut, cum fuerit consummatum, nulla possit ratione dissolvi, *quia sacramentum fidei* (Baptismus), *quod semel est admissum, nunquam amittitur, et ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret*, id est, semper.

Si quæras denique, quando solvatur quoad vinculum matrimonium, de quo conclus. 3., etc.

R. Solvitur primum per ipsum matrimonium secundum, non vero per

ipsum baptismum, quia c. *Gaudemus* cit. tenetur fidelis recipere alteram, si ante matrimonium secundum convertatur ad fidem; ergo prioris matrimonii vinculum nondum solutum censetur ante ipsum secundum matrimonium.

ARTICULUS II.

UTRUM IN LEGE VETERI DARETUR LIBELLUS REPUDII, EOQUE MATRIMONIUM SOLVERETUR QUOAD VINCULUM INTER JUDÆOS?

387. Supponimus in lege naturæ matrimonium quoad vinculum fuisse insolubile, ut patet ex Matth. 19. ubi Christus ait Moysen libellum repudii permisisse Judæis propter duritiam cordis eorum, ab initio autem non fuisse sic; h. e. a prima matrimonii institutione usque ad Moysen matrimonium fuisse quoad vinculum insolubile. Controversia tantum est de lege scripta, sive mosaica, an in ea libellus repudii, qui concessus legitur viris hebrææ gentis Deut. 24. licite daretur a viro mulieri, eoque matrimonium solveretur quoad vinculum, ita ut repudiata uxor posset licite et valide nubere alteri; an vero permissus tantum fuerit, non tanquam licitus, sed tanquam minus malum, ad mala majora præcavenda, remanente adhuc matrimonii vinculo? Utramque sententiam problematice defendunt S. Thomas hic q. 62. a. 3. et 4. et Scotus et posteriorem quidem, quæ etiam S. Hier. L. 1. Comment. in Matth. c. 5. tribuitur, fuisse communiorem ætate sua S. Thomas cit. asserit. Prior tamen hodie magis recepta deprehenditur apud Canonistas æque ac Theologos.

Per libellum vero repudii intelligitur instrumentum authenticum, datum mulieri, quo a viro dimissa declarabatur et libera, ut duci posset ab omni viro, *juxta constitutionem Moysis et Israël*, ut in ejus formula refertur a scriptoribus. Debebat dari in scripto ipsi repudiatæ, postquam Scriba expendisset repudii causas, easque justas judicasset. Causas vero Scriptura sacra non nisi sub generico *fœditatis* nomine exprimit, scilicet non tantum physicæ et corporalis, sed et moralis, velut si intractabilis esset, continuo rixosa, incorrigibilis, etc.

Porro repudium et divortium interdum confunduntur; hoc tamen inter ea est discriminis: *Primo*, divortium tantum in separatione quoad thorum et cohabitationem consistit; repudium vero etiam solutionem quoad vinculum indicat. *Secundo*, divortium fit tam ex parte viri, quam feminæ jam cognitæ: repudium vero ex præscripto legis inter Judæos tantum a viro poterat, non vicissim a muliere ipsi viro.

388. *Dico*. Licite, ex concessione divina, inter Judæos dari poterat libellus repudii, eoque matrimonium dissolvebatur quod vinculum.

Prob. Ex Deut. 24. ubi lex repudii sic a Moyse promulgata legitur: *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem; scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam*

in uxorem. Atqui verba hæc in sensu naturali et proprio veram permissionem juris, seu facultatem legitimam dimittendi uxorem, ac solutionem insuper quoad vinculum important; nec tantum meram tolerantiam minoris mali ad præcavenda graviora. Nam 1°. per hæc : *cumque egressa alium maritum duxerit,* satis aperte supponitur, repudiatam valide et licite nubere potuisse viro alteri; secus enim repudiata post repudium nupta alteri plures simul maritos habuisset; quod nunquam esse poterat, nec pro ullo concessum fuisse legitur. 2°. Hæc : *dimittet eam*, ex sensu communi et obvio veram facultatem important; ergo ab hoc recedendum non est, cum nulla solida ratio a sensu proprio recedere cogat. 3°. Vir secundus appellatur maritus; sed talis dici non posset, si remaneret prioris matrimonii vinculum. 4°. Prohibetur viro primo, ne repudiatam ac postea nuptam alteri, ab coque iterum repudiatam recipiat in uxorem; ergo esse uxor primi viri desierat.

Conf. 1. Speciali lege Levit. 21. v. 13. cautum erat, ne sacerdos uxorem viduam et repudiatam, ac meretricem acciperet; igitur aliis viris, sicut licuit ducere viduam, ita etiam repudiatam; quid enim speciali prohibitione opus fuisset respectu sacerdotis, si indiscriminatim id inhibitum fuisset omnibus?

Conf. 2. Si uxoris repudio non fuisset solutum nuptiale vinculum; ergo nuptiæ tum mariti repudiantis cum alia, tum repudiatæ cum marito novo fuissent adulterinæ, consequenter nec omisisset Deus eas reprobare ac reprehendere, ut alia populi sui vitia; nihil tamen ejusmodi unquam factum legimus, tametsi alias lex rigida adulteras lapidari præciperet.

389. *Obj. I.* Christus Matth. 19. ait Moysen repudium permisisse Judæis ad duritiam cordis eorum, ac deinde revocat hanc permissionem, matrimonium ad institutionem primam, qua erat insolubile, reducens; ergo permittebatur tantum a Moyse ut minus malum ad excludendum majus, uxoricidia. *II.* Malachiæ 2. de viro uxorem repudiante ex odio dicitur: *Operiet autem iniquitas vestimentum ejus*; ergo. *III.* Deut. 24. mulier repudiata, si nupsisset alteri, vocatur *polluta et abominabilis coram Domino*; cur vero ita vocaretur, nisi adulterinæ fuissent repudiatæ mulieris secundæ nuptiæ? *IV.* Imo repudiata mulier et nubens alteri fornicariis accensetur Jerem. 3.; ergo.

Ad 1um. R. *N. Cons.* 1°. Quia Moyses non sua, sed auctoritate divina, cujus erat executor, permisit. 2°. Quia Judæorum duritia solum occasio fuit concessionis istius: licet igitur illa culpabilis fuerit; permissio tamen, occasione duritiæ facta, eos excusabat a culpa. 3°. Christus etiam polygamiam inhibuit, revocando matrimonium ad primævam unitatem; non ideo tamen polygamia tanquam minus malum permissa fuit. Deinde reprobavit libellum repudii Christus non pro lege veteri et mosaica, sed pro nova et gratiæ, utpote perfectiore, quam erat vetus scripta; proinde quod in veteri permissum solummodo fuit, ut minus bonum intuitu fragilitatis et obstinationis Judæorum, permittendum non fuit in nova.

Ad 2um. R. Ibi sermo est de repudio sine legitima causa, scilicet quod ex mero fiebat odio; ante enim dicitur: *cum odio habueris, dimitte,* quod ironice dictum aiunt Interpretes.

Ad 3um. R. cum S. Thoma cit. *D.* Mulier ea dicitur polluta et abominabilis ob contractam culpam, cum nuberet viro secundo *N.* ob contractam immunditiam, ac irregularitatem legalem *C.* Hæc autem sine culpa contrahi poterat. Sic etiam immundus habebatur, qui mortuum, vel leprosum tangeret. Dici etiam potest, pollutam et abominabilem vocari relate ad priorem virum, ita ut non posset amplius ab eo duci in uxorem, sique id fieret, futuram abominationem coram Domino. Fundamentum hujus hebræus et græcus textus suppeditat, ita habens: *quoniam hoc*, redire ad virum primum, *est abominatio coram Domino*: quippe si repudiata redire potuisset ad virum primum, mulier quasi ad tempus alteri viro commodata videri potuisset. Item sic repudiis via amplior et facilior patuisset; ac libellus repudii, hebræo populo ob hujus tantum infirmitatem concessus a Deo, fuisset instar lenocinii.

Ad 4um. R. cum Bellarm. *N. Ant.* Sed hic argumentum fit a minori ad majus; ita enim Propheta Dei nomine arguit: si mulier repudiata a viro suo redire ad ipsum non possit, quanto magis posset Deus non recipere populum, qui abiit post fornicationes suas, h. e. idololatriam aliave vitia; ea tamen ipsius clementia est, ut, si reverti velit, ipsum benigne recepturus sit.

390. *Quæres*: An durante lege veteri repudium licuerit etiam gentibus cæteris? Apud has in usu fuisse constat ex gentilium scriptoribus; nam de Cretensibus id memoriæ prodidit Aristot. L. 2. Ethic. c. 8. De Atheniensibus Alexander Genial. dier. L. 4. c. 8. De Romanis Plutarchus Problemat. c. 13. et patet ex Rubrica et textibus ff. h. t. ubi etiam forma præscribitur: quin apud nos etiam mulier repudiare poterat virum: unde Martialis: *Mense novo Jani veterem Proculeia maritum deseris, atque jubes res sibi habere suas*; quæ ultima verba formulam important: *res tuas tibi habeto*; vel: *agito, etc.* Licitum vero fuisse aliis gentibus negant Sotus et alii, quod de hac dispensatione divina quoad gentes nihil expressum extet in sacris litteris. Verum etiam de dispensatione divina cum gentibus quoad pluralitatem uxorum nihil expressum legitur in utriusque Testamenti tabulis; et tamen dispensationem, vel rectius concessionem divinam ad gentes quoque extensam fuisse erultur ex Aug. L. 22. cont. Faustum. Docet Bellarm. L. 1. de Matrim. c. 11., Valent. aliique plurimi: unde *affirmativa* sententia æque probabilis est.

ARTICULUS III.

AN MATRIMONIUM FIDELIUM CONSUMMATUM POSSIT DISSOLVI QUOAD VINCULUM?

391. *Nota I.* Matrimonium fidelium tametsi consummatum solvi posse etiam quoad vinculum quinque de causis Lutherus censuit Lib. in c. 7. primæ ad Cor. 1°. Ex causa adulterii unius conjugum. 2°. Si fictus christianus deserit christianam conjugem. 3°. Si conjux conjugem pertrahat ad peccatum. 4°. Si ob frequentes rixas cohabitatio alterutri accidat molesta. 5°. Si diu absit alter conjugum. Calvinus contra Lib. 14. Instit. c. 19. ex solius adulterii causa dissolvi matrimonii vinculum posse contendit, tametsi

consummatum fuerit. Atque etiam hac ætate nostra Græcos dissolvere matrimonium, cui adulterium supervenerit, notum est, eamque praxin inter eos viguisse tempore Tridentinæ Synodi habetur ex Pallavicino Lib. 22. Hist. Conc. Trid. c. 4. scribente de canone septimo sessionis 25. Item tempore Florentinæ ita receptum fuisse Græcis, ex eadem Synodo perspicuum fit; etenim Sess. 25. postquam edita fuisset confessio fidei, ita Græcus quidam loquitur: *post hæc Latini quæsivere a nobis: quare conjugia dirimilis*, etc. Imo huic errori inhæsisse seculo XIII. fidem facit Guido Carmelita, qui circa initium seculi XIV. floruit.

392. *Nota II.* E Catholicis tres, Cajetanus, Catharinus, Launoius circa matrimoniale vinculum paulo liberius sensisse notantur. Cajetanus quidem Comment. in c. 19. Matth. solvi illud posse judicat ex adulterii causa, *salva tamen semper Ecclesiæ definitione, quæ*, ut inquit, *non apparet*. Verum, quod ad excusandum, vel refellendum Cajetanum sufficit, videtur, cum hoc scriberet, vel non ponderasse, vel oblitus fuisse illius, quod Florentina Synodus anno 1439. in Decreto edixerat. Etenim Sess. 25. Eugenium IV. sic Græcos allocutum constat: *Primo dico, omnes conqueri de separatione Matrimonii, idque correctione indiget.* Tum post pacificum Græcorum discessum Eugenius in Decr. (Labb. t. 13. p. 539. B.) sic enunciat: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contractum perpetuum sit.* Vixit autem Cajetanus ferme integro post seculo, quippe anno 1534. demortuus.

Catharinus L. 5. Annotat. cont. Cajetan. et Opusc. de Matrim. q. ult. ex eadem causa quidem solvi posse matrimonium autumat, quod *nec ex Evangelio, nec Apostolo possit colligi, non licere in causa fornicationis aliud inire Matrimonium*; cum tamen ecclesiasticis sanctionibus vetitum esset, ad separationem ejusmodi necesse esse, Ecclesiæ accedat auctoritas. Quod Catharini dictum magis solubilitati matrimonii favere, quam illud Cajetani, forte nonnemini videbitur, cum Catharinus ipsi etiam Tridentinæ Synodo interfuerit. At sciendum, interfuisse quidem eumdem huic Concilio, sed non supervixisse sessioni 24. in cujus can. 7. dogma de insolubilitate matrimonii definitum fuit.

Launoii demum opinio Tr. de Reg. in Matrim. potest. his capitibus continetur: 1°. Constantem fuisse in Ecclesia traditionem ad usque Synodi Tridentinæ tempora, solvi posse adulterii causa vinculum matrimonii. 2°. Quæstionem de solubilitate, vel insolubilitate conjugalis vinculi ex adulterii causa, ac canonem a Tridentino hac de re conditum non dogma et doctrinam, sed meram disciplinam complecti. Imo 3°. viguisse olim inter Christianos morem dissolvendi matrimonium ex *bona gratia*, h. e. mutuo conjugum consensu ad usque Justiniani tempora, qui primus, ne porro fieret, id lege cavisset. Quid de hac Launoii mente sentiendum, ex probationibus sequentis conclus. palam fiet.

393. *Dico.* Dogma catholicum est atque orthodoxa veritas, et ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagata Ecclesiæ

traditio, excepta morte, nulla ex causa, nequidem fornicationis solvi posse matrimonii inter fideles consummati vinculum.

Prob. quoad singula membra. I. Ex Scriptura sacra. Marc. 10. v. 11. generaliter et absolute sine ulla limitatione docet Christus : *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.* Et similiter Luc. 16. v. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur. Et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Sic et Apostolus 1. Cor. 7. sine exceptione jubet uxorem dimissam manere innuptam : *iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit* (ex justa causa, ut commissi a viro adulterii, ob quod licita est discessio a thoro eaque perpetua) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Prob. II. Ex Conciliis generalibus, Florentino et Tridentino ; prioris quidem verba paulo ante recitavimus n. præced. Alterum vero, postquam cap. unic. Sess. 24. dixisset : *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit : hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea... et erunt duo in carne una;* can. 4. Sess. ejusd. anathema infligit iis, qui propter hæresin ; aut, quod Lutherus cit. docuerat, propter molestam cohabitationem, absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonium dixerint. Ac demum can. 7. punctum præcipue controversum, an ex causa fornicationis solvi possit matrimonii consummati vinculum, tangens, rem ita definit : *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit; et eam, quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.*

Respondet Launoius cit. can 7. non dogma et doctrinam proferri, sed disciplinam induci. Sed contra est 1°. quod verba canonis singula non nisi de doctrina intelligi possint; dicitur enim 1. *Si quis dixerit Ecclesiam errare:* atqui *error* non disciplinæ opponitur, sed dogmati et veritati. 2. *Cum docuit et docet;* ergo hic doctrina profertur, sive dogma catholicum. 3. *Juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam;* ergo esse vere doctrinam, negari non potest; latum enim discrimen inter doctrinam, et meram disciplinam est, quod ignorasse Tridentinos Patres, non nisi summa temeritate dici potest; sique non ignoraverint, ad illud respicere vel maxime eos oportuit; maleque rem meræ disciplinæ, sub doctrinæ nomine protulissent, cum doctrinæ saltem error, contra disciplinæ solum abusus opponatur; si quis aliter sentiret, juxta verba canonis in sensu obvio, reus erroris convinceretur, qui tantum abusus argui posset. 2°. Quia hoc canone Lutherani maxime et Calvinistæ feriuntur anathemate ; ergo errasse censendi sunt contra doctrinam; igitur canon non disciplinam, sed doctrinam complectitur.

Prob. III. Ex traditione Patrum. Nam seculo II. Athenagoras in Apol. pro Christian. (inter opera Justini p. 37. B.) *secundum*, inquit, absolute *conjugium*, scilicet vivente altero conjuge contractum, ut probant sequen-

tia, *illustre est adulterium : quicumque enim, inquit* (Christus), *uxorem suam dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur.*

Seculo III. Clemens Alexandr. L. 2. Strom. in fine (opp. p. 424. C.) *Quod... Scriptura... nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit : non dimittes uxorem præterquam ob fornicationem. Adulterium autem existimat conjungi Matrimonio, vivo altero ex separatis;* ubi dum dicit : ob solam fornicationem posse dimitti adulterum, de dimissione quoad thorum intelligi debet ob sequentia : *adulterium autem,* etc.

Seculo IV. quid hac in re crediderint Majores nostri, docet S. Hieronymus epist. ad Oceanum, describens pœnitentiam publicam, quam Romæ egit S. Fabiola, eo quod, ut permissum putabatur humanis legibus, dimisso a se viro adultero nupsisset alteri. In epist. ad Amandum 55. (al. 147.) idem dogma his demonstrat : *qui dimissam duxerit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit.*

Nec dicat quis cum Launoio, credidisse Hieronymum, in nubendi jure inæqualem esse viro mulierem, ac licere viro dimissa juste uxore adultera, cum altera inire matrimonium, sed non licere idem mulieri dimisso viro adultero. Nam 1°. nusquam Hieronymus vel verbo inæqualitatem istam, de qua Launoius, asseruit. 2°. Imo contrarium docet epist. 30. ad Oceanum de morte Fabiolæ (al. epist. 77.) *quidquid viris jubetur,* inquiens, *consequenter redundat in feminas; neque enim adultera dimittenda est, et mœchus tenendus.* Ac in c. 19. Matth. *et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret; sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat.*

Seculo V. S. Aug. dogma catholicum clarissime expressit L. 1. de adulterin. conjug. c. 9. *Quemadmodum igitur si dixerimus, quicumque mulierem a marito præter causam fornicationis dimissam duxerit, mœchatur, procul dubio verum dicimus; nec tamen ideo illum, qui propter causam fornicationis dimissam duxerit, ab hoc crimine absolvimus; sed utrosque mœchos esse minime dubitamus... ita eum qui præter causam fornicationis uxorem dimiserit, et aliam duxerit, mœchum pronuntiamus; nec ideo tamen eum, qui propter causam fornicationis dimiserit, et alteram duxerit, ab hujus peccati labe defendimus; ambos enim, licet alterum altero gravius, mœchos esse cognoscimus.* Et L. de Bono conjugali c. 5. semel initum connubium in civitate Dei nostri, Ecclesia, nullo modo potest, nisi alicujus eorum morte dissolvi. Unde quod Augustino aliquando perplexum et obscurum hac in re visum L. de Fid. et Oper. c. 19. et implicatissimam quæstionem vocat alias, clare tamen loc. cit. expressit. Addi hic meretur totius Ecclesiæ Africanæ testimonium in altera Milevitana Synodo anno 416. canone 17. (Labb. t. 2. p. 1541. E.)

Seculi VI. testis est ven. Beda L. 2. in. c. 10. Marc. Seculi VII. Synodus Suessionensis celebrata anno 745. can. 9. (Labb. t. 6. p. 1554. B.) Seculi VIII. Parisina VI. anno 829. L. 3. c. 2. (Labb. t. 7. p. 1656. E.) et Nannetensis anno 895. juxta alios 900. cap. 12. (Labb. t. 9. p. 471. D.) Seculi IX. Bituricensis anno 1031. can. 16. (Labb. t. 9. p. 867. B.) Plures Synodos aliarum orbis partium et Ecclesiarum, Romanæ, Germanicæ, Hispanicæ, pluraque pro quolibet seculo SS. Patrum, tum etiam summorum Pontificum testimonia

usque fere ad Florentinæ Synodi tempora videri possunt apud Bellarm., Tournel., aliosque hic, quos, ne æquo prolixiores simus, consulto prætermittimus.

Ratio autem a priori omnimodæ indissolubilitatis matrimonii fidelium legitimi et consummati præcise est institutio Christi, qui per matrimonium contractum inter baptizatos et consummatum significari voluit sui per incarnationem cum Ecclesia conjunctionem, quæ omnino indissolubilis est; nunquam enim Verbum dimittet humanitatem, quam assumpsit. Ita Conc. Florentin. in Decr. *Tertium,* bonum Matrimonii est, *indivisibilitas Matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi cum Ecclesia.*

394. *Obj. I.* Christus Matth. 5. et 19. interrogatus a Pharisæis, *an liceret homini dimittere uxorem quacumque ex causa?* Respondit : *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur*; ergo qui dimiserit uxorem ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur. *Prob. Cons.* Valet enim argumentatio a contrario, qualis est illa : et *Conf. a pari.* Bona est hæc argumentatio a contrario : *quicumque peccaverit, nisi pœnitentiam egerit, peribit ; ergo si pœnitentiam egerit, non peribit* ; ergo etiam subsistet illa prior : *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; ergo qui dimiserit ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur.*

R. *N. Cons.* Hæc enim exceptio : *nisi ob fornicationem,* tantum respicit membrum primum propositionis, *quicumque dimiserit,* ut sensus sit : quicumque dimiserit uxorem quoad thorum perpetuo, quod non licet nisi ob fornicationem, peccat sive mœchatur, scilicet mœchia aliena, ut dicitur Matth. 5. *facit eam mœchari,* quia dimissæ præbet occasionem fornicandi, ut adeo fornicatio uxoris imputetur viro, eo quod sine justa causa dimiserit. Si vero et ipse *aliam duxerit,* quacumque ex causa, etiam *mœchatur,* mœchia propria, ut dicitur Matth. 5. et 19. Non autem exceptio, *nisi ob fornicationem,* afficit membrum sequens, *et aliam duxerit,* quasi licitum esset aliam ducere interveniente fornicatione vel adulterio. Citata autem verba intelligi debere dicto sensu, manifestum est ex Evangelistis aliis cit. qui Christi sententiam absolute, et sine ea exceptione referunt. Item Apostolo, et Patribus ac Conciliis cit. Unde

Ad prob. R. *N.* Hanc esse argumentationem a contrario; ut enim propositio sit vere contraria, debet esse de eodem, sub eadem ratione; sed talis non est propositio illata in consequente; propositio enim Christi duobus constat membris; dictam vero exceptionem referri debere ad membrum primum, *quicumque dimiserit,* non vero ad subsequens, *aliam duxerit,* constat ex Evangelistis aliis absolute dicentibus, reum esse adulterii, quicumque uxore dimissa aliam duxerit. Item Apostolo et aliis probationibus. E contra ab adversariis dicta exceptio supponitur, et quidem gratis ac falso, æque pertinere ad utrumque membrum, quasi nec liceret dimittere, nec aliam ducere nisi de causa fornicationis, ex hac vero liceret utrumque. Hinc

Ad Conf. R. Disparitas est. Prima enim propositio, *quicumque peccaverit,* etc. unius tantum membri est, et exceptio non nisi ad unum referri potest, scilicet pœnitentiam, vel negationem ejus; proinde illæ propositiones

sunt de eodem sub eadem ratione; igitur vere contrariæ æque ac hæ : *qui pœnitentiam egerit, non peribit : qui pœnitentiam non egerit, peribit*. E contra propositio Christi bimembris est juxta sensum datum, et similis huic : *quicumque jejunium non servaverit nisi ob dispensationem, et se inebriat, peccat;* ac sicut in hac exceptio : *nisi ob dispensationem,* non respicit membrum secundum, *et se inebriat,* sed unice primum, *quicumque jejunium non servarit;* ita in propositione Christi.

395. *Inst.* Si exceptio, *nisi ob fornicationem,* referri debeat ad membrum primum duntaxat, *quicumque dimiserit,* non etiam ad alterum, *et aliam duxerit,* ita ut fornicatio sit causa sola dimittendi quoad thorum, non vero quoad vinculum ; ergo responsio Christi non fuisset apposita interrogationi Judæorum. *Prob. seq.* Hi enim interrogabant de dimissione quoad vinculum; quia agebatur de libello repudii, quo etiam vinculum solvebatur; et dimissio quoad thorum solum erat iis incognita, saltem inusitata.

R. *N. seq. Maj.* Licet enim ea Christi verba, *quicumque dimiserit,* etc. accipiantur solum de dimissione quoad thorum, adhuc tamen responsio apposita fuit Judæorum quæsito; interrogabant enim illi de *dimissione perfecta* et *quacumque de causa;* perfecta vero dimissio apud Judæos continebat duo : separationem quoad thorum, et quoad vinculum ; quæ Christus caute sua in responsione distinxit, tametsi in interrogatione non distinxissent Judæi : primum concessit, sed ex sola fornicationis causa; denegavit alterum, revocans licentiam datam a Moyse, ac declarat adulterum, qui dimissa uxore aliam duceret.

396. *Inst.* 2. Saltem, si memorata exceptio tantum respiceret hæc antecedentia, *quicumque dimiserit,* intelligendo quoad thorum; ergo sola fornicatio esset causa dimittendi quoad thorum ; sed falsum hoc, cum plures aliæ causæ sint dimittendi et separandi quoad thorum.

R. *D. seq.* Ergo sola fornicatio esset causa dimittendi *absolute et perpetuo* quoad thorum *C.* dimittendi *quomodocumque N.* Christus merito solam fornicationem (sub qua tamen simul veniunt graviora peccata in eodem genere, per quæ fit divisio carnis, ut sunt bestialitas et sodomia completa) assignavit ut causam; eo quod illa tribuat jus parti innocenti partem adulteram perpetuo et absolute, quæ est dimissio proprie et antonomastice talis, excludendi a thoro, cohabitatione, ac jure matrimoniali, ita ut emendatam licet ac reconciliari volentem adhuc ex justitia repellere possit. Secus est in aliis causis, quæ vel dimissionem quoad thorum tantum, vel simul quoad tectum ac cohabitationem, ad tempus solum conjugibus separationem permittunt.

397. *Obj. II.* Ex SS. Patribus cum Launoio et aliis : 1°. Justinus martyr qui altero Ecclesiæ sæculo floruit, refert in Apol. priore, quod femina quæpiam, quæ virum male moratum diu sustinuerat emendationis spe, cum deteriorem esse factum intellexisset, *misso libello repudii ab eo sejuncta sit.* Quod factum, inquit Laun., cum non reprehenderit Justinus, censuit fuisse solutum matrimonium.

R. *D. A.* Quod sejuncta sit, ut duceret alium, sive quoad vinculum *N.* quoad thorum et cohabitationem *C. Se enim separaverat,* inquit JUSTINUS (opp. p. 42. B.), *ne, si eodem lecto et mensa uteretur, particeps fieret impietatis.* Sed hæc separatio solius thori et cohabitationis est; proinde et libellus repudii non ritu gentili tunc vigente, sed christiano datus intelligitur; et inepta Launoii illatio.

2°. ORIGENES Tr. 7. in Matth. (opp. t. 3. p. 647. B. edit. Ruæi) ait, quosdam Episcopos permisisse mulieribus quibusdam, ut vivente viro alteri nuberent, et subdit, eos non omnino id sine causa permisisse; ergo censuit Origenes, potuisse solvi conjugale vinculum; et ejus ætate sic solvendi mos obtinuit.

R. *N. Cons. utramque.* Nam ait ORIGENES 1°. eos hoc permisisse *extra et contra Scripturam dicentem : mulier ligata est, quanto tempore vir ejus vivit.* 2°. Id permissum fuisse tanquam minus malum et *tolerando* ad vitanda majora crimina : *Forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta.*

3°. TERTULLIANUS Lib. 4. cont. Marcionem c. 34. asserit Deum non disjungere virum a muliere, nisi in adulterii casu : *cæterum præterquam ex causa adulterii, nec Creator disjungit, quod ipse conjunxit.*

R. *Explico et D.* Deus hoc casu disjungit quoad vinculum *N.* quoad thorum et cohabitationem *C.* Huic responsioni ex ipso Tertulliano lux affulget; dum ibid. mœchum definit esse eum, qui uxorem dimittit, ut aliam ducat : *Dico illum,* Christum, *conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat.*

4°. S. BASILIUS epist. 2. ad Amphilochium can. 9. (opp. t. 3. p. 397.) de viro propter adulterium dimisso ab uxore ait : *qui vero relictus est,* a propria uxore ob causam adulterii, *dignus est venia, et quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur.* Et de eadem inferius : *quare, quæ cum viro dimisso cohabitat, nescio, an possit adultera appellari;* ergo. Hoc sancti Basilii loco, qui primo intuitu perplexus apparet, quidam inducti respondent, S. Patrem hac in controversia dubiæ esse mentis; hoc tamen illi condonandum, quod rei huic obscuræ nulla definitio Ecclesiæ tunc adhuc aliquam lucem dedisset. Verum nobis ad contextum advertentibus, et quam alias S. Doctor dogma catholicum clare et solide docuerit, hæc responsio S. Basilio et dogmati catholico non parum injuriosa videtur. Unde

R. *in forma : Explico et D.* S. BASILIUS ait virum a muliere dimissum, si ad novam accedat, *esse dignum venia,* et quæ ei cohabitat, *non ideo condemnari,* spectata consuetudine fori externi legum civilium, quia juxta hanc tunc non puniebantur adulteri dimissi novam uxorem ducentes *C.* spectato foro interno, et coram Deo *N.* Eodem sensu ait : nescio an possit adultera appellari, scilicet pro foro externo legum civilium, ut in eo subjaceat adulterarum pœnis, vocem *adultera* sumendo non absolute, sed relative ad pœnas adulteris decretas. Pro obscuri nonnihil hujusce canonis intelligentia,

398. *Observa* : Docet ibid. Basilius 1°. Si spectetur *lex et sententia Christi,* ratione dimissionis idem licere mulieri, quod viro in causa fornicationis

commissæ a parte alterutra. 2°. Sed consuetudinem nunc obtinere, qua viro duntaxat permissum dimittere uxorem fornicariam, non vicissim uxori fornicarium virum; *at vero,* inquit veluti dolens, *consuetudo non ita se habet;* sed in mulieribus quidem nimiam adhiberi severitatem reperimus; unde paulo post subdit : *quæ cum viro dimisso cohabitat, nescio an possit adultera appellari; crimen enim hic attingit mulierem, quæ dimisit,* nimirum contra hanc consuetudinem, vi cujus soli viro licebat dimittere conjugem fornicariam; ac concludit : *quare quæ reliquit, est adultera, si ad alium virum accessit; relictus vero est dignus venia, et quæ ei cohabitat, non condemnatur;* scilicet juxta illam consuetudinem.

His præsuppositis patet responsionis ratio : nam *primo,* hæ propositiones : in mulieribus nimiam severitatem reperimus; et, non ideo condemnatur, pœnam indicant, proinde subjacere adulterii pœnis, quæ contra consuetudinem virum dimisit, non vero illam, quæ dimisso cohabitat, quia hæc non peccavit contra hanc consuetudinem. *Secundo,* consuetudinem illam opponit legi et sententiæ Christi, quæ haud dubie forum internum respicit; ergo intelligit consuetudinem fori externi, et quidem civilis. *Tertio,* quia omnibus prædictis addit Basilius hæc : *Si vir ab uxore discedens accesserit ad aliam, est et ipse adulter... et quæ cum eo habitat, est adultera;* ergo aperte supponit, se in prioribus loqui de consuetudine fori externi legum civilium, juxta quam non puniebantur adulteri dimissi novam uxorem ducentes. *Quarto,* quia Lib. de Virginitate circa medium (opp. t. 3. p. 626. C. n. 41.), quamcumque mulierem, quæ vivente viro alteri nubit, mœchari pronunciat. Et postea : *non audis,* inquit, *quod etiam, qui dimissam ducit, mœchatur? etsi enim pro culpa dimissa est, attamen vivit vir ipsius; hoc est, eo vivente non potest sic dimitti, ut alteri nubat.*

5°. S. Gregor. Nazianz. orat. 31. legem Mosaicam ait omnes ob causas dedisse libellum repudii; Christum vero non ob omnes, sed permittere tantum ab uxore adultera separari. S. Chrys. hom. 17. in Matth. ex 1. Cor. 7. causam reddens, quare ob adulterium, non idololatriam permittatur divortium, assignat hanc; quod per adulterium jam solutum sit matrimonium, et post fornicationem maritus non sit maritus; secus esse in casu altero. S. August. Lib. de Fide et Operib. adeo obscuram esse hanc quæstionem fatetur, ut in ea non nisi venialiter erretur.

R. S. Gregor. plus non velle, quam a Christo ex sola fornicationis causa permitti separationem etiam perpetuam quoad thorum et cohabitationem. *Nec refert,* quod in veteri lege per libellum repudii fieret solutio ipsius vinculi; non enim ideo pro nova lege idem tenere vult; cum hæc duo distincta sint : posse ab uxore separari, et : posse separatum ducere aliam. S. Chrys. solum asserit solutum esse matrimonium quoad cohabitationem; et maritum non esse maritum quoad usum et jus; et quia adulterium dat facultatem dimittendi partem adulteram perpetuo, ideo verbo *solutum* utitur. Ratio responsionis ex eodem S. Patre hom. 17. in Matth. (opp. t. 7. p. 227. C.) desumitur; ubi ille, qui dimisit, inquit, *etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex conjuge. Hic vero accipiendo alienam adulter effectus est.* Ad S. August. Quod tunc obscurum judicavit, postea tamen ipse perspicue vidit locis supr. cit.

Præter laudatos Patres, Græci etiam S. Epiphanium objiciunt hær. 59. ubi

docet, qui repudiavit adulteram, licitum ei esse novas celebrare nuptias; verum cum locum hunc manifeste depravatum ostendat doctissimus ejus interpres PETAVIUS in notis ad hær. 59. non est, quod in eo exponendo laboremus. Insuper hær. ead. n. 6. dogma catholicum diserte adstruit : *scriptum est, mulier alligata est nuptiis, quanto tempore vir ejus vivit : sin autem mortuus fuerit vir ejus, libera est*, etc. Alios vero scriptores maxime Græcos minoris ponderis exponit Arcudius. Nec oberit traditioni, si unus alterve dissentiret in re nondum definita et aliunde implexa, ut quidam de Theodoreto scribunt : item Asterio Amaseno.

399. *Obj. III. Summos Pontifices et SS. Canones.* S. LEO epist. 82. (al. 12.) ad Episcopos Africæ, ait, sacerdotem, qui ante sacrorum ordinum susceptionem priore uxore dimissa alteram duxerat, removendum quidem esse a sacro ordine; sed nec verbo significat, irritum esse hoc matrimonium. ZACHARIAS Papa c. *Concubuisti*, caus. 32. q. 7. videtur agnoscere solubilitatem vinculi, dum inquit : *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ : si fecisti, neutram habeas; et si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat.* Porro can. *Quædam* ead. q. et c. *Si quis*, permittitur aliud matrimonium post divortium. Adde c. *Uxor*, q. et caus. ead.

R. S. LEO ideo nihil de matrimonii illius nullitate loquitur, quia non quærebatur ex Pontifice, subsisteretne hoc matrimonium, vel non? sed an ratus debeat haberi ordo a tali susceptus, vel non? et hoc eum esse privandum decernit. ZACHARIAS solum loquitur de nuptiis contrahendis post primas morte dissolutas, quas permittit uxori innocenti post obitum viri adulteri incestuosi; huic vero post obitum uxoris negat nuptias, sive cum sorore uxoris defunctæ, quacum durante matrimonio copulam habuerat, sive cum alia. Sumitur hæc expositio ex can. *Hi vero*, caus. et q. ead. ubi neutri, altero vivo, novæ permittuntur nuptiæ; innocenti vero post mortem partis adulteræ. Eodem modo R. ad c. *Quædam*, et c. *Si quis*, cit. Ad can. *Uxor*, R. desumptum eum esse ex commentario in c. 7. primæ ad Cor. qui S. Ambrosio tribuitur; verum, ut jam suo loco notavimus, ex communi hodie sententia commentarius hic non est S. Ambrosii, sed Hilarii cujusdam diaconi Romani Luciferanis addicti, qualem eumdem in suo catalogo notavit Hieronymus. Unde canon ille auctoritatem non habet. Alii, ex antiquioribus maxime, sic canonem hunc interpretantur, ut sensus sit, permissas fuisse novas nuptias soli viro innocenti ex licentia legum civilium, non vero Ecclesiæ, quæ semper juxta legem Christi hanc licentiam improbavit, ac alias S. Ambr. Lib. de Abrah. c. 4. et 7. et in Lucæ c. 16. eamdem esse viri ac mulieris quoad hoc conditionem tradidit; velut in specie in eum canonem notat Baronius.

400. *Obj. IV. Ex Conciliis, et aliis monumentis antiquis.* Concilium Arelatense habitum anno 314. can. 10. (Labb. t. 1. p. 1428. C.) de viris, quorum conjuges deprehensæ adulteræ, statuit, ut *consilium* eis detur, ne viventibus uxoribus, licet adulteris, alias accipiant; ergo Patres Arelatenses ad consilium pertinere, non ad præceptum putarunt, si conjux innocens sibi temperet a secundis nuptiis ob alterius adulterium. Concilium Vermeriense, anno 752. sive apud Vermerias, relatum can. *Si qua mulier*, caus. 31. q. 1.

ita decrevit (Labb. t. 6. p. 1657. B.) : *Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, et ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest vir eam ream esse consilii, potest, ut nobis videtur, uxorem dimittere, et, si voluerit, aliam ducere.* Præterea Concil. Aquisgranense III. an. 862. permisit Lothario regi, ut repudiata uxore Theutberga, ob copulam cum fratre Lotharii habitam, ducat aliam. His adde vetus Pœnitentiale Romanum, permittens uxori, quæ jussu et culpa mariti adulterata, si se continere non possit, nubere cui velit; e contra marito adimens omnem novi matrimonii spem.

R. Patres Arelatenses vocem *consilium* sumpsisse pro exhortatione; ut sensus sit, pastores exhortari debere adolescentes, sive juniores maritos, de quibus ibi agitur, ne, deprehensis in adulterio propriis uxoribus, ducant alias. Ratio est; quia ex ipsiusmet canonis textu patet, illicitum ac nullum futurum esse aliud, quod tentarent, matrimonium : *et prohibentur nubere,* etc. Concilium Vermeriense imprimis particulare est : deinde textus ex eod. cit. mendosus est; nam apud S. Ivonem verba : *potest, si voluerit, aliam ducere,* non reperiuntur; et can. *Si qua mulier.* h. t. substituta leguntur hæc : *potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere.* Et hunc esse sensum, patebit amplius paulo post ad Pœnit. Rom.

Ad Conc. Aquisgranense R. *D.* Hoc permisit ob copulam ante matrimonium cum Lotharii fratre habitam *C.* Sic enim nuptiæ fuerant incestuosæ, et nullæ sine dispensatione; si tamen verum fuerit crimen hoc Theutbergæ a rege objectum, quod ipsa negavit in litteris ad Nicolaum I. a quo et defensa et commendata episcopis Galliæ. De qua re vid. epistolas plures Nicolai I. in Act. Concilior., etc. ad ann. 862. et can. *Lotharius,* can. 31. q. 2. Ob copulam durante cum Lothario rege matrimonio habitam *N.* Patres loqui de copula ante matrimonium cum Lotharii fratre, supponunt et evincunt rationes ab iis allatæ pro matrimonio nullo et irrito declarando : qualis est, quæ ex Conc. Agathensi c. de *incestuosis conjunctionibus* petita, ubi tales *conjungi* prohibentur.

Denique ad vetus Pœnit. Rom. R. Illud loqui juxta normam disciplinæ veteris, ex qua hoc erat discriminis inter conjugem innocentem, et adulterantem, quod innocenti *post mortem* adulterantis liceret celebrare nuptias novas; non item adulteranti post mortem innocentis. Vi hujus disciplinæ ob graviora quædam crimina negatam fuisse facultatem ineundi matrimonii, palam est ex epist. 92. S. Leonis c. 12. atque ex ipso cit. Pœnitentiali Rom. ostendit Antonius Augustinus; et, quoad præsentem controversiam ob adulterii crimen, anno 791. Synodus Forojuliensis cap. 10. (Labb. t. 7. p. 1005. E.) *Placuit, ut resoluto, fornicationis causa, jugali vinculo,* quoad cohabitationem, ut probant sequentia, *non liceat viro, quamdiu adultera vivit aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera; sed nec adulteræ, quæ pœnas gravissimas vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.*

401. *Obj. V. Ex ratione.* 1°. Divortium in lege nova est subrogatum repudio legis Mosaicæ : sed hoc repudio dissolvebatur ipsum matrimonii vinculum; ergo. 2°. Lex Christi non cogit quempiam ad continentiam perpetuam; cum, teste Christo, non omnes capiant verbum hoc : sed si non lice-

ret viro, dimissa uxore adultera, ducere aliam, cogeretur ad perpetuam, illa vivente, continentiam; ergo. 3°. Adulterium tollit unitatem illam carnis, in qua sita est natura matrimonii, juxta illud Gen. 2. *erunt duo in carne una*; ergo.

Ad 1um. R. *D.* Est subrogatum quoad thorum et cohabitationem tantum *C.* quoad omnia, etiam quoad vinculum *N.* Repudio legis veteris subrogatum est divortium quoad solam separationem a thoro et cohabitatione, et quidem ut illa perpetua esse possit, ex sola fornicationis causa; quoad potestatem vero ducendi uxorem aliam, priore dimissa, abrogatum est a Christo repudium.

Ad 2um. R. 1°. *D. Maj.* Neminem cogit directe et per se *C.* indirecte, et per accidens *N.* Sic supposito voto castitatis, cogit lex Christi ad continentiam. Atque ita supposito matrimonio legitimo contracto et consummato, ex ordinatione Christi prorsus indissolubili cogitur conjux ad continentiam, si nolit cohabitare adulteranti. Hinc

R. 2°. *D. etiam min.* Cogeretur absolute ad continentiam perpetuam *N.* ex hypothesi, quod cum parte adultera libere nolit reconciliari, eique cohabitare *C.* Si enim nolit servare continentiam, potest se reconciliare cum parte adultera, eique condonare crimen; quod ut fiat, suadent SS. Patres ex S. Paulo.

Ad 3um. R. *N.* Essentiam matrimonii consistere in illa carnis unitate; hæc enim tantum proprietas est, et velut effectus fluens ex matrimonio jam constituto. Sed, ut diximus cap. 1. essentia matrimonii in facto esse consistit in illo vinculo perpetuo, quod ex consensu interno et pactione externa resultat. Deinde, permisso gratis, ex unitate illa matrimonium perfici; non tamen sequitur, solvi quoad vinculum.

402. *Obj. VI.* in specie cum Launoio. Saltem male dicitur, doctrinam de indissolubilitate matrimonialis vinculi in casu adulterii alterius conjugum esse dogma fidei definitum cit. can. 7. Tridentin. *Prob.* 1°. Quia canon solum Lutheranos ferit, qui erroris incusabant Ecclesiam, quod doceret, non posse dissolvi matrimonium, supposito licet adulterio; ergo. 2°. Ut refert Cardin. Pallavicinus Concilii historicus L. 22. cap. 4. Concilium canonem primo conceptum cum anathemate contra eos, qui dicerent dissolvi posse conjugale vinculum ex causa adulterii, postea ad petitionem Oratorum reipublicæ Venetæ in gratiam Græcorum reipublicæ subditorum immutavit ac temperavit, omissoque anathemate, canonem, qualis nunc extat, protulit; ergo Concilium non intendit definire hanc controversiam.

R. *N. Ant.* cum communi Theologorum, teste Tournelio, consensu. Ratio est, quia licet Concilium in canone sic reformato anathema non ferat aperte in Græcos, sed Lutheranos; declarat tamen, non errare Ecclesiam, cum ita doceat *juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam*; ac proinde affirmat, doctrinam suam et Ecclesiæ de indissolubilitate matrimonii ob adulterium esse doctrinam Evangelicam, consequenter caput fidei; quale haud dubie facit doctrina Evangelica. Deinde ex canone illo sic bene arguitur: Non errat Ecclesia, cum docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, non posse dissolvi matrimonium ex causa adulterii unius conjugum; ergo errat contra Evangelicam et Apostolicam doctrinam, qui asserit posse dissolvi. Consequen-

tia patet; non enim datur medium inter errorem et veritatem; sed dogma aliquod aut verum, aut falsum est. Unde

Ad prob. 1am. R. *N. Cons.* ob modo dicta.

Ad 2am. R. *D.* Immutavit canonem, quoad modum et sonum verborum tantum, ut inquit Pallavicinus cit. *C.* quoad rem et significationem *N.* Ita Pallavicinus ipse ibid. n. 30. reprehendens Suavem, qui scripserat, mutationem canonis *aeream, et utilitatis effectusque vacuam esse,* inquit, non solum discrimen inter utrumque canonem *est, quamvis subtilius, sed etiamsi non inesset, convenientius fuisset Reipublicæ satisfacere, ubi per eam merus sonus, non autem significatio variaretur.* Recte vero dixit subtilius esse discrimen inter utrumque canonem, quia licet in canone, qualis nunc extat, non dicat Synodus explicite doctrinam, quam tradit, esse fidei, hoc tamen verbis æquivalentibus sufficienter adstruit et docet.

ARTICULUS IV.

AN ET QUO JURE PROFESSIO RELIGIOSA DIRIMAT MATRIMONIUM RATUM, ETIAM QUOAD VINCULUM?

403. Non competere professioni religiosæ vim ejusmodi circa vinculum matrimonii, quod consummatum est, certum supponimus, et facile ex dictis art. præc. evincitur; tum inde, quod nunquam Ecclesia eam dissolutionem vel agnoverit, vel passa sit. Solum de rato hic quæritur. Negant Novatores ultimi vim talem inesse professioni religiosæ, dirimendi vinculum matrimonii rati; Catholici contra, tametsi eam omnes professioni religiosæ attribuant juxta Tridentini definitionem, et semper antea tribuerint, solum in assignanda radice vis illius dissentiunt. Hanc alii ex jure ecclesiastico derivant, sed antiquissimo ab Apostolorum temporibus introducto. Nomine vero professionis religiosæ ea solum venit professio, quæ in Religione approbata fit, quo etiam pertinet emitti solita a quorumdam Ordinum Militarium Equitibus, qui ex instituto suo cœlibatum et continentiam perfectam profitentur, et vere religiosi habentur, veluti Equites Melitenses, S. Mariæ Teutonicorum, etc. Secus autem de iis est, qui castitatem duntaxat conjugalem profitentur, ut Equites Alcantaræ, S. Jacobi, Mortesiæ, Calatravæ, etc. horum enim vota cum matrimonio compossibilia sunt, adeoque illud non solvunt.

404. *Dico I.* Matrimonium, quod est ratum tantum, per solemnem alterius conjugum in Religione approbata professionem, dirimitur quoad vinculum. Conclusio est de fide, et definita in Trid. Sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit Matrimonium ratum et non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Idem vero multo ante Tridentinum tempore declaravit Innocentius III. qui summum Pontificatum adiit anno 1198. et mortuus anno 1216. c. *Ex parte tua,* de convers. conjugat. tribuens relicto in seculo conjugi facultatem ad secunda vota transeundi. Et Alexander III. in seculo XII. c. *Ex publico,* et c. *Verum,* de convers. conjug. ubi et in priore hanc rationem affert, quod ante consum-

mationem conjuges nondum sint una caro; verba enim Scripturæ : *erunt duo in carne una,* quæ indissolubilem conjugalis vinculi firmitatem efficiunt, de solo matrimonio consummato debere intelligi.

Frustra excipiunt hæretici, ita successu temporis constitutum fuisse a Rom. Pontificibus in Monachorum gratiam. Nam 1°. Antiquissimam hanc praxin fuisse Ecclesiæ et ab Apostolorum prope temporibus acceptam, dabit conclusio sequens. 2°. Si obstitisset speciale jus divinum; nunquam ausi fuissent Pontifices id asserere; hæretici id aliquando laudatis Pontificibus vertissent crimini; opposuisset se aliquis ex tot sanctis, doctisque præsulibus, aut Synodus aliqua; sed nihil tale unquam contigit.

405. *Obj.* At S. Gregorius M. L. 9. epist 39. (al. L. 11. epist. 45.) sunt, inquit, qui *dicunt Religionis causa conjugia debere dissolvi* : verum *sciendum est, quia, etsi hoc lex humana concessit, divina lex tamen prohibuit.* Et Alexander III. c. *Præterea.* de conv. conjug. *Dicimus, quod, nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest et debet de monasterio revocari, in quo professionem emiserat;* ergo.

R. Uterque loquitur de matrimonio consummato. S. Gregorius enim, ut responsum suum probet, utitur illis verbis Gen. 2. *erunt duo in carne una;* additque hoc absurdum alioquin sequi : *unam eamdemque carnem ex parte transire ad continentiam, et ex parte remanere in pollutione* : atqui una caro sunt primum per consummationem. Alexander autem in c. *Verum* sequenti, loquens expresse de matrimonio *rato tantum,* contrarium asserit; ergo in priore, cum ibi ratum non exprimat, de consummato loqui censendus est. Adde, textum illum Alexandri sumptum esse ex Conc. Lateran. in Append. p. 5. c. 4. sub eod. Pontifice celebrato. Hic vero de matrimonio consummato sermo est, ut patet ex propositione facta Pontifici; an vir ingressus monasterium debeat *ad uxoris thorum* revocari; et responsione Pont. sub allata conditione ex ratione : *quod fuerint una caro effecti...*

406. *Dico II.* Vis dirimendi matrimonium ratum professioni religiosæ concessa, probabilius 1°. non ex jure naturali; 2°. nec divino; 3°. sed ex jure ecclesiastico, antiquissimo et ab Apostolorum temporibus introducto immediate descendit.

Prob. 1ª *p.* Quia vinculum professionis stare potest cum vinculo matrimonii, ut in eo patet, qui post consummationem matrimonii de uxoris consensu profitetur in Religione; nec tamen inter eos dirimitur conjugale vinculum; ergo professio religiosa non potest ex natura rei dirimere vinculum matrimonii ante ejus consummationem; non enim ex natura rei unum vinculum dirimit alterum, nisi ob incompossibilitatem, quam habet vinculum superveniens respectu alterius. Deinde ideo juxta adversarios professio religiosa jure naturæ dirimit matrimonium ratum, quia est mors spiritualis, vel civilis; proinde sicut mors naturalis jure naturali solvit vinculum carnale matrimonii consummati; ita mors civilis vinculum matrimonii rati; quæ ratio est Doctoris Angel. : atqui ratio hæc nihil evincit: 1°. Quia est tantum congrua, et ut talis allata a S. Thoma. 2°. Quia professio est mors quædam metaphorica; ergo non debet esse quoad omnia similis morti naturali, imo

in præcipuo effectu dissimilis est; stare enim potest cum matrimonio consummato, quocum tamen mors naturalis non stat, cum hæc solvat omnia. 3°. Quia professio est mors civilis jure tantum ecclesiastico; quatenus ab hoc professus redditur incapax dominii, matrimonii contrahendi et in ordine ad alios effectus civiles. 4°. Mors spiritualis dicitur; quia per eam repudium datur vitæ seculari; sed, non obstante hoc repudio, stat cum professione vinculum matrimonii consummati; ergo et rati stare potest, attenta præcise natura rei.

Prob. 2ª. *p.* 1°. *negative.* Quia ex nullo Scripturæ textu habetur, quod ea vis professioni ex jure divino insit. Quod si quis ad traditionem recurrat; equidem perpetuam in Ecclesia traditionem aliquam vel praxin agnoscimus in præsenti controversia; verum num jus illud traditum divinum sit, an ecclesiasticum in primis temporibus introductum, hoc illud ipsum est, quod quæritur; ecclesiasticum autem esse, evincent rationes sequentes, et

Prob. 2°. *positive.* Si professio religiosa vi juris divini dirimat matrimonium ratum; igitur vel quia est status perfectionis; vel propter emissum castitatis votum; vel propter solemnitatem: sed nullum ex his dici potest: *non primum;* nam etiam susceptio ordinis sacri suscipientem in statu perfectiore constituit; nec tamen ordini jure divino ea vis inest, solvendi matrimonium ratum. Idem est de votis simplicibus in Societate. *Non secundum;* alioquin enim omni voto castitatis ea vis ex jure divino competeret, quod falsum esse patet in conjugibus mutuo castitatem voventibus.

Nec dicas: votum emitti debere in religione approbata, quale non est illud conjugium. Nam 1°. vota simplicia Societatis sunt vota emissa in religione approbata, et vere religiosum efficiunt juxta Bullam Gregorii XIII. *Quanto fructuosius* anno 1582. Cal. Febr. et Bullam *Ascendente Domino* 1584. 8. Cal. Jun. et tamen ex jure neutro, h. e. nec naturali, nec divino, hanc vim obtinent. 2°. Quod religio una approbata sit, non alia, immediate ex solo jure ecclesiastico est. *Non tertium;* quia voti solemnitas est præcise juris ecclesiastici ex c. *Unico* de voto et voti redempt. ubi: *Nos igitur attendentes,* inquit Bonifacius VIII. *quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa;* ergo et solo jure ecclesiastico professio religiosa eam vim sortitur.

Prob. 3ª. *p.* 1°. Quia aliud jus nullum superest. 2°. Professio in religione approbata jure solum ecclesiastico dirimit matrimonium contrahendum; ergo etiam tantum ita dirimit matrimonium ratum. *Prob. Cons.* nam si jure divino positivo dirimeret matrimonium contractum; a fortiori eodem jure contrahendum dirimeret. Igitur maxime *probatur Ant.* ex c. *Unico* cit. ubi Pontifex tradit 1. votorum solemnitatem ex sola Ecclesiæ constitutione ortum habere; 2. matrimonium contrahendum per illud solum castitatis votum dirimi, quod fuerit solemnizatum per susceptionem sacri ordinis, vel professionem in religione a Sede Apostolica approbata; ergo tantum jure ecclesiastico. *Conf.* Quod olim professio religiosa non dirimeret matrimonium subsequens, ut constat can. *Si qua virgo.* 22., can. *Quotquot.* 24., et can. *Virgines.* 25. caus. 27. q. 1. ubi virginibus *sacris,* quæ post votum continentiæ nubunt, indicitur quidem pœna; non tamen separari jubentur; non autem nunc immutata professionis natura est; et quod nunc professio matrimonium contrahendum dirimat; hoc ei a jure ecclesiastico accessit.

Jus vero hoc antiquissimum esse, nec posterioribus seculis primum invectum a Pontificibus in Monachorum gratiam, ut criminantur hæretici, probatur a praxi Ecclesiæ etiam eorum seculorum, quibus fides et Ecclesia, ipsorummet hæreticorum suffragio, incorrupta floruit. Sic igitur de S. Thecla S. Pauli discipula refert S. Epiphan. hær. 78. (opp. t. 1. p. 1048. C.) quod in Paulum cum incidisset, *pactas nuptias dissolverit... terrena illa contempserit, ut cœlestium compos esse posset,* scilicet continentiam profitendo pro ratione illius temporis. Idem allegat S. Ambros. L. 2. de Virgin. c. 3. (opp. t. 2. p. 167. A.) *Thecla copulam fugiens nuptialem... naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.* Imo Faustus ipse Manichæus illud Theclæ facinus protulit apud Aug. L. 30. cont. Faust. c. 4. dicens : *Paulus Theclam oppignoratam jam thalamo in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendit* : tam notum erat hoc omnibus : nec contradixit Aug. sed inde contra Manichæos inferebat tantum, virginitatem præferri nuptiis. Simile Augustinus memorat de duobus militibus L. 8. Conf. c. 6. ; de virgine Gregoria S. Gregor. M. L. 3. Dial. c. 4. eam *constitutis jam nuptiis* in Ecclesiam fugisse, et sanctimonialis vitæ conversationem cum quæreret, sponsum meruisse in cœlis, quod sponsum fugisset in terra ; de Leobardo, quod *rupto nuptiali fœdere* factus monachus, Gregor. Turonensis L. de vitis Patrum c. ult. Plura referunt alii.

Nec dicant hæretici 1°. Eos deserendo sponsas, et similiter has deserendo sponsos, non ideo laudabiliter egisse. 2°. Nondum inde sequi, quod probandum maxime, per transitum ad cœlibatum, vel vitam monasticam solutum fuisse tunc in Ecclesia vinculum matrimonii rati, ut relicto in seculo conjugi liceret transire ad novas nuptias. 3°. Videntur tantum fuisse sponsalia de futuro. Nam contra 1um. est, quod ideo laudentur a cit. SS. Patribus. Contra 2um. quod utantur verbis solutionem vinculi exprimentibus : *pactas nuptias dissolvit : rupto nuptiali fœdere, etc.* ; ergo relictus factus est liber, ut ante fuerat. Contra 3um. quod iidem modi loquendi non patiantur explicationem hanc : *pactæ nuptiæ ; copulam fugiens nuptialem ; oppignorata jam thalamo,* etc. Atque hæc in hæreticorum gratiam maxime. Nunc

407. *Obj. cum aliis.* 1°. SS. Canones vim hanc professioni religiosæ non addunt, sed ei jam aliunde competere supponunt, sive non condunt jus novum, sed constitutum declarant, veluti can. *Desponsatam* caus. 27. q. 2. ergo est divinum. 2°. Ipsemet Alexander III. c. *Ex publico* cit. hanc professionis vim derivat *ex sacri interpretatione eloquii ;* ergo. 3°. Tam matrimonium ratum, quam consummatum insolubilitatem habet a jure divino Matth. 19. ; ergo nisi potestas solvendi matrimonium ratum sit concessa S. Pontifici, neutrum poterit dissolvere : atqui ex Scriptura non constat ipsi potestatem hanc concessam fuisse. 4°. Innocentius III. c. *Ex parte* cit. in concl. inquit : matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contractum, illis viventibus in nullo casu posse dissolvi ; nisi forte secus fieret *ex revelatione divina, quæ superat omnem legem,* sicut a quibusdam Sanctis legitur esse factum.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Quia jus illud, quod canones dicuntur supponere, potest esse ecclesiasticum, licet non scriptum in decreto aliquo, sed tan-

tum traditum et praxi introductum Ecclesiæ ; ergo non sequitur necessario esse divinum.

Ad 2um. R. *N. Cons.* Verba enim : *ex sacri interpretatione eloquii*, ut legenti patet, matrimonium consummatum respiciunt, ut sensus sit, juxta sacrum eloquium illa insolubilitas, qua Matth. 19. dicitur matrimonium nullo casu præter causam fornicationis dissolvi posse, de matrimonio consummato intelligenda est.

Ad 3um. R. *D. Ant.* Habent eamdem insolubilitatem a jure divino *N.* diversam *C.* Etiam matrimonium ratum suam insolubilitatem a jure divino habet, non tamen absolutam ut consummatum, sed conditionatam, nisi dissolutionem illius gravis causa suadeat. Potest igitur Pontifex habita sufficienti causa ex universali potestate sua illud solvere ; ex hac enim potest omnia, quæ ad promovendum cultum divinum, et animarum bonum vel sunt necessaria, vel, ut religiosa professio, admodum conducentia; nisi ubi forte ea potestas a jure divino specialiter restricta fuit, velut quoad dissolutionem matrimonii consummati.

Ad 4um. R. *D. Ant.* Dicit hoc assertive *N.* velut per modum objectionis aut dubitationis *C.* Inquit enim : *etsi possit non inconsulte videri, matrimonium inter legitimas personas*, etc. quorum sensus est : etsi videri ita possit, quod matrimonium tale nullo casu nisi revelationis divinæ solvi possit; quæ non sunt assertio et decisio Pontificis : sed deinde assertive et decisive loquitur : *Nos tamen nolentes a Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare*, qui responderunt licere.

ARTICULUS V.

UTRUM SUMMUS PONTIFEX DISPENSARE POSSIT IN MATRIMONIO RATO ?

408. *Dico.* Potest summus Pontifex, dum gravis causa exigit, dispensare in matrimonio rato. Ita quidem Canonistæ omnes, ad summum uno alterove excepto, et plurimi hodie Theologi.

Prob. I. Certum est, per professionem religiosam solvi matrimonium ratum; ergo etiam solvi potest dispensatione Pontificis. *Prob. Cons.* Quia professionem religiosam habere hanc vim ex solo jure ecclesiastico longe probabilius est, cum nulla efficax ratio contra afferri possit ab adversariis, ut patet ex responsionibus ad fundamenta eorum art. præc. ergo et dispensare potest Pontifex in matrimonio rato : quod enim potest Pontifex ex potestate a Deo accepta per legem universalem, etiam per sententiam ex justa causa, sive dispensationem haud dubie poterit. *Conf.* Potestas generalis a Christo concessa Pontifici non debet restringi, nisi ubi eam jus divinum restringat; sed debet extendi, quantum potest, et exigit recta Ecclesiæ gubernatio, ac animarum bonum; ergo et ad dissolutionem matrimonii rati gravi ex causa, sicut ad dispensationem in votis.

Prob. II. Ex factis Pontificum, qui dispensarunt. Nam de Martino V., Eugenio IV. testatur S. Anton. 3. p. c. 21. De Julio III., Paulo III., Pio IV., Navarrus in Man. c. 22. De Gregorio XIII. Cardin. Caraffa in libris S. Congreg. Conc., in quibus plura Pontificum posteriorum Sixti V., Clementis VIII.,

Pauli V., Urbani VIII. exempla referuntur; hos vero omnes in re tam gravi temere egisse ac esse hallucinatos asserere summe temerarium est.

Prob. III. Ex Auctorit. Ita tenendum esse declaravit die 16. Jul. 1599. Congregatio particularis, teste Pignat. tom. 1. Cons. 148. deputata a Clemente VII. cui interfuerunt Cardinales Asculanus, Burghesius, Blanchetus, Mantica, Vicecomes, Bellarmin. etc., Auditores Rotæ, selectique Canonistæ et Theologi. Idem censuit sæpissime, teste Pignat. cit. S. Congr. Concil. in una Carpentoratensi 25. Jan. 1608., in Seguntina 17. Septemb. 1609., Ferrariensi 20. Maii 1613., Augustana 16. Maii 1616. Adde decisiones Rotæ cit. ab eodem.

409. *Obj. I.* At Alexander III. in append. Concil. Lateran. p. VII. c. 8. ac relatus c. *Licet,* de Spons. duor., Innoc. III. c. *Ex parte,* de conv. conj., Nicol. I. can. *Hi, qui Matrimonium,* caus. 32. q. 7. hanc potestatem in se nec agnoverunt, nec admiserunt; ergo. Ita P. Billuart.

Conf. 1. Pontifices a nobis relati secuti sunt sententiam, quam reputabant probabiliorem; sed ex Pontificum facto non necessario statuitur jus certum, seu ut dicit Dominicus Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 4. *factum Pontificium non facit articulum fidei.* Sic enim et ipse Alexand. III. loc. cit. c. 8. 17. 18. ait, nonnullos ex suis prædecessoribus censuisse matrimonium ratum dirimi per subsequens consummatum, cujus ipse contrarium resolvit; non enim dicuntur infallibiles Pontifices, nisi dum loquuntur ex Cathedra proponendo aliquod dogma toti Ecclesiæ credendum.

Conf. 2. Ante Martinum V. qui obiit an. 1431. non legitur ullum Pontificem id attentasse; ergo signum est, quod hanc potestatem in se non agnoverint. Quibus addi potest, quod Innocent. VIII. cum supplicaretur ipsi pro matrimonii nondum consummati dispensatione, responderit, se id non posse.

R. *N. Ant.* Quæsitum enim fuerat ab Alexandro simpliciter, liceretne post contractum et nondum consummatum matrimonium uxori nubere alii? sique nupsisset, jamque esset cognita; an nihilominus separanda, et reddenda marito priori? Respondit Pontifex *non licere*, et merito; neque enim hoc *sine gravi causa, et præterea dispensatione Pontificis* unquam licuit; esto enim, valuisse olim ex more particularium quarumdam Ecclesiarum matrimonium secundum, si esset consummatum; non ideo tamen licitum fuit. Quod vero Pontifex potestatem non habeat, si gravis causa exigat, dispensandi, ne verbulo exprimit. Ad Innocentium III. R. ut art. præc. ad obj. 4. Nicolaus I. can. cit. de matrimonio consummato intelligendus est, eò quod censeatur matrimonium ordinarie consummari.

Ad Conf. 1am. R. 1°. Ergo fatentibus adversariis, tot Pontificum testimonio, sententia nostra probabilior est; utrum vero privatus quis opinionem suam oppositam nihilominus contra tot altiora judicia recte probabiliorem appellet, qui volet, facile æstimabit; præsertim cum Pontifices præstantissimorum virorum adhiberent consilia.

R. 2°. Nos per relata Pontificum facta non intendere sententiæ nostræ conciliare certitudinem fidei, ex hac ipsa ratione, quod nunquam SS. Pontifices hanc potestatem suam proposuerint ceu dogma aliquod toti Ecclesiæ credendum; unde dicta illa nos non stringunt; sed hoc duntaxat exiginus,

et jure : sententiæ nostræ saltem multo majorem probabilitatem competere; cum SS. Patres in re tanti momenti simile quid non attentassent; nisi hanc potestatem sibi, si non certo, saltem probabilissime competere cognovissent; tum ideo, quod ita non unus duntaxat Pontifex, sed plures; nec inconsulto, sed adhibitis semper doctissimis viris judicarint; atque ita sæpissime et uniformiter censuerit S. Congr. Conc., etc. Tot vero Pontifices post tot consultationes Doctorum, etc. tamen non attigisse, quid juris ipsis competeret asserere, nobis videtur, ut phrasi mansueta utar, plus æquo dictum esse. Adde, quod adversarii nullum Pontificem assignare possint, qui clare negasset, hanc sibi potestatem competere, sed exempla aliorum, quale ad summum est illud Nicolai I., mere negativa sunt; igitur tot Pontificum in matrimonio rato dispensantium haud dubie incomparabiliter plus valere debent; sicut, ut inquit P. Pichler hic, regulariter duo testes pro affirmativa deponentes plus probant, quam 100. mere negativa.

Ad Conf. 2am. R. *N. Ant.* Nam S. Gregorium VII. qui tribus integris seculis, et ultra dimidium vixit ante Martinum V. dispensasse in matrimonio rato, testatur Baronius ad an. 1074. Ad illud quod additur de Innocentio VIII.

R. 1°. Nihil tale ullibi authentice reperiri; solum ita refertur ab Abb. in c. *Ex publico;* unde supposita veritate facti.

R. 2°. *D.* Dixit se non posse ex defectu potestatis suæ, dum gravis causa exigit *N.* ex defectu sufficientis causæ *C.* Nam facere id solum posse dicimur, quod a nobis fieri juste, honesteque potest.

410. *Obj. II.* Matth. 19. generaliter dicitur : *quod Deus conjunxit, homo non separet;* ergo.

R. *D. Ant.* Homo qua homo præcise, sive potestate pure humana *C.* ut Vicarius Christi potestate ab eo, sicque divinitus accepta *N.* Sic vero matrimonium potius a Deo per hominem solvitur; veluti fit, dum summus Pontifex dispensat in votis.

Nec inde inferas : ergo et pariter in matrimonio consummato dispensare poterit.

R. *N. illatum.* Hanc enim potestatem non esse concessam Pontifici, vel Ecclesiæ, constat ex hujus praxi; quia nunquam hanc potestatem in se agnovit; licet urgentes sæpe causæ suadere potuissent hanc dispensationem in consummato. Et ratio est, quia per solam consummationem fiunt vere una caro conjuges, quæ dividi amplius non potest, et solum matrimonium consummatum significat perfecte insolubilem unionem Christi cum Ecclesia; non ratum. Item de consummato esse intelligendum illud Matth. 19. *erunt duo in carne una,* tradit Alexander III. c. *Ex publico,* de conv. conj. et alii.

411. *Obj. III.* Si summus Pontifex dispensare posset in matrimonio rato fidelium; etiam in eodem respectu infidelium sibi subditorum possent gentiles principes; quia circa contractus, cujusmodi est matrimonium infidelium ante consummationem, non minus possunt, quam Pontifex circa contractus fidelium.

R. *N. parit.* Nam principes gentiles in subditos suos aliam potestatem non

habent, quam mere humanam; dum vero Pontifex dispensat in matrimonio rato, potestate non humana, sed divina utitur a Christo concessa.

412. *Obj. IV.* S. Pontifex nequit dispensare in jure naturali et divino, ex communi sententia : atqui etiam matrimonium ratum jure divino et naturali insolubile est.

Conf. Matrimonium ratum est vere sacramentum, et hujus essentia est, ut sit perpetuum et insolubile : sed Pontifex non obstante sua generali potestate mutare essentiam sacramenti non potest ; ergo.

R. *C. Maj. D. min.* Est insolubile jure divino et naturali absolute et pro omni casu *N.* non absolute, nec pro omni casu *C.* Diximus supra art. præc. quod jure divino habeat insolubilitatem non absolutam , sed conditionatam ; nisi dissolutionem ejus justa causa suadeat ; ex hac vero posse illud potestate a Christo accepta Pontificem solvere, hactenus probavimus. Jus vero naturale pro hoc casu, pro quo Christus facultatem dabit, nunquam dissolutionem prohibuit; sive casus hic nunquam fuit objectum vel materia legis naturalis prohibentis. Deinde retorqueo in votis, in quibus dicitur dispensare Pontifex, licet obligatio voti juris divini et naturalis sit.

Ad Conf. R. *N. suppos. min.* Pontifex enim tunc non mutat essentiam sacramenti ; sed tantum tollit vinculum, quod est effectus , non sacramentum ; effectus vero non est necessario inauferibilis, vel inamissibilis. Respondent etiam alii, Pontificem directe irritare contractum, scilicet ut in vinculo perseverantem, quo sublato ratio sacramenti in illo fundata, indirecte definit. Deinde quod additur in *Majore,* essentiam sacramenti esse, ut sit perpetuum et insolubile, *N.* simpliciter in matrimonio rato tantum ; quia alias nec ob professionem religiosam solvi hoc matrimonium posset. Et ratio est, quia deest perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia insolubilis; cum matrimonium ratum solum significet conjunctionem Christi per charitatem cum anima justi, quæ conjunctio solvi potest.

413. *Obj. V.* Matrimonium ratum juxta communem differt a consummato solum accidentaliter , non essentialiter ; ergo vel in utroque poterit dispensare Pontifex , vel in neutro poterit : atqui falsum consequens quoad primam partem.

R. 1°. Si argumentum hoc aliquid probaret, sequeretur, neque per professionem religiosam dissolvi matrimonium ratum.

R. 2°. *N. seq.* Quia solubilitas non provenit ex natura rei, sed ex sola voluntate Christi.

R. 3°. *D. Maj.* Differt tamen sicut integraliter imperfectum a sic perfecto *C.* neque sic differt *N.* Illa autem integrali perfectione per consummationem significat perfecte unionem Christi cum Ecclesia perpetuam; non vero sine consummatione.

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

414. Impedimenti nomine aliquid præexistens indicatur, quod matrimonium aut invalidum, aut illicitum reddit. Impedimenta hæc duplicis sunt generis: *Dirimentia*, quæ, ne matrimonium *valide* contrahatur, faciunt. *Impedientia* tantum, quæ etiam prohibentia dicuntur, quæ matrimonium quidem *illicitum* reddunt, non tamen invalidum. Nos hac in materia, quæ plurimam partem tum Theologiæ moralis, tum juris canonici forum respicit, eas quæstiones delibabimus, quæ fori Theologiæ scholastico-dogmaticæ magis propriæ sunt; proinde inquiremus 1°. penes quem sit potestas statuendi impedimenta matrimonii? 2°. Utrum hæretici nostri teneantur etiamnum impedimentis introductis solo jure ecclesiastico? Tum demum 3°. brevem, quantum huc pertinet, impedimentorum syllogen addituri.

ARTICULUS I.

PENES QUEM SIT POTESTAS STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII?

415. Nullis legibus ecclesiasticis impediri posse matrimonia pertinaciter Luthero visum est; contra Catholici post Conc. Tridentini Sess. 24. can. 4. definitivam sententiam, nunc omnes hanc potestatem reverentur in Ecclesia; tametsi ante Tridentinum non pauci dubitarint, sitne hominum ulli ea potestas a Christo concessa? Imo ex ipsis laudati Concilii Patribus 40. omnino Episcopi, aliique Doctores fuere, qui initio putarent, non esse hanc potestatem in Ecclesia; eo quod, ut ipsis videbatur, Ecclesia quoad sacramentorum materiam ac formam immutare quid æque parum posset, quam sacramenta aut nova concedere, aut tollere antiqua.

Post Tridentinum Doctores catholici in eo duntaxat discrepant, penes quem in Ecclesia ea potestas resideat? An privative penes magistratum ecclesiasticum, et quisnam eo nomine intelligi debeat? An etiam penes principes seculares, saltem quoad jus, quod ipsis innatum dicitur, valorem contractuum certis legibus definiendi; tametsi hoc jure suo cesserint sponte quoad matrimonii contractum, juris illius exercitium committentes Ecclesiæ; quæ est Petri Soto sententia, quem sequitur Honorat. Tournely, ac quidam alii Doctores Galli. Contra soli Pontifici, ac Ecclesiæ sive Concilio universali potestatem hanc convenisse semper, et esse propriam, Bellarminus et Vasquez contendunt, quibuscum sentit communior Theologorum et Canonistarum pars. Has inter duas sententias plane singularis est illa Launoii Doctoris Sorbonici opinio, qui Lib. de regia in matrimonium potestate, ut potestatem hanc principibus secularibus vindicaret, neve offendere

videretur in canonem Conc. Trid. sub anathematis pœna hanc potestatem Ecclesiæ adstruenti, Ecclesiæ nomine contendit debere intelligi cœtum fidelium, non quidem quatenus Pontificem et ordinem sacerdotalem complectitur, sed prout constat ex regibus et magistratibus politicis, Lib. cit. pag. 293. At tam insolens Launoii assertum, de quo nos pauca inferius, continuo multis confutarunt insignes duo alii Doctores Sorbonici, alter Lib. *Traité du pouvoir de l'Eglise et des Princes sur les empêchements du Mariage*. Paris. 1697. invicte demonstrans adductis quovis ex seculo testimoniis, Ecclesiam nequaquam precario, sed proprio ac nativo jure hac potestate usam in statuendis impedimentis dirimentibus. Alter Lib. Observationes in librum magistri Joannis Launoii de regia in matrimonium potestate anno 1678. malam Launoii fidem demonstrans in depravandis, ac interpolandis textibus; expilatumque ab eo fuisse totum prope Antonium de Dominis, dictum alias vulgo, Spalatentem.

Nos Bellarminum et Vasquez secuturi 1°. contra Lutherum potestatem adstruemus in Ecclesia statuendi impedimenta matrimonii dirimentia. 2°. Eam non promiscue aliis in Ecclesia; sed soli S. Pontifici, ac Ecclesiæ sive Concilio universali competere.

416. *Dico I.* Datur in Ecclesia potestas statuendi impedimenta matrimonii, non tantum impedientia, sed etiam dirimentia. Est de fide, juxta Trident. de Ref. Matr. Sess. 24. can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse, anathema sit.*

Et ratio est, quod hæc potestas sit Ecclesiæ necessaria ad commune regimen, et bonum animarum, cum sine hac sufficienter suis providere non posset, eo quod multi perverso modo se gerant in contrahendo in periculum proprium æque ac sæpe prolium. Sic disparitas cultus, quæ tempore Apostolorum nec illicitum nec invalidum reddebat matrimonium, quod tunc plerumque spes esset ob frequentes conversiones fore, ut pars fidelis converteret infidelem; postea tamen ab Ecclesia ceu impedimentum dirimens declarata fuit, quod tunc, cum rariores conversiones essent, experientia doceret contrarium, partem fidelem una cum prolibus perverti. Sic impedimentum criminis inductum fuit ad tollenda conjugicidia, etc.

Conf. 1. Matrimonium in contractu legitimo et valido consistit; potestatis legislativæ autem Ecclesiæ est æque hunc, quam varios alios regulare contractus, in quantum exigit commune et spirituale animarum bonum dare leges et conditiones, sub quibus non aliter valeat.

Conf. 2. A traditione et praxi totius Ecclesiæ, quæ ex Conciliis et Epistolis decretalibus cognosci potest; et de qua longior infra sermo erit.

417. *Obj.* A nulla potestate mutari potest alicujus sacramenti substantia, ut docet Tridentin.: atqui si constitui possent ab Ecclesia impedimenta matrimonii dirimentia, mutari posset substantia sacramenti matrimonii; his enim statutis contractus, qui antea erat materia sacramenti matrimonii, desineret esse materia; surrogaretur enim nova, quia novus contractus.

R. *N. min. et prob.* Ratio est, quia pro materia hujus sacramenti Christus

assignavit sub ratione generica contractum legitimum, h. e. initum juxta leges; quis vero esset contractus ille legitimus, Christus in specie non determinavit, sed potestati legislativæ reliquit, sive arbitrio Ecclesiæ: unde dum Ecclesia ad boni communis exigentiam contractui suas leges dat, hic erit legitimus; ergo ipsam materiam non mutat, quia manebit semper: contractus legitimus est materia sacramenti matrimonii. Quod cum in Synodo Tridentina ita, allatis etiam exemplis, exposuisset Camillus Campegius; Patres Tridentinos in ejus ivisse sententiam, atque approbasse refert Pallavicinus.

418. *Dico II.* Nec Episcopis, nec aliis Prælatis inferioribus competit potestas inducendi impedimenta saltem dirimentia.

Colligitur ex c. 1. et 2. de translat. Episc. vi quorum majores causæ, cujusmodi haud dubie matrimoniales sunt, ubi de valore agitur, quæque sacramenta spectant, summo Pontifici reservatæ manent; item ex praxi ipsa. Præterea in iis, quæ ad sacramenta pertinent, quantum fieri potest, debet esse in tota Ecclesia uniformitas; ergo illa statuere potestatis tantum universalis esse debet. *Nec dicas*: Impedimenta quædam etiam dirimentia olim ab Episcopis et Conciliis provincialibus introducta sunt, ut testis est Pontius L. 2. de Matrim. c. 2. nam fatetur idem, ex impedimentis Episcoporum et Conciliorum provincialium auctoritate introductis quædam a Sede Apostolica rejecta et explosa fuisse, quædam vero ejusdem Sedis auctoritate, vel accedente ratificatione approbata, sicque constituta fuisse; quo modo impedimenta dirimentia induci posse ab Episcopis, nemo in dubium vocat.

Dixi: *saltem dirimentia.* Nam quoad impedientia, quin ea statuendi potestas competat Episcopis, nobis quidem cum Clericat. de Sacr. Matrim. Decis. 18. aliisque non videtur dubium. 1°. Quia prohibitio præcise matrimonii citra ejus irritationem non videtur esse una ex causis majoribus. 2°. Quia quilibet Superior potest sæpe ex emergente justa causa prohibendo illicitum reddere, quod erat licitum. 3°. Quia Ecclesiæ vetitum inter impedimenta impedientia refertur; licere autem Episcopis respectu diœcesis suæ, imo prælatis aliis, si in certi territorii clerum et populum jurisdictionem quasi episcopalem obtineant, aliquibus justa de causa interdicere matrimonio, communis est auctorum consensio apud Schmalzgr. ad Tit. de Interdicto.

419. *Dico III.* Nec princeps secularis, etiamsi potestate absoluta ferendi leges gaudeat, statuere potest impedimenta matrimonii subditis suis fidelibus; sed potestas ea soli Ecclesiæ competit, adeoque Romano Pontifici, ac Concilio universali.

Prob. I. Ex Conc. Trid. quod cit. Sess. 14. can. 4. hanc potestatem Ecclesiæ asserit sub pœna anathematis, nihil prorsus memorando de principibus secularibus; ergo, cum definitio illa Tridentini in re dogmatica sit, propositioni exclusivæ æquivalet, ut sensus sit, soli potestati ecclesiasticæ hoc jus competere; sicut dum inquit Conc. Sess. 14. can. 15. *Claves datas esse Ecclesiæ*; Sess. 25. in Decr. de Indulg. *potestatem conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessam esse,* sensus est exclusivus, ut excludatur quævis

potestas alia, etiam regia. *Conf.* Ex ejusd. Sess. can. 12. ubi : *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Unde ita arguimus : plus est contrahendis inter fideles matrimoniis leges ponere, et statuere impedimenta, quam de matrimonialibus causis, quæ inter fideles oriuntur, cognoscere : atqui potestas secularis de his cognoscere non potest juxta Trid. ergo multo minus impedimenta statuere, cum recepta sit regula : *cujus quis in aliqua materia non sortitur forum, ejus etiam legibus non ligatur.* c. fin. de Constit. in 6. L. fin. ff. de Jurisd.

Respondet Launoius 1°. In Tridentino can. 4. non statui dogma, sed disciplinam invehi. 2°. Per Ecclesiam summos principes politicos ac reges intelligi. Sed contra *primum* est, quod in canone duo distingui oporteat, nempe impedimenta ipsa, et potestatem impedimenta decernendi : illa ad disciplinam pertinent, si juris solius ecclesiastici sint, cum, ut exigente causa statuta sunt, sic tolli possint, ut factum nemo ignorat : hæc vero, sive potestas ipsa ad doctrinam, sive dogma fidei pertinet, cum definitio ea Lutheri errori sub pœna anathematis in canonibus, in quibus a Tridentino non nisi dogmata continentur, sit directe opposita.

Contra *alterum* est 1°. vulgatissima illa Ecclesiæ notio, quæ omnium omnino orthodoxorum animis adeo alte insidet, ut vel pueri, qui prima elementa fidei perceperunt, dum audiunt Ecclesiam, intelligant cœtum fidelium sub legitimis pastoribus congregatum, nimirum spiritualibus, ad quem cœtum non aliter pertinent seculares principes, quam privata membra : sic dum audimus *legem esse latam ab Ecclesia ; ita definivisse Ecclesiam,* etc. nemo orthodoxus seculares principes intelligit, sed summum magistratum ecclesiasticum. 2°. Quod S. Scriptura voce *Ecclesiæ* nunquam seculares principes ; sed fideles omnes tam plebeios, quam alios cum sacris suis præsulibus, sive pastoribus intelligat : erat Petrus in carcere, et *Ecclesiam* pro eo preces effudisse legimus, numquid tum principes effuderunt ? Columna dicitur ab Apostolo et firmamentum veritatis ; sed qui principes seculares ante Constantini M. conversionem fulciebant Ecclesiam ? Ab eodem Apostolo sponsa Christi appellatur *sine macula et ruga* ; an hic politici principes indicantur ? 3°. Vox *Ecclesiæ* can. cit. a Patribus Tridentinis sumitur eo sensu, quo sumebatur a Luthero, hunc enim ibi damnant : at Lutherus negans Ecclesiam posse condere impedimenta, pastores sacros, maxime Rom. Pontificem intellexit serm. de Matrim. inquiens : *duodeviginti causas in suo jure effinxit Papa, quibus matrimonium vel dissipet, vel impediat, quas tamen ferme omnes rejicio et condemno,* etc. non vero seculares principes ; cum enim Luthero matrimonium non nisi contractus civilis esset, hic necessaria sequela ex Luthero subditus manebat legibus civilibus principum, sicut sunt semper contractus civiles cæteri.

Prob. II. Ex Traditione Ecclesiæ perpetua. Nam tribus prioribus Ecclesiæ seculis Ecclesiam quædam statuisse impedimenta, testis est Basilius in epist. ad Diodorum (opp. t. 3. p. 249. C.) de viduo, qui sororem mortuæ suæ conjugis duxerat, inquiens, eum contra *sanctiones* egisse *a sanctis viris traditas ;* impedimentum autem affinitatis, licet permittatur, quod hæc in linea recta ascendentium et descendentium in gradu primo dirimat jure naturæ matrimonium ; in linea tamen obliqua solo jure ecclesiastico. In seculo IV. Conc. Eliberitanum anno 305. conjugia cum infidelibus, cum sorore uxoris iniri non

posse statuit can. 15. 16. et aliis (Labb. t. 1. p. 972.) Item Siricius Papa epist. ad Himmerium c. 4. (Labb. t. 2. p. 1019. A.) refert impedimentum publicæ honestatis tanquam inductum a prælatis Ecclesiasticis. In seculo VI. jus hoc fuisse penes Ecclesiam evincitur ex Synodo Aurelianensi II. anno 533., Agathensi anno 506. can. 61., dum decernit diversos consanguinitatis et affinitatis gradus dirimentes matrimonium. In seculo VII. et VIII. Ecclesiam præscripsisse leges, quibus nuptiæ quædam fierent irritæ, liquet ex Gregorio M. qui ineunte seculo VII. respondens quoad gradus consanguinitatis Augustino Cantuariæ Episcopo : *necesse est*, inquit (opp. t. 3. p. 1154. B.) *ut jam tertia, aut quarta generatio decenter sibi jungi debeat*; permittens Anglis in tertio et quarto gradu consanguinitatis conjugium, prohibens in secundo. Ex Zacharia Papa, quo præside habita anno 747. Rom. Synodus, qua revocata fuit venia post quartum gradum nubendi Germanis recenter conversis concessa a Gregorio II. Pro seculo XII. XIII. testis est Alexander Papa II. in epist. 38. ad Episcopos, clerum, et judices Italiæ. Concilium Lateranense sub Innocentio III. anno 1215. in quo consanguinitas coarctata ad quartum gradum fuit. In quatuor vero seculis, quæ Synodum Tridentinam præcesserunt, Ecclesiam, nemine contradicente, hanc exercuisse potestatem, nemo diffiteri potest ; nullum enim ferme extat impedimentum, quod aut in Decreto Gratiani, aut Gregorii IX. Decretalibus non legatur. Item tunc ex toto christiano orbe ad Ecclesiam confluxisse non modo plebeios, sed et principes, ut obtenta dispensatione liceret intra gradus prohibitos inire conjugia, omnis ferme testatur historia.

Ex his facile corruit, quod alias nonnulli respondent : 1°. Ecclesiam sibi jus illud usurpare cœpisse seculo IX. quo prodierunt epistolæ Decretales falso attributæ prioribus summis Pontificibus, ubique vero receptam fuisse praxin illam circa seculum XI. et XII. quibus Burchardus, Ivo Carnotensis, et Gratianus eas Decretales suis collectionibus inseruere. Nam, ut ex allatis liquet, non tantum ex Gregorio II., Gregorio M., sed etiam antiquissimis Conciliis multo ante seculum IX. varias de matrimoniis contrahendis leges Ecclesia sanciverat. Deinde cum Decretales illæ prodirent in lucem, suppositionem earum advertit Hincmarus Rhemensis, multique alii, qui de judicandis Episcopis egerunt cum Nicolao I. nemo tamen uti ausus argumento eo, quod illæ Decretales contra antiquam Ecclesiæ praxin, ut loquuntur adversarii, adstruerent Ecclesiæ potestatem impedimenta statuendi. Imo nec ullus principum, de quorum tamen jure agebatur ex supposito, ac quorum proinde maximi intererat ea novitas, oblocutus aliquando deprehenditur. Igitur

Respondent alii 2°. Ecclesiam equidem statuisse jam antiquissimis temporibus impedimenta varia, non tamen ex nativo ac proprio sibi jure, sed mera concessione principum. Verum contra est 1°. quod nulla prorsus assignari possit imperialis constitutio, qua potestas ea fuisset a principibus translata in Ecclesiam, nullus nominari princeps, qui concessisset. 2°. Quod Ecclesia hac potestate usa sit contra principes et constitutiones imperatorias. Nam cum Justinianus legem tulisset, ut licita essent inter consobrinos matrimonia §. *Duorum*, Inst. de Nupt. et cui similem legem jam ante ediderat Honorius, S. Gregorius Papa legem Honorii et Justiniani aperte reprehendit, et contra statuit in rescripto ad Augustinum Anglorum episcopum,

inter consobrinos matrimonia esse censenda illicita; et hæc Pontificis lex, non autem illa Cæsaris in Ecclesia robur obtinuit. Can. *Quædam lex,* caus. 35. q. 2. 3°. Si ex mera indulgentia principum potestatem hanc exercuisset Ecclesia, principes, ut intra gradus prohibitos celebrarent nuptias, non ita humiliter se latis ab Ecclesia legibus subjecissent, ita ut inviti etiam quandoque separationem paterentur, si celebrassent contra canones, quis enim credat maximos principes ita facile adduci potuisse, ut humiliter nuptiarum veniam peterent, velut eos fecisse patebit ex probat. 3. tam modeste ferrent comminationes Pontificum, nisi a prohibitis nuptiis abstinerent, aut plane separationem paterentur inviti, si Ecclesia hac potestate jure non alio usa fuisset, quam quod ipsi principes concessissent, quodque revocare potuissent pro libitu? Hinc alii

Respondent 3°. Ecclesiam sibi sensim arrogasse potestatem hanc, ac proinde vix fieri potuisse, ut arrogato huic juri contradicerent. At contra est 1°. quod, ex dictis probat. 1. Ecclesia ab Apostolorum temporibus hoc jure usa sit; ergo non sensim illud involavit. Quin Apostolus 1. Cor. 7. conjugium fidelis cum infideli ipse judicavit, quin ad ullum principem hanc causam remitteret; et Christus Matth. 6. et 19. sic libellum repudii sustulit. Contra 2°. quod ab adversariis hactenus proferri non potuerit, qui primus hoc jus invasisset. Contra 3°. quod hæc responsio nullam veri speciem præferat; 1. quia jus illud clanculum usurpari non potuit; sed ferendæ erant leges, ut in usum redderetur; dandæ dispensationes, quibus nuptiarum prohibitarum non plebeiis solum, sed ipsis etiam principibus fieret indulgentia; 2. quia non est credibile, omnes orbis christiani principes simul et semel consensisse in usurpationem juris sibi alias debiti; omnes omnino ita semper siluisse, ut ne unus quidem contradiceret, in re, quæ tanti ipsorummet intererat; cum alioquin de investituris aliisque juribus, quæ principes concernere videbantur, gravissimas lites, imo bella, usque ad schismatis periculum, Ecclesiam inter et principes exarsisse omnes noverint.

Prob. III. Ex ipsorum principum secularium praxi et testimoniis. Nam 1°. principes, dum hac in re ediderunt leges, fatentur id se facere auctoritate canonum, ad hos promovendos: sic Carolus M. prohibens quasdam nuptias L. 5. Capit. *ita,* inquit, *Gregorius sensit. Ita canones prohibent copulari.* Carolus Calvus in edicto Pistensi: *conjugium illud... sicut Leo in decretis suis, et S. Gregorius in epistolis suis monstrant, dissolvatur.* Chilpericus Francorum rex indigne ferens, quod Prætextatus archiepiscopus Rothomagensis Meroveum cum amyta sua conjunxisset, in coacta Parisiis Synodo, anno 577. teste Gregorio Turonensi, Prætextatum arguens, *an ignarus eras,* ait, *quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent?* 2°. Principes constanti observantia, cum contracta illegitima matrimonia dissolvi vellent, ipsi ad tribunal confugerunt Ecclesiæ. Sic Carolus M. priorem suam conjugem Desiderii Longobardorum regis filiam, non nisi post latam ab Episcopis sententiam dimisit. Lotharius post suam a Theutberga separationem, a Concilio Aquisgranensi decretam, novarum ab eodem nuptiarum humillime petiit. Henricus IV. Francorum rex Margaretham dimisit, sed non nisi post latam a Clemente VIII. per constitutos in Francia judices Ecclesiasticos sententiam. Denique posteriores reges Christianissimos, ut irritarentur matrimonia clandestina, per Oratores suos id

solemniter petivisse a Patribus Tridentinis, constat ex Pallav. Lib. 22. c. 1. Plena est historia id genus exemplis aliis.

Ratio *a priori* est; quia matrimonium fidelium hoc ipso, quod evectum sit ad dignitatem sacramenti, cœpit esse contractus sacer et spiritualis; consequenter subtractus potestati seculari, et soli ecclesiasticæ subjectus. *Conf.* Demus, principem statuere impedimentum aliquod, quod per Ecclesiam statutum non sit; hoc casu certe matrimonium esset sacramentum juxta legem ecclesiasticam; non esset vero juxta civilem. Quid ergo foret dicendum? si catholicus es, Ecclesiam asseres prævalere; ergo principis impedimentum nullum erit; ergo illud ponendi nulla potestas. Dixi tamen in concl. *subditis suis fidelibus;* posse enim id principes seculares, etiamsi infideles, respectu subditorum infidelium, certum videtur, et est communis sententia. Ratio plana est; quia matrimonia infidelium sacramentum non sunt, sed contractus mere civilis; igitur sicut infideles principum suorum potestati legislativæ quoad contractus alios, ita quoad matrimonium subjecti sunt.

420. *Obj. I.* cum Launoio. In prioribus seculis soli principes statuerunt impedimenta dirimentia; ergo penes eos hoc jus tantum fuit. *Prob. Ant.* 1°. Legem prohibentem conjugia inter consobrinos, non Episcopi, sed Theodosius tulit. 2°. Legem 2. Cod. de incest. et inutil. nupt. qua proscribitur conjugium ingenui cum ancilla, Constantinus dedit; ad quam provocare videtur ipse Leo M. epist. 82. ad Rusticum Narbonensem. 3°. L. 4. Cod. cit. vetant Imperatores Valent., Theodos., et Arcad., contrahere nuptias contra mandata, constitutionesque principum. 4°. Patres in concilio Milevitano legem de divortio ab Imperatore petendam esse decreverunt.

R. 1°. *N Ant.* Cujus aperta est falsitas ex probationibus conclus.

R. 2°. Et generaliter. Si quando principes leges tulerint de impedimentis matrimonii, id vel cum approbatione principis ecclesiastici factum; vel si ea defuit, lex illa etiam in Ecclesia robur non habuit; quod in ea ipsa lege Theodosii cit. videre est; cum enim eam abrogassent ejus filii, L. *Celebrandis.* c. de nupt. et deinde aliam dedisset Justinianus, ut licita essent inter consobrinos conjugia, obstitit S. Gregorius ex dictis in refutatione respons. 2. ac lex illa Justiniani et filiorum Theodosii omni auctoritate caruit. Item patet in ipsa lege Constantini irritante conjugium ingenui cum ancilla; ea enim tamdiu duntaxat valuit, quamdiu voluit Ecclesia; postquam hæc valere tale matrimonium voluit c. 1. de conjug. servor. excepto casu, quo pars libera et ingenua ignorat conditionem servilem alterius, etiam illa Constantini lex vigere desiit. Unde ad prob. 1am. et 2am. patet responsio. Item ad prob. 3am. Demum ad 4am. R. *N. simpliciter assertum.* Patres enim Milevitani non decreverunt petendam esse legem, qua decernatur, non licere post divortium uxorem aliam ducere, priore vivente, sed qua puniantur pœna etiam civili, qui id fecerint; jam enim Patres ipsi in Concilio rem definiverant, adjecta excommunicationis pœna.

421. *Obj. II.* Matrimonium est contractus civilis; ergo dispositioni principis politici subjectus est. *Conf.* Christus evehendo contractum matrimonialem ad esse sacramenti, principi politico non abstulit potestatem, quam in illum habuerat, ut contractus civilis est; ergo.

R. *D. Ant.* Pure civilis *N.* talis, qui simul nunc sacramentum est, ut a nulla alia causa, quam solis contrahentibus separari a ratione sacramenti possit, *C.* et *N. Cons.*

Ad Conf. R. *N. Ant.* Hoc enim eo ipso fecit, quo contractum illum constitutivum sacramenti esse voluit.

Si dicas : Constitutio impedimenti non tendit directe in aliquid sacri ; sed solum in contractum qua civilem et politicum.

R. Esto, quod forte directe non tendat in aliquid sacri ; tendit tamen in aliquid ad irritandum contractum sacrum, qui simul est sacramentum, nec subjacet jurisdictioni secularium, sed hæc potestas nulli secularium competit, et aliunde actus ex legibus ecclesiasticis validus indignationem et offensam judicis secularis non reformidat.

422. *Obj. III.* 1°. Potest princeps politicus disponere quoad dotem, arrham, donationem ad nuptias, successionem in hæreditate, aliosque effectus civiles ; ergo etiam quoad ipsum contractum, quatenus civilis est. 2°. Potest princeps decernere pœnas iis, qui contra leges ab ipso latas contrahunt ; ergo. 3°. Potest prohibere militibus, ne sine obtenta venia uxores ducant. 4°. Hanc potestatem circa matrimonium ut contractum civilem in principibus agnoscit S. Thomas in 4. dist. 34. q. 1. a. 1. ad 4. *Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili ; in quantum est sacramentum, statuitur jure divino, et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad Matrimonium illegitima.*

Ad 1um. R. *C. Ant. N. Cons.* Disparitas est, quod priora, dos, arrha, et similia ex se quid mere seculare sint, et omnino accessorium, proinde dispositio de his non est in rei sacræ præjudicium ; unde etiam quotidie intra Catholicam Ecclesiam coram seculari judice illæ causæ aguntur : at contractus matrimonialis nec quid mere seculare, nec accessorium est, sed ipsum constituit sacramentum.

Ad 2um. R. *D. Ant.* Si leges illæ principum, et pœnæ in transgressores statutæ, sint latæ ad promovendas vel adjuvandas leges ecclesiasticas, quæ vel prohibent, vel irritant quædam matrimonia *C.* si versentur circa matrimonia lege ecclesiastica approbata et valida *N.*

Ad 3um. R. Non obstante tali prohibitione, ipsum matrimonium semper tamen erit validum. Deinde princeps his prohibet matrimonium ad exigentiam boni publici ; proinde prohibitione sua urget præceptum naturale, quod prohibet privatis matrimonium, si est in boni communis præjudicium.

Ad 4um. R. *D. cum explic.* In quantum est in officium communitatis, statuitur a jure civili in ordine ad effectus civiles, dotis, successionis, idoneitatis ad officia, et similium : item si fiat cum subordinatione ad Ecclesiam *C.* secus *N.* Nam tale jus civile alias se solo insufficiens esse, idem Doctor Angelicus aperte tradit in 4. dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4. ubi : *Dicendum, quod prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas, quæ idem etiam interdicit.* Dici etiam potest, S. Thomam locutum esse de matrimonio, prout contrahi potest indifferenter

vel a gentili, vel ab infideli, vel a fideli, et sic quolibet jure dirimi posse, in gentili quidem per jus naturæ; in infideli per jus naturæ et civile; in fideli per jus naturæ et ecclesiasticum.

ARTICULUS II.

AN DE FACTO IN GERMANIA, ALIISQUE PROVINCIIS SEPTENTRIONALIBUS LIGENTUR HETERODOXI IMPEDIMENTIS MATRIMONII JURE SOLUM ECCLESIASTICO DIRIMENTIBUS, UT PROINDE INVALIDA CENSERI DEBEANT EORUM MATRIMONIA TALI CUM IMPEDIMENTO CONTRACTA?

423. Præsentem controversiam, quæ sane momenti maximi est, et usus in provinciis septentrionalibus frequentissimi, neminem pertractare ausum fuisse ante P. Lessium e Societate comperimus : quem postea secuti Doctores inter se admodum discordes, de ea multa varietate sentiunt, et loquuntur. Et quidem conjugia ejusmodi valore omnino destitui cum Lessio, Busembaum et aliis late defendit P. Gobat Exper. Tr. 9. et Append. 15. tametsi sententiam oppositam asserat in praxi tutam. Pro valore e contra conjugiorum illorum stant Petrus Marchant., Henric. Mair, et hoc teste, Simon Felix moralis scientiæ Doctor eximius. Favent etiam non obscure Tanner tom. 4. Disp. 8. q. 3., Laym. Lib. 5. Tr. 10. p. 2. c. 4. aliique, dum valida esse docent conjugia ab hæreticis, absente loci parocho catholico, contracta. Aperte vero connubiorum eorum valorem propugnant Schmalzgr., Pichler, van Espen, aliique recentiores præsertim Canonistæ hodie communius, maxime quoad impedimentum clandestinitatis, quos refert Pichl. Tit. 1. de Matrim. n. 98. Nos, donec Ecclesia quid aliud statuat, interim ita cum posterioris sententiæ patronis resolvimus :

424. *Dico.* Probabilius est, in Germania nostra aliisque provinciis septentrionalibus *de facto* non ligari heterodoxos impedimentis matrimonii dirimentibus, jure tantum ecclesiastico statutis; proinde valida censenda esse eorum connubia tali cum impedimento contracta.

Dixi 1°. *de facto :* i. e. nunc temporis, quo ipsis vel præscriptio et consuetudo legibus Ecclesiæ connubialibus contraria, vel conniventia Ecclesiæ favet probabilius; alias enim hæreticos quoscumque legibus quibuscumque Ecclesiæ, tam connubialibus, quam aliis ligari *per se,* ante præscriptionem, ac consuetudinem contrariam, aut conniventiam Ecclesiæ, certum supponimus; utpote qui per baptismum ingressi Ecclesiam, hujus hoc ipso esse subditi, et jurisdictioni subesse cœperunt. Can. 5. D. 45.

Dixi : 2°. *dirimentibus jure tantum ecclesiastico;* pariter enim certum est, hæreticos æque ac Catholicos perpetuo ligatos teneri impedimentis, quæ naturalis, aut divini juris clari sunt, cum contra utrumque nulla unquam prævalere possit consuetudo; assuefactio enim ad res malas, aut a potestate superiore, quam sit humana, prohibitas, corruptela est potius, quam vera consuetudo.

Prob. I. Non videtur credibile, quod Ecclesia velit urgere leges suas contra heterodoxos quoad impedimenta matrimonii; ergo probabilius iis de facto non ligantur. *Prob. Ant.* Non est credibile, quod Ecclesia velit urgere

leges, quarum observantiam sperare non potest, cum alioquin aperte in destructionem tenderent, et leges hoc ipso essent irrationabiles; aut quod velit urgere leges, si sit prope certum moraliter, nihil fructus, vel certe parum, e contra damni spiritualis plurimum inde nasciturum; lex enim communitati debet esse utilis, quod vel maxime in suis legibus intendit Ecclesia. *Subs.* Atqui Ecclesia non potest moraliter sperare legum istarum connubialium observantiam inter heterodoxos; cum, exceptis forte doctioribus, eas ignorent communiter, vel certe se iis non adstringi autument; et proinde, si urgeret, plurimum inde damni nasceretur; cum matrimonia eorum contracta cum impedimento juris ecclesiastici essent meri fornicarii concubitus, proles illegitimæ; nec parum averterentur eorum animi a fide catholica, si proles suas haberi illegitimas et spurias cernerent. Adde, dari sic occasionem luxuriosis deserendi contracta matrimonia, novaque ritu catholico contrahendi, et hæc, ut merito notat P. Pichler, sine ullo fructu. Ergo non videtur Ecclesia urgere de facto leges suas contra heterodoxos quoad dicta impedimenta; sed connivet permittendo, nec irritando eorum matrimonia tali cum impedimento contracta. Et merito; cum S. Augustin. epist. 50. (al. 185.) moneat, *detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat*; tum S. Leo epist. ad Rusticum Narbon. relatus can. fin. dist. 14. *multa esse, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oporteat temperari.* Unde et can. *Denique* dist. 4. dicitur: *Qui a prava consuetudine,* contra jus humanum, *averti non possunt, aliquando cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte pejores existant, si a tali consuetudine prohibeantur.* Ac Coelestinus III. cap. *Quod dilectio,* de consanguin. cum intellexisset, in quadam provincia homines in sexto gradu per lineam descendentem ab eodem stipite (qui jure antiquo dirimebat adhuc matrimonium) jungi, matrimonia sic contracta rata habuit; secus illa, si unus in gradu sexto vel septimo, alter secundo vel tertio gradu per lineam descendentem distaret ab eodem stipite, eo quod ita pariter ferret terræ illius consuetudo, hæcque notatu digna subdit: *in hac parte consultius duximus, multitudini et observatæ consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem et scandalum statuendum.* Apposite hæc præsenti controversiæ applicantur. Atque hujus moderationis æquitatem, si secus nihil boni, contra plurimum mali nasciturum prævideatur, ipsa suadet naturalis ratio; ut enim vere scribebat Sallustius: *frustra niti, et nihil aliud quam odium quærere dementia est.*

Prob. II. Potest per consuetudinem derogari legibus Ecclesiæ connubialibus quoad vim irritandi matrimonia, positis conditionibus ad legitimam consuetudinem requisitis; et per consuetudinem contrariam hæretici jam derogarunt connubialibus Ecclesiæ legibus, hæcque consuetudo habet conditiones omnes ad legitimam consuetudinem requisitas; ergo.

Prob. 1ª. *p. Ant.* Nam universaliter ex c. fin. h. t. datur ea vis consuetudini, ut per eam abrogari possint leges ecclesiasticæ, si illa sit rationi consona, et legitime præscripta, h. e. conditiones requisitas habeat; sed consuetudo, de qua loquimur, potest esse rationabilis, et habere conditiones requisitas; nam ex regula generali communiter recepta a Doctoribus eædem causæ et circumstantiæ, quæ rationabilem possunt facere legem ecclesiasticam, etiam possunt rationabilem facere consuetudinem; ergo, si per leges

ecclesiasticas tolli, ac restringi possint impedimenta jure ecclesiastico inducta aliquando, ut videre est in impedimento consanguinitatis et affinitatis, quod jure antiquo extendebatur ad septimum, nunc ad quartum duntaxat gradum c. *Non debet* 8. de consanguin; item in impedimento publicæ honestatis, quod ante Trid. se extendebat ad gradum quartum, et oriebatur etiam ex sponsalibus de futuro invalidis, nunc post decretum Trid. Sess. 24. c. 3. de Reform. Matrim. ex validis tantum oritur, et primo tantum gradu concluditur; non apparet, cur idem non possit consuetudo legitima.

Nec obstat c. *Quod super*. 5. de cons. quo reprobari videtur consuetudo talis; nam intelligi hoc debet de consuetudine non præscripta legitime; sic enim et de omni consuetudine contra jus ecclesiasticum dicitur c. 7. h. t. quod *non tam consuetudo, quam corruptela sit censenda, quæ sacris est canonibus inimica*; sed hæc et similia dicta intelligenda esse de consuetudine debitis conditionibus destituta, non legitime præscripta vel irrationabili, communis est interpretatio, nec latet etiam tyrones juris; id enim satis clare exprimit c. fin. h. t. ubi: *licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare; nisi fuerit rationalis et legitime præscripta.* Unde *Maj.* nobiscum admittunt auctores communius, Sanch. Lib. 7. de Matrim. Disp. 4. ab eoque citt. plurimi; quibus addi possunt Gonzal., Sylv., Palud. aliique recentiores; quin ab adversariorum quibusdam admittitur ut tota prope controversia quoad 2am. p. sit.

Prob. 2a. *p.* Nam 1o. habetur et *frequentia actuum*, et *diuturnitas temporis*, ut per se patet, cum constet ab ipso religionis acatholicæ initio legum Ecclesiæ connubialium plurium non usum, sive usum illis contrarium apud Protestantes fuisse; inita ab iis fuisse conjugia passim sine nullitatis existimatione, hodieque ita celebrari.

2o. Nec deest *legislatoris consensus*, sive *Pontificis*. Nam is universaliter vim dedit consuetudini c. fin. h. t. cit. abrogandi leges ecclesiasticas; igitur si non constet de contraria voluntate legislatoris Pontificis, etiam vis illa consuetudinis se ad nostrum casum extendet; proinde habebitur legislatoris consensus saltem *legalis*: atqui de voluntate contraria non constat; imo habetur consensus ejusdem *personalis tacitus*, cum conjugia ejusmodi celebrarunt sciente Pontifice, nec tamen, licet posset, contradicente, sed dissimulante, ac tacente.

3o. Nec deest *rationabilitas*; ut enim vis legum irritantium conjugia hujusmodi post continuatum tanto tempore non usum earum, vel usum iis contrarium cessaret, omnino expediens fuit; tum quia sperari non potest illarum legum observantia; tum ut evitentur fornicationes et concubinatus; tum quia legum illarum cessatio plurimum confert ad tranquillitatem publicam, faciliorem Protestantium reductionem, etc. ut dictum *prob.* 1. Sicut igitur provincia aliqua catholica jejunium ab Ecclesia præceptum longissimo tempore non observante, id servandi obligationem tolli, non est a ratione alienum, sed expediens, ne leges, quarum observantia post continuatum tanto tempore non usum sperari non potest, incipiant esse noxiæ, damno ac ruinæ spirituali; ita in provinciis septentrionalibus continuato non usu aliquarum legum ecclesiasticarum nuptias irritantium, illarum vim, ex iisque provenientem conjugiorum nullitatem

cessare prorsus expedit, quod legum istarum observantia sperari non possit, ac proinde moraliter impossibilis censenda sit.

Conf. 1. Plurimi ex adversariis admittunt, imo communior est sententia in Germania, quam et confirmat praxis, dum parochi et Episcopi non sunt solliciti de revalidandis talium matrimoniis, vel legitimandis prolibus, si convertantur ad fidem, valere clandestina Protestantium matrimonia, etiam nunc in terris, in quibus aliquando promulgata fuit lex Tridentini illa matrimonia irritantis, scilicet propter allatas a nobis rationes, oppositam consuetudinem, conniventiam Ecclesiæ, etc. ergo idem merito dicitur de matrimoniis contractis cum aliis impedimentis jure ecclesiastico statutis, ut publicæ honestatis, consanguinitatis, etc. vel dicant adversarii, quare generalia illa juris principia præcise et tantum faveant matrimoniis Protestantium clandestine contractis, ita ut valida haberi debeant, non vero contractis cum impedimento alio juris ecclesiastici?

Conf. 2. Pleræque rationes, quæ moverunt Benedictum XIV. ut declararet valida matrimonia, in fœderati Belgii provinciis contra formam a Conc. Tridentino præscriptam contracta, etiam huc faciunt; ergo. *Prob.* [*Ant.* Illæ enim maxime petebantur vel ex diuturna consuetudine contraria, juncta Ecclesiæ conniventia ad præcavenda graviora mala; vel inde, quod, ut in sua relatione ad summum Pontificem discurrebat inter alia eruditus Bozzi Abbas S. Crucis in Jerus. præsumi non possit de Tridentino, quod hisce legibus suis eas voluerit constringere provincias, quæ essent lapsuræ in hæresin penitus, ut leges illæ ad nihil valituræ essent, quam causanda damna, quandoquidem ex hac ipsa causa, ut mala gravissima futura præverteret, hanc legem suam non censuit promulgandam in Anglia, Saxonia, quod ibi jam hæresis sedem fixisset; vel inde tertio, quod, ut contendebat Giulii e Societate nostra, cujus ea in re mentem peculiariter exigebat idem summus Pontifex, occupatis illis provinciis ab Hæreticis, sibique nunc pleno jure subjectis, novaque inducta forma legum et regiminis, etc. prior respublica regi Hispaniæ parens interiisse, ac nova prorsus fuisse condita censeri debeat, in qua Tridentini lex promulgata dici non possit, licet olim in iis provinciis regi Catholico adhuc subjectis promulgata fuerit.

Atqui eædem rationes huc faciunt; primo quidem *prior*, ut hactenus ostensum. Sed et *altera*; cur enim hæc epikeia, vel argumentatio præcise in lege Tridentini, et non alia mere ecclesiastica valeat, cum utraque mere positiva humana sit? Similiter *tertia*; nam et imprimis Imperium nostrum maximam sane mutationem subiit per pacem Westphalicam, qua protestanticæ religioni tolerantia et libertas asserta; suspensa Episcoporum in subditos statuum protestantium acatholicos jurisdictio, ut urgere apud illos legem Ecclesiæ non possint; imo hi si vellent se subdere, prohibeantur pœna et metu, jure an facto, hic non disputo; perinde est, licet, quod dolentes ultro et palam profitemur, religioni catholicæ pax ea perquam funesta et inimica sit, ei tamen ut subscriberent, catholicos status dira et extrema necessitas compulit, ne tota pessumdaretur catholica religio. Sed et in provinciis aliis Imperio non subjectis, ob latas summe contrarias avitæ religioni leges non multum absimilem mutationem status comperire est.

425. *Obj. 1.* Omnes hæretici hoc ipso, quod per baptismum ingressi sint Ecclesiam, hujus jurisdictioni subsunt, et omnibus ligantur legibus; ergo conjugia eorum contra legem irritantem Ecclesiæ inita, æque sunt invalida, quam si ineantur a Catholicis.

R. *D. Maj.* Ligantur omnibus Ecclesiæ legibus, *per se,* scilicet, quibus per contrariam consuetudinem non derogarunt, vel quibus eos ligare semper Ecclesia intendit *C. per accidens,* quando eas contraria consuetudine abrogarunt, vel quas Ecclesia in iis non urget *N. Ant.* et *Cons.* quia legibus illis irritantibus derogarunt consuetudine contraria; nec eas in hæreticis de facto urget Ecclesia : secus est de Catholicis.

426. *Inst.* 1. Consuetudini huic, quæ prætenditur, deest consensus Pontificis; ergo hæc contra leges ecclesiasticas prævalere non potest. *Prob. Ant.* quia non potest prudenter præsumi de S. Pontifice, quod illis tanquam subditis rebellibus favere voluerit, eos velut in præmium rebellionis eximendo a suis legibus. *Conf.* 1. Hæretici potius pœna digni sunt, quam tali favore et exemptione ob potestatis ecclesiasticæ, et legum hujus contemptum et violationem. *Conf.* 2. Princeps secularis non præsumitur eximere a legibus suis rebelles subditos; ergo nec Ecclesia heterodoxos pertinaces.

R. *N. Ant.* constat ex supradictis. *Ad prob. N. Ant.* Nec ideo dici potest S. Pontifex velut præmiari rebellionem hæreticorum; sed justis de causis supra recensitis connivet, ac dissimulat permittendo, et non irritando talia matrimonia, tanquam legislator prudens, ne legibus suis, quarum observantiam hic et nunc sperare non potest, quæ proinde censenda est moraliter impossibilis, damnum inferat sine ullo sperato fructu.

Ad Conf. 1am. R. *D.* Potius pœna digni sunt, si præcise spectetur illorum pervicacia, et inobedientia in Christi Vicarium *C.* si spectentur circumstantiæ aliæ *N.* Nam 1°. licet hæretici ex se potius pœnam mereantur quam favorem hunc, commiseratione tamen digni sunt, quod magna ex parte ignorent se legibus Ecclesiæ subjectos esse, plerique vero has ipsas irritantes leges nesciant, propter quos toti communitati indulgeri aliquid prudenter potest. 2°. Licet hæretici *formales* indigni sint ista Ecclesiæ indulgentia; hanc tamen poscunt et merentur spes promptioris conversionis, tranquillitas publica, evitatio concubinatuum et incestuum certo secuturorum, cum legum istarum observantia sperari non possit, etc.

Ad Conf. 2am. R. 1°. Etiam prudentis principis est indulgere quid immorigeris subditis, si inde spes sit majoris boni, eos facilius reducendi; si inde mala alia evitentur. 2°. Disparitas est : Princeps secularis potius vindicare injurias, quam prodesse rebellibus intendit : at piæ Matris Ecclesiæ genius est, etiam in contumaces filios materna viscera extendere; eorum procurare bonum, non habita ratione injuriarum; unde prudenter creditur non urgere leges, quæ in damnum eorum tenderent sine spe ullius fructus.

427. *Inst* 2. Ut consuetudo legi alicui deroget, debet tam ipsa, quam mores utentium contrarii esse rationabiles: sed tales non sunt, quibus scienter contravenitur legibus ecclesiasticis. *Conf.* Hæc consuetudo est malitiose introducta ab heterodoxis in contemptum potestatis Pontificiæ; ergo est juri

naturali et divino contraria, quo jubemur parere auctoritati legitimæ; ergo irrationabilis.

R. *N.* Rationabilitatem consuetudinis desumi necessario debere ex actibus contrariis, quibus inducitur, cum hi etiam possint esse peccaminosi; sed circumstantiæ aliæ consuetudinem possunt facere rationabilem, ut conducentia ad bonum publicum, etc. Quæ vero rationabilem faciant hanc, de qua loquimur, consuetudinem, dictum est supra.

Ad Conf. R. *D.* 1am. *Cons.* Est juri naturali et divino immediate contraria *N.* mediate *C.* Sic omnis violatio legum humanarum, per quam læditur semper obedientia legitimæ auctoritati debita juri naturali et divino præcepta, est mediate utrique huic juri contraria; hæc tamen mediata violatio juris naturalis et divini non facit irrationabilem consuetudinem legi humanæ immediate contrariam; alioquin nulla lex humana abrogari posset consuetudine contraria. Unde et *N.* 2am. *Cons.*

428. *Obj. II.* S. Congregatio Card. Trid. Interp. rescripsit anno 1605. 19. Jan. episcopo Tricariensi apud Belgas legato: *Hæreticos quoque, ubi decretum Tridentini est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla et irrita esse.* Item, teste P. Reiffenstuel, ead. S. Congregatio anno 1676. 2. Maii. sic declarasse dicitur: *Catholicus cum hæretica Matrimonium coram Magistratu seculari in loco, ubi Concilium Tridentinum est receptum, et Parochus commode haberi et adiri poterat, contraxit, et postea consummavit. S. Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, secundum ea, quæ proponuntur, censuit, dictum Matrimonium fuisse nullum.* Similes declarationes plures referunt alii. Unde sic arguitur: Hic declarantur nulla esse matrimonia hæreticorum contra formam a Trid. præscriptam, sive clandestine contracta: atqui nulla est ratio, cur potius irrita sint hæreticorum conjugia contra Decretum Trid. contracta, quam cum aliis impedimentis juris ecclesiastici; ergo.

Conf. Benedictus XIV. valida declaravit matrimonia Protestantium in provinciis Belgii confœderatis, contra formam Trid. item indulsit Catholicis in provinciis Belgii confœderatis, sive reipublicæ Hollandiæ; etiam in civitatibus, in quibus respublica Hollandiæ præsidium habet militare, vulgo *Barrière*, ac si extra ea loca degant in castris sub stipendiis dictæ reipublicæ, ut valide contrahant, non observata ea forma a Trid. statuta: atqui exceptio firmat regulam in oppositum; ergo. Ante resp.

429. *Observandum* ex nostro Giulii, duplex ab auctoribus *declarationum* Sacræ Congregationis distingui genus. Aliæ Tridentini mentem *generatim*, vel in abstracto, ut aiunt, exponunt; aliæ quid in hoc, vel isto peculiari casu faciendum sit, decernunt. Priores in legum numero habendæ sunt; cum enim summi Pontificis auctoritate muniantur per constitutionem Sixti V. *Immensa*, Sacræ Congregationi commissa, sunt interpretationes authenticæ, quæ Concilii decretis inhærere dicuntur, non secus ac si ab initio iisdem adjunctæ fuerint, ut fere in simili dixit Imp. in §. fin. auth. de raptis mulierib. docetque Fagnan. in c. *Quoniam* de Constit. Posteriores

vero, magnæ alias auctoritatis, judicialis instar sententiæ sunt, quæ jus constituit in ea quæstione sola, de qua profertur; vim autem legis habere, præterquam quod promulgari non soleant, nec proferri illa solemnitate, qua priores, plerique negant, Laymann Lib. 1. Tract. 4. cap. 7., Bonacina de Legib. Disp. 1. quæst. 1. punct. 8., Bossius Tract. de tripl. privil. Sect. 3. Cas. 2. aliique communiter. Hinc porro fit, ut *generales* illæ declarationes non soleant fieri, nisi consulto et approbante summo Pontifice, et rebus quam diligentissime expensis, cum de particularibus factis tanta saltem circumspectione et cautione decidi non soleat, quia, ut ait D. Thomas p. 2. q. 95. a. 1. ad 2. *illi, qui leges ponunt, ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit; sed judicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis.* His prænotatis facilis est responsio, nam

R. 1°. Quantum *ad* 1am. *declar.* attinet, equidem illa *generatim* Tridentini mentem exponit, cum hæreticos universim in Belgii fœderati provinciis includat; de facto tamen robur nullum habet, etiam in ipsis fœderati Belgii provinciis; præterquam enim quod nihilominus Benedictus XIV. valida declararit matrimonia tum quæ hæretici inter se, tum cum Catholicis etiam in locis *Barrière*, h. e. in quibus respublica præsidium militare habet, itemque in ejus legionibus alibi degentibus contrahunt; per usum contrarium per tot annos usque nunc, perque mutatam rerum formam abrogata ac penitus antiquata fuit. Etenim cum illa emanaret, regi Catholico subjectæ erant provinciæ, dominabatur religio Catholica, nec dabatur Novatoribus liberum suæ sectæ exercitium, expulsis hæreticorum ministris, ac proinde Tridentini lex post ejus ante factam promulgationem merito urgebat Sacra Congregatio. At postquam liberam in rempublicam evaserunt, ac pace Monasterii constituta anno 1648. sancitum, ut matrimonia in Belgio fœderato contra Tridentini legem celebrata rata haberentur etiam in Belgio Hispanico, ab eo usque nunc tempore usu contrario abrogata fuit. Neque unquam postea Sacra Congregatio sive Sedes Apostolica, licet sæpius interrogata, quidquam *generatim* statuere voluit, aut declarare irrita ejusmodi matrimonia, ut patet in illa Hollandiæ anno 1681. et in alia Bosceducensi anno 1683. cit. apud Giulii. Quin Clemens XI. a Nuntio Coloniensi consultus, quid de matrimoniis in fœderato Belgio contra Tridentini formulam contractis sentiendum esset, S. Officii cardinalibus ad deliberationem adhibitis die 19. Novembr. 1711. per Sacram Congreg. de propaganda responderi jussit: *gravibus quidem de causis nihil adhuc de illis generatim et universim statuendum æstimatum fuisse.* Qua vero fieri ratione potuit, ut negaret Pontifex aliquid de illis *generatim et universim* statuendum, si quod generatim et universim sub Clemente VIII. ad episcopum Tricariensem apud Belgas Legatum adhuc ad nostram ætatem pertinere censuisset? Antiquatum igitur censeri debet, vel ipso Clementis XI. oraculo, quod sub Clemente VIII. Sacra Congregatio anno 1605. decreverat. Pro imperio vero aliisve terris nulla unquam emanavit declaratio, qua Sacra Congregatio, vel Sedes Apostolica generatim irritasset talia matrimonia; nulla enim hactenus proferri potuit. Et vero eædem plane rationes pro Imperio sunt, aliisque regnis, quæ erant pro fœderato Belgio; æque enim parum in terris statuum protestantium Imperii aliisque regnis catholicis proficiet talis declaratio, quam in Belgio, eademque, si emanaret, sequerentur incommoda.

R. 2°. *Quoad alias.* Illæ solum responsa sunt a Sacra Congreg. pro casibus particularibus data, quæ juxta allegata procedunt, vel supposita oratorum expositione, quod Concilii decretum sit usu receptum, locus subsit principi catholico urgenti observantiam Tridentini præcepti, ut de secunda declaratione ait P. Pichler; quæ quidem expresse loquitur de catholico, qui contraxit cum acatholica in loco, *ubi commode haberi et adiri poterat parochus,* quo casu plures etiam nostræ alias addicti sententiæ auctores requirunt præsentiam parochi. Nunquam vero generatim factæ fuerunt in hypothesi consuetudinis in contrarium, dubiæ promulgationis decreti Tridentini, et similium ex dictis.

Ad Conf. N. hic exceptionem fieri a Benedicto XIV. sed quærentibus Episcopis de valore talis matrimonii, respondit simpliciter, valere illud; quod responsum proinde exceptio a regula dici non potest.

430. *Obj. III.* 1°. Silentium S. Pontificis ad illa Protestantium matrimonia est tantum mera tolerantia et dissimulatio, cum impediri non possint; ergo illa non approbat tacite. 2°. Si, ex allatis rationibus, hæretici de facto non ligentur legibus connubialibus Ecclesiæ; ergo nec legibus jejunii, festorum, et similibus; ergo et exempti erunt ab omni obedientia præstanda Ecclesiæ, quia huic constanter contraveniunt. 3°. Sic hæretici essent melioris conditionis, quam Catholici; haberentque ex delicto suo commodum, quod prudenter nequit velle Ecclesia. 4°. Hoc modo valida fieri possent matrimonia, quæ ineuntur a sacerdotibus et religiosis apostatis; quia votum solemne est impedimentum dirimens jure tantum ecclesiastico.

Ad 1um. *N. Assert.* Quando enim res concernit provincias integras, nec repugnat juri naturali aut divino, nec solet nec potest ab Ecclesia præcise tolerari, sed rata haberi debet, ne ex negato consensu alias gravissima sequantur mala sine ullius fructus spe; hæc vero certo post se trahet lex, quam, cum observantia ejus sperari non possit, nihilominus legislator urgere vellet.

Ad 2um. R. *Primam* sequelam facile concedunt Vericelli de Apost. Mission. Tit. 3. q. 87., Pichler ad Tit. de Sponsal. et Matrim., Wiestner ad eumd., Schmalzgr. aliique tum Theologi tum Canonistæ. *Secundam N.* cum omnibus; sicut enim non sequitur: potest provincia aliqua catholica per continuatum non usum longo tempore, sive usum contrarium derogare quibusdam legibus Ecclesiæ; ergo poterit sic derogare omnibus legibus ecclesiasticis, et obedientiæ debitæ; ita nec tenet illatio prior. Nimirum ratio est; quia derogari posse legibus ecclesiasticis per consuetudinem contrariam, si conditiones requisitas habeat, fatentur omnes, et positive jus ipsum ecclesiasticum asserit c. fin.de consuet. cit. at derogari posse similiter ipsi obedientiæ debitæ, negant omnes: negat jus, tali præscriptioni positive resistens c. *Cum non liceat.* 12. de præscr. item 16. Nec permittit ratio, ullius consuetudinis, vel præscriptionis vi subditos ab obedientia eximi, ne sublatis penitus legibus omnis disciplina evanescat, et respublica subvertatur; unde consuetudo talis nunquam potest fieri rationabilis. Accedit specialiter, quod Ecclesia ab ipso Christo hanc potestatem in eos acceperit. Matth. 16. 18. adeoque hæc nec ab ipsa Ecclesia abdicari possit.

Ad 3um. R. *D.* Essent melioris conditionis absolute et per se *N.* non enim

absolute melioris conditionis dicitur, qui honestis et utilibus se legibus subtrahit. Essent per accidens; et sic per accidens ex delicto haberent commodum *C*. Hoc vero sæpius, etiam in Catholicis evenit, ut per accidens ex delicto commodum sentiant, dum malitiose legem non recipiunt, vel per consuetudinem contrariam, actibus etiam peccaminosis, dum consuetudo est *in fieri*, abrogant. Unde nec dici potest, Pontificem hoc casu plus favere Novatoribus, quam Catholicis, permittendo priorum matrimonia contra leges connubiales Ecclesiæ, et non irritando; hoc enim non ex favore in illos facit Pontifex, sed ad evitanda graviora mala. Sic provincia aliqua catholica per consuetudinem contrariam abrogante legem ecclesiasticam, S. Pontifex non ideo huic plus favere dicitur, quam aliis provinciis.

Ad 4um. R. Non est paritas; quia his matrimoniis semper se positive opponit Ecclesia : separat, si ad gremium Ecclesiæ redeant, eos ab uxorum commercio; hisque, si redire, vel transire ipsæ ad Ecclesiam catholicam velint, nova permittit conjugia. Deinde non potest præsumi, consentire Ecclesiam in matrimonium sacrilege contrahendum; præcisa enim omni lege ecclesiastica, adhuc est jure naturali et divino saltem illicitum cum voto tali inire matrimonium.

ARTICULUS III.

QUOT ET QUÆ SINT IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA MATRIMONII?

431. Ex impedimentis matrimonii alia esse *impedientia*, h. e. quæ prohibent tantum matrimonium contrahendum, quin tamen contractum propterea invalidant; alia esse *dirimentia*, h. e. quæ matrimonium et prohibent, et invalidant, jam supra innuimus initio hujusce capitis. De utrisque nunc in specie breviter agendum; ac primo quidem hoc art. de prioribus.

432. *Dico*. De *jure novo* quatuor tantum sunt impedimenta impedientia, hoc expressa versiculo : *Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum*. Quorum hæc est expositio.

I. Sacratum tempus, quod etiam *feriatum* dicitur : videlicet illud, quo celebrare *solemnes* nuptias prohibuit Ecclesia. Fluit hoc tempus juxta decretum Trid. Sess. 24. c. 10. de Ref. Matrim. ab Adventu usque in diem Epiphaniæ, et a die Cinerum usque ad octavam Paschatis, sive Dominicam in albis inclusive. Dixi : *solemnes*; non enim pro his temporibus Ecclesia absolute prohibet contrahere matrimonium, sed duntaxat cum solemnitatibus; quales sunt, solemnis nuptiarum benedictio, publica ac strepitosa sponsæ deductio, etc. ut liquet tum ex textu Trid. tum ex declaratione Card. Concilii interpretum atque ex Rituali Romano. De consuetudine tamen, ac lege particulari variarum diœcesium, nec simpliciter licet inire matrimonium citra Episcopi licentiam.

II. Vetitum Ecclesiæ, sive interdictum : est prohibitio facta a Superiore nupturientibus ad certum tempus ex causa justa, ut, donec inquiratur an impedimentum, quod objicitur, existat; vel aliis de causis.

III. Sponsalia, scilicet valida de futuro, contracta jam cum parte una,

et nondum legitime dissoluta; illa enim obstant, quominus licite contrahatur matrimonium cum alia; idque sub mortali ob gravitatem materiæ; justitiæ enim semper repugnat, rem promissam uni, et ab hoc acceptatam, eo invito alteri tradere.

IV. Votum videlicet *simplex,* castitatis, non nubendi, suscipiendi Ordinis sacri, ingrediendæ Religionis c. 4. 5. 6. *Qui clerici, vel voventes* c. *Unico* de voto in 6. Vota tamen, quæ in Societate Jesu simplicia dicuntur, ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino,* id speciale habent, ut matrimonium non impediant tantum, sed etiam dirimant.

Dixi in concl. *de jure novo.* De jure enim antiquo, sive olim erant numero duodecim, his vulgaribus versiculis contenta:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat; prohibent hæc conjugium sociandum.

Ex his, præsupposita quatuor priorum in concl. notitia, cætera hic paucis, quod in usu non amplius sint, delibamus. I. *Catechismus* dicebatur instructio illa, vel professio fidei facta super baptizando, et nomine baptizandi in exorcismis, aliisque interrogationibus ante baptismum adhiberi solitis; hæc inter baptizantem, et baptizatum, et respondentem, tametsi hic patrinus non esset, cognationem spiritualem induxit. Unde breviter ab aliis Catechismus describitur, susceptio catechumeni non in baptismate ipso, sed ejus ceremoniis. II. *Incestus,* commissus vel a marito cum uxoris consanguinea, vel a sponso cum consanguinea sponsæ in primo gradu, ac vicissim; his enim, mortua comparte, prohibitum erat, quodcumque aliud contrahere matrimonium c. 20. caus. 32. q. 7. et c. 1. et 2. de eo, qui cognovit. III. *Raptus,* qui sponsam alienam rapuisset, ab omni prohibebatur conjugio c. 34. caus. 27. q. 2. quod alienum conjugium impedire non esset veritus. IV. *Sponsatæ mors mulieris,* h. e. uxoricidium ex ira, odio, etc. c. 8. caus. 33. q. 2. similiter *mors presbyteralis,* id est, presbyteri occisio c. 2. de Pœnit. et Remiss. impediebat a matrimonio in perpetuum. V. *Susceptus propriæ sobolis,* sive propriæ prolis ex baptismo levatio, sine necessitate, malitiose facta, videlicet animo privandi ea ratione partem alteram debito conjugali c. 5. caus. 30. q. 1. VI. *Si pœniteat,* h. e. si pœnitentiæ solemni, sive publicæ esset subjectus, ea durante, a quovis impediebatur matrimonio c. 6. caus. 33. q. 2. VII. *Si monialem accipiat:* Matrimonium cum moniali attentatum impediebat a matrimonio omni in perpetuum. c. 3. caus. 27. q. 1.

Ex quibus impedimentum *catechismi* novissime abrogavit Synodus Tridentina Sess. 24. c. 2. de Reform. Matrim. Reliqua vero consuetudine contraria sublata sunt.

ARTICULUS IV.

QUÆ SINT IMPEDIMENTA DIRIMENTIA MATRIMONII?

433. *Dico.* Hæc pariter de *jure antiquo* fuerunt duodecim, quibus Tridentina Synodus duo addidit, *clandestinitatis* ac *raptus,* ut *jure novo* et moderno sint numero quatuordecim, imo quindecim si ætatem impuberum quis sumere voluerit pro impedimento speciali. Singula his versibus exprimuntur :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si parochi et duplicis desit præsentia testis,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc sociando vetant, connubia facta retractant.

434. I. *Error,* scilicet *personæ,* cum quis judicat personam, quacum matrimonium contrahit, esse aliam, quam sit a parte rei, v. g. esse Rachelem, cum sit Lia, dirimit matrimonium *jure naturæ;* quia tollit consensum jure naturali requisitum ad essentiam matrimonii; consensus vero jure hoc requisitus in personam determinatam tendit, quam quis concepit animo c. 26. h. t. caus. 29. q. 1. §. *Error vero.* Sed hunc consensum tollit error circa personam; contrahens enim non vult consentire in personam quamcumque præsentem, sed in eam, quam determinate sibi repræsentat in animo; cum hæc sit objectum primum et substantiale volentis contrahere matrimonium. *Error* vero *circa qualitatem personæ,* fortunas, nobilitatem, pulchritudinem, etc. vim dirimendi non habet; quia non obstante tali errore habetur consensus absolutus in personam præsentem. Excipitur tamen 1°. nisi contrahens etiam qualitatem adduceret in conditionem, h. e. illi alligaret suum consensum; actus enim sub conditione de præsenti celebratus, conditione non subsistente, non subsistit L. 37. ff. de Reb. cred. 2°. Nisi qualitas redundet in personam, quia tunc error circa personam censetur. Error vero qualitatis tunc in personam redundat, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personæ; ut si velles contrahere cum primogenita, et tibi sisteretur secundo genita; si autem eam, quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam et tua intentio non feratur in illam, quatenus est primogenita, nondum erit error in persona.

435. II. *Conditio.* Est status servilis stricte sumptus, quo scilicet homo ita est sub dominio alterius, ut hujus mancipium sit. Ut hoc impedimentum dirimat, requiruntur duo : 1°. ut tantum una pars conditionis servilis sit; 2°. ut pars libera id ignoret. c. 2. et c. fin. h. t. Unde impedimentum erit conditio, si homo liber, sive ingenuus contrahat matrimonium cum persona servili ignoranter. Ortum suum habet hoc impedimentum *ex solo jure ecclesiastico,* ut habet communis cum Sanch. contra paucos. Et ratio est; quia ex una parte servitus ex se non repugnat absolute substantiæ matri-

monii; ex altera vero parte in ignorante conditionem servilem alterius datur adhuc consensus simpliciter liber et voluntarius in personam talem; error enim servitutis est error tantum qualitatis, proinde accidentalis, non substantialis, seu circa ipsum personæ individuum; jus naturale vero ex se non plus quam consensum simpliciter liberum ac voluntarium poscit.

436. III. *Votum*, nimirum *solemne*, seu solemnis professio in Religione approbata c. 3. et fin. *Qui Clerici, vel voventes*. Item Concil. Chalced. Act. 15., Tolet. IV. c. 51., ac novissime Trid. Sess. 24. can. 9. Votum hoc vim suam dirimendi præcise traxit ex jure ecclesiastico c. *Unico* de voto in 6. De quo vid. plura cap. 3. art. 4. Eamdem tamen vim competere etiam votis simplicibus in Societate, art. præc. innuimus ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente*.

437. IV. *Cognatio*. Hæc triplex est: naturalis, sive carnalis, quæ consanguinitas dicitur; spiritualis, ac legalis. Naturalis, sive consanguinitas est vinculum personarum ex eodem stipite descendentium per propagationem sanguinis contractum. Hæc *in linea transversa* jure ecclesiastico dirimit matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusive. c. 8. *Non debet*. 8. h. t. quod est Concil. Lateran. sub Innocentio III. ac restringit jus antiquum, quo impedimentum hoc extendebatur ad usque gradum septimum. Nec refert, utrum consanguinitas ortum habeat ex generatione licita, vel illicita, cum jus inter utramque non distinguat. An vero etiam *jure naturæ* dirimat in gradu primo hujus lineæ, controvertitur. Affirmat Bellarm. L. 1. de Matr. c. 28. cum plurimis aliis: negat S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 8. ad 3. cum æque multis, quos refert, et sequitur P. Schmalzgr. h. t. *In linea recta* dirimit *jure naturæ* matrimonium saltem in primo gradu, h. e. inter patrem et filiam, matrem et filium, ut est communis omnium omnino sententia cum S. Aug. epist. 66. ad Patern. ac S. Thom. in 4. d. 40. q. unica a. 3. in 0. Sed *pro certis habemus ea, in quæ communi opinione consensum est* juxta Quintil. Et ratio est, quod ab ejusmodi matrimoniis natura ipsa et ratio, ac instinctus naturalis abhorreat, ut dicitur L. 14. §. 2. ff. de rit. Nupt. est autem incredibile, datam esse a Deo et natura potestatem hominibus transferendi jus et dominium corporis in alios in ordine ad usum, qui rectæ rationi, verecundiæ, et communi sensui omnium gentium contrarius, ac perpetuo turpis est. Dixi: saltem *in gradu primo*: nam de ulterioribus gradibus non est æque certum. Alii cum S. Thoma absolute tenent, irritationem istam *jure naturali* ultra gradum primum non extendi. Contrarium tamen docent alii communius arg. L. 53. et fin. ff. de rit. Nupt. et §. Inst. de Nupt. Accedit ratio, quod ascendentes respectu descendentium habeant veram rationem principii, et veniant nomine genitorum, ac parentum, descendentes vero nomine liberorum; arg. L. 53. cit. quæ ratio principii et principiati exigit in principiato reverentiam majorem, quam par sit ad matrimonium.

438. *Spiritualis cognatio* est quarumdam personarum propinquitas, jure ecclesiastico, can. *Si quis filiastrum*. 2., can. *De eo*. 5. caus. 30. q. 1. et toto h. t. introducta ob collationem baptismi, vel confirmationis, susceptio-

nemve suscipientis unum ex his sacramentis dirimens matrimonium inter certas personas. *Jure novo* Trid. Sess. 24. c. 2. de Reform. inter susceptores seu patrinos, et baptizatum, vel confirmatum, hujusque patrem et matrem; tum inter ministrum illorum sacramentorum et baptizatum vel confirmatum ac ejus patrem et matrem. Ergo patrinus et matrina.

439. *Legalis cognatio* est personarum propinquitas ex adoptione proveniens. Dicitur legalis; eo quod, sicut adoptio creatura præcise juris civilis est, ita et hæc ex illa descendens cognatio legibus iisdem originem debeat; licet, nisi ab Ecclesia can. 1. et 6. caus. 30. q. 3. et c. unico h. t. recepta et approbata fuisset, ex civilium præcise legum dispositione vim dirimendi in Ecclesia non obtineret. *Jure canonum* quidem non reperitur alia prohibitio expressa, quam inter adoptatum et adoptantem et hujus legitimum, vel naturalem filium, ac filiam adoptivam et vicissim; *jure civili* tamen §. 1. 2. 6. Instit. de Nupt. L. 14. 17. 55. ff. de ritu Nupt. ea prohibitio se longius extendit, cujus juris dispositio hac in parte hodie ex communi omnium obtinet, et observatur, eo quod ex una parte can. 1. cit. item etiam juxta rubrum et nigrum in hoc titulo cognatio legalis sit generaliter per canones approbata; ex parte vero altera jus canonicum quoad prohibitionem hanc non sit omnino clarum, nec contrarietur tamen civilibus legibus; hinc quod ea in materia deest juri canonico, merito ex civili suppletur; arg. c. 1. de N. O. N. Unde, huic juri insistendo, legalis cognatio in tres species dividitur, quæ designant personas, inter quas contrahitur. *Prima,* quasi in linea recta, dicitur *paternitas,* atque adoptantem et adoptatum, tum ex adoptato filio (*non filia*) descendentes afficit. *Secunda,* quasi in linea laterali, vel transversa, *fraternitas* appellatur, respicitque adoptatum et adoptantis liberos naturales et legitimos ac descendentes, patriæ adoptantis potestati subjectos. Durat tamdiu fraternitas, quamdiu durat adoptio; hac vero dissoluta, etiam illa solvitur. *Tertia* est quasi *affinitas,* inter adoptantem et adoptati uxorem; tum adoptatum et uxorem adoptantis. Hæc, uti paternitas, est perpetua, nec cessat solutione adoptionis; probabiliter tamen solum usque ad quartum gradum inclusive dirimit. Habentur hæc ex §. 1. 2. 6. Instit. cit. L. 14. 17. ff. de rit. Nupt. et arg. c. 8. de Cons.

440. V. *Crimen*, scilicet duplex dirimit jure ecclesiastico matrimonium; adulterium et conjugicidium. Ut vero *adulterium* dirimat, requiritur 1°. ut accedat promissio futuri matrimonii post obitum conjugis; nec refert, an præcesserit, vel subsecuta sit promissio; modo fuerit acceptata. 2°. Ut sit adulterium formale; si enim ignoret complex alterum esse conjugatum, adulterium est materiale tantum, quod non dirimit. 3°. Ut sit perfecta copula consummatum; ex regula enim generali leges pœnales de actu consummato solum intelligendæ sunt, nisi aliud exprimant. 4°. Multo magis dirimit adulterium, si est conjunctum cum conjugicidio. Constant hæc ex c. 1. 6., etc. *De eo, qui polluit.* Ut *conjugicidium* dirimat, etiam sine adulterio, debet hoc perpetratum esse actu, vel effectu secuto, cum intentione ex utraque parte, aut promissione matrimonii sive de futuro, sive de præsenti; adeoque conjugicidium solum nunquam sufficit, item fieri debet

conspirante, vel consentiente occisi consorte. Vide c. 1. de convers. infid. can. 5. caus. 31. q. 1.

441. VI. *Cultus disparitas.* Est religionis diversitas inter contrahentes matrimonium, si videlicet fidelis cum infideli vellet contrahere. *Infidelis* hic stricte, ut passim in jure alias, pro non baptizato sumitur; velut judæo, gentili, ethnico, turca, pagano; non vero late etiam pro hæretico. Hæc religionis diversitas licet jure naturali et divino semper illicitum fecerit matrimonium *per se* loquendo; non tamen invalidum ex eo jure fuit, sed vim dirimendi obtinuit ex solo jure ecclesiastico, tradito potius, quam scripto.

442. VII. *Vis.* Dividitur in absolutam et conditionalem. *Absoluta*, quæ est coactio omnimoda et corporalis de præsenti illata reluctanti, velut si violente cogaris ad porrectionem manus, quæ pro signo consensus accipitur, etiam *jure naturali* matrimonium irritat, cum consensum omnem excludat. *Conditionalis*, per quam hic metus intelligitur, si hic gravis sit, atque injuste incussus eo fine, ut extorqueatur matrimonium, dirimit istud, sed *solo jure positivo*, juxta dicta cap. 2. de consensu metu extorto: item supra de Sponsal. metu extortis.

443. VIII. *Ordo.* Ligat impedimentum hoc eos solummodo, qui Ordine aliquo sacro, ut Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus initiati sunt, quos jus ecclesiasticum, Trid. Sess. 24. c. 9. et c. 1. 2. *Qui Clerici, vel voventes,* inhabiles reddit ad contrahendum matrimonium.

444. IX. *Ligamen.* Est vinculum prioris matrimonii legitime contracti, vivente utraque comparte. Dirimit jure divino 1. Cor. 7. quodcumque matrimonium subsequens, nisi vinculum hoc fuerit solutum vel morte alterutrius conjugis; vel solemni religionis professione, si matrimonium nondum fuerit consummatum.

445. X. *Honestas.* Communiter publica honestas dicitur: item justitia publicæ honestatis. Est propinquitas, seu quædam affinitatis species, orta ex sponsalibus validis et absolutis, et ex matrimonio rato, non consummato. Ortum ex matrimonio rato dirimit ad quartum gradum inclusive cum consanguineis sponsæ, vel sponsi; ad primum vero duntaxat, quando ex sponsalibus validis nascitur jure novo Tridentini Sess. 24. cap. 3. de Reform. Dixi: *validis;* Trid. enim cit. correxit jus antiquum, vi cujus impedimentum hoc contrahebatur etiam ex invalidis. Nec cessat impedimentum publicæ honestatis dissolutis, mutuo licet consensu, sponsalibus; sic enim, apud Fagnan. die 6. Jul. 1658. declaravit S. Congregatio; idque die 10. mensis ejusdem approbavit Alexander VII. jussitque doctrinam hanc deinceps non amplius vocari in dubium.

446. XI. *Affinitas.* Est personarum propinquitas orta ex copula carnali perfecta, sive licita, sive illicita, per quam duo fiunt una caro; sicque consanguinei viri evadunt affines consanguineis mulieris, ac vicissim con-

sanguineis viri. Affinitas, si antecedit matrimonium, postea contrahendum dirimit, si supervenit, privat jure petendi debitum, c. 1. 8. de Cons. et Affin. Est tamen quædam differentia inter affinitatem ortam ex copula carnali licita, et ortam ex illicita : prior dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive c. 8. cit. quo corrigitur jus antiquum, vim dirimendi olim extendens usque ad gradum septimum : altera solum usque ad gradum secundum inclusive, jure novo Trid. Sess. 24. cap. 4. Unde vir, defuncta uxore, nequit contrahere cum consanguineis defunctæ usque ad quartum gradum inclusive; nec fornicator cum consanguineis fornicariæ primi, aut secundi gradus. Porro affinitas hæc non afficit consanguineos, vel consanguineas, h. e. non dirimit, nec impedit matrimonium inter consanguineos viri, et consanguineas mulieris; copula enim carnalis tantum illum, vel illam, quæ copulam habuit, cum consanguineis alterius partis connectit. Unde duæ sorores possunt ducere duos fratres : item pater et filius matrem et filiam alterius cognationis : filius mariti ex alia uxore filiam uxoris ex alio viro, c. 5. de Cons. et Affin. can. 5. caus. 35. q. 2. Demum *affinitas agit retro;* hinc si sponsus fornicetur cum matre, vel sorore sponsæ, non potest implere sponsalia, quia per hanc fornicationem sponsa facta est affinis sponso; sed nec matrem, nec sororem potest habere in uxorem, ob publicam honestatem ortam ex sponsalibus.

447. XII. *Clandestinitas.* Si non contrahitur coram proprio parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus; matrimonium sic clandestine contractum irritum fecit Trid. Sess. 24. cap. 1. de Reform.

448. XIII. *Impotentia.* Est negatio potentiæ, vel incapacitas ad exercendum conjugalem actum. Alia est *naturalis,* ex defectu naturali proveniens; et sic impotentes dicuntur in jure *frigidi*; alia est *accidentalis,* a causa extrinseca, maleficio, orta; atque ita impotentes *maleficiati* dicuntur. Porro ex his alia iterum est *perpetua* vel *temporalis;* matrimonium *antecedens,* vel huic *superveniens.* Ex his tantum impotentia antecedens et perpetua, et quidem jure naturæ, matrimonium dirimit; tum quia lex naturæ invalidat contractum, in quo quis se ad impossibile obligat; tum quia, si est tantum *superveniens,* invenit matrimonium verum et validum, proinde indissolubile; si est *temporalis,* tantum primo non irritatur a jure naturæ; quia, spectato hoc jure, ad valide contrahendum non requiritur, ut conjuges quovis tempore coire possint; sed solum ut possint absolute, nec a jure positivo, cum ab hoc etiam approbetur, c. 6. de Frigid. et Malef. Impotentia hæc non est idem ac sterilitas, cum ex dictis ii solum *impotentes* dicantur, qui exercere actum conjugalem, h. e. consummare matrimonium non possunt, nec per copulam fieri una caro; *steriles* vero qui ex copula præhabita prolem non suscipiunt, ut senes ad consummandum matrimonium habiles, sed inhabiles ad generandum.

449. XIV. *Ætas.* Reducitur ad impotentiam. Ætas seu impotentia, quæ est in pueris ante perfectum rationis usum, jure naturæ matrimonium dirimit; cum tales præstare non possint consensum, jure naturæ ad con-

tractum matrimonii requisitum; ætas vero vel impotentia, quæ est in pueris ab usu rationis usque ad pubertatem dirimit, sed solo jure ecclesiastico, matrimonium; arg. c. 6. de Frig. et Malef. Pubertas autem duplex est; *legalis*, quam leges præsumendo statuerunt; estque in masculis annus ætatis decimus quartus c. 3. 10. 11. de despons. impub., in feminis duodecimus c. 6. et fin. eod.; tum *naturalis*, dum malitia supplere ætatem dicitur, h. e. si ante pubertatis legalis tempus, jam adsit aptitudo ad consummandum matrimonium. Sufficit ad valorem matrimonii pubertas naturalis, ut ex c. 3. 6. 9. et fin. eod. colligitur; et maxime si ætas legalis proxima fuerit, c. 6. et 11. ibid.

450. XV. *Raptus*. Est violenta abductio feminæ, aut etiam maris, de loco in locum matrimonii ineundi causa. Dirimit matrimonium, quamdiu durat vis et circumstantiæ raptus juxta Trid. Sess. 24. c. 6. de Reform. Dixi 1°. *violenta abductio;* raptus enim non erit in ordine ad dirimendum matrimonium, si femina lubens ac volens abducatur, arg. c. penult. de Raptorib. tum enim adhuc stat integra libertas matrimonii; ob quam unice Trident. induxit hoc impedimentum. Dixi 2°. *aut etiam maris*, si femina violente abducat virum, ut apud Fagnan. in c. *Ne innitaris* de Constit. volunt auctores communius contra Sanch. et alios. Et ratio est, quia Trid. statuendo impedimentum raptus, consulere voluit libertati matrimonii; sed hæc libertas æque tollitur, si femina violente abducat virum, quam si vir feminam. Deinde saltem in correlativis, et ubi est eadem ratio, sub sexu masculino etiam in jure, nisi specialis fiat exceptio, communiter venit femineus L. 1. 122. 195. ff. de V. S. Sed vir et femina in ordine ad matrimonium sunt correlativa; estque eadem ratio, nempe libertatis, nec specialiter hic excipitur femina; ergo. Dixi 3°. *Matrimonii ineundi causa;* non enim hic raptus nomine venit, si qua abducatur violente solius exercendæ libidinis causa, vel spoliandi, etc. cum sic nondum lædatur libertas matrimonii, quam principaliter intendit Tridentinum. Igitur ut incurratur hoc impedimentum, non sufficit quæcumque violenta abductio; sed requiritur, ut fiat animo contrahendi matrimonium cum rapta, et ut hæc, quando contrahere matrimonium attentat, adhuc sit *in potestate raptoris;* licet rapta consentiret in matrimonium; si enim non consentiret, jam aliunde adhuc atque independenter a constitutione Tridentini nullum foret matrimonium.

O. A. M. D. G.

FINIS TOMI QUINTI ET ULTIMI

CONSPECTUS TOMI QUINTI

PARS POSTERIOR.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS POENITENTIÆ ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

DISPUTATIO I.

DE VIRTUTE POENITENTIÆ.

CAPUT I. — DE NATURA VIRTUTIS POENITENTIÆ.

Pag.

ARTIC. I. — *An et qualis virtus sit pœnitentia?* 3

Pœnitentia est vera virtus distincta a virtutum omnium collectione, eaque non theologica, sed moralis. 4

ARTIC. II. — *De motivo formali virtutis pœnitentiæ.* 7

Motivum specificum et proprium pœnitentiæ virtutis peculiaris, est jus divinum quatenus ex speciali debito justitiæ servandum ; prout autem exercet pœnitentia peculiare munus detestandi peccata, proprium ejus munus est resarcire divinam justitiam 8

ARTIC. III. — *Quodnam sit objectum materiale virtutis pœnitentiæ?* 10

Objectum materiale pœnitentiæ virtutis proprie magis spectatæ est peccatum, mortale præsertim, a pœnitente ipso ante commissum, prout detestandum ac destruendum. 10

ARTIC. IV. — *Utrum omne peccatum sit objectum virtutis pœnitentiæ?* . . . 13

Certum est, omnia peccata, etiam post baptismum commissa, utut multa sint aut atrocia, per veram pœnitentiam expiari. 14

CAPUT II. — DE ACTIBUS ELICITIS POENITENTIÆ.

ARTIC. I. — *Quomodo detestatio sit actus pœnitentiæ aversativus?* 22

Detestatio peccati ex motivo alicujus virtutis et ipsiusmet etiam caritatis potest esse actus formaliter tantum aversativus, quin amorem formalem includat 23

ARTIC. II. — *Quomodo detestatio sit absoluta, efficax et universalis?* 24

I. — Detestatio, quæ respicit actum peccati præteritum, est voluntas efficax et absoluta ex parte subjecti, sub conditione afficiente objectum : ex parte autem peccati habitualis absoluta est et efficax utrinque. . . 25

II. — Tametsi detestatio peccati esset particularis formaliter et in objecto materiali, si tamen ratio detestandi sit peccatis mortalibus omnibus com-

Pag.

munis, detestatio erit universalis virtualiter, et absolute voluntatem avertet ab affectu omnis peccati mortalis. 25

ARTIC. III. — *An pœnitenti actus sit honestus?* 28

Actus pœnitentiæ tam elicitus quam imperatus est honestus. 28

ARTIC. IV. — *Utrum actus pœnitenti sit supernaturalis?* 30

Actus christianæ pœnitentiæ hoc sensu est supernaturalis, quod sine speciali et supernaturali Dei gratia exerceri non possit. 30

CAPUT III. — DE CONTRITIONE.

ARTIC. I. — *In quo consistat essentia contritionis perfectæ?* 33

Perfecta contritio, qua extra sacramentum justificamur, debet esse detestatio peccati ex motivo perfectæ caritatis, qua Deus super omnia amatur. 34

ARTIC. II. — *De quantitate contritionis* 37

I. — Ad perfectam contritionem non requiritur certus modus aut gradus intensionis, sed sufficit detestatio peccati summa appretiative, ex caritatis motivo profecta. 38

II. — Detestatio peccati ex motivo caritatis concepta, ut sit contritio perfecta, nulla eget certa temporis duratione. 42

ARTIC. III. — *An ad contritionem perfectam statim remittantur peccata?* . . 45

Qualiscumque contritio, quæ propter Deum super omnia dilectum concipitur, continuo justificat pœnitentem, etiam ante usum sacramenti. 45

ARTIC. IV. — *Quomodo contritio peccatum expellat?* 49

I. — Peccatum lethale non expellitur formaliter per contritionem. 49

II. — Contritio non tantum est dispositio, sed etiam se habet ut causa moraliter efficiens remissionem peccatorum. 50

ARTIC. V. — *Quomodo peccata venialia per pœnitentiam tollantur?* 53

I. — Perfecta contritio sola ex opere operantis tollit omnia peccata venialia, ad quæ ex motivo suo saltem virtualiter extenditur. 53

II. — Peccata venialia ex opere operato absterguntur non tantum a sacramentis pœnitentiæ, baptismi et unctionis extremæ, sed etiam a quatuor reliquis, modo attritio aliqua non desit. 54

ARTIC. VI. — *Utrum merita peccato mortificata per pœnitentiam reviviscant?*. 57

I. — Opera bona peccato mortificata, denuo per pœnitentiam reviviscunt. . 58

II. — Merita mortificata reviviscunt ad totum præmium essentiale proprium, et consequenter ad totam gratiam sanctificantem et virtutes prius habitas : non vero ad accidentale tantum præmium, aut ad substantiale indistinctum realiter ab eo, quod debetur contritioni, qua homo a peccato resurgit. 61

ARTIC. — VII. *An peccata dimissa redeant subsequente peccato novo?* . . . 64

I. — Nullum peccatum semel remissum novo peccato subsequente reviviscit, nec quoad maculam et offensam, neque quoad reatum pœnæ. . . . 65

II. — Peccata dimissa quadruplici ex capite redire possunt, sed minus proprie. 65

CAPUT IV. — DE NECESSITATE POENITENTIÆ.

ARTIC. I. — *Quam sit necessaria pœnitentia?* 69

I. — Per se loquendo actus formalis pœnitentiæ necessarius est ad remissionem peccati mortalis consequendam. 69

Pag.
II. — Ad remissionem peccati pœnitentia virtualis per accidens sufficit. . . . 70
Artic. II. — *Quandonam pœnitendum?* 73
I. — Fideles in articulo mortis tenentur ad perfectam contritionem saltem virtualem de suis peccatis, licet norint, se illa cum attritione modo confessos eisque absolutos fuisse, aut adhuc confessuros. 75
II. — Peccator gravi obligatur præcepto, ne pœnitentiam ad mortis articulum differat; quamvis hoc præceptum non videatur obligare, nisi ratione caritatis. 75
III. — Præceptum pœnitentiæ non statim ab admisso peccato obligat ad actum, etiamsi opportunitas sit continuo id præstandi. 76
Artic. III. — *De impœnitentiæ peccato.* 80
Impœnitentia, præsertim finalis, est speciale peccatum, idque unum ex gravissimis 80

DISPUTATIO II.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Decretum Concilii Florentini de sacramento Pœnitentiæ pro Armenis. . . . 83
Canones Concilii Tridentini de sacramento Pœnitentiæ. 83

CAPUT I. — DEMONSTRATUR VERITAS HUJUS SACRAMENTI.

Artic. I. — *An pœnitentia sit proprium novæ Legis sacramentum?* 86
Pœnitentia seu ritus ille, quo Christiani pœnitentes et peccata sacerdoti confitentes ab eodem absolvuntur, est verum ac proprium novæ Legis sacramentum. 87
Artic. II. — *An hoc sacramentum institutum sit per modum judicii?* . . . 95
Sacramentum pœnitentiæ a Christo proxime est institutum ad formam judicii, quo nimirum fideles sacerdoti peccata sua aperiant, et ab eo sententiam excipiant. 96
Artic. III. — *Utrum pœnitentiæ sacramentum distinguatur a baptismo?* . . 105
Pœnitentia est sacramentum omnino distinctum a baptismo. 106
Artic. IV. — *Quibus partibus hoc sacramentum constet?* 109
I. — Pœnitentiæ sacramentum constat ex materia et forma tanquam ex partibus essentialibus 110
II. — Partes materiales pœnitentiæ tres sunt, contritio, confessio, satisfactio. 110
III. — Actus quidam alii male ab hæreticis partes pœnitentiæ dicuntur. . . 111
Artic. V. — *Quam sit necessarium pœnitentiæ sacramentum?* 116
Sacramentum pœnitentiæ necessarium plane medium est ex Christi institutione ad veniam peccatorum lethalium post baptisma admissorum obtinendam. 116

CAPUT II. — DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Artic. I. — *Quænam sit hujus sacramenti forma?* 123
Forma hujus sacramenti conveniens et sufficiens sunt verba ista formaliter sumpta: *Absolvo te.* 123

Pag

ARTIC. II. — *An ad formam sacramenti pœnitentiæ sufficiant verba precatoria?* 126

Forma sacramenti pœnitentiæ non potest esse mere precatoria aut impetratoria. 126

ARTIC. III. — *Quis sensus sit verborum formæ hujus sacramenti?*. 132

I. — Sensus verborum absolutionis non est : Ego te ostendo, declaro a peccatis absolutum 133

II. — Neque sensus formæ absolutionis est : Absolvo te obligatione subjiciendi peccata clavibus. 133

III. — Neque etiam forma memorata habet hunc sensum : Absolvo te a pœna peccatis debita 134

IV. — Verum sensum formæ hujus sacramenti nobis exposuit S. Thomas his verbis : *Absolvo te*, *id est, sacramentum absolutionis tibi impendo.* 134

ARTIC. IV. — *Utrum absolutio sine verbis dari possit?*. 137

I. — Sacramenti hujus forma sufficiens verbis propriis ac voce humana est proferenda 137

II. — Sacerdos non potest absolvere nisi præsentem. 138

CAPUT III. — DE PRIMA PARTE MATERIALI POENITENTIÆ SACRAMENTI, QUÆ EST CONTRITIO.

ARTIC. I. — *Sitne dolor aliquis internus de essentia hujus sacramenti?*. . 141

Dolor aliquis internus atque supernaturalis omnino est de essentia pœnitentiæ sacramenti, etiam cum tantum venialia, aut mortalia olim jam absolutione remissa pro confessione exponuntur. 141

ARTIC. II. — *An contritio imperfecta sit actus bonus et honestus?*. 143

I. — Attritio ex consideratione turpitudinis peccati concepta actus bonus est et honestus. 143

II. — Bona etiam et utilis est attritio concepta ex solo metu gehennæ et aliarum pœnarum a Deo infligendarum, h. e. qua quis Deum vindicem ita timet, ut solius pœnæ fugiendæ causa de peccatis admissis doleat, et imminentia aversetur. 143

ARTIC. III. — *An ad effectum sacramenti pœnitentiæ percipiendum necessario requiratur contritio perfecta?*. 150

Ad pœnitentiæ sacramentum cum fructu percipiendum non opus est contritione perfecta, sed sufficit attritio sola, etiam cognita ut talis. . . 151

ARTIC. IV. — *Utrum attritio sine inchoata dilectione sufficienter peccatorem confitentem disponat ad gratiam absolutionis percipiendam?*. . . 156

I. — Ut imperfecta contritio sit proxima dispositio ad gratiam absolutionis accipiendam, aliquam saltem inchoatam Dei dilectionem debet includere 157

II. — Amor ille initialis, quem attritio proxima ad gratiam sacramenti dispositio comprehendit, est actus spei, quo Deus diligitur tanquam nobis bonus 159

ARTIC. V. — *Quodnam propositum cum contritione ad pœnitentiæ sacramentum requiratur?*. 166

Propositum formale, per se loquendo, necessarium est ad contritionem; per accidens tamen sufficit virtuale. 166

ARTIC. VI. — *An pœnitentiæ sacramentum informe esse possit defectu attritionis?* 168

Pag.

Quando pœnitenti in dato casu deest universalis detestatio peccatorum mortalium, pœnitentiæ sacramentum simpliciter nullum est, adeoque informe dari nequit et verum ac validum. 169

CAPUT IV. — DE CONFESSIONE PARTE ALTERA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

ARTIC. I. — *De præcepto ecclesiastico confitendi.* 172

Lege ecclesiastica usus confessionis fidelibus certo tempore præcipitur. . 172

ARTIC. II. — *De qualitate confessionis.* 175

I. — Ad confessionis sacramentalis essentiam non requiritur, ut sit secreta. 175

II. — Ad confessionis sacramentalis substantiam non pertinet, ut voce fiat. . 175

III. — Confessio facta absenti per litteras aut signa alia valet, ita ut sacerdos teneatur talem præsentem, si aliter amplius confiteri nequeat, in mortis periculo absolvere. 176

IV. — Confessio non redditur invalida a vanæ gloriæ pruritu, aliove ab affectu venialiter malo. 176

V. — Mendacium non reddit irritam confessionem, nisi quando ita materia confessionis fuerit peccatum mortale. 176

ARTIC. III. — *Quandonam sufficiat confessio integra formaliter tantum?* . 179

Ab beneficium absolutionis obtinendum sufficit confessio formaliter tantum integra, quando obstat impotentia physica vel moralis, quo minus pœnitens confessionem materialiter integram. præstet. . . . 179

ARTIC. IV. — *Quas peccatorum circumstantias exponere in confessione teneamur?* 182

I. — Circumstantiæ, quæ speciem et numerum peccatorum immutant, in confessione aperiendæ sunt. 182

II. — Per se loquendo non est obligatio exponendi circumstantias peccatum in eadem specie insigniter aggravantes. 183

ARTIC. V. — *Quomodo peccata dubia ad confessionem pertineant?* 186

I. — Qui in dubio positivo probabiliter judicat, se non peccasse mortaliter, vel tale peccatum jam fuisse confessum, potest se judicio isti conformare, ut non teneatur tale peccatum confiteri, licet in contrarium habeat conjecturas adhuc probabiles. 187

II. — Peccata mortalia de quibus negative dubitamus, necessario in confessione debent exponi. 187

ARTIC. VI. — *Quando confessio iteranda sit?* 191

I. — Qui sacramentum pœnitentiæ vere suscepit sine confessione materialiter integra, tenetur in proxima confessione repetere illa tantum peccata, quæ ex oblivione inculpata aliisque de causis legitime reticuit. . . . 191

II. — Quando sacramentum confessionis quocumque ex defectu nullum fuerat, iteranda est confessio etiam materialiter antea integre facta. . . . 191

CAPUT V. — DE SATISFACTIONE.

ARTIC. I. — *An cum culpa semper omnis pœna remittatur?* 194

Quando peccator Deo reconciliatur, non semper ei remittitur tota pœna temporalis 194

ARTIC. II. — *An pro pœna temporali satisfacere possimus?* 197

I. — Pœnæ aliquot temporales peccatis debitæ possunt satisfactione congrua a pœnitentibus redimi. 198

Pag.

II. — Etsi Deo ex rigore justitiæ satisfieri non possit, justi tamen per opera pia pro pœnis temporalibus veterum peccatorum condigne satisfaciunt. . 199

Artic. III. — *Conditiones ad satisfactionem extra sacramentum requisitæ.* . 201

I. — Ut opus pœnale sit condigne in actu secundo satisfactorium et temporalem pœnam certo tollat, requiritur acceptatio divina. 201

II. — Ut condigne quis pro temporalibus pœnis satisfaciat, opus est, eum adhuc esse viatorem et in Dei gratia. 201

III. — Ad satisfactionem condignam non sufficit actionem esse liberam, honestam et supernaturalem, sed insuper requiritur, ut sit laboriosa. . 202

Arsic. IV. — *De satisfactione injungenda in sacramento pœnitentiæ.* . . . 203

Sacerdos, spectata gravitate peccatorum et facultate pœnitentium, tenetur pœnam peccatis proportionatam illis injungere. 203

Artic. V. — *De satisfactione a confitentibus præstanda.* 206

I. — Pœnitentes tenentur injunctam sibi a sacerdote satisfactionem accurate absolvere tempore et modo præscripto, nisi fuerit legitime dilata, mutata aut sublata. 206

II. — Nullo Christi præcepto satisfactionis præstationem absolutioni sacerdotis præmittere jubemur. 208

Artic. VI. — *De efficacia satisfactionis sacramentalis.* 211

I. — Proprius et maxime indubitatus effectus ex opere operato satisfactionis est remissio alicujus pœnæ temporalis, præter illam quæ respondere posset ex opere seu merito operantis. 212

II. — Sacramentalis satisfactio etiam post absolutionem peracta confert ex opere operato gratiam aliquam gratum facientem. 212

III. — Satisfactio impleta in statu peccati non confert effectum pœnitenti, nisi remota fictione. 212

CAPUT VI. — DE INDULGENTIIS.

Artic. I. — *De suffragiis.* 215

Potest justus viator in alterum justum viatorem transferre satisfactiones suas, queis hic a reatu pœnæ temporalis ex pacto divino condigne et secundum eam, quæ erga Deum esse potest, justitiam liberetur. . . 216

Artic. II. — *Indulgentiarum veritas ostenditur.* 221

Datur in Ecclesia potestas concedendi indulgentias, queis remittantur fidelibus pœnæ pro peccatis remissis debitæ apud Deum. 221

Artic. III. — *Conditiones ad dandas et lucrandas indulgentias requisitæ.* . 227

I. — Indulgentiæ debent a legitimo dispensatore, justis de causis, et aliquo signo externo concedi : alioqui nullæ erunt. 227

II. — Ut quis indulgentiam sibi lucretur, debet esse vivens, viator, rationis compos, baptizatus, in statu gratiæ, et opus injunctum omnino explevisse. 228

Artic. IV. *Variæ divisiones indulgentiarum adducuntur.* 231

I. — Indulgentiæ ratione subjecti, cui alligantur, aliæ sunt locales, aliæ reales, aliæ personales. 231

II. — Ratione effectus dividuntur indulgentiæ in partiales et totales. . . . 231

CAPUT VII. — DE POENITENTIA PUBLICA.

Pag.

ARTIC. I. — *Ritus et institutio pœnitentiæ publicæ.* 233

Institutio pœnitentiæ publicæ et solemnis non est a Christo et Apostolis, sed est disciplinæ tantum ecclesiasticæ. 234

ARTIC. II. — *Pro quibus peccatis pœnitentia publica dictabatur.* 235

Pro solis peccatis publicis, eisque gravissimis et scandalosis olim præcipiebatur pœnitentia publica. 235

CAPUT VIII. — DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

ARTIC. I. — *Quænam potestas in ministro hujus sacramenti requiratur?* . . 240

I. — Ut quis sit verus sacramenti hujus minister, simpliciter in eo requiritur potestas ordinis, seu ut sit sacerdos. 240

II. — Ut quis sacramentum pœnitentiæ administrare possit, opus ei adhuc est jurisdictione. 241

ARTIC. II. — *De necessitate approbationis ad sacramentum pœnitentiæ administrandum.* 244

Sacerdotibus omnibus beneficium curatum non habentibus adeo necessaria est ad excipiendas secularium confessiones approbatio Episcopi, ut sine hac nulla sit ipsorum absolutio 244

ARTIC. III. — *De jurisdictione ministri hujus sacramenti.* 249

I. — Quilibet Ordinarius communicare potest jurisdictionem suam ad excipiendum confessiones cuivis sacerdoti approbato, ac superior quidem inconsulto etiam Ordinario immediato 249

II. — Ad veram et validam sacramenti pœnitentiæ administrationem non sufficit futura Ordinarii ratihabitio, aut voluntas ejus præsumpta, aut jurisdictio delegata dubia vel probabilis. 250

III. — Qui jurisdictionem delegavit, potest eamdem, cum lubuerit, tollere, aut etiam superior ipsius : absolute tamen concessa cum legantis morte non exspirat. 250

ARTIC. IV. — *De absolutione a quibusdam peccatis reservatis.* 253

I. — Recensentur qui extra mortis articulum absolvere a casibus reservatis directe possunt. 253

II. — Extra mortis articulum non potest pœnitens habens casum reservatum, ne indirecte quidem absolvi a sacerdote non habente potestatem in peccata reservata 255

ARTIC. V. — *Quibus absolutio danda sit aut neganda?* 257

I. — Non licet ministro quemquam absolvere, quem non prudenter ac probabiliter judicat esse dispositum ad absolutionis sacramentum digne recipiendum. 257

II. — Sacerdos non potest absolvere moribundum, qui nullo signo edito dolorem suum de peccatis vel ipse vel per alios sacerdoti testatus fuit, aut absolvi petiit; licet de ejus recta fide et probitate vitæ constiterit . . 259

ARTIC. VI. — *De sigillo sacræ confessionis.* 261

I. — Minister pœnitentiæ sacramenti obligatione gravissima tenetur ad reticendum perpetuo ea omnia, quæ sibi pro confessione credita fuerunt a pœnitente. 261

II. — Materia sigilli hujus non sunt tantum peccata pœnitentis, quamvis levissima, sed omnes etiam eorum circumstantiæ et adjuncta, ex quibus

Pag.

peccatum complicis, item defectus, infirmitates, damna, detrimenta tam pœnitentis quam aliorum cognoscuntur per confessionem, quorum revelatio aut notitia ab ipso etiam confessario in usum deducta sacramentum pœnitentiæ possent reddere odiosum. 262

DISPUTATIO III.

DE SACRAMENTO UNCTIONIS EXTREMÆ.

Decretum Concilii Florentini de extrema Unctione pro Armenis. 271
Canones Concilii Tridentini de sacramento extremæ Unctionis. 271

CAPUT I. — DE EXISTENTIA, MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTIC. I. — *Veritas sacramenti Unctionis extremæ* 272
Extrema Unctio est verum novæ Legis sacramentum 273

ARTIC. II. — *De materia et forma extremæ Unctionis.* 276
I. — Materia proxima sacramenti Unctionis extremæ est inunctio ægroti. . 276
II. — Materia remota hujus sacramenti est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum 277
III. —Forma hujus sacramenti est precatio, quam sacerdos inungendo pronuntiat. 279

CAPUT II. — DE EFFECTIBUS ET MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTIC. I. — *De effectibus hujus sacramenti* 280
I. — Finis et effectus secundarius extremæ Unctionis est confortatio animi adversus difficultates in articulo mortis occurrentes. 280
II. — Finis et effectus secundarius extremæ Unctionis est, per se proxime disponere animam ad introitum gloriæ. 281
III. — Extrema Unctio aliquando sanitatem corporis virtute sua confert. . . 282

ARTIC. II. *Minister extremæ Unctionis.* 287
I. — Soli Sacerdotes sunt ministri idonei extremæ Unctionis. 287
II. — Quamvis sacramentum istud a presbyteris pluribus aut Episcopis administrari possit ; ad ejus veritatem tamen vel unicus eorum sufficiet. . 287

ARTIC. III. — *Quædam proprietates et affectiones sacramenti extremæ Unctionis.* 290
I. — Extremæ Unctionis sacramentum ministrari debet solis infirmis adultis periculose ægrotantibus 290
II. — Ægroti periculose decumbentes ad sacram Unctionem percipiendam non tenentur præcepto divino. 290
III. — Sacramentum extremæ Unctionis iterari potest. 291
IV. — Olim extremæ Unctionis sacramentum ante sacram Eucharistiam ægrotis ministrabatur 291

TRACTATUS DE ORDINE ET MATRIMONIO.

Pag.
PROOEMIUM. 295

DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTIS ORDINIS.

Decretum Concilii Florentini de sacramento ordinis pro Armenis 300
Canones Concilii Tridentini de sacramento ordinis. 300

CAPUT I. — DE ORDINE SACRO HIERARCHICO MINISTRORUM ECCLESIÆ A LAICO STATU PENITUS DISTINCTO.

ARTIC. I. — *Utrum ministri Ecclesiæ recte appellentur clerici, et aliquod clericorum a laicis discrimen semper fuerit in Ecclesia, etiam primis duobus seculis?* 302

I — Ministri Ecclesiæ recte appellantur clerici. 303
II. — Jam a prima Ecclesiæ origine, adeoque ante Tertulliani ævum, clericos inter et laicos discrimen fuit. 303

ARTIC. II. — *An ordo hierarchicus ministrorum Ecclesiæ sit jure divino, ex institutione Christi, a laicorum statu distinctus?* 312
Ordo hierarchicus ministrorum Ecclesiæ jure divino, ex prima institutione Christi, a laicorum statu distinctus est. 312

ARTIC. III. — *Ad quem pertineat jus instituendi ministros Ecclesiæ?* 324
I. — Electio ministrorum Ecclesiæ non fit a solo Deo 325
II. — Jus eligendi tam summum Pontificem, quam cæteros Ecclesiæ pastores et ministros, neque populo, neque principibus jure divino convenit; sed si quid ea in re potuerint aliquando, vel possint adhucdum, id vel ex conniventia, vel concessione Ecclesiæ aut Pontificum ortum. . . 326

CAPUT II. — DE SACRAMENTO ORDINIS.

ARTIC. I. — *Ordinem sacramentum esse demonstratur.* 333
Ordo est vere ac proprie novæ Legis sacramentum. 337

ARTIC II. — *De ordinum ecclesiasticorum numero pertractatur* 337
I. — Septem ab initio ad hæc usque tempora apud Latinos obtinuerunt ordines, nempe Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii. 337
II. — Septem pariter in antiqua saltem Græcorum Ecclesia ordines fuere. . 338

ARTIC. III. — *De quatuor ordinibus minoribus.* 342
I. — Probabilis est sententia negans quatuor minores ordines esse sacramenta. 343
II. — Probabilior videtur sententia affirmans 344

ARTIC. IV. *De Subdiaconatu* 347
I. — Verosimilius est, subdiaconatum semper in Ecclesia Dei fuisse *ordinem sacrum*, quatenus hic spiritualem tribuit potestatem, in sacrificio altaris propius inserviendi 347

Pag.

II. — Verosimilius est, subdiaconatum esse proprii nominis sacramentum. . 348

Artic. V. — *De sacro Diaconatus ordine.* 352

Diaconatus est sacramentum proprie dictum. 353

Quæres : *Quid de Diaconissis sentiendum?*. 358

Artic. VI. — *De Sacerdotio.* 359

I. — Presbyteratus est sacramentum proprie dictum. 360

II. — Episcopatus, prout includit potestatem et jus conferendi ordines aliaque officia hierarchica exercendi, est verum ordinis sacramentum. . . 360

Artic. VII. — *De excellentia Episcoporum.* 364

I. — Jure divino Episcopi presbyteris superiores sunt quoad potestatem ordinis 364

II. — Jure divino Episcopi antecellunt presbyteris etiam quoad potestatem jurisdictionis 365

Artic. VIII. *De sacrarum ordinationum materia et forma.* 375

I. — Materia essentialis ordinationis Episcopi est 1°. impositio libri Evangeliorum, et 2°. impositio manuum ; adeoque duplex partialis unam totalem constituens : forma vero utrique respondens adæquata est hæc : *Accipe Spiritum sanctum* 377

II. — Materia necessaria necessitate sacramenti in ordinatione presbyteri apud Latinos est duplex partialis unam totalem constituens ; et similiter duplex forma : 1°. Instrumentorum, scilicet calicis cum vino et patenæ cum hostia sive pane porrectio cum verbis sive forma : *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, *etc.* 2°. Impositio manus secunda, sive ultima, quæ fit a solo Episcopo cum forma : *Accipe Spiritum sanctum.* 379

III. — Duæ etiam sunt apud Latinos partiales materiæ et formæ in ordinatione Diaconorum : 1°. Impositio manus Episcopi cum hac forma : *Accipe Spiritum sanctum ad robur, etc.* 2°. Traditio libri Evangeliorum cum hac forma : *Accipe potestatem legendi Evangelium, etc.* 383

IV. — Materia ordinationis Subdiaconorum et forma est similiter duplex partialis : 1°. Traditio calicis vacui cum patena vacua, cui respondens forma est : *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur, etc.* 2°. Traditio libri Epistolarum cum hac forma : *Accipite librum Epistolarum, etc.* 383

V. — Materia et forma ordinum minorum est sequens :

Acolythatus est 1°. traditio urceoli vacui cum forma : *Accipe urceolum, etc.* 2°. candelabri cum cereo extincto ; forma est : *Accipe ceroferarium cum cereo, etc.*

Exorcistatus materia est traditio libri Exorcismorum ; forma : *Accipe et commenda memoriæ, etc.*

Lectoratus materia est liber Lectionum ; forma : *Accipe, et esto verbi Dei zelator, etc.*

Ostiariatus materia est clavium traditio ; forma : *Sic age, quasi redditurus Deo rationem, etc.* 384

Artic. IX. — *De ministro sacramenti ordinis.* 394

I. — Minister ordinarius sacramenti ordinis est solus consecratus Episcopus. . 395

II. — Sacerdos simplex non est minister extraordinarius Presbyteratus, hoc est, non potest hunc ordinem alteri conferre, etiam ex commissione Ecclesiæ vel summi Pontificis. 398

III. — Sacerdos simplex etiam probabilius non est minister extraordinarius Diaconatus. 401

Pag.

IV. — Potest tamen sacerdos simplex ex concessione Ecclesiæ conferre subdiaconatum : item ordines minores. 402
V. — Valida est ordinatio facta ab Episcopo improbo, intruso, hæretico, schismatico, excommunicato, deposito, simoniaco. 403

ARTIC. X. — *De subjecto ordinationis*. 417

I. — Subjectum capax ordinationis est solus, et omnis mas baptizatus. . . 417
II. — Absolute inviti ordinatio omnino invalida est. 419

ARTIC. XI. — *De continentia sacris ordinibus annexa*. 424

I — In Ecclesia latina clerici omnes in majoribus ordinibus constituti, hoc est, Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus ad perpetuam tenentur continentiam, adeo ut ordine sacro suscepto nec possint contrahere matrimonium, nec matrimonio uti, si quod ante susceptionem sacri ordinis contraxerint 425
II. — Obligatio, quam habent majores clerici, servandi continentiam, non est ex jure naturæ ; nec ex jure divino ; sed solum ex jure ecclesiastico. . 425
III. — Probabilius est, obligationem continentiæ in majoribus clericis esse immediate ex voto. 426
IV. — Recte et omnino convenienter sacris ordinibus continentia ab Ecclesia adjuncta fuit. 427
V. — Nunquam licitum fuit in Ecclesia latina Episcopis, Presbyteris et Diaconis vel uti uxore ducta ante ordinationem, vel ducere uxorem post ordinationem. 431
VI. — Nunquam permissum fuit in Ecclesia græca matrimonium contrahere post susceptos ordines : nec licuit Episcopis et Presbyteris græcis in primis Ecclesiæ temporibus uxoribus uti ante ordinationem ductis. . 432

DISSERTATIO II.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

Decretum Concilii Florentini de matrimonio pro Armenis. 435
Canones Concilii Tridentini de sacramento matrimonii 436

CAPUT I. — DE SPONSALIBUS.

ARTIC. I. — *Quid sint sponsalia de futuro? Quem pariant effectum et quam obligationem?* 438

I. — Sponsalia de futuro sunt promissio vera, voluntaria et deliberata, mutua, expressa signo externo sensibili, futuri matrimonii inter personas jure habiles. 438
II. — Ex sponsalibus valide contractis duplex præcipue effectus producitur. *Primus* est obligatio justitiæ contrahendi suo tempore matrimonium cum persona, cui promisit. *Secundus* est impedimentum publicæ honestatis. 440
III. — Obligatio justitiæ orta ex sponsalibus est gravis. 441
IV. — Si mutuo contrahentium consensu nuptiis præfixus est certus terminus temporis, hic observandus est, nisi postea aliter inter eos conveniret, vel justa causa excuset : si vero non sit præfixus certus terminus, per

Pag.

se loquendo tunc tantum implenda probabilius est promissio, quando pars altera, cui facta est promissio, id exigit, idque si commode possit. 441

V. — Sponsalia ad exigentiam partis alterius implere nolens sine justa causa, primo monendus est; sique renuat pertinax, per competentia juris remedia a competente judice per se loquendo potest, et debet compelli. 442

ARTIC. II. — *De arrhis et pœna sponsalibus apposita.* 443

I. — Ante sententiam judicis non est obligatio in conscientia solvendi duplum legale. 444

II. — Nec est obligatio in conscientia restituendi arrhas conventionales sive duplicatas, sive triplicatas, ante sententiam judicis, si de hoc expresse non convenit inter contrahentes; secus vero si, ut ante restituerentur, inter eos convenisset. 444

III. — Invalide sponsalibus apponitur pœna, solvenda etiam ab eo qui juste resilit : recte tamen et valide apponitur solvenda ab injuste resiliente. 446

ARTIC. III. — *De sponsalibus impuberum* 448

I. — Non valent sponsalia inita ante completum *perfecte* ætatis septennium, licet malitia suppleat ætatem. 449

II. — Sponsalia ab impuberibus contracta et habentibus usum rationis valent, sicque impuberes obligant. Possunt tamen reclamare et resilire facti puberes : nisi forte pubertati proximi contraxissent sponsalia cum juramento; quo casu facti puberes nonnisi mutuo consensu ea possunt dissolvere. 450

ARTIC. IV. — *An valeant sponsalia clandestine contracta, vel sine scitu et consensu parentum ? Item metu gravi injusto extorta ?* 455

I. — Sponsalia clandestine, sive sine testibus et parocho contracta valida sunt, et per se licita. 456

II. — Sponsalia a liberis sine parentum consensu inita, licet ordinarie sint illicita, sunt tamen per se valida. 456

III. — Sponsalia metu gravi injusto extorta probabilius valida sunt. 458

ARTIC. V. — *Quibus ex causis sponsalia dissolvi possint ?*. 462

I. — Sponsalia non solum morte naturali, sed et superstite utroque desponsatorum multis ex causis dissolvi possunt. 462

II. — Dum unus sponsorum emittit votum castitatis, vel suscipiendi ordines; vel votum ingredi Religionem ; vel si Religionem ingrediatur præcise, professione nondum secuta, hoc ipso alter acquirit facultatem resiliendi. 465

III. — Votum ingrediendi Religionem, vel ingressus ipse, seclusa professione, non dissolvit sponsalia ex parte voventis, vel ingredientis : neque etiam votum castitatis, vel suscipiendi ordines. 466

CAPUT II. — DE NATURA MATRIMONII.

ARTIC. I. — *Quæ sit essentia matrimonii ?*. 469

I. — Usus matrimonii licet licitus sit, et honestus per se ; non tamen est de essentia matrimonii quomodocumque sumpti. 470

Pag.

II. — Essentia matrimonii *active* sumpti, in fieri et pro contractu, consistit in mutuo consensu exterius expresso. 471

III. — Essentia matrimonii *passive* sumpti vel in facto esse, consistit in nexu illo vel vinculo indissolubili resultante ex ipso contractu, vel consensu mutuo maris et feminæ. 471

ARTIC. II. — *An et sub qua ratione matrimonium sit verum novæ Legis sacramentum ?*. 474

I. — Matrimonium ante legem Evangelicam nunquam fuit veri nominis sacramentum 474

II. — Matrimonium sub ratione contractus est in lege Evangelica veri nominis sacramentum 475

ARTIC. III. — *An solum et omne matrimonium fidelium sit sacramentum ?*. . 479

I. — Matrimonium inter non baptizatos stat quidem in ratione contractus civilis; non tamen est veri nominis sacramentum, sed solum in sensu latiori. 480

II. — Matrimonium contractum a non baptizatis non fit sacramentum præcise per subsequentem baptismum, si convertantur; probabile tamen est fieri, si suscepto baptismo renovent consensum 480

III. — Matrimonium fidelis cum infideli non est proprie dictum sacramentum, ne quidem ex parte fidelis. 482

IV. — Matrimonium contractum a fidelibus per procuratorem valet, cæteris paribus, tum in ratione contractus, tum in ratione sacramenti. . . 483

V. — Licet Christus contractum matrimonialem elevaverit in sacramentum; potest tamen a fidelibus contrahi matrimonium, quod valeat in ratione contractus, quin simul sit sacramentum. 485

ARTIC. IV. — *Quis sit minister sacramenti matrimonii ?*. 488

Minister sacramenti matrimonii non est parochus, vel sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes, sacramentum hoc sibi mutuo administrantes. . . 488

ARTIC. V. *Quæ sit materia et forma sacramenti matrimonii ?*. 507

I. — Materia adæquata hujus sacramenti non videtur convenienter poni posse præcise in consensu interno 507

II. — Corpora contrahentium, seu jus vel dominium in corpora in ordine ad usum conjugalem, sunt materia remota et circa quam; non proxima et ex qua. 508

III. — Materia proxima hujus sacramenti et forma sunt ipsi contrahentium actus, quibus sibi mutuo corpora, vel mutuum in ea dominium in ordine ad conjugalem usum tradunt, et traditionem acceptant. . . . 508

CAPUT III. — DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

ARTIC. I. — *An ad valorem matrimonii semper necessarius sit consensus contrahentium, et qualis esse debeat ?* 510

I. — Ad matrimonium etiam sub ratione vinculi, adeo necessarius est mutuus consensus, ut ejus defectus saltem nulla sive seculari, sive ecclesiastica potestate suppleri possit. 510

II. — Consensus debet esse verus, deliberatus, mutuus, saltem moraliter simultaneus, publicus ubi viget constitutio Tridentini, liber ab errore et metu 511

Pag.

ARTIC. II. — *Utrum consensus conditionatus sufficiat ad matrimonium?* . . 512

I. — Matrimonium sub conditione repugnante substantiæ matrimonii est nullum. 513

II. — Conditio possibilis de præterito vel de præsenti, contractus matrimonialis valorem non suspendit; sed vel statim nullus est non existente conditione, vel statim valet ea existente. 513

III. — Conditio impossibilis adjecta matrimonio illud saltem pro foro externo non vitiat 514

IV. — Spectato foro externo, valet etiam matrimonium regulariter statim ut absolutum, cui apponitur conditio impossibilis *de jure* sive turpis de futuro, non repugnans substantiæ matrimonii. 514

V. — Matrimonium sub conditione de futuro necessaria, est absolute validum. 514

VI. — Matrimonium sub conditione honesta indifferente, aut contingente de futuro, non valet absolute ante eventum conditionis, sed usque ad hunc suspenditur. 514

VII. — Probabilius est, matrimonium sub conditione honesta, indifferente, aut contingente de futuro, posita conditione consequi valorem absolutum tam in ratione contractus, quam sacramenti, sine novo consensu, modo prior non revocatus fuerit. 515

ARTIC. III. — *Utrum ad valorem matrimonii filiorumfamilias sit necessarius parentum consensus?* 517

I. — Matrimonia a filiisfamilias contracta, parentibus sive insciis sive invitis, nec jure naturali nec divino nec humano irrita sunt; nec proinde magistratus vel parentes possunt suo arbitrio ea vel rata facere, vel irrita. 518

II. — Concilium Tridentinum condidit legem disciplinæ universalis, vi cujus generaliter rata firmaque manerent matrimonia contracta sine consensu parentum. 519

ARTIC. IV. — *An et quo jure metus matrimonium invalidet?* 522

I. — Metus gravis injuste incussus nec jure divino nec jure naturali, sed solo jure ecclesiastico invalidat matrimonium. 522

II. — Matrimonium metu gravi et injusto extortum, invalidum est; etiamsi a metu passo fuerit juramento firmatum. 523

CAPUT IV. — DE UNITATE MATRIMONII.

ARTIC. I. — *An licita sit polygamia successiva? et quæ Ecclesiæ tum latinæ, tum græcæ circa secundas et ulteriores nuptias fuerit disciplina?* . . 524

I. — Nec secundæ nuptiæ, nec ulteriores jure divino illicitæ sunt aut irritæ. 525

II. — Nec Ecclesia latina unquam secundas et ulteriores nuptias aut irritas aut illicitas fecit, vel judicavit 525

III. — Ecclesia græca secundas nuptias nunquam illicitas vel censuit, vel fecit. 527

IV. — Satis probabile est, trigamiam in quibusdam orientalibus Ecclesiis habitam fuisse illicitam, saltem jure ecclesiastico, licet non irritam. . . 528

V. — Vi præsentis disciplinæ apud Græcos tertiæ nuptiæ nonnisi in certis casibus valide contrahi possunt; quartæ vero nunquam. 529

ARTIC. II. — *Quo jure polygamia simultanea prohibita sit?* 529

I. — Polygamia, sive pluralitas uxorum simultanea, est jure divino prohibita. 530

II. — Polygamia etiam juri naturali adversatur. 531

III. — Ex concessione tamen divina post diluvium usque ad legem Evangelicam licita fuit polygamia simultanea 531

CAPUT V. — DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Pag.

ARTIC. I. — *Utrum matrimonium infidelium sit absolute indissolubile quoad vinculum?* 536

I. — Matrimonium infidelium qua talium, sive quamdiu neuter conjugum ad fidem convertitur, est penitus indissolubile quoad vinculum, sive consummatum sit, sive non. 536

II. — Matrimonium tamen infidelium etiam consummatum dissolvi potest quoad vinculum, si alter conjux convertatur ad fidem, alter vero converso vel cohabitare nolit, vel non velit nisi cum creatoris contumelia, vel cum pertrahendo ad peccatum. 537

III. — In præsenti statu Ecclesiæ, etiam videtur probabilius, posse solvi matrimonium quoad vinculum, si pars infidelis converti nolit, licet de cætero pacifice cohabitare vellet. 538

ARTIC. II. — *Utrum in Lege veteri licite daretur libellus repudii, eoque matrimonium solveretur quoad vinculum inter Judæos?* 540

Licite, ex concessione divina, inter Judæos dari poterat libellus repudii, eoque matrimonium dissolvebatur quoad vinculum. 540

ARTIC. III. *An matrimonium fidelium consummatum possit dissolvi quoad vinculum?* 542

Dogma catholicum est atque orthodoxa veritas, et ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagata Ecclesiæ traditio, excepta morte, nulla ex causa, ne quidem fornicationis, solvi posse matrimonii inter fideles consummati vinculum. 543

ARTIC IV. — *An et quo jure professio religiosa dirimat matrimonium ratum, etiam quoad vinculum?* 553

I. — Matrimonium, quod est ratum tantum, per solemnem alterius conjugum in Religione approbata professionem, dirimitur quoad vinculum. . . 553

II — Vis dirimendi matrimonium ratum professioni religiosæ concessa, probabilius non ex jure naturali, nec divino, sed ex jure ecclesiastico antiquissimo et ab Apostolorum temporibus introducto immediate descendit. 554

ARTIC. V. *Utrum summus Pontifex dispensare possit in matrimonio rato?* 557

Potest summus Pontifex, dum gravis causa exigit, dispensare in matrimonio rato. 557

CAPUT VI. — DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

ARTIC. I. — *Penes quem sit potestas statuendi impedimenta matrimonii?* . . 561

I. — Datur in Ecclesia potestas statuendi impedimenta matrimonii, non tantum impedientia, sed etiam dirimentia. 562

II. — Nec Episcopis, nec aliis prælatis inferioribus competit potestas inducendi impedimenta saltem dirimentia 563

III. — Nec princeps secularis, etiamsi potestate absoluta ferendi leges gaudeat, statuere potest impedimenta matrimonii subditis suis fidelibus; sed potestas ea soli Ecclesiæ competit, adeoque Romano Pontifici; ac Concilio universali. 563

Pag.

ARTIC. II. — *An de facto in Germania, aliisque provinciis septentrionalibus, ligentur heterodoxi impedimentis matrimonii jure solum ecclesiastico dirimentibus, ut proinde invalida censeri debeant eorum matrimonia tali cum impedimento contracta?* 569

Probabilius est, in Germania aliisque provinciis septentrionalibus *de facto* non ligari heterodoxos impedimentis matrimonii dirimentibus, jure tantum ecclesiastico statutis; proinde valida censenda esse eorum connubia tali cum impedimento contracta 569

ARTIC. III. — *Quot et quæ sint impedimenta impedientia matrimonii?* . . 577

De jure novo quatuor sunt, hoc expressa versiculo : *Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.* 577

ARTIC. IV. — *Quæ sint impedimenta dirimentia matrimonii?* 579

Jure novo sunt quindecim, scilicet : *Error, conditio, votum, cognatio, crimen, cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, affinitas, clandestinitas, impotentia, ætas, raptus.* 579

GTU Library
3 2400 00779 3684

DATE DUE

	PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall